UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia VVestfaliæ

Schaten, Nicolaus

Nevhvsii, 1690

urn:nbn:de:gbv:3:1-367846

Visual Library

Hist. 497.

H. Germ 328.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HISTORIA VVESTFALIÆ

In qua in primis de origine gentis,

DE PRISCIS HUJUS REGIONIS POPULIS,

De bellis, quæ cum Romanis pro libertate gesserunt:

DEINDE DE ORIGINE FRANCORUM,

Rhenum inter et Visurgim degentium, et quomodo hi pro libertate gentis, et limite Rheni tuendo decertârunt:

TUM DE SAXONIA CHRISTIANA,

à Carolo M. post trecennale bellum subactâ, atque ad fidem Christi perductâ, Summâ fide atque diligentiâ tractatur.

OPUS POSTHUMUM

AUCTORE

R. P.

NICOLAO SCHATEN

SOCIETATIS JESU.

Cum Privilegio S. Cæsareæ Majestatis.



NEVHVSII,

SUMPTIBUS JOANNIS TODT, TYPOGRAPHI AULICI

Suæ Celsitudinis Paderbornensis.

Anno M. DC. LXXXX.

P 06
LSZC
1124



K901/14227

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

REVERENDISSIMO AC PERILLUSTRI
DOMINO

D. WILHELMO
LIBERO BARONI
DE FVRSTENBERG,

PRÆPOSITO MONASTERIENSI,
DECANO SALISBURGENSI,
CANONICO CAPITULARI PADERBORNENSI,
PRÆPOSITO COLLEGIATARUM ECCLESIARUM
IN BUSTORFF ET MESCHEDE,
CONSILIARIO INTIMO CELSISSIMORUM PRINCIPUM
ARCHIEPISCOPI SALISBURGENSIS ET EPISCOPI MONASTERIENSIS.

REVERENDISSIMO AC PERILLUSTRI DOMINO

D. IOANNI ADOLPHO
LIBERO BARONI
DE FVRSTENBERG

ET DOMINO IN ADOLFSBURG,
PRÆPOSITO ECCLESIÆ CATHEDRALIS PADERBORNENSIS,
CANONICO CAPITULARI CATHEDRALIUM ECCLESIARUM
HILDESIENSIS ET MONASTERIENSIS,
PRÆPOSITO ECCLESIARUM COLLEGIATARUM
AD S. CRUCEM HILDESII ET VETERIS TEMPLI MONASTERII,
CONSILIARIO INTIMO PADERBORNENSI.

PERILLUSTRI AC GENEROSO DOMINO

D. FERDINANDO
LIBERO BARONI
DE FVRSTENBERG

DOMINO IN FURSTENBERG, SCHNELLENBERG,
HERDRINGEN ET WATERLAP,
CUBICULARIO AUREÆ CLAVIS SERENISSIMI COLONIENSIS
ET CONSILIARIO IN DUCATU WESTFALIÆ,
SATRAPÆ IN BILSTEIN, WALDENBURG ET FREDEBERG,
ADVOCATO HÆREDITARIO IN GRAFFSCHAFFT,
ET DOMINO JUDICII IN OBERENKIRCHEN.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PERILLUSTRIS AC GENEROSE DOMINE.

SI Deo O.M. ita placuisset, & Illustrissimum fratrem ac patruum Vestrum, Celsissimum Principem P. M. Ferdinandum, Episcopum Paderbornensem ac Monasterienſem, ad illud usque tempus in vivis conservasset, quo operi huic meo typographico ultimam manum imposuissem, nulla mihi deliberatione opus fuisset, cui hoc ipsum Patrono, pro more alijs jam dudum usitato, commendarem; etenim quòd ille Historiæ hujus potissimus fuisset auctor, quam patriæ & gentis suæ Westfalicæ bono, collegerat, quamque magna sollicitudine, & plurimis impensis per alios literarum Historiarumque amantes eò promoverat, ut lucem aspicere, & eruditorum teri manibus posset; alium, meo quidem judicio, præter se, operi huic patronum præfigi non sustinuisset; mihi certè fas non fuisset, præterito illo, alium convenire, utpote qui ab eo tempore, quo is ad capessendas Paderbornenses Insulas Neuhusium advenit, eidem Imperij ac literatorum Principi à typis constanter fui: Monumenta illius Paderbornensia (quorum hæc Historia diffusior explicatio est) primus impressi; aliaque deinde, illo volente ac jubente, magno cùm commodo meo, tum approbatione illius, tam varia prælo subjeci, ut citra vel ingrati vel inurbani animi notam alium præter illum Patronum eligere integrum mihi non fuisset. At nunc meo hoc & literatorum omnium Mœcenate, ingenti doctorum hominum mœrore, è vivis erepto, quos potius operi huic Patronos adsciscam, quàm Vos, Reverendissimi ac Perillustres fratres, Perillustris ac Generose Domine, magnorum Præsulum dignissime nepos? Ut enim taceam, quod frequentissimè me impuleritis, ut labori non parcerem, sed omni adhibita diligentia curarem, ut quàm citissimè in lucem ederetur opus hoc tantopere à summis infimisque expetitum; itáque tacitè mihi innuere visi fueritis, sub Vestro velle Vos auspicio id ipsum prodire, cujus maturationem tam seriò ac frequenter ursissetis; ut, inquam, id taceam, vos præ alijs opus hoc concernit, quod ad Westfalicæ gentis gloriam conscribi evulgarique voluit cùm Illustrissimus frater, tum patruus Vester, quodque moriturus commisit curæ Vestræ, ut Vobis agentibus non remaneret in tenebris, quod ille protrahi in lucem tantis semper desiderijs concupierat. Eam nunc voluntatem Principis Vobis sanguine tam propinqui si in memoriam revocaveritis, dubium mihi nullum relinquitur, quin commendatum à me opus libentissimis animis susceperi sitis. Quanquam quid alienos adduco titulos, ut curam & patrocinium operis mei persuadeam? Amor ille literarum, qui non secus in Vobis, quàm in defuncto Celsissimo Principe, ab adolescentiâ ad maturam usque ætatem spectatus fuit, multiplex illa tot annorum decursu maximâ sedulitate comparata eruditio, longa illa inter quam plurima negotia & prudentissimos homines parta experientia, &

quæ

quæ alia in Vobis præfulgent eruditissimorum Virorum decora facilè animos Vestros inclinabunt, ut hujus tutelam operis suscipiatis; Historiam illud complectitur? & quid in omni Vobis vita acceptius fuit, quàm istiusmodi lectione animum ad omnem eruditionem instruere? & Historiam complectitur Westfalicam, in qua primæ hujus gentis origines, gesta cum præcipuis orbis populis (Romanis ac Francis) bella, propugnata invictis animis per plura secula libertas, abjurata Idolorum servitus, suscepta Christi religio, aliaque ad gentis gloriam spectantia, scitu lectuque dignissima, pertractantur; ecquæ verò gratior Vobis Historia offeratur? qui gente Westfali, genere nobiles, familia illustres, originem à majoribus ducitis, de quibus dubium non est, quin primis nobilissimorum Westfalorum vestigijs inhæserint, cùm eorum permulti primas qua sæculares qua Ecclesiasticas dignitates suo merito sint consecuti, (quorum uberior commendatio in subsecuturis Annalium Westfalicorum libris legi poterit) Domesticam itaque historiam videtis, non peregrinam; quæ vel hoc ipso præ alijs exteris perplacebit. Sed quorsum pluribus hæc inculco, cùm de propensissimo Vestro in hoc opus animo satis mihi constet? læter potius, eos me nactum patronos, qui idipsum auctoritate sua ab obtrectantium, si quæ fortè occurrerint, linguis defendere suo tempore poterunt. Etenim si S. R. I. Principes excepero, penes quos ex gente nostra Westfalica ea auctoritas major, quàm penes Vos in primis, Reverendissimos ac Perillustres fratres? qui multis ad Cæsarem, Principes & Comitia Imperij legationibus clari, S.R.I. Principum, quibus ab intimis consilijs fuistis ac etiamnum estis, familiaritate noti, ac præcipuis qua Cathedralium qua Collegiatarum Ecclesiarum dignitatibus illustres inter præcipua Westfalicæ gentis decora eminetis; & te deinde, Perillustris ac Generose Domine, Ferdinande Fürstenbergice, qui eam feliciter familiam propagas, quæ præter tres S.R.I. Principes, & quam plurimos in Ecclesiasticis dignitatibus constitutos præsules, tot sago togaque inclytos viros produxit, ut nulli dubitare fas sit, quin plurimum semper splendoris natio Westfalica ab illustri tua familia acceperit; ut nihil dicam de præclaris tuis tibi proprijs dotibus, ijsque honorum gradibus, in quibus positus, sicut alijs præemines, ita meritissimo jure eam tibi auctoritatem vendicas, quæ abunde pro tuendo hoc opere mihi sufficiat. Fretus itaque tanta auctoritate, & securus de propenso in me studio, opus hoc, unam Historiæ Westfalicæ decadem continens, Vobis, Reverendissimi ac Perillustres fratres, Perillustris ac Generose Domine, Ferdinande Fürstenbergice, ea submissione offero, quæ obsequentem famulum decet, nihil dubitans, quin benevolis idipsum manibus accepturi sitis, & sicut impressionem hujus serio ursistis, ita deinceps studium & impensas ad superstites Annalium Westfalicorum edendos libros necessarias sitis collaturi.

REVERENDISSIMARUM AC PERILLUSTRIUM VESTRARUM,
PERILLUSTRIS AC GENEROSÆ DOMINATIONIS TUÆ

Obsequentissimus famulus

Joannes Todt, Typographus.

PRÆFATIO

Ad Candidum Lectorem.

Paucis te mihi visum alloqui, candide Lector, antequam hosce Historiæ Westfalicæ libros in manus sumere dignabere, non ob aliud magis, quàm ut primùm de causis hujus scriptionis, tum de argumento ac divisione, post de methodo modoque cognoscas. Causa mihi ac ratio multiplex; illam verò omnium instar accipias velim, quòd cùm hoc florentissimo literarum ævo, plerique per Germaniam, ceteraque regna ac provincias majorum suorum res domi forisque præclarè gestas, ab origine celebrârint; tum minimè nobis committendum fuit, ne & nostra in tenebris hærerent, quæ non minus quàm ceterarum gentium origines, resq; præclarè gestæ illustrari possent. Pietatis hoc opus est & studium, quod debetur patriæ. Et quid dignius grato animo præstes, quàm ut patriæ, in qua hausisti lucem vitæ, ei lucem aliquam laudis pro viribus reddas. Scripserunt permulti Westfaliæ regionis situm, fines, mores populi, & encomia gentis, Bartholomæus Anglicus, Æneas Sylvius, Chytræus, alijque quos inter Rolevingus etiam ex simplici ævo & genio, nugax alicubi magis, quàm serius scriptor; verùm qui veterem Westfaliæ historiam ab origine scripserit, haud scio an alius sit præter Stangefolium, à quo annales circuli Westfaliæ memoria nostra recens vulgati (Tam incuriosi suorum populares nostri, dum aliena extollimus) sedis auctor per salebras abruptus; analecta potius adversariaque sua, quàm contextam ordine historiam communicasse videri potest; ne veterem Westfaliæ Franciam, Francorumve nostrorum res tot annis præclarè editas assecutus, alijs uberiorem absolutioremque scribendi materiam reliquit. Quapropter Ferdinandus Episcopus noster, raræ atque eminentis doctrinæ Princeps, cùm videret hic non tam res gestas majorum, gentisque nostræ gloriam, quàm scriptorem desiderari, ipse Monumenta Paderbornensia, præclarum omnique antiquitatis eruditione plenum opus, conscripsit, & publici juris fecit. In his, quia simul tanquam in tabula consignatus est ordo, quem nativa historiæ series poscit, auctor mihi, adjutorque fuit, ut ad hosce annales aggrederer. Parui pro imperio magis quàm arbitrio meo, quòd supra tenuitatem ingenij mei cognoscerem. Nec aliter quàm Orosius Sacerdos D. Augustini hortatum, aut Saxo aliquis Grammaticus ab Absolone Episcopo suo scriptionem admisit, nisi quòd Saxonis fabulis indulgere nolim.

Igitur prima pars erit de origine gentis, de priscis harum regionum populis, de bellis, quæ cum Romanis pro libertate gesserunt; & si gentis hic laudes requiras, adest Tacitus de moribus Germanorum, ex quo petantur, quæ ille de Cattis, Bructeris, Sicambris, alijsque inter Rhenum & Visurgim populis nostris, earumq; bellicâ, forsitudine, & virtutum laudibus scribit. Hanc partem annalium Westfaliam Romanam inscripsimus, quam potissimum Paderborna sibi vendicat, quòd hîc Luppiæ fontes, ad quos exercitus Romanus toties consedit, hic castra & stativa, hic montes Teutonici Varianâ Clade nobiles, hîc Martis campus & belli sedes ad Alisonem, aliaque quæ ex bellis Romanorum cumprimis memorabilia relegis.

Alterâ parte Francorum origines, ipsosque Francos ex ijsdem populis inter Rhenum & Visurgim incolentibus, memorabimus; nimirum uti sumpto Francorum nomine pro gentis libertate & limite Rheni tuendo decertarunt, donec ex æquo marte diu certantes, tandem victores perrupto Rheno, utramq; Belgicam & Galliam occuparent, & condito nobilissimo Francorum regno, imperium quàm latissime funderent. Hinc veterem Franciam non alibi quàm in Westfalia monstrabimus, eamque partem ob id Westfaliam Francicam inscripsimus; qua gentis nostræ gloria nihil ulla pars Germaniæ ex omni antiquitatis memoria habet illustrius; tantum abest ut Westfalos, gentem obscuram, abjectam & ignobilem cum imperitis antiquitatum reputes. Cum ipsis demum Francis aurora Christianæ religionis referetur, quæ Pipino II. Austrasiæ præfecto ac Majore Domus, quæ Carolo Martello Principe, & Pipino III Rege per Apostolicos viros in hasce regiones introduci cœpit.

Tertia

Tertia parte Saxoniam Christianam exhibebimus, in eaq; trecennale & cruentum Caroli M. bellum, quo de Saxonia & barbaris harum regionum populis est triumphatum. Tum verò gens bellicosissima, quæ hactenus neque Romanorum, neque Francorum in ipsos Francos & Saxones reflexis armis subigi potuit, à Carolo tandem perdomita, cum imperio Francorum Christianæ legi se submisit. Aureum hoc, post tot ferrea, sæculum cœlesti beneficio tandem illuxit, quo proculcatâ Idololatriâ plenaq; lucis Christi religio est introducta, & gens à fœdâ Dæmonum servitute liberata. Memorabuntur in eâ parte conditi primùm per Saxoniam Episcopatus, impositi Sanctissimi Pastores, distributi per paræcias Sacerdotes, & populus, qui sedit in tenebris, referetur in admirabile illud lumen gentium perductus, ut quàm barbarus ante & pertinax, tam mitis & fervens ex Christianâ religione aspiciatur: ita verò, qui primùm Sicambri, Catti, Bructeri, alijsque nomtnibus hujus regionis incolæ & indigenæ fuerunt, ij post Franci appellati, & deinde Saxones. Postremùm tripartito divisa Saxonia in Ostfaliam, Angariam & Westfaliam. Inde nunc ex hac Saxonum partitione Westfali audientur, gens quæ hoc nomen cum Christianâ religione primùm induit; nec minus inde tamen omnibus retro sæculis ad hunc diem bellicosa, & suis virtutibus inclyta, uti sequentium ætatum bella & res gestæ docere te possunt. Quò potissimum spectant, quæ posteriores scriptores de Westfalorum indole & laudibus tradiderunt, quos inter etiam Erasmus Epistola ad Thomam Morum. Non aliud, *inquit*, est genus mortalium patientius laborum, quod fide præterea morumque synceritate ac prudentia commendatur, quodque multos etiam summis ingeniis, minimeque vulgaris doctrinæ præstantes viros nobis dedit. *Lipsius, etsi aliquando literatorum jocis luserit in Westfalorum mores, postea tamen perstrictus ab alijs, & à se ipso monitus, hanc epistolam ex numero suarum posteriore editione expunxit, aliamque reposuit ad Monavium laudis plenam, quâ ex communi Germanorum indole gentem* candidam, pace & bello optimam, pugnacissimam & fidelissimam *dilaudat, quæque raro admodum, rebellionum malis obnoxia fuerit. Sed hæc Rhetorum declamationibus reserventur, quæ ex ipsis annalibus, de quibus hic agitur, & antiquitatum monumentis multò altius, multoque solidius petuntur.*

Methodus haud alia erit, quàm annalium, in quibus temporum ordine singula reddemus; nam plenam exactamq; historiam ex caligine antiquitatum, & tot rerum lacunis polliceri non possumus. Laxius tamen aliquanto narratio procurret, quàm prima annalium ratio & institutio habet, cùm apud Romanos Pontifex Max. publicæ memoriæ retinendæ causâ res singulorum annorum succinctè in tabulas referret. Culpabunt hic quidem aliqui narrationem longius subinde fundi per vicinorum populorum campos; sed rerum ac temporum status fœderati hostesque & innexa sociorum bella intermitti non poterant, ne affinium luce spoliarentur. Romani etiam Cæsares introducti, vinculum scriptionis, ut quæ sub singulis gesta sint à Germanis nostris, Francis & Saxonibus, ordine suo exponi dilucidius possent. Et quis scriptor, qui eodem quo alter genio, stylo, modoque sua dederit? imo quis unquam omnibus placuit? eò censuram subterfugere licebit; quanquam ut Lucilius ea quæ scriberet, neque à doctissimis, neque ab indoctissimis legi optabat; ita nostra mediocriter probari studuimus. Sicubi lapsus sum, quod in tantâ rerum amplitudine, & ex tantâ antiquitatis caligine humanum est, corrigas, non culpes. Nihil etiam tam facile, *monet D. Hieronymus,* quàm otiosum & dormitantem de alienis laboribus disputare & censere. *Nos ex honesto studio atque otio popularibus nostris hæc scripsimus, non exteris. Quemadmodum Plinius dixit,* Nulla jucundior vita, aut commodior, quàm legere, scribere, & præclaras quidem res antiquitatis cognoscere, præsentes loqui cum posteris, atque ita omne tempus, quod vel præteritum vel futurum est nostrum facere. *Candidam Germanam gentem scribunt omnes, haud aliter ex candida gentis indole candido Lectori hæc scribimus. Vale & fruere in primis hisce, donec lucem aspecturos propediem Annales Episcoporum Paderbornensium accipias.*

COPIA

COPIA
PRIVILEGII CÆSAREI.

Cùm ex mandato Sacræ Cæsareæ Majestatis, omnibus & singulis Typographis, ac alijs quibuscunq; librariam negotiationē exercentibus seriò firmitérq; inhibeatur, ne quisquam libros ullos à Societatis nostræ Patribus hactenus editos, aut in posterum edendos, intra Sacri Romani Imperij, Regnorum & Dominiorum suæ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili, aliove Charactere, aut formâ, sive in toto, sive in parte, excudere, recudere, vel alio excudendos, seu recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere, & distrahere clam, seu palam, citra supra dictorum Patrum consensum, ac testimonium audeat, vel præsumat.

Ego Henricus Weisweiler Societatis Jesu per Rheni inferioris Provinciam Præpositus Provincialis, concedo Joanni Todt R^mi ac Celsmi Principis Paderbornensis Typographo Aulico facultatem excudendi Librum, cui titulus: Historia Westfalica, trifariam divisa in Romanam, Francicam & Christianam: à P. Nicolao Schaten Societatis ejusdem Sacerdote publico usui donatum. In quorum fidem hoc ei testimonium subscriptum & consueto officij Sigillo munitum dedi Coloniæ 27 Maji 1690.

Henricus Weisweiler.

(L.S.)

APPROBATIO
R. P. PROVINCIALIS.

Ego infra scriptus Societatis Jesu per Rheni inferioris Provinciam Præpositus Provincialis, potestate mihi factâ à Patre N. P. Thyrso Gonzalez Societatis nostræ Præposito Generali, typis mandari permitto Librum à deputatis ad id censoribus ejusdem Societatis lectum & approbatum, cui titulus: Historia Westfalica trifariam divisa in Romanam, Francicam & Christianam: à P. Nicolao Schaten Societatis ejusdem Sacerdote publico usui donatum. In cujus rei fidem has literas manu propriâ, consuetoque officij Sigillo munitas dedi Coloniæ 27 Maji Anno 1690.

Henricus Weisweiler.

(L.S.)

DECAS

DECAS

HISTORIÆ WESTFALICÆ

LIBER I.

VVESTFALIÆ ROMANÆ.

QUam rogatu præsentium, & posteritatis bono, perscribere suscepimus Westfaliæ historiam, consilium est, ab ultimâ antiquitatis memoriâ arcessendo, ad nostra usq; tempora perpetuâ narrationis serie contextam deducere. Opus, etsi peculiaris historiæ, cùm per se ipsum multis laboribus & difficultatibus involutum, tot sæculorum periodos & hiantes sæpe temporum lacunas transire; tum plenum audaciæ & temeritatis, velle hoc erudito atq; aureo literarum seculo in aliquem scriptorum numerum venire, qui desiderium legentis gustumq; syncerum ex ipso narrationis succo expleat. Et quem hoc scribendi genus non alienum teneat? in quo omnia propè summa ex multiplici rerum scientiâ, & nihil magis quàm judicium requiritur, ut delectationem in narrando, fidem in asserendo, præcepta vitæ salubria in docendo, simul præstes. Horum si vel unum desit, munus historici non expleti. At sæpe scribendi audacia supra fiduciam sumenda, cùm alieno magis hortamento imperioque, quàm sponte tuâ urgeris; & nuda rerum narratio, quæ nobis unicè proposita est, si candorem fidei præstet, animos semper naturâ delectat, cumprimisq; si contextæ veritatis telæ inhæreat: haud secus, quam nativa virginis pulchritudo ex simplici cultu multò gratiùs amantium oculos afficit, quam omnia illa ascititia corporis ornamenta, & fucata vestium onera. Utcunque nunc se ista habeant, quæ sapientes viri tam exactè præcipiunt; aut quo quisque hæc animo sit excepturus: nos tenuitatis nostræ conscij, maluimus ex neglecta antiquitatis memoria, tanquam ex naufragio colligere tabulas; quàm pati, ut ea, quæ supersunt, aut cum

cæteris intercidant, aut indigesta posteris relinquantur. Neque alia nobis hujusce rei aut justior causa, aut urgentior ratio fuit, quàm egregius FERDINANDI Præsulis ac Principis nostri apparatus, quem ille primùm Romæ ex Vaticanâ Bibliothecâ, tum Paderbornæ ex arcano Provinciæ & Diœcesis tabulario, cæterisq; antiquitatum monumentis per summam industriam, exquisitamq; historiarum cognitionem jam à multis annis collegerat, digesseratque ab *Hathumaro* primo Paderbornensium Episcopo, per consequentes inde Præsules & Principes ad suum usque Principatum; ut in structura hujus operis, non aliud quàm componentis in ordinem manus; neque alius architectus, quàm qui ipsum opus cœperat, expeteretur: si quantum ingenij & doctrinæ ex omnium scientiarum comprehensione aderat, tantum otij literarij, & vacui ad scribendum temporis licuisset inter publicas Principis Imperij curas interponere. Accessere erudita illa antiquitatum Monumenta Paderbornensia, rara hujus Diœcesis decora, ex eodem Principis sinu, & ingenij meditamentis in lucem edita, magnoq; eruditorum virorum plausu excepta, quæ tanquam præludia quædam, & invitamenta poscebantur plenâ & continenti historiæ narratione convestiri. Hic cùm alij statim à re Christianâ ordiendum dicerent; alij contrà censuêre ab ipsis gentium primordijs, quæ has regiones antiquitus incoluere, narrationem altiùs instituendam esse; eamq; quam *Monumenta Paderbornensia* partitionem materiamq; præscripserant, tanquam facem ex speculâ sequendam esse. Quod cùm iis magis probaretur, quibus hujus scriptionis labor subservit, horum mihi voluntati accedendum fuit. Eò mihi tota historia primùm in *Romanam*, deinde in *Francicam* & *Saxonicam* divisa est; cui *Christiana Saxonica* succedet: Tum res ab Episcopis Paderbornensibus ad nostram usque ætatem præclarè gestæ memorabuntur. Quo in genere scriptionis, etsi nobis *Paderborna* ob antiquitatum monumenta comprimis proposita fuerit, quòd in nulla harum regionum parte, aut plura, aut illustriora, quàm in hac Diœcesi nostrâ se offerant; tum ita tamen res à *Romanis*, *Francis*, & *Saxonibus* gestæ, inter se cohærent, ut nobis tota simul *Westfalia* describenda fuerit. Neque enim hæc bella unius gentis; sed omnium, quæ inter *Rhenum* & *Visurgim*, interq; *Albim* adeò continentur, communia fuêre: Unáq; semper armorum conspiratione ac societate, nunc pro libertate gentis, nunc perrumpendi limitis Rheni causâ, nnnc prædandi infestandiq; cupiditate sumpta sunt.

Primùm igitur *Westfaliam Romanam* scripturi, haud cum alijs certius, quàm cum Romanis scriptoribus, primas gentium origines, primosq; harum regionum populos ordimur. Res implicata quidem, & ingrata fortè in ipso scriptionis vestibulo; sed quæ ad historiæ integritatem aliorum instituto invaluit; quibus decorum semper fuit, anna-

annalium suorum exordia ab ultimo vetustatis recessu per insitam quandam majorum venerationem retexere. Quod tanto etiam liberius nobis sumimus, quo persuasum magis est, *Germanos* nostros, qui trans Rhenum incolunt, *indigenas* esse, *minimeq; aliarum gentium adventibus et hospitijs mixtos*; sed propriam & synceram & tantùm sui similem gentem extitisse, quæ ne aliarum quidem nationum connubijs infecta sit. Fateor equidem, prisca illa, quæ ante Romanorum in his regionibus bella à multis traduntur, perquam obscura & incerta esse, ac per licentiam vetustatis multis conjecturis, multisq; ingeniorum commentis & fabulis respersa reputari : datur tamen hæc venia antiquitati, ut proferantur in medium, audianturq; magis, quàm credantur : seu quod in antiquis etiam, si quæ similia veri sint, pro veris accipiantur. Neq; aliunde magis horum ignoratio, quàm quòd inter Germanos priscis illis temporibus nulla scriptorum monumenta, nulli rerum gestarum commentarij fastive; in gente nimirum barbara, in qua viri pariter ac fœminæ secreta literarum ignorabant. Carolo M. hæc debentur, à quo ludi literarum primum cum Christianâ religione aperti. Unicum apud barbaros Germanos memoriæ & annalium genus, carmina quædam antiqua, quibus populari lingua heroum facta decantabantur in vulgus: quo cantu Arminij etiam res gestas celebratas memorat Tacitus. Eò & *Carolus Magnus* barbara & antiquissima carmina, quibus veterum regum acta & bella canebantur, descripsit, memoriæq; mandavit. Perinde ut ijs hodiedum delectatur Germanorum Belgarumq; vulgus. Verùm cùm hæc dudum interierint, nec in literas relata sint, fluxa propè est omnis fides narrantium, qui ad ea se referunt. Quo tamen in genere quantùm sibi indulgent Saxonici, Frisici, Danici, alijque scriptores nostri? qui tot priscos Reges ac Principes fictâ poëtarum scenâ introducunt, quorum nulla apud probatos auctores memoria. Hos ipsos ego opinor plura transcribere, quàm credant. Interim illi tam securè hæc scribunt, quàm multos habent errorum comites; & tam confidenter hæc narrant, quàm libere ex remotissimis Indiarum terris ad nos remeãtes multa commentis inspergunt, quód nemo eos facilè testibus revincat. Certiora ex Græcorum Romanorumq; scriptoribus petenda, qui res gestas per Europam primùm literis consignarunt : Quanquam & à Græcis sæpius fides desideretur. Inter Romanos exploratus fidusque scriptor *Cornelius Tacitus*, qui Germaniam nobis ex instituto descripsit, Galliæ Belgicæ Procurator, cognitorq; harum regionum: nam quæ *Plinius* libris xx, quæ *Asinius Quadratus*, quæ *Livius* de Germania scripserunt, fato suo sunt amissa. Et Tacitum si convenias, is *Tuistonem*, quem alij *Teutonem* dicunt, primùm Germanorum parentem, & conditorem gentis introducit. Hujus filium *Mannum* tradit; Manno deinde tres filios adsignat novos Germaniæ progenitores, à

Tacitus de Germ. c. 2.

Primi trans Rhenum Germaniæ populi, indigenæ.

Tacitus de Germ. c. 2.

Tacit. lib. 2. Ann. in fine. Eginardus in vita Caroli.

Tacius de mor. Germ. c. 2.

quibus proximi Oceano *Ingevones*, medij *Herminones*, ceteri *Istævones*; His deinde plures Heroës divis illis genitoribus ortos attexit, *Marsos*, *Gambrivios*, *Suevos*, *Vandalios*; quibus tamen ipse tam dubia fide accedit, ut nec confirmare ausit, nec refellere. Sanè quod *Tuistonem* deum terrâ editum scribat, quàm non canora poëtarum fabula? Nisi fortè per umbram ac rimam lucis respexerit ad primum humani generis parentem, quem Deus ex limo terræ formavit. *Plinius* Germanos in quinq; populorum genera partitur. Ex his primi *Vindelici*; horum pars *Burgundiones*, *Varrini*, *Carini*, *Guttones*. Alterum genus *Ingævones*; quorum pars *Cimbri*, *Teutoni*, & *Chaucorum* gentes. Proximi autem Rheno *Istævones*, * horum pars *Sicambri* antiquissimi *Paderbornensis* Diœcesis incolæ. Mediterranei *Hermiones*, quorum pars *Suevi*, *Hermunduri*, *Chatti*, *Cherusci*. Quinta pars *Peucini*, qui & *Bastarnæ*, *Dacis* contermini.

Plin. lib. 4. c. 14. Primorum per Germaniam populorum nomina. **Al. plinius* quorum pars Cimbri mediterranei

Hæc prima gentium inter *Germanos* nomina. Quo verò consilio fatove hi populi primùm in has regiones penetrárint, diffuderintq; se in tantâ brevi sobolem; aut in quam Reipubl. formam, vitæque cultũ coaluerint, scriptoribus illis incognitũ fuit. Nobis, quibus sacrarũ literarum monumenta veram lucem dedére, prima horum omnium origo ad *Noëmi* stirpem revocanda est. Quâ autem propagatione post eluvionem orbis terrarum primi mortalium Colonias suas ex *Asiâ* in has oras traduxerint; aut quâ classe advecti sint, una simul vetustas abdidit. Id tantummodo indubitatum, triplicem Noëmi stirpem ex tribus filijs, *Semo*, *Chamo* & *Japheto*, brevi in sexaginta novem familias excrevisse, à quibus *divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam, et familiam suam in nationibus suis.* Utrúmne ex hac partitione orbis, Germani ex *Japheto*, *Gomere* & *Ascene*, quem *Celtarum* parentem volunt, originem traxerint, ego in medio relinquo. Ceterum ex hac sœculorum caligine nomina gentium, quàm origines certiora: quando scriptorum consensu satis constat *Illyrios*, *Gallos*, *Germanos* & alios etiam per Europam populos uno *Celtarum* vocabulo compellatos esse: tametsi Galli id sibi proprium magis vendicare velint. Singulæ deinde nationes gentesq; suis nominibus, regnis & provincijs discretæ; perinde ut linguis, legibus, moribus, vitæq; instituto in diversa sensim abiêre.

Gen. c. 10.

Germani primum Thuistones & Teutones dicti.

At proprium & vetustissimum gentis nostræ nomen, antequam Germani dicerentur, *Theutisconum*, *Tuisconum*, & *Teutonum* fuit: seu à *Tuistone* primo gentis conditore; seu à *Teutone* Rege, quod plerisq; probari video; seu à *Teutate* deo, supremo *Celtarum* numine, quem alij *Mercurium* interpretantur, primò cultum inter barbaros harum regionum populos. Celebris inde *Teutonum* gens, quæ cum *Cimbris* in societatem belli venit, Galliamq; & Italiam irrupit, nec Virgilio incognita:

Teuto-

Teutonico ritu soliti torquere Cateias.

Multa hujus nominis gentisq; vestigia ad Caroli Magni ætatem. Quid enim *Theotiscus* populus & *Theodisca* lingua, in quam primùm *Otfridus* librum Evangeliorum vertit, Francis aliud sonat, quàm Germanicæ gentis origines? Hanc nominis vetustatem *Tuitiense* munimentum ex adversâ Agrippinæ ripâ, *Duisburgum* ad *Ruram*, & *Teutoburgum*, seu *Theutmallum* in comitatu Lippiensi apud nos oppidum servari credunt. Supereſt hodiedum villa Decumana haud procul *Teutoburgo* oppido, & Cladis Varianæ loco, quæ hoc nomen Teutonum retinet. Certius verò & illustrius apud nos ex prima antiquitate monumentum ipse *Teutoburgensis* saltus, Clade Varianâ nobilis: ut vel inde affirmari libeat, primam illam & priscam Germanorum gentem, in hisce Teutonicis montibus, qui *Visurgi* prætexuntur, & latè se per Diœcesin Paderbornensem exporrigunt, sedes suas habuisse, quas postea *Anchrivarii*, *Cherusci*, *Sicambri*, bellaces non minus, quam *Teutones* populi insedere. Si non ipsa veterum illorum Teutonum progenies, ac mutato tantùm nomine alia, quæ primò *Arminium*, post *Widekindum* Germaniæ bellatores dedit, cujus utriusque adhuc arcis vestigia apud nos visuntur. Quò mihi aberrare videntur, qui Teutonum gentem ac sedem ad confinia Cimbrorum restringunt; aut nomen tam presè arctant, quòd toti nationi ad Rhenum usque diffusæ commune fuit. Testes tot Pontificum & Cæsarum tabulæ, & vetusta diplomata, quibus tota natio Germanica *Teutonico* nomine insignitur: haud secùs, quam *Teutonicus* ordo ex Equestri Germanorum nobilitate, totâ hanc German. nobilitatem complectitur; nec aliter apud Italos & Hispanos invaluit, *Theutiscos* nos hodiedū compellare.

Theutemeier.

Tandem post commune *Celtarum*, & proprium *Teutonum* nomen, *Germanorum* appellatio invaluit. Tacitum hic denuò audimus; *Germaniæ vocabulum recens, et nuper additum; quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerunt, nunc Tungri, tunc Germani vocati sunt.* At non Taciti primùm ævo auditum, quod jam antè *Cajo Julio Cæsare* usitatum; cùm is à *Rhemis* Belgicâ gente didicit, plerosq; Belgas à Germanis ortos esse. Reperias auctores qui bello Cimbrico, primùm *Germanorum* nomen invaluisse velint, cum legati *Cimbrorum* postularent sibi ac fratribus suis terras, & habitabiles locos, quos incolerent, à Romanis dari: quumq; rogarentur, quinam illi fratres essent? respondisse *Teutones* esse, *Mario* novitatem nominis admirante. Quâ deinde expeditione, & fidâ armorum societate, Germanorum nomen à Latinis inditum esse censent. At *Strabo* primùm à Romanis suæ linguæ vocabulo Germanos dictos asserit, quòd habitu corporis fratres Gallorum viderentur. Certiùs ego eorum opinioni accedo, qui ex mente Cæsaris ac Taciti id statuunt, traduntq; ab ijs populis, qui primò Rhenum transgressi, depulsis Gallisc is Rhenum sedes occupavére

Germani unde post dicti. *Tacit. de Germ. mor. c. 2. Cæsar. lib. 2. de bello Gal.*

Plutarch de bello Cimb. in Mario.

Strabo lib. 7.

vere, quos *Eburones*, *Condrusos*, *Cæresos*, *Pæmanos*, & *Segnos* fuisse constat: ij licet uno vocabulo post *Tungri* sint appellati, primùm tamen Germani, ob fidam belli conspirationem opemq; mutuam, sunt dicti; Quod deinde nomen in cæteros ejusdem victricis nationis populos transfusum; nec aliud à Tacito dictum volunt plerique, *ita nationis nomen, non gentis evaluisse paulatim, ut omnes primùm à victore ob metum, mox * à se ipsis invento nomine, Germani vocarentur.* Haud secus, quàm pòst ex ijsdem populis collecta bellantium multitudo Rhenum transgressa, Franci nomen à libertate gentis sibi sumpsit. Seu nunc à Teutonis, seu ab his quinque Tungrorum populis Germanici nominis Origo; certè non ab aliâ bellace dixerim gente, quàm quæ antiquitus ex his *Westfaliæ*, & veteris interiorisque Germaniæ provincijs Rhenum transgessa, depulsis Gallis, citimas Rheni terras occupavit. Juvabit nunc ex ipsâ Germaniæ divisione propiùs accedere, & qui prisci verique Germani sint, quique has regiones deinde insederint, tanto exploratiùs cognoscere, quanto certiùs ex Romanorum bellis, eorumque scriptoribus nobis traduntur.

*Tacit. de Germ. mor. c. 2. * al. à re ipsa.*

Germania omnis in *CisRhenanam*, & *TransRhenanam* dividitur, eâ nominis appellatione, quòd Rhenus ab ipso fonte in Oceanum usq; decurrens, mediam interfluat, & in partes suas populosque secet. Olim Rhenus limes inter Gallos & Germanos utramque gentem à se discludebat; *et tempus antea fuit*, inquit [a] Cæsar, *quum Germanos Galli, virtute superarent, et ultrò bella inferrent, ac, propter hominum multitudinem, agriq; inopiam, TransRhenum colonias mitterent ... Sed Galli paulatim assuefacti superari* à Germanis *multisq; prælijs victi, ne se quidem ipsi cum* Germanis *virtute comparant*, eò continuis cum Gallorum populo bellis & victorijs progressi, ut post Tungrorum irruptiones Belgiam prope utramque suæ nationis hominibus impleverint. Sic reperit Cæsar, ut diximus: *plerosq; Belgas esse ortos à Germanis, Rhenumq; antiquitus traductos, propter loci fertilitatem ibi consedisse, Gallosq;, qui ea loca incolerent, expulisse.* In hunc numerum traductorum ex TransRhenanâ Germaniâ populorum in Gallicum solum veniunt *Menapii, Sunici, Gugerni, Taxandri, Bethasii, Caninefates, Aduatici*, alijque. Sanè Aduatici Cimbrorum & Teutonum progenies. *Batavi, Catorum quondam populus*, seditione domesticâ in illas sedes insulæ suæ transgressus: ex ijsdem Cattis Caninefates Batavorum pars, *Treviri et Nervii circa affectationem Germanicæ originis ultro ambitiosi, tanquam per hanc gloriam sanguinis, à similitudine et inertiâ Gallorum separentur.* Hinc Plinius ausus scribere: *toto hoc mari ad Scaldim usq; flavium, Germanicas accolere gentes, haud explicabili mensurâ.* Quin in ipsam usq; Britanniam Germanorum propagata gens est, ita enim Tacitus de Britannis. *Habitus corporum varius, atque ex eo argumenta. Namque rutilæ Caledoniam habitantium comæ, magni artus, Germanicam originem asseverant.* Hæc nimirum *Caledonia* illa, quæ

a Cæs. lib. 6. Com. de bel. Gal.

Tacitus de Germ. mor. c. 28.

Cæsar lib. 2. Com. de bell. Gal.

Tacit. de mor. Germ. c. 28.

Plin. lib. 4. c. 13.

Tacit. in vita Agricolæ.

Divisio Germaniæ.

quæ *Britannia* minor,& secunda primùm,pòst *Scotia* est dicta. Multa sunt hujusmodi. Atque ut nostra propiùs consectemur, *Ubii* & *Sicambri* post á Romanis in alteram ripam translati, Uterque veteris Saxoniæ & Westfaliæ populus. Nec dubitaverim plerosque citerioris ripæ,ex hac ipsâ regione, quæ officina populorum semper habita fuit, originem suam traxisse. Utcunq; etiam id se habeat, certè lingua, moribus, corporum habitu, ijsque omnibus, à quibus nationis origo & similitudo ducitur,Germani noscuntur. Universim Dio Cassius de his pronunciat: *Celtarum quidam,quos Germanos vocamus,quum omnem* Galliæ regionem, quæ Rheno adiacet,occupassent,effecêre,ut ea Germania vocaretur superior,quæ à Rheni fontibus incipit; inferior, quæ ad Oceanum usq; Britannicum porrigitur.* Terminus utriusque, ab alijs *Mosella*,ab alijs *Obrinca* fluvius, Arennacum & Bonnam interlapsus statuitur. Utraque hæc Germania citerior, quam & primam & secundam vocant, una cum Gallijs citò à Romanis subacta, in provinciarum formam cessit : utriq; suus præses impositus, & Rhenus limes castellis,oppidis,castris,& præsidijs legionum firmatus. Inde omne certamen belli Romanos inter & Germanos in hoc limite superando exarsit. Non Danubius,non Euphrates,Imperij Romani sanguine tanto stetêre,quanto Rhenus. Vera igitur Germania, quæ & antiqua, & á Ptolomæo Germania magna appellatur, TransRhenana est, procreatrix omnium horum populorum, à quibus citerior Germania,depulsis ad interiora Gallis,repleta est. Bellicosissima non minus, quàm vastissima Europæ pars, & à nativis indigenisque Germanis infessa: quos ex veterum descriptione ad Orientem *Vistula* amnis, mutuusq; metus à Sarmatis & Dacis; ad Meridiem Danubius à Rhætijs & Pannonijs; ad Occidentem Rhenus à Gallijs discludit. Cætera ad Septentrionem Oceanus ambit,latos sinus,& immensa insularum spatia complectens.Germania hæc vetus ac TransRhenana Tacito in duas potissimum partes est divisa,quarum altera *Suevia*,antiqua inter Vistulam,Danubium,Albim,& Salam flumina, multarum gentium sedes: in his *Hermunduri, Quadi,Longobardi,Vandali,Marcomanni, Narissi, Semnones, Ligii,Burgundiones, Heruli,Rugii*,aliaque populorum nomina,quos bella cum Romanis aperuêre. Amplissima veterum Suevorum natio,quæ in Cattos se diffudit, unáque sæpe cum TransRhenanis nostris societate belli conjuncta. Certus nobis in his Dio Cassius auctor,Pannoniæ præfectus, & horũ locorum sciens. *Suevi*, inquit ille, *si accuratè loquamur,Germanica trans Rhenum natio est; quanquam multi quoq; Suevorum nomen sibi sumant.* Cæsar in commentarijs non alios ferè hoc nomine designat, quam Cattos, quibuscum illi transito Rheno proximum bellum fuit. Nam quæ inter Lechum & Danubium provincia nunc Sueviæ nomen retinet,ea aut veteris Sueviæ Segmentum est, aut gens in illum angulum detrusa. Altera Trans-

Tac. lib. 12. Ann. Strab. lib. 4.

Sueton. in Aug.

l. 53.

* al. Celticam.

Germania magna TransRhenum.

Tacitus Mela Plinius Ptolom.

In duas partes divisa.

Dio lib. 51.

Trans-Rhenanæ Germaniæ pars, quæ inter Albim & Rhenum se in Occidentem exporrigit, & in Septentrionem ingenti flexu redit; ea tametsi priore angustior, multò tamen præstantior celebriorque bellicosis gentibus: & quò Rheno propior, viciniorque Galliæ fuit, eò cultior, eóque Gallorum ac Romanorum bellis magis inclaruit. Advertet is, qui Tacitum de Germania & Germanorum bellis pervoluerit expenderitque, singularem gentium indolem, mores, virtutes, resque præclarè gestas. Hic ego nihil referam de Cimbrorum, Teutonum, Gothorum, Frisonum, Saxonum, Anglorum populis; aut ijs, qui trans Albim, Oceani littora, sinum Codanum, & circumjacentes insulas, atque etiam trans mare incoluêre, olim Germanis accensi; quiq; tanta bellantium virorum multitudine ex fœcundis illis & populosis sedibus egressi, Imperium Romanum Cimbrorum Gothorumque armis juncti invasêre. Nihil de Cheruscis, qui intra Albim & Visurgim sedes habuêre; ac primùm cum Cattis, deinde cum Arminio duce, postremum cum Romanis acerrimo bello commissi, celebrem fecêre gentem suam ac regionem, quam nunc Brunswicenses, Lunenburgenses, cæterique populi insident, insita bellandi fortitudine. Una nobis tantummodo regio intra Rhenum & Visurgim proposita est, quæ Francia vetus, dein Saxonia, ac demum Westfalia dicta est. Arcta regio, si cum cæteris Germaniæ partibus conferatur; sed quæ bellicosis gentibus & rerum gestarum gloriâ cæteris multò celebrior. Hic magna pars Cattorum; hîc *Sicambri, Mattiaci, Ubii, Tencteri, Usipetes, Bructeri, Marsi, Angrivarii, Chamavi, Dulgubini, Ampsivarii, Chassuarii, Tubantes, Chauci*, sedes suas habuêre. Cherusci etiam Visurgim transgressos, in citeriori ripâ & Westfaliæ solo consedisse, satis ex Dione ac Velleio constat. Supersunt hodiedum vetustæ arcis rudera, haud procul à Ludâ oppido, & Ambra flumine, in edito montis Teutonici jugo, quæ Arminij ipsius sedes bellica, constante nominis & incolarum traditâ memoriâ, perhibetur. Frisij finitima gens, & quantùm ultra Isalam olim protensa, pars regionis Westfaliæ fuit; & sæpe Frisij ex eadem belli societate adversus Romanos cum Westfaliæ gentibus conspiravêre. Inter hos *Bructeri, Chauci, et Frisii*, ex modo virium, & amplitudine regionis, in majores, & minores divisi fuêre. Hæc ut certa, ita nihil difficilius, quàm singulis gentibus suas sedes adsignare, quas soli Chatti, & Frisij cum nomine ad nostram usque ætatem constanter retinent. Id vel eò arduum implicatumque, quòd in mutatoriâ illa populorum Scena nihil stabile, sed ut quæque gens validior armis, ita aut aliam sedibus suis per intestina bella expulit, aut sponte in alias sedes commigravit, nunc soli uberioris, nunc prædæ cupidine excita. Multi interim conati singulis suas sedes adscribere; & multus in hoc Cluverij, exacti admodum scriptoris, labor: Si non temeritas etiam, tam minuta velle præstare

Nomina populorũ inter Visurgim & Rhenum. *Dio. l. 54. & 55. Velleius lib. 2.*

Strabo.

stare, & per certas lineas cujusque gentis regionem circumscribere, quod ne ipse quidem Tacitus sibi, opinor, polliceri ausus : aliqua tamen hîc species & notitia danda, ne loca ignorentur, quorum res gestas narraturi sumus; quisque ex ingenio addat vel demat, quod visum fuerit. Ac primùm *Catti*, qui & *Chatti*, & *Chassi*, passim á scriptoribus memorantur, ijdem, qui modò *Hassi*, soli ex omnibus barbaris Westfaliæ populis, sicuti & Frisij, priscum nomen & sedes retinent, Gens inter priscos hosce populos bellicosissima. Taciti hoc judicium de ea & præconium est : *Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus, et maior animi vigor : Multum (ut inter Germanos) rationis et solertiæ : præponere electos, audire præpositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare : quodque rarissimum, nec nisi ratione disciplinæ concessum, plus reponere in duce, quàm in exercitu. Omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quoque et copiis onerant. Alios ad prælium ire videas, Cattos ad bellum.* Et quæ non in laudem hujus gentis Tacitus ? Cæsar in Commentarijs Suevorum nomine complexus est; seu errore nationis, seu partem Suevorum designârit, quòd gentis illud nomen antiquitus latè fusum inter Albim, Salam, & Danubium, Cattisque contermini fuerint Suevi; seu quòd magnam partem commixti inter se fuerint Catti Suevique. Quanquam Cæsaris ævo nondum Cattorum nomen invaluisse dixeris : frustraque Cæsar erroris incusetur. Ad hæc de Cattis idem Tacitus post ea, quæ de Alemanniæ populis dixerat : *Ultra hos Catti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant : non ita effusis et palustribus locis, ut cæteræ civitates, in quos Germania patescit.* Cluverius uti ad septentrionem conjungit Cheruscis, ita ad Occasum Cattos extendit ad Sicambrorum, Bructerorum, Tencterorum, & Marsorum fines; multumq; per Diœcesim Paderbornensem ad Ambram usq; fluvium exporrigit. Frequens gentis nomen apud Tacitum, Strabonem, Plinium, Dionem, & Ptolomæum, censentq; non pauci, *Cassellas*, quæ Hassiæ est urbs primaria, ex Castello Cattorum servare nomen.

CATTI

Tacitus de moribus Germ. c. 30.

Ubij Chattis ad occidentem contermini, intra Westfaliæ solum trans Rhenum consedêre; post à Chattis vexati bellorum injurijs, petiêre ab Augusto Cæsare in citeriorem ripam transferri. Indulsit id Augustus; & à M. Agrippa Galliarum procuratore transportati, ubiorum Coloniam ex suo nomine reliquerunt posteris : cui ab Agrippinâ Juliâ Germanici & Agrippæ filia, quod Coloniæ genita, augustius nomen additum. Valuit ad id etiam M. Agrippæ avi nomen, à quo ubiorum gens ante in tutelam suscepta erat. Ea gens quàm fida inde Romanis, tam avulsa à cœterorum Germanorum societate.

UBII

In Ubiorum locum per superiorem Rheni ripam succesêre *Mattiaci*,

MATTIACI

Tac lib. XI. Ann. 6. 2.

Tacitus lib. XI. Ann. c. 20. Plinius lib. XXXI. c. 2. Marcell. lib. XXIX.

tiaci, Cattorum pars, qui & ipsi in societatem populi Romani ultrò transierunt, Ubiorum exemplo, quorum in agro Curtius Rufus reclusit specus quærendis venis argenti. Plinius verò & Marcellinus, calidos apud *Mattiacos* in Germania fontes memorant. Celebre *Mattium*, caput gentis *Chattorum*, quod Ptolomæus Mattiacum dixit; alij Marburgum, alij Mettium vicum, censent referre vestigia. At gens ipsa Mattiacorum non tam clara bello quàm Chatti, qui Taciti judicio bellicosissimi Germanorum, intraq; Diœcesis Paderbornensis limites se antiquitus porrexêre.

Dilich. in Chron. Hassiæ.

SICAMBRI.

Florus lib. 4. c. ult. Dio lib. 39. Tacitus de Germ. mor. & l. 2. Ann. Velleius l. 2. Strabo l. 7. Eutrop. l. 7. Mollerus in Rheni descript. Cluverius l. 3. c. 9. Montanus in Cæs. Pontan. de orig. Francorum & Geldriæ hist.

Finitimi Chattis *Sicambri*. Florus hos inter validissimas gentes reponit, unà cum *Cheruscis*, & *Suevis*, seu Chattis. Sicambros Drusus oppugnandos suscepit, ut bella, quæ memorabimus, testabuntur.

Gentis nomen vario vocis flexu traditum, dum alij Sugambros, alij Sigambros rectiùs scribunt; & originem populi à *Sigâ* amne deducunt, cujus primùm accolæ fuerunt. Prorsus fabulas narrant, qui indigenam hanc cum cæteris Germanis gentem à Trojanorum Sicambris trahunt. Sedem, situmq; hujus bellicosi populi satis aperit castellum *Alisonis* in meditullio Diœcesis nostræ, quod ad continendos Sigambros, Cattos & Cheruscos posuit Drusus; præmunijt Tiberius & Germanicus. Ac cætera si expendantur, quæ de Sigambris memorantur, *notissima*, ut inquit Strabo, *Germanorum gente* : haud aliud confeceris, quàm eas regiones occupasse, quæ secundùm *Luppiæ* ripam ad Rhenum usq; se porrigunt : Montesq; adeò *Surlandiæ* & ducatum Westfaliæ magnam partem insedisse, quos à *Bructeris* Luppiæ flumen discluserit : Ita ut ultima *Sicambrorum Bructerorumq;* in Paderbornensi Diœcesi requirenda sint. Pòst, incertum quo belli casu, ad divortia Rheni submoti in Teutonico latere ea loca tenuêre, quæ nunc Geldris ac Clivis attributa. Ad ultimum in adversam Rheni ripam traducti, anno ante Christum octavo. Tacitus prorsus excisos prodit : Strabo magnam partem relictos. Sanè Francorum origo ex his cum primis Sigambris : quanquam apud Tacitum in postremis Germanorum bellis nulla Sigambrorum mentio; ut pressi potius à Romanis, quàm exciti reputentur.

TENCTERI, & USIPETES

Tac. de mor. Germ. c. 32.

§. Succedunt *Tencteri*, & *Usipetes*, Usipijve, utraq; gens clara bello, & uno ferè fato jactata : Sed Tencteri ut Cattis vicini, ita post Cattos nulla propè gens à Tacito magis commendata : Quippe *supra solitum bellorum decus, equestris disciplinæ arte præcellunt. Nec maior apud Cattos peditum laus, quàm Tencteris equitum : Sic instituêre, maiores, posteri imitantur. Hi lusus infantium, hæc juvenum æmulatio; perseverant senes.* Postquam Sicambri submoti sedibus, successêre in eas *Tencteri* & *Usipetes*. Tencteri, quæ ad Luppiam se exporrigunt loca in Paderbornensem Diœcesin sunt digressi. Usipetes ad Rhenum capes-

capessivêre sedes; deinde & ipsi *à Suevis* Cattisve *expulsi agris, et multis locis Germaniæ triennium vagati*; quæ tempori memorabuntur. Postremùm à Sigambris intra suos fines recepti, in tantam brevi multitudinem excrevêre, ut juncti in societatem armorum Sigambris, bellum ultrò Romanis inferrent, tam formidabile, quo ipse Cæsar Augustus urbe extractus. Consecuta mox clades Lolliana, quanta horum populorum gloriâ, tantâ Romanorum adversus Germanos exacerbatione. *Cæsar lib 4. com. de bel. Gal.*

BRUCTERI

Tacitus de Germ mor. c. 33.

Tacit. lib. 1. Ann. c. 60.

Juxta Tencteros Bructeri olim occurrebant, inquit Tacitus: nunc *Chamavos et Angrivarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris, ac penitus excisis*; sed gens, si à primâ rerum gestarum memoriâ repetas, potens & latè fusa, & bellis inclyta: sedes ijs fuit in meditullio Westfaliæ: Quippe Germanicus in Cheruscos moturus *Cæcinnam cum quadraginta cohortibus, per Bructeros ad flumen Amisiam misit*, quibus tanquam intento digito monstratur sedes. Strabo ad utramq; *Luppiæ* ripam *Bructeros* minores collocat; majores inde ad Chaucorum & Frisiorum fines extendit. Insedêre igitur regionem Diœcesis Monasterienſis, & comitatum Zutphanienſem: magnam de hinc partem Diœcesis Osnabrugensis & Paderbornensis, ubi extrema *Bructerorum* ad Amisiæ & Luppiæ fontes ponit Tacitus: simul comitatum Retbergensem & Delbruggiam complexi. Nomen apud scriptores varium, Græcis Βασάκτεροι [a] & Βάκτεροι [b]: Latinis *Bricteri*, [c] *Borthari*, [d] *Bructeri*, [e] *Burcturi* [f] & *Boructuarii* [g] vocantur. Verisimilis origo nominis à paludibus & incultis saltibus, quos incolæ etiamnum prisca linguâ *Bruchios*, & *Brocos* dicunt. Nam si Germania uspiam *Silvis horrida, et paludibus fœda* Tacito est, tum hæc *Westfaliæ* regio, ut vel hîc pontibus longis viæ militares insternendæ fuerint. Celebris inter Bructeros *Velleda* fatidica virgo ad Luppiæ ripas; tum & *Cæsia* Silva, Wesaliam inter & Cœsfeldiam, nunc fere excisa, & majorem partem culta. Sed non gens ipsa adeo Taciti ævo excisa, ut mox referam, quin consequentibus sæculis, & Cæsaribus ad Pipinum & Carolum M. armis valida claraque: quando & D. *Svvibertus* Evangelij docendi causa *Boructuarios* adijt; & Gregorius III. Pontifex scriptâ Epistolâ *Turingis, Hessis, Bortharis, Wedrevis, Loganis, Sudnotis*, & *Grabfeldis* D. Bonifacium commendat.

a *Ptolom.*
b *Strabo.*
c *Turon l. 2. c. 9.*
d *Greg. III. in Epist.*
e *Nazar. in Paneg.*
f *Tab. itinerar.*
g *Marcell. in vita D. Svvuiberti.*

ANGRIVARII.

Tacitus de Germ. c. 33.

Tacit. l. 13. ann c. 55.

Sulpitius Alex apud Turon.

Ennapius.

§. *Angrivarii* dehinc, & *Chamavi* validi per Westfaliam populi, quorum conspiratione ac viribus olim *Bructeri* ad internecionem propè deleti, cæsis supra XL. millia Bructerorum. Quanquam Chamavorum incerta sedes: *nam quæ horum quondam arva, mox Tubantum, et post Usipiorum fuêre.* Ante Julij Cæsaris expeditionem in Gallias, Rheni ripam incoluisse constat: inde versus Luppiam in Angrivariorum, Ampsivariorum & Cattorum finibus consedêre. Clarior & constantior Angrivariorum populus, qui à Reginone *Angrii*, ab

ab alijs *Angri* scribuntur. Prisca horum sedes in montibus *Teutonicis*, ubi *Engeren* vicus, arx & monumentum *Widekindi*, Angrivariorum Ducis, spectatur hodiedum. Veteres interim limites obscuri. Tacitus inter Visurgim & Amisim omnes collocat. Quippe Germanicus Cæsar classe per ostium Amisis invectus, terrestri legionum profectione ad Visurgim contendit : dumq; arma in Arminium movet, à tergo Angrivariorum defectio nunciatur; ut jam sedes eorum convenienter ab ortu Teutonicorum montium capias, extendasq; per Osnabrugensem Diœcesin, comitatum Ravensbergensem, Lippiensem, Hervordiam : inde per idem jugum montium in superiorem partem Episcopatûs Paderbornensis, & subjectam montium planitiem. Et nomen favet : *Angri* enim loca herbida & culta, qualia per totum illud dorsum montium Teutonicorum. Nec minus gentis amplitudinem ostendit *Angariæ* ducatus, quantus vel à Widekindo possessus, vel à Carolo M. donatus, descriptusq; jurisdictione Sacra Episcopo Paderbornensi per Ravensbergensem Comitatum : & quanta pars Lippiensis comitatus eidem præsuli olim asserta, ex quo nunc jure feudi hanc retinent : Et quantum ex posterioris ævi tabulis & diplomatis æstimes, totus ille Teutonicorum montium tractus *Angrivariorum* fuit : inde post Saxonia in Ostfalos, Angrivarios, & Westfalos divisa, medium inter hos montium jugum Angrivarijs occupantibus.

Tacit. lib. 2. Ann.

MARSI

Marsi post hæc non ignobilis populus, interq; *Gambrivios*, *Sueuos*, *Vandalios* priscæ originis recensiti à Tacito, Sigambris contermini : quamvis arctiore regione postea inclusi, principiò haud procul à Rheni ripâ consedêre. Post sub exitum Augusti Cæsaris pressi Romanorum propinquitate ad interiora recessêre, receptiq; à Bructeris validiore gente intra fines & tutelam. Tacitum si consulas, modò ad Cœsiam sylvam collocari vides; modò non procul *Alisonis* castello, & Teutonicis saltibus in confinio *Bructerorum*. Quippe Marsorum fines Varus cum legionibus ante cladem transijt. Ac Marsi ab Arminio excîti venêre in hanc belli conspirationem : ob quæ Germanicus Cæsar ulciscendi causa, primùm in Marsos movit, excisoq; *Tanfanæ* templo, agros Marsorum ferro flammâque vastavit, inde per Bructerorum fines cum exercitu ad Rhenum regressus; alia deinde expeditione irruptum ab Rheno per Bructerorum regionem in Marsos, *acceptusq; in deditionem Malovendus Marsorum Dux, propinquo loco defossam Varianæ Legionis Aquilam indicat.* Quæ autem finitè loca intra Westfaliam incoluerint Marsi, incertum. Sunt qui inter Paderbornam & Monasterium collocent secundum Luppiæ ripam. Malim ego Marsos collocari in Osnabrugensi Diœcesi, simulq; in *Teclenburgensi* & *Benthemensi* comitatu. Quippe Germanicus cùm ex castris veteribus, & ab Rheno moveret cum legionibus,

Strabo l. 7.
Tacit. lib. 1. Ann.
Tacit. lib. 2. Ann. c. 25.

bus, non illud rectum & tritum iter tenuit per Bructeros secundùm Luppiæ ripam, quod in Alisonem & locum Varianæ cladis perducit, sed deflexa longiore per circuitum via in Marsos contendit. Sanè ob gentis vetustatem venerationemq; celeberrimam apud illud Marsos Tanefanæ templum fuit. Uterq; comitatus celebris antiquitatum vestigijs; in altero *Tecelia*, nunc comitum Teclenburgiensium arx: *Ptolomæus.* in altero vetustissimum fanum, & grande Drusi Saxum, monumentumq; vetus. Nam in ejusmodi montibus ac lucis simulacra & delubra barbarorum superstitione culta, sacrificia dijs peracta, dona votaq; oblata, signa militaria, quæ hosti detraxerant, suspensa. Hoc gentis ritu Eresburgense fanum, & Martis simulacrum, in adversis Teutonicorum montium finibus constitit. Grande etiamnum Saxum senis fulcris innixum haud procul Osnabrugo visitur, in luco & colle, gentilium sacrificiorum ara, uti creditur, fracta pòst, ut perhibent, à Carolo M. Nec procul inde ad Frisiorum fines *Marsatij*, à Plinio locantur; & *Marsaci* à Tacito, Marsorum fortè propago, omnes in humidis circum & virentibus locis, quæ voce priscâ hodiedum incolæ *Mersch* appellant. Eò tam propinqua armorum conjunctio ex ijsdem Teutonicis montibus Marsis esse licuit cum Arminio, ad Visurgim se armanti, evocantiq; belli socios.

Cœteræ jam minores gentes, nec ita celebres, ut *Tubantes*, quos Martianus Frisiæ populis accenset: passim *Tventijs* in Transisulania Tubantum nomen & sedes adscribunt. *Tubantes* certè Tacitus Marsis & Bructeris confines scribit: Quippe *Marsorum clade exciti Bructeri, Tubantes, & Usipij* viciniores populi. *Dulgubini* adhæc primùm ad Visurgis ripas consedêre in Teutonicis montibus. Tacitus enim: *Angrivarios et Chamavos à tergo Dulgubini et Chasuarij cludunt, aliæq; gentes haud perindè memoratæ*: ac postquam Chamavi, Angrivarijq; submotis trans Luppiam Bructeris eorum loca occupavêre, *Dulgubinos* in horum sedes immigrasse verosimilius est. Haud multum dissentit Ptolomæus: *Inter Chaucos majores et Suevos sunt Angrivarij, dein Laccobardi sub quibus* Dulgibini, seu Dulgumnij, gens minùs clara bellis, licet cum Angrivarijs pugnando regionem Bructerorum invaserit, à quibus Dulmaniæ oppidum nominis sui originem referre volunt.

TUBANTES.

Tacitus lib. 1. ann. c. 51.

Tacitus de Germ. mor. c. 34.

Chasuarij qui ab alijs *Chassuarij, Chattuarij et Cattuarij* vocantur, pars Cattorum clientesq; censentur. Quippe *super Svevos*, seu Cattos, *sunt Casuarij* Ptolomæi testimonio, creduntur q; magnam partem diœcesis Paderbornensis, & Corbeiensis à finibus Hassorum secundùm Visurgis ripam habitasse, ut vel inde Tacitus scripserit, *Chaucorum gentem in Cattos seu Cassuarios hosce sinuari.*

CASSUARII. CHATTUARII.

Tacitus de Germ. mor. Strabo lib. 7 Tacit. lib. 13

Chauci, quos *et Cauchos, Caucosq;* appellari legas, valida per id tempus gens ac lata, quemadmodum Tacitus descripsit: *Chaucorum gens, quanquam incipiat à Frisijs, ac partem littoris occupet, omnium quas ex-*

CHAUCI.

lib. de mor Germ. c. 35

posui, gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos usq; sinuetur. Tam immensum terrarum spatium non tenent tantùm Chauci, sed et implent: Populus inter Germanos nobilissimus: ideo in Majores & Minores divisus. Plinius certè: *sunt verò in Septentrione visæ nobis gentes Chaucorum, qui Majores Minoresq; appellantur.* Ptolomæus verò in Germania: *Loca verò juxta Oceanum supra Bructeros tenent Frisij, usque ad Amisiam amnem; post hos Gauci Minores ad Visurgim omnem, deinde Chauci Majores ad Albim usque flumen.* Quos universim comprehendunt Episcopatu Bremensi, Frisia Orientali, Comitatu Oldenburgensi, Delmenhorstensi, Dipholtensi, & Hojensi cis Visurgim, indè ab Hamburgo usq; Albi flumine à Fosis seu Saxonibus separati.

Plinius lib. 16. c. 1.

ANSIBARII. Supersunt *Ansibarij*, inter veteres Westphaliæ incolas multis scriptoribus memorati: qui nunc *Amsibarij*, nunc *Ampsivarij*, appellantur: *Primùm valida gens non modò suâ copiâ, sed & adiacentium populorum.* Clarus eorum dux *Bojocalus*, quòd per quinquaginta annos in Romanorum castris militârit. Gens primùm exacta sedibus, & variâ fortunâ jactata, exisaq; propemodum: pòst revalescens, auctaq; inter Bructeros, arma etiam Romanis intentare ausa est: nam *Rheno transmisso regionem subitò pervasit Francorum, quos Ansivarios vocant, inquietum hominum genus, quod extima adeo Galliarum percurs averat;* hos insultantes populos Julianus Cæsar *bello repressit, ac pacem petere adegit.* Sedes horum non una semper fuit; postremum apud Bructeros consedêre, ut ex Notitiâ Imperij, Gregorio Turonensi, & Marcellino constare potest. Reperio, qui inter Bremam & Mindam collocent ad citeriorem Visurgis ripam, extendantq; ad Amasim; ut vel ab Amasis fluvio, quorum accolæ fuêre, Ampsivariorum nomen traxisse dixeris: Illud hîc perillustre à Marcellino commonstratur, originem videlicet & regionem Francorum non alibi, quàm in Westfalia quærendam esse: ubi Bructeri, ubi *Ansivarij*, ubi *Sicambri*, cæteriq; populi, quos hactenus percensuimus, nativum solum habuêre. *Ambronesne* inter hos Westfaliæ populos recenseam, quos quidam ex Paderbornensi agro deducunt, eoq; ita appellatos volunt, quòd ad Ambram fluvium habitârint, referam bello Cimbrico: in quod Teutones & Ambrones pugnacissimæ gentes convenerint.

Marcell. lib. 20.

Greg. Turon. l. 2. c. 9.

AMBRONES.

5. Hæc de priscis Westfaliæ gentibus, eorumq; sedibus paucis præmonere visum: quas si minus ad cujusq; judicium attigerimus, meminerit ille, ne priscos quidem scriptores, Romanos juxta ac Græcos in his usquequaq; convenire; nec certos ac stabiles singularum sedes perscribi potuisse, quòd Nomadum instar, ut rectè de Germanis hisce Strabo monuit, vixerint: qui casas ad unius diei usuram struxerint, eóque commigrârint, quò aut belli impetus raperet, aut intestini motus, validioresque populi per arma compellerent. Illud magis demirari subeat, tot bellicosas olim gentes hanc incoluisse provinciam

Strabo lib. 7.

ám (quam paludibus, Sylvis & saltibus, cultuq; terræ informem dixêre) atq; adversus tot Romanorum bella, invicti instar regni defendisse.

Hi nimirum illi populi, hæ sedes singulorum, hæc illa inter Rhenum & Visurgim regio, tanta hominum multitudine semper redundans, ex quâ tanquam ex fœcundo sinu terræ, aut ex equo Trojano toties armata Martis pubes producta. Hæc illa inter Rhenum & Visurgim Germaniæ regio, quæ post vetus *Francia*, & *Saxonia* dicta: in quam primùm vis bellica Romanorum tanquam in murum & vallum interioris & magnæ Germaniæ incubuit. Enim vero si quis ab exordio bella Romanorum cum Germanis revolvat, intelliget is, omnes Romanorum exercitus intra Moguntiacum & castra Vetera, aut Rheni divortia in hanc regionem traductos: præter eos exercitus, qui per mare in ostium Amasis & Visurgis classe invecti fuerunt. Hic Martis campus, in quo toties Romani Germanique exercitus cruentis inter se armis concurrêre; nunc victores, nunc victi Germani, nunquam domiti. Quoties exhausti spolijs & vastationibus incolæ? Quoties ferro flammaque sævitum? Quoties, nullo ætatis sexusve discrimine, alia post aliam gens exciſa? Translati in aliam Rheni ripam ex sinu regionis *Sigambri*, fortissima bello gens, cùm in sedibus suis debellari non posset: distracti per castra Romanorum & Provincias captivi Cattorum, Tencterorum, Bructerorum, Angrivariorum, cæterorumque populorum; at novâ semper belli sobole renascente, tanto formidabilior una post aliam gens se extulit, quanto arctius pressa & proritata fuit: Libertatis retinentissima, & servitutis impatiens, quâ Germanos suos fratres trans Rhenum Gallosque premi videbat. Rhenus, quem Imperij limitem habuêre Romani, primùm à Druso quinquaginta castellis præmunitus est: auctus demum hic Imperij limes castellorum, oppidorum, urbiumque munimentis, & tanquam murus turribus ac propugnaculis suis adversus Germanos obfirmatus fuit: imposita militum præsidia, addita legionum castra & hiberna, traducti tot exercitus in hanc unam regionem; nunquam tamen certum firmumve potentiæ pedem figere licuit; solæ quas memoravimus Westfaliæ gentes impetum Romanorum sustinuêre, toties oppugnatæ fractæq;, expugnatæ nunquam. Ex quo universa Italia in potestatem Romanorum venit, Sicilia, Sardinia, Corsicaq; primùm in provincias descriptæ sunt; transvectum deinde per maria Imperium Romanorum, intraque ducentos annos Asia, Africa & tota propemodùm Europa cum orbe terrarum subacta; nunquam hæc Germaniæ pars. Lego apud Rufum Festum omnes Romani Imperij Provincias, in quas tum orbis divisus fuit: nullam Germaniæ ulterioris uspiam reperio provinciam. Citò Hispania sub initio Imperij à Romanis domita; citò Gallia, intraq; quinquennium à C. Julio Cæsare devicta; seu ut Rufus Festus perhibet,

Westfalia vallum interioris Germaniæ, & procreatrix bellicosorum populorum.

Florus lib. 2. c. 1.

Rufus Festus in Breviar.

decem legionibus per octo annos ab Alpibus ad Rhenum usque Gallias subegit: citò simul utraque Cis Rhenana Germania, Belgiumque cessit in provinciæ formam; seriùs aliquanto Britannia, nec unquam tamen tota in Romanorum potestatem venit; serò Pannonia in duas provincias subacta; Illyrium in septendecim provincias divisum; promotisque trans Danubium armis, Dacia à Trajano Cæsare debellata: trans Rhenum nulla pars Germaniæ in eam servitutem venit. Primùm Augustus Cæsar adultâ Republicâ, & confirmatâ per orbem terrarum Imperij potentiâ, Germaniam in provinciæ formam redigere aggressus est. Et quantâ belli mole, Druso Tiberioque ducibus, id pertentatum? quóve belli impetu, quâ affectatione *Germanici* nominis id Germanicus molitus? At brevi furor ille retusus, dum Claudius Cæsar tanquam desperatis rebus legiones trans Rhenum revocaret. Excepêre inde alij Cæsares subigendæ Germaniæ bella ad Probum usque: qui cùm in hoc opere frustra desudatum videret; diceretque deinceps incassum bella proferri, nisi Germania more aliarum regionum in Provinciæ formam redigeretur, varia in hanc rem adhibuit: sed & ipse conatu suo est delusus. Continuata inde bella multo acriùs, postquam eædem gentes in Francicum & Saxonicum nomen transiêre. Quæ non per Constantinum M. Julianum, Theodosium, Honorium, ceterosque Imperatores susceptæ expeditiones? nec tamen unquam omnibus illis Cæsarum bellis, quibus supra quadringentesimum annum decertatum cum Germanis, vel hæc una Westfaliæ regio intra Rhenum & Visurgim in tributum, & Provinciæ formam sese subigi passa est. Tot nimirum Germaniæ superioris & inferioris, tot Belgicæ simul utriusq; præsides, uti hos scriptores annalium docent: Et quis unquam in Germaniâ trans Rhenanâ vel præses, vel præfectus, vel legatus constans? satis nimirùm Romanis erat limitem Rheni tueri, ne Germani toties Galliã affectantes, toties irrumpentes imperium convellerent. *Protulit magnitudo populi Romani ultra Rhenum ultraq; veteros terminos imperij reverentiam*, quemadmodum Tacitus gloriatur: sed fluxo & brevi excusso imperio. Gens libera Germani, quæ nunquam jugum illud Romani Imperij passa; bellicosa natio, quæ sola prope se Romanorum armis invictam servavit. Quod tàm æquo animo cæteræ nationes patiantur, quàm in hoc eminens est Germanorum nostrorum gloria, qui reflexis primùm armis per Francos (Westfaliæ videlicet populos) deinde per Saxones imperium Occidentis ad se traxerant. Tanquam præsagio quodam fatoque suo invicti tot Cæsarum Romanorum bellis, ut ipsi aliquando vincerent eos, à quibus orbis terrarum victus erat. Sed nobis hic bella Romanorum cum gentibus intra Rhenum & Visurgim tantummodo proposita: quæ tanto æquiùs sibi vendicat Paderborna, quanto ad hanc rem convenientius Carolus M. hanc Diœcesin circùm

Tacitus de Germ.

Luppiæ

Luppiæ & Amisiæ fontes in meditullio Westfaliæ; intraq; Cattorum, Cheruscorum, Sicambrorum, Bructerorum, Angrivariorum, cæterarumq; bellacium gentium fines descripsit; quantoq; illustriora apud nos sunt horum bellorum monumenta, quæ Ferdinandus Episcopus & Princeps eleganti carminum inscriptione, & eruditis commentationibus posteritati consecravit: Enim verò hîc *Alisonis* castellum à Druso per initia belli positum; hîc castra Drusi, Tiberij, Germanici Cæsarum, & Vari consulis; hîc *Luppiæ* & *Amisiæ* fontes, & flumina toties alterno Romanorum & Germanorum sanguine decolorata; hîc saltus Teutoburgiensis, Varianâ clade, cæsis legionibus, amissis aquilis celebratus; hîc ab Rheno ducti per humentia paludum *pontes longi*, & viæ militares ad Castellum castraque Alisonis; hîc Visurgis terminus Romanorum armorum, quem Domitius quidem aliquando transgressus, Drusus mox fatalem habuit. Hîc, ut verbo absolvam, belli sedes fuit. Ac tametsi recepto castello Alisonis, disjectisq; castris, Romani ex hac sede belli tandem depulsi sint; gentes tamen eædem, quibus cum ceteris Romanorum Imperatoribus protractū bellum fuit, hîc apud nos & vicinis circùm regionibus sedes tenuêre: ut tametsi longiùs aliquanto narratione abire videamur, ex una tamen armorum societate gentiumq; conspiratione, quibus commune semper bellum fuit adversus Romanos, propria, nec aliena multum relaturi simus. Et sicubi extra Diœcesis orbitam progrediamur, non tamen extra Westfaliam. Dabunt hoc eò mihi liberiùs, quòd nemo adhuc, quantum observare licuit, bella priscorum populorum, qui hanc Westfaliæ regionem incoluerunt, continenti narrationis ordine perscripserit. Non mores & vitæ inter barbaros institutum; non deos cultos, ritusque superstitionis; non vitia & virtutes harum gentium memorabo: seu quòd hæc cum alijs Germaniæ populis communia habuerint; seu quòd Tacitus & Cæsar, & innumeri nostrâ ætate scriptores ea suis commentarijs tradiderint. Bella tantùm referemus: vel eo magis, quòd vita omnis Germanorum, *in venationibus atque in studijs rei militaris consisteret, ac fortissimus quisque et bellicosissimus nonnisi arma tractaret: delegata domûs, agrorumque curâ fœminis senibusque, et infirmissimo cuique ex familiâ.* Quanquam & per vices pars agriculturæ relicta, pars in militiam ducta; *si Civitas in quâ orti sunt longâ pace et otio torperet; pleriq; nobilium adolescentium petebant ultrò eas nationes, quæ tunc bellum aliquod gerebant: quia et ingrata genti quies, et facilius inter ancipitia clarescerent. Nec mulier extra virtutum cogitationes et bellorum casus ducta; quippe dos et munera, quæ non uxor marito, sed maritus uxori offerebat non ad delicias muliebres quæsita, sed boves et frænatus equus, et scutum cum framea gladioque; ut ipsis incipientis matrimonij auspicijs admoneretur, venire se laborum periculorumque sociam; idem in pace, idem in prœlio passuram, ansuramque*: hæc Tacitus. Ad quæ ad-

Cæsar lib. 6. com.
Tacitus de Germ. mor.

Seneca l. 1. de ira c. 11. mirabundus Seneca: *Germanis quid animosius? quid ad incursum acrius? quid armorum expertius? quibus innascuntur, innutriunturque: quorum unicum illis cura est, in alia negligentibus.* In universum hæc si quis æstimet, omnis Germanorum vita militiæ studium, perinde ut *gens læta bello* omnem fortunam & gloriam in armis reponebat. Nec tamen ita inculta Germania, *ut informem terris, asperam cœlo, tristem cultuque aspectuque*, aut desertam agriculturâ Tacitus proponit. Unde enim tanta hominum multitudo? unde tot exercitus post iteratas clades? unde tot vici, quorum supra quadringenta millia intra Visurgim & Rhenum uno transitu exussit Maximinus Cæsar? Sed nunc hæc bella ab exordijs memoranda.

Lampridius in Maximo Herodian.

Populi ad bellum Cimbricum confluentes.

Primum, de quo nobis certa scriptorum fide constat, bellum est *Cimbricum*, quod una Cimbrorum & Teutonum Societate est gestum. Utraque Germanorum antiquissima gens; & *Teutones* tanto sibi magis vendicant Saxoniæ annales, quanto certiùs *Teutonici montes* clade post variana celebres intra Westfaliam, & late per hanc Diœcesin Paderbornensem exporrecti conspiciuntur. Hic proinde *Teutones* incolæ potissimum quærendi, quibus ab ipsis montibus nomen *Teutonum* adhæsit, quosque bellum *Cimbricum* simul tam celebres fecit. Atque id tum nomen genti harum regionum tam commune, quàm Celtarum olim fuit, antequam *Catti*, *Sicambri*, *Tencteri*, *Bructeri*, cæteraque distinctarum gentium nomina audirentur: creduntque hoc Teutonum nomine, qui cum *Cimbris* hoc bellum gessêre, contineri Germaniæ populi inter Albim, Visurgim, ac Rhenum: quorum Rex *Theutobochus* refertur. Nec Plinius, Mela, Ptolomæus, alieni. Vestigia Teutonum his in locis monstrari suprà retulimus. *Cimbri*, (qui & à priscis *Celto-Schytæ*, ab Appiano *Celtæ* appellantur,) ex sinu Oceani Germanici, & peninsula *Cimbrica*, (quæ nunc *Jutiæ* nomen obtinet,) progressi: supra hos Saxones coluêre; interque Cimbrorum & Saxonum provincias vetus Anglia monstratur; ex qua gente prodiêre, qui cum Saxonibus & *Vitis*, (seu ut alijs placet *Jutis*) Britanniam occuparunt. Hi populi nomen Angliæ Regno reliquêre, quæ expeditio nobis tempori memoranda: adeo fœcundus semper hic Septentrionalis populus, ex quo tot gentium migrationes à prima statim origine celebrantur. Ac Cimbri quidem in hanc, de qua agemus, expeditionem convenisse perhibentur maris eluvione, qua magna pars peninsulæ mari proxima est obruta submersaq; Veriti superstites ac confines, ne & ipsi aquis absorberentur, novas sedes toto orbe vagi quæsivêre. Quanquam quæ de diluvio illo Cimbrico, & emigrandi causa referuntur à Floro, & tanto recentium scriptorum numero excipiuntur, vereor ne multum fabulis aspergantur: quando Posidonius, & Strabo hæc dudum explosêre. Et Cimbri è suprema clade superstites reversi in peninsulam suam, lebetem post,

Plutarchus in Mario. Florus lib. 3. Velleius. Strabo. Livius in Epitome. Eutropius. Cæsar de bello Gall. Orosius Quint. decl. III. Valer. l. 5. Frontinus. Cicero Tusc. Q. lib. 1. Juvenalis Saty. VIII. Appian. lib. de bell. Illyr. Plinius l. 4. c. 14. Mela. l. 3. c. 1. Ptolomæus.

Strabo l. 7.

quem

quem sacerrimum habuêre; dono miserunt Augusto Cæsari, amicitiam populi Romani, & oblivionem præteritorum sollicitantes. Ut jam Strabo hanc Cimbrorum emigrationem certiùs retulerit ad redundantem domi hominum multitudinem, apum instar quotannis novos fœtus, examinaque procreantium, ac novas sedes quærentium; quod gens sibi insitum usitatumque habuit. Certè *Teutones*, qui in hanc belli societatem venerunt, nullâ oceani exundatio extraxit: sed aut domi onerata multitudo, aut bellandi prædandique libido. Et Romani primùm ex eo didicêre *Cimbros* esse Germanorum populum, quòd apud eos Cimbri prædones dicerentur, qui ad Septentrionem incolerent. Utcunque se emigrandi causæ habeant, innumera profectò hominum multitudo, Teutonum ac Cimbrorum, quæ supra xxx. Myriades à Plutarcho censetur, egressa ex suis sedibus, per multos annos oberravit, & majorem Europæ partem victorijs est pervagata. Per hyemem quieti in occupatis bello provincijs, vere novis semper militum copijs & supplementis aucti, qui aut submittebantur, aut illecti ultrò ad famam progressumque suorum sequebantur: homines proceris corporibus, artubus robusti, audacia ad omnia prompti, celeritate & bellandi virtute formidabiles; ac fulguris instar regna percurrentes, quocunque impetu ferebantur, armis sibi patefecêre viam: tanquam Europæ Imperium prædatorius exercitus humeris suis circumferret. Non tamen adeo barbari, quin sacerdotes suos castra sequi vellent, & pro ritu gentis Deos sacrificijs colerent. quippe pro libertate & sacerdotio servando, post extremam cladem acceptam, sollicitæ etiam uxores memorantur: quæ vana & sævâ superstitione castra simul secutæ, albo vestitu, cinctu æreo, & pedibus nudis fatidicas se tulerunt. Harum barbarus mos per castra discurrere, captivos strictis excipere gladijs, humi prosternere, & ad craterem pertrahere. Tunc vates, conscenso pulpito, incidere super lebetem captivi guttur, & ex profluente sanguine vaticinationes captare: mox ab alijs reliquorum cadavera scissa, inspectaque intestina; è quibus aut læva, aut fausta enunciabantur. Ubi ad prælia itum, aderant & Vates: pellesque, quas tympani in modum prætenderant cratibus curruum, barbaro ac Martio sonitu pulsabant. Par uxorum mulierumq; castrensium supra sexum fortitudo, viris adæquata; quales Tacitus memorat inter Germanos, quæ *cibos et hortamenta pugnæ gestârint: quæque inclinatas et labantes sæpe acies restituerint, constantiâ precum, et objectu pectorum.* Tales nunc hic primùm Cimbrorum, Teutonum, & Ambronum castra exhibent, quemadmodum hæc à Plutarcho alijsque memorantur.

Quintil. Decl. III.

Strabo l. 7.

l. de mor. Germ. c. 8.

Sexcentesimum et quadragesimum annum agebat urbs Romana, inquit Tacitus, *cùm primùm* Cimbrorum Teutonumq; *audita sunt arma, Cæcilio, Metello, et Papirio Carbone Coss.* Versabantur tum Cimbri & Teu- An. Urb. c. DCXL. &c. ante Christum 112.

NB. Hic annus ante Christum ex illorum est Sententia, qui volunt Christum natum An. V. C. 751. 25. Dec. Alij paulò aliter sentiunt.

& Teutones cum exercitu volatili in Illyrio, quæ provincia tunc Carboni consuli obvenerat propugnanda. Is cognitâ Barbarorum incursione, & prædandi quà latè grassabantur libertate, Romanum in eos movet exercitum, confidentiùs quàm cautiùs; nondum enim ante eum diem Germanorum arma experti erant. Carbo præceps ira, arma & signa inferri jubet, congressusq; prælio, fœdâ Romanorum strage, ad Noricum funditur. Quæ postquam perlata sunt Romanis, haud leviter trepidatum, inquisitumque in Cimbros, quam immanem gentem rumor attulerat, ut jam in Italiam transcensis Alpibus perrupturam. Posteaquam Germanos didicêre, creditumque est, prædones esse, quòd Germanorum linguâ Cimbri prædones dicerentur, neglectiùs habuêre hostem. Et quæ arma expedirent in gentem vagam, & tot hospitia quotannis mutantem, quot provincias victricibus armis peragraret? Eò tunc liberiùs Teutones ac Cimbri nubis instar in Galliam effusi, omnia latè armis & spolijs occupavêre. Galli tantæ hominũ multitudini ac potentiæ impares, in munitiora se oppida & tutiora loca recepêre, ac nihil simile huic bello, neque majorem ante calamitatem experti, hosti regnum deprædandũ reliquêre.

Tacitus de Germ. c 37.

Bellum Cimbricũ & Teutonicũ, quo Cæsi Romani cum Carbone Cos.

Cæsar lib. VII.

Quarto demum, ab Illyricæ cladis anno, M. Junio Silano Gallia demandata. Is provinciã ingressus, Gallorum tutelam susceperit. quo cognito, Cimbri & Teutoni legatos ad Silanum consulem in castra, simulque ad populum Romanum mittunt, postulatum, ut Senatus populusque Romanus sibi aliquam terræ partem quasi stipendium daret: cœterùm uti vellent, eorum manibus atque armis uterentur. Id cum negaretur, armis petere constituunt; promotisque in Romanos castris atque armis, in Silanum consulem proruunt; qui cùm ne primum impetum sustinere posset, turpiter cæsus est, & in fugam actus. Magnarum id calamitatum fuit initium. Silanus consul rei malæ gestæ postulatus in judicium, tanquam injussu populi Romani pugnasset cum barbaris. Altero mox anno in Silani locum lectus consul M. Aurelius Scaurus, missusque in Galliam adversus Cimbros & Teutones. Neque is fortunatior fuit. Magnis quidem ille animis signa intulit; sed amisso consulari exercitu, tertiam cladem mox funestiorem accepit. His irritati Romani majoribus quàm antè viribus, exercitum reparant: & proximo statim anno in locum Scauri L. Cassium consulem subrogatum mittunt in Gallias. Sed is belli exitus multò calamitosior quàm annis superioribus; cæsus enim consularis exercitus in finibus Allobrogum: consul ipse insidijs circumventus occubuit: interfectus Lucius Piso vir consularis, & quintus Publitius alter Legatus. Ac ne residua pars Romani exercitus deleretur, jussi sunt Romani obsides dare, & turpissimo fœdere, quo pars dimidia bonorum hosti cederet paciscí: Missi etiam ad ignominiam

An. V. C. DCXLIV. Ante Christum 108.

Florus lib 3. c3. Epit. Livij lib. 65. Salianus. Sigonius.

Altera clades Romanorum, Cæso Cos. Silano.

An. V. C. DCXLV. Ante Christum 107.

Velleius l. 2.

Tertia eorundem clades Cæso Scauro Cos.

An. V. C. DCXLVI. Ante Christum 106.

Cæs. lib. 1. de bello Gall. Epit. Liv. l. 65. Orosius l. 5. c. 16. Tacitus de mor. Germ. Cæsar lib. 1. de bello Gall.

Quarta Romanorum clades, cæso Cassio consule cum exercitu.

niam cladis sub jugum populi Romani milites. Scio hanc victoriam ab Orosio, atque eo, qui Livij compendium dedit, solis Tigurinis attribui, quos ob id C. Julius Cæsar post ultus sit: sed Tacitum si quis consulat, intelliget is Cassium non minus, quàm superiores consules à Cimbris, Teutonisq; cæsum: Tigurinis verò adscriptam victoriam, quòd in unam belli societatem adversus Romanos Germani Helvetijque per id tempus convenerint. Quæ sanè conspiratio sequentibus annis haud minus exitialis populo Romano fuit. Quippe post cædem Cassij consulis, quintus Cæpio consul Galliam provinciam sortitus, bellum ingentibus animis adversus Tectosagos sumpsit, quòd ad Cimbros defecissent. Sed nihil memorabile hic consul gessit, nisi quòd captâ Tolosâ templum Apollinis spoliârit; & centum ac decem millia pondo auri, argenti verò quinquies decies centum millia sacrilegus in prædam dederit; cujus sceleris vindices anno proximo expertus Cæpio. Hærebant adhuc in visceribus Galliæ Cimbri & Teutones, tam infesti Romanorum quàm Gallorum provincijs, quas in extremam inopiam, famem, & vastitatem conjecêre: quemadmodum id Critognatus Avernus post questus est apud C. Julium Cæsarem. Quare accensis animis, altero mox anno Romani * Cnejum Manlium consulem dicunt, & Cæpioni militare imperium prorogant, utrumque cum duplici exercitu in Galliam mittunt. Pervenêre ad Rhodanum usque flumen consul Manlius, & proconsul Cæpio, castris ad utramque ripam positis. Tantò nunc conjunctiùs & ardentiùs Cimbri, Teutones, Ambrones & Tigurini Germanorum Gallorumq; gentes conspirant in Romanos: & quia invidiâ & æmulatione dissidebant consul & proconsul; Germani Helvetijque unâ conspiratione armorũ signa inferunt, & pridie Nonas Octobris conserto prælio utrumque Romanorum exercitum fundunt, cæduntque ad internecionem. Castris uterque Imperator exutus: strages, an ignominia fœdior, incertum. Cæsa octoginta millia Romanorum sociorumq;, calonum ac lixarum quadraginta millia; Marcus Aurelius Scaurus consularis captus: & cùm in consilium à Cimbris evocaretur, deterreretque eos, ne Alpes transirent Italiam petituri, eò quòd diceret, Romanos vinci non posse, à *Bolo* eorum Rege, ac feroci juvene occisus est. Cæsi duo consulum filij, multique senatorij ordinis viri, vix deni servati, qui nuncium cladis Romam referrent. Quæ postquam renunciata sunt Romam, urbs planctu & metu completa est, haud secùs, quàm si ex Cannensi clade Hannibal portis urbium immineret. Inde ad Salustij ætatem persvasum fuit Romanis, *alia omnia virtuti suæ prona esse; at cum Gallis et Germanis pro salute, non pro gloriâ certari.* Ita omnis ira in Cæpionem versâ; raptusque consul in carcerem inter vincula exspiravit. Dies cladis Alliensi non absimilis, inter nefastos relatus, indictum justitium, armata juventus, delectusq; tota

Tacitus de moribus Germ.
An. V. C. DCXLVII. Ante Christum 105.
Justinus. Gellius l. 43 Strabo l. 4. Orosius. Tacitus de Germ. Florus lib. 3. c. 3. Cæsar l. 7. de bello Gall.
An. V. C. DCXLIII. Ante Christum 104.
* al. M. Manilium.
Tacitus. Livius in Epit. Eutropius. Orosius. Plutarchus in Lucull. & Camillo. Salust. Bello Jugurthino.
Quinta Romanorum clades, cæso Manlio consule & Cæpione proconsule ad internecionem.

An. V.C. DCXLIX. Ante Christum 103. *Val. Max. l. 6. c. 11.*

tota Urbe & per Italiam est habitus, nulli vacatio à militia concessa, vota Jovi Solemnia facta. *Actum erat*, inquit Florus, *nisi Marius illo sæculo obtigisset*; aut Germani, aut Tigurini (qui & Hannibalis error fuit) victoriâ uti scivissent. Rarò magnæ fortunæ capax mortalium animus: & plerumque in medio cursu armorum fata incidunt telam Cimbri post reportatam tam insignem victoriam, vastatis quæ inter Rhodanum & Pyrenæum sunt, per saltus & juga montium in Hispaniam transgressi, non aliud istic memorabile edidêre, quàm ut

An. V.C. DCL. & LI. Ante Christum 102. & 1.

provincias diriperent. Nec multò pòst repulsi à Celtibêris in Gallias redierunt: alteroque demum anno se Teutonis conjunxêre, unà armorum conjunctione in Italiam irrupturi. Interea Mario, qui à bello & triumpho Jugurthino renunciatus erat Consul, spatium est datum armandi Romam. Vir eo tempore acer bello, & clarissimus Imperator, quocum scena Martis commutata, & fortuna Cimbrorum Teutonumque telam retexere cœpit. Adlectus alter est Consul Q. Catulus, bellicâ fortitudine egregius. His viris Galliarum provinciæ, & bellum adversus Germanos & Helvetios est imperatum, insumptumque Mario biennium in apparatu belli. Tandem bipartito uterque Consulum instructissimoque exercitu processit: quòd Barbari diviso exercitu & diversis vijs in Italiam perrupturi, se jam commovisse nunciarentur, & Cimbri unà cum Tigurinis per Noricum ingressi iter essent; quibus Catulus Consul objectus. Teutones & Ambrones aliâ ex Gallijs viâ per Alpes transituri castra promoverant, multitudine infinita, facie & illuvie deformes, voce ac plausu dissoni, jam securi victoriæ, incerti fatorum. In hos Marius cum exercitu festinatis itineribus movit; prævertitque intra Galliæ fines tardantes, castris ad Rhodanum fluvium positis; quæ cautus Imperator magnis operibus repentè præmunijt. Haud procul Teutones & Ambrones castra sua posuerunt, Mariumque provocaverunt ad prælium: quod cùm ille detrectaret, Barbari castra Marij magno furore oppugnant. Cùmque infuso telorum imbre convitijsque nequaquam extraherent: sub vallum Romanorum castrorum, & ipso in conspectu Marij transeunt, iterque in Italiam prævertunt. Tanta hominum barbarorum multitudo fuit, ut sex ipsos dies continuo motu exercitus insumpserint, priusquam ultima agminis præterveherentur: tam certa Italiæ capiendæ fiduciâ, ut per risum inclamaverint: si quid uxoribus suis Romam mandatum vellent, id sibi committerent, brevi enim se ipsis hospites adfore. Marius ex adverso itinere insecutus, castris propè hostium castra collocatis, & vallo per diem noctemque obseptis. Perventum est ad aquas Sextias propiùs Alpes: ibi Marius conspectâ

Ambronum cædes.

pugnæ opportunitate, & quòd Ambrones à Teutonis disjunctos sors belli obtulisset, singulos adoriendos censuit, quò vinceret omnes. Et locus favebat, in quo plus sæpe momenti, quàm virtute militari.

Interim

Interim Romani milites horrebant cum bellicosâ gente, & tot victorijs inflatâ congredi, sitisq; vexabat inopiâ aquarum: tanto incitatior Marius pugnam urgebat, fluvium monstrans propè hostium castra: si viri, inquit, estis, en illic habetis, ex quo sanguis priùs hostium bibendus, quàm aqua. Ita inflammatis militum animis magno utrinq; ardore pugnatum est. Ambrones non alio hortamento se incitabant, quàm nomen suum tanquam gentilem virtutis tesseram inclamando. Idem Ligures faciunt, qui primi in Romanâ acie pugnabant. Post acre & cruentum certamen superati, actique in fugam Ambrones ad castra se recepêre. Hìc uxores, & castrorum mulieres, bellicosæ illæ Germanorum Amazones corripere arma, fugientibus viris prodire obviam: atque ut aliæ gladios, aliæ secures, aliæ alia obvia quævis belli instrumenta nactæ, modò fugitivos repellere in pugnam, modò ipsos hostes ferire, & prælium redintegrare. Et quia in vesperam protrahebatur pugna, quam mulieres stiterant, Marius receptui cani jussit, non ausus castra aggredi. Nox insequens, etsi victores, in magnâ tamen trepidatione Romanos habuit. Nam qui ex Ambronibus ad vicinos montes sparsi confugerant, horribile clamore & ululatu fauciarum & frementium bestiarum instar personabant. Romani qui intra castra se continebant, rati has voces esse vindictam spirantium, insomnem & turbulentam habuêre noctem. At Marius jam edoctus vinci posse, qui hactenus invicti fuerant, bono animo jussit esse milites, & curare cibo somnoque corpora. Orto die, castra sua castris Teutonum admovet. Teutones etsi Ambronum clade nonnihil perculsi, instructâ tamen acie prodierunt. Continuit eo die Marius suos, veritus rem prælio committere: tanta nimirum Teutonum erat multitudo, & certa pugnare, si Romani auderent. Itaque Marius ab arte & ingenio petendum ratus, quod viribus diffidebat. Claudium Marcellum cum tribus selectis militum millibus per avia & inobservata montium juga circumire jubet, atque ex insidijs surgere, à tergo se hosti ostentare, irruereque, si prodirent. Quod ubi Marcellus fecit, & Teutones incomposìti proruunt, repelluntur à Romanis. Simul Marius à frontè, ut convenerat, signa intulit, ordines Teutonum disjicit, cæditque. Teutones utrinque turbati, perculsiq; in fugam vertuntur. Inhærent Romani fugientibus, & immani strage, quæ fidem propè superat, Barbaros fundunt. Plutarchus trucidatorum captivorumque numerum decem Myriadum censet; Livius ducenta millia cæsorum, nonaginta millia captivorum scribit; Velleius amplius CL. millia hostium utroque die cecidisse perhibet, quâ clade omnis & vaga illa Teutonum multitudo deleta fuerit, tribus tantummodò millibus per fugam servatis. Orosius in quartum diem pugnatum scribit, postremoque die in noctem protractum prœlium, cædendo magis quàm pugnando. Eutropius utroque prœlio cum

Teutonum cædes.

Ambro-

Ambronibus & Teutonis nonnisi cc. cæsa, capta xxx. millia: quorum magna pars profugerit, Cimbrisque se conjunxerit: adeo scriptores dissident, Romanis sua augentibus. Ex cæsorum postea ossibus Massilienssium Vineæ circumseptæ feruntur; tanta certò strages fuit. *Teutobochus* Teutonum Rex quaternos senosque equos transilire solitus, vix unum cùm fugeret, ascendit, proximoque in saltu comprehensus insigni triumpho spectaculum dedit. Vir enim eximiæ proceritatis, supra omnia tropæa eminebat. At pulchrius spectaculum pudicitiæ dederunt Germanæ mulieres: quæ postquam devictis viris se quoque victas conspexêre, consulem adeunt rogatum, liceat sibi inviolatâ castitate virginibus sacris ac Dijs potiùs servire, quàm captivas militum libidini & ludibrijs objici. Quod cùm à Romano non impetrarent, parvulis ad Saxa collisis, sese aut ferro, aut suspendio interemerunt. At non his omne bellum confectum erat: supererant Cimbri, qui jam per Noricum, superatis Tridentinis jugis atque Alpibus, in Italiam penetrârant, frigoris magis quàm caloris patientes. Quippe mediâ hyeme altissima montium juga per nives & glacies transcenderant, homines seminudi, illuvie deformes, scalis ac scutis subnixi per lubrica & abrupta locorum enitebantur: tantâ simul confidentiâ armorum, ut neglectis etiam, quæ ad usum belli sunt, solo corpore Italiam se debellaturos crederent. Tigurini, qui se Cimbris associârant in Norico substitêre, non ausi Alpes transcendere; nec multò post in diversâ delapsi, fugâ ignobili & latrocinijs evanuêre. Cimbri ad Athesin usque flumen progressi. Quos cùm Catulus consul se Alpium transitu prohibere posse diffideret, incertus per quæ claustra Cimbri perrupturi essent, ne exercitum cum periculo dividere necesse haberet, Athesin flumen occupavit, castris castellisque ad utramque ripam positis. His interriti Cimbri castra quoque sua in conspectu Romanorum ad Athesin collocant. Intumuerat tum fortè aquis flumen: hìc illi ad transitum amnis, non pontis, non navium usum poscunt, sed gigantum instar vicinos tumulos scindunt, dejecta montium præcipitia aggerunt, cæsas trabes & ingentes arborum moles in flumen provoluunt, obrutumque ingesta sylva transiliunt. Consternati ad hanc stoliditatem Romani majora castra deserunt; ac ne fugæ ignominiosæ speciem darent, consul raptis aquilis præit, tanquam suis auspicijs duceret, qui turpiter fugiebant, donec remotum ac tutum castrorum locum nactus esset: quanquam multi Romam usque profugerint. Cimbri superato Athesi flumine castella & propugnacula Romanorum occupant: captosque Romanos, quod mirum fuit in Barbaris, liberos dimittunt, Syngrapha etiam addita, cui æreus taurus impressus erat. Inde in patentissimos & uberrimos Italiæ campos effusi, captique regionis dulcedine, dum hærent in venetorum agro, qui mollissimus est Italiæ tractus, ipsa cœli solique clementia

Cimbri per Alpes in Italiam penetrant.

An. V. C. DCLII. &c. Ante Christum 100.

mentia dissolvi enervariq; cœperunt; Hannibalis indulgentiâ fatoq;, quem Campaniæ deliciæ fregerunt. Rectà si urbem petijssent Cimbri, grande discrimen illaturi erant. Interea respirare Romani, & Marium, qui Romam accesserat, quinto consulatu ornare: mox Catulo in subsidium mittere. Marius revocatis ex Galliâ copijs, quibus Teutones Ambronesque devicerat, trajectoque Pado, ad Catulum accedit. Quo cognito, Cimbri tempus pugnæ extrahunt, quòd Teutones præstolarentur; seu ignari cladis illorum; seu dissimulanter ista habuerint: nam qui denunciarent, intercepti à Romanis, & ad cruciatum postulati. Interim Legatos mittunt ad Marium, rogatum, velit sibi ac fratribus suis certas sedes permittere. Ad quæ Marius: Quinam illi fratres vestri? Teutones, inquiunt, legati. Subrisit Marius: & curam, ait, hanc fratrum vestrorum mittite, illi enim jam regionem habent apud nos, & Cimbris dabimus. Mox captivi Teutonum reges à Mario producti, quos fugitivos in Alpibus interceperant Sicciani. Quæ postquam renunciata sunt Cimbris, ad arma convolant: irâque & furore conciti, ad castra Marij oppugnanda feruntur: & obruta fuissent, ni diligenti custodiâ præmunijsset Marius. Conatu hoc frustrato, *Biorix* Cimbrorum Rex cum paucis suorum ante exercitum obequitans, Marium ad prœlium provocat. Marius cum responderet, non esse moris ut Romani ab hostibus capiant consilia belli, hoc tamen gratum præstitit insultantibus Cimbris, quòd diem pugnæ in patentissimo campo condixerit: quem Plutarchus ad *Vercellas*, Florus ad *Caudium* atque *Athesim* Veronæ flumen collocat. Ingentibus inde animis & extremis viribus apparatum bellum. Catuli consulis exercitus xx. millium numero census; Marij triginta duûm millium. Structâ acie Catulus medium belli corpus fortitus: Marius suos in cornua deduxit; quòd in ijs maximum victoriæ momentum gloriamq; sibi reponeret. Haud secùs Cimbrorum exercitus digestus in ordines, explicatusque in alas suas, quæ spatium xxx. stadiorum explevêre. In fronte pedestres fere copiæ positæ: Equitatus quindecim millium productus, armis fulgentibus, galeis hiantium animalium, scutis albis, & ferreis thoracibus formidabilis. Plerique peditum bicuspide telo & grandibus machæris, qualia prisca Saxonum arma fuêre, instructi. At Marius, ut militari ingenio pugnaret, nebulosum ventosumque diem nactus, quo pulvis in ora hostium percussus, demum acie conversa ad orientem splendore galearum, & repercussu solis perstrinxit oculos Cimbrorum. Pugnatum acerrimo & cruento prœlio triduum ante Calendas Augusti: ac nihil molestius afflixit fatigavitque Cimbros, quàm æstivi calores; simul pulvereæ nubes cœcos in Romanorum manus præcipitârunt. Ita Cimbrorum turba ti ordines, & major pars bellicosorum virorum cæsa. Stabant interim pedites ad extremum pugnantes: ac ne rumpi posset acies, longis & ferreis

Eorundem Cimbrorum pugna cum Romanis & cædes.

catenis illigârant. Ad ultimum, quia equitatus disjectus, & tota vis Romanorum incubuit, cæsi fugatiq;. Magna pars ad castra se recepit, ubi haud levior cum uxoribus, quàm viris pugna fuit. Incluserant illæ se plaustris carpentisq; in modum valli congestis, ex quibus aliæquasi ex muris & turribus lanceis contisq; depugnabant. Ac primus mulierum furor versus in fugitivos, quos exprobratâ fugâ aliæ in pugnam retrahebant, aliæ viros & fratres interimebant. Cæteræ in repellendis hostibus occupatæ, ne in castra penetrarent, succesſu supra sexus fortitudinem: nam impetum tamdiu sustinuêre, donec legatos ad Marium mitterent, peterentque libertatem & sacerdotium; tanquam cum pugnacioribus viris aliquando pristinam gentis virtutem recuperaturæ, & cultum religionis servaturæ. Quod cùm à Mario non impetrant, suffocatis elisisq; infantibus, ferrum quod in hostes sumpserant, in se convertunt. Pars mutuis vulneribus concidit, pars ex arboribus jugisq; plaustrorum pependit, mortem servituti & violandæ pudicitiæ anteferendo. Cumq; funes deficerent, quibus se strangulârent, repertæ, quæ ex resectis crinibus vincula ac laqueos facerent. Multæ ultro ad crura boum & equorum loris se alligando raptatæ exspirârunt. Fuit vesana mulier, quæ binos filios, insertis in colla laqueis, pedibus suis innexuit, unoque secum suspendio enecuit. Barbarum facinus! tanquam matris sit innocentes parere, & nocentes facere ad supplicium. Beleus Rex in acie dimicans inter hostium cadavera occubuit. Sunt, qui duos Reges cæsos, duos captos memorant. Ingens & fatalis Cimbrorum strages! quos inter Teutones in Italiam penetrasse refert Eutropius, & clade involutos. Cæsi eo prœlio CXL. millia, capta LX. millia traduntur. Plutarchus sex myriades captivorum, duodecim cæsorum ausus scribere; cùm tamen Eutropio auctore Catulus consul XXXI. tantummodo signa militaria, Marius duo retulerit. Hoc nimirum illud Cimbrorum Teutonumque bellum, tot Romanis & Græcis Scriptoribus celebratum. Hæc fatorum fortunæq; vicissitudines; quæ tot cæsis consulum exercitibus parta erant, uno alteróve prœlio intra annum amisêre. Altum interim id vulnus hæsit in animis Romanorum, haud leviùs, quàm Gallorum Italiam & urbem olim diripientium: nec tamen nisi serò admodum ulcisci se licuit adversus Germanos, & vindictâ magis refrictum vulnus, quàm persanatum. Atque hæc ut certa perscripsimus auctorum fide, ita Ambrones ex hoc bello dubij nobis relinquuntur; utrumne Helvetij, an harum regionum populi cum Cimbris & Teutonis in Societatem armorum excîti venerint? certum nomen apud Plutarchum, Dionem, Livium, Strabonem, qui Ambronum primùm meminêre; at nemo ex his satis explicatè gentis originem sedesve consignavit. Nihil Tacitus de Ambronibus, qui accuratè Germaniam nobis tradidit. Nihil quoque Cæsar de Ambronibus, qui Helvetiorum Gallorumque populos

Ambronum Origo incerta.

Plutarchus in Mario.
Dio lib 44.
Strabo l. 4.
Livius in Epitome.
Reineccius de Mysarum origine.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pulos descripsit. Reperio auctores, qui ex Westfaliâ & Diœcesi Paderbornensi deducant, tanquam Teutonum aut Sigambrorum pars fuerint Ambrones. *Ambra* enim hic fluvius est, ortus intra Teutonicos montes apud nos, & magnam partem Diœcesis Paderbornensis perlabitur, dum in Visurgim se exoneret. Caroli M. castris & Francorum scriptorum annalibus celebratus, â quo *Ambronum* nomen trahi voluêre: quo & gens ipsa se compellavit, tanquam ex se nato exportatoque. Contrà alij Helvetiorum gentem censent ab Emme quodam fluviolo Helvetiæ agrum perfluente. Nec Germanam gentem agnoscunt, quòd Cimbri Teutones fratres suos profiteantur, non Ambrones: quanquam Tigurinis sub initium hujus belli descisscentibus Ambrones constantissimi hæserint Teutonis & Cimbris in Societate armorum adversus Romanos fratrum fide, uxoresq; eorum ex Germanarum mulierum indole fortitudinem suam probarint. Libellus quidam itinerum tres memorat Ambras viciniores Alpibus, unam in viâ ex Pannonijs in Gallias; alteram à Lauriaco Veldidonem; tertiam ab Augustâ Vindelicorum Brigantiam. Opinatur Wilthemius, vir antiquitatum apprimè gnarus, Celticum fortè id nomen esse, latè per hæc tempora sparsum gente & linguâ. Et quàm multæ ejusmodi gentium nomina originesq, vetustas abdidit? Mihi ex tanto scriptorum silentio res incomperta. Planiùs aliquid Eutropius & Orosius, dum Cimbros, Teutones, Tigurinos & Ambrones Germanorum Gallorumque gentes scribunt, incerta interim gentium harum relictâ origine: quamvis duos priores Germanos, posteriores magis Gallos Celtasve indicent. Ut Ambrones etiam Helvetiorum gentem dixeris, Germanis tamen magis quàm Gallis adscripserim: ex quo Helveti perinde ut Boij, licet primâ origine Galli, tamen Cimbrico jam bello in linguam, mores & censum nationis Germanicæ transierant: quo vinculo tam facilè etiam coaluerint in unum cum Cimbris & Teutonis bellum, tam Gallis ipsis infensi, quàm Romanis. Manent etiamnum *Helveti* Germanorum syncerissimi: ac nisi Tacitus obsisteret, dicerem primâ origine antiquissimos Teutones ac Germanos, quales *Svevos* istic esse suprà monstratum est. Idq; eò mihi verosimiliùs se offert, quòd *Helvetios et Quados* eandem gentem censeat Eutropius. Constat autem *Quados* antiquissimum Germanorum populum inter Longobardos, Marcomannos, ceterosq; Svevos recenseri à Tacito, & à Ptolomæo in Hercynio saltu collocari.

Pideritius. Ferdinandus in Monum. Paderbornens.

Eutropius lib. 5. de bell. Cimbrico. Orosius. Tacitus de moribus Germ.

Eutropius lib. 6.

Ac mihi quidem hanc vagabundam hominum multitudinem nativis sedibus excitam intuenti, percensentiq; tot bellicosorum virorum, & omnis simul sexus ætatisque lanienam, non aliud magis in mentem venit, quàm suspicere mortalium casus, admirariq; divinam providentiam, quæ miseros ac cœcos illos homines sine veri Numinis cognitione, veræq; religionis cultu jactari, & interire permisit. In

quo ipso non magis hominum damnanda malignitas, qui exuto omnis humanitatis sensu, in eam veritatem degenerârint, ut belluarum instar ex prædis viverent, atque armis & cædibus se dilaniandos objicerent. Quid factura tam generosa Germanorum pectora, si legem divinam, verumque Deum cognitum habuissent? Et quorsum hæc, & quæ deinceps ex harum gentium rebus gestis narraturi sumus, aut legendo Christiani revolvimus, aut Sacerdotes scribendo tractamus? nisi ut arcana Numinis consilia, & mortalium rerum dispensationem tantò sanctiùs veneremur, quantò nos feliciùs in ea tempora nati sumus, quibus admirabile illud religionis lumen depulsis gentium tenebris illuxit?

Quæ nunc Germanorum bella consequuntur, haud minùs cruenta, & ferociæ barbaræ plena. Sed ut illa Cimbrorum & Teutonum sunt illata Romanis, ita hæc, quæ memorabimus, accepta à Romanis, primùm vindictæ, tum subigendæ Germaniæ cupiditate; quanquam serò, ac non nisi per magnum temporis intervallum ab anno conditæ Urbis DCLII, ad DCXCV, quo primus Romanorum principum C. Julius Cæsar Germaniæ bellum intulit. Nam annis interfluentibus à Cimbris bello Respublica Romana aut bellis exterarum gentium, aut civilibus dissidijs factionibusq; occupata fuit. Inde vel ob silentium scriptorum, vel ob quietem Germanorum, nobis ex hoc intervallo nulla quoq; scribendi materia se offert, nisi quòd *Epitome Livij l. 97.* Livij Epitome tradat, à M. Crasso Prætore anno V. C. DCLXXXII. pugnatum cum Gallis Germanisque, cæsis triginta quinq; millibus hostium: quo simul prælio Granicus eorum Dux interemptus.

An. V C. DCXCV. Ante Christum 57. &c. *Cæsar l. 1. de bello Gall. Dio. lib. 38. Florus l. 3. c. 10. Livij Epit. lib. C. IV. Plutarchus in Cæsare. Svetonius in Cæsare. Eutrop. l. 6.*

Hinc ad C. Julij Cæsaris bella procedimus; atq; is, posteaquam Galliæ provinciam sortitus, primo statim anno Helvetios subegit, repressitque intra fines suos, vindex postliminiò, ut ipse scribit, cladis Romanæ, quam Tigurini Helvetijq; L. Cassio consuli bello Cimbrico intulerant. Quâ in re Cæsar non solùm publicas, sed privatas injurias ultus est, quòd ejus Soceri L. Pisonis avum L. Pisonem legatum, Tigurini eodem prælio, quo Cassium consulem, interfecerant. Germaniæ verò bellum intulit, tum ut Cimbrorum Teutonumque injurias populo Romano tantis cladibus irrogatas ulciscereturtur; tum ut Germanos contineret metu Romanæ potentiæ ac vindictæ; ne, ut Cimbri, & Teutoni Rhenum transgressi, in Galliam se populando inferrent: quâ vastatâ subjectâve, nihil propiùs reputabat, quàm ut in Italiam demum prorumperent. Hæc atq; alia speciosè Cæsar de causis belli, quibus in præsens addebat lacessitum se sociorum injurijs vindicandis: re autem, ut belli causam quæreret magis, quàm irrogatam à Germanis injuriam ulciscereturtur. Candidè enim Svetonius: *Cæsar inexplebili gloriæ et proferendi imperii cupiditate incensus, nullâ belli occasione datâ, nec injustè quidem et periculosè abstinuit unquam tam fœderatas, quàm infestas*

Svetonius in Cæsar.

infestas ac feras gentes ultrò lacessere. Ita primùm cum Arioviſto commiſſus. Tranſierat ille Rhenum cum exercitu xv. millium Germanorum, imploratus ab Avernis & Sequanis adverſus Æduos. Pòſt Ædui & Sequani Burgundiæ tunc incolæ, ac populi inter ſe reconciliati Cæſarem populumque Romanum appellant; quòd Arioviſtus, compoſito inter eos bello, finibus ſuis excedere nollet: quæſti cumprimis apud Cæſarem de Arioviſti arrogantia & dominandi cupidine, qua totius adeò Galliæ imperium affectaret; nam præter exercitum xv. millium, qui ſubſidio venerat, acceſſêre è Germanis aliæ poſt alias copiæ. Poſtremò Harudum xxiv. hominum millia evocata in ſubſidium, ut Cimbrorum & Teutonum in modùm univerſam Galliam Italiamq; depopulaturi ſubacturiq; crederentur. Cæſar auditis Æduorum & Sequanorum legatis ultrò auxilia offert; ac priusquàm armis rem agat, Arioviſtum, quòd antè in amicitiam populi Romani receptus, & multis beneficijs ornatus erat, in colloquium vocat; ratus ob id Cæſar poſſe congreſſu confici rem omnem. Ad quæ Arioviſtus, ſi quid ipſi à Cæſare opus eſſet, ſe ad eum venturum fuiſſe, ſi quid ille ſe velit, illum ad ſe venire oportere; mirum ſibi videri, quid in ſuâ Galliâ, quàm bello viciſſet, aut Cæſari aut populo Romano negotij eſſet: adeoque ſuperbè etiam Arioviſtus, *quis eſt*, inquit, *Cæſar? ſi vult, veniat. Quid ad illum, quid noſtra facit Germania? num me ego interpono Romanis?* Territi non tam ad has voces Romani, quàm ad ea, quæ ex percontatione Gallorum & mercatoribus audiebantur: adeſſe nimirum Germanos ingenti magnitudine corporum, incredibili virrute atque exercitatione, ſæpe numero ſe cum ijs congreſſos, ne vultum quidem atque aciem oculorum ferre potuiſſe. Multi ex hoc terrore abditi in tabernaculis fata ſua querebantnr, multi lachrymas non tenuêre; pleriq; tanquam ultimam neceſſitatem experturi teſtamenta obſignabant. Cæſar, cùm multus eſſet in erigendis militum animis, tum omnia ad belli uſum quàm diligentiſſimè componebat, non ſine cogitatione & ſollicitudine, ſibi cum Germanis bellum eſſe, à quibus tot bello Cimbrico & Teutonico clades populus Romanus accepiſſet.

Bellum C. Julij Cæſaris cum Arioviſto Germanorum Rege:

Advenêre haud multò pòſt Treviri queſtum de ſuo periculo apud Cæſarem, quamvis & illi Germani eſſent, ſed diſcordes tum à ceteris Germanis: ab his relatum, conſidere centum pagos *Svevorum* ad Rheni ripam, nec in aliud paratos, quàm ut Rhenum trajiciant, irrumpantq; in Galliam. Pagi hi, uti Cæſar appellat, certi regionum diſtrictus erant, ex quibus ſingula millia armatorum bellandi cauſa venerant excita, reliquis domi reſidentibus, & per vices agros incolentibus, ut jam centum millia armatorum excubaverint ad Rhenum. Hac Svevorum gente comprehenſi *Catti*, ut diximus, *Marcomanni*, *Harudes*, & quotquot transRhenum eas regiones incoluêre.

coluêre. Nec dubitem Tencteros, Usipetes, & Sicambros, in eam belli Societatem veniſſe. His cognitis, Cæſar, abruptis cum Arioviſto colloquijs, prælio decertandũ ſtatuit, priusquam cetera Barbarorum multitudo Rhenum tranſmiſſa accederet. Ac Cæſar poſtquam copias in aciem produxit, Arioviſtus caſtris egreſſus cum equitatu ſe obtulit. Et levioribus pugnis, multisq; velitationibus res utrimq; per aliquot dies acta, donec ad ſupremum certamen deventum. Cæſar triplici acie inſtructâ, uſq; ad caſtra Arioviſti progreſſus. Tum demum Germani copias ſuas generatim conſtituunt, paribusq; intervallis Harudes, Marcomannos, Tribocos, Vangiones, Nemetes, Seduſios, Suevos componunt, omnemq; aciem ſuam rhedis & carpentis circumdant. Relictæ in caſtris mulieres cuſtodia & præſidium; hæ milites in prælium proficiſcentes, paſſis crinibus lachrymisq; obteſtabantur, ne ſe in ſervitutem Romanis traderent. Diu acri & ancipiti certamine pugnatum, nec prælij calor magis patuit, quàm quòd Germani elatis ſuprâ caput ſcutis, cùm ſe velut teſtudine tegerent, ſupra ipſa Romani ſcuta ſalierint, & inde in jugula gladios demiſerint; poſtremùm utrumq; cornu Germanorum disjectum. Non tamen continuò in fugam ſe dedêre, ſed triceni, quadrageni, aliquanto plures agmine facto, ſcutis ſe ſepientes, muri inſtar conglobati pugnabant: Complures propter denſitatem agminis etſi vulneribus perfoſſi, erecto adhuc corpore ſtetêre, eo modo major pars peditum perijt. Rupti demum atq; obruti Romanorum multitudine, & pugnandi dexteritate è prælio ceſſêre. Alij in fugam, alij inter carros & impedimenta unà cum uxoribus trucidati: Ceteri ad Rhenum profugi aut lintribus aut natandi peritia confiſi ſalutem quæſivêre: In his Arioviſtus cum equitatu ad Rhenum delatus, ubi naviculam nactus, in alteram ripam evaſit. Duæ Arioviſti uxores in fuga perièrе, quarum alterâ Sueva, altera Norica: filiarumq; quoq; altera trucidata, altera capta. Conjugem Suevam ſecum domo eduxerat, quod argumento eſt & ipſum Arioviſtum ex Germaniâ trans Rhenana, & veteri Suevia, quæ Cattis multum attribuitur à Cæſare, fuiſſe oriundum. Sanè cùm & per Ubios Suevi ſe ex fugâ retraxerint ad ſedes ſuas, eas quoq; regiones incoluerint, quibus pòſt Weſtfaliæ nomen eſt datum. Neq; alius cæſorum numerus à Cæſare conſignatus, niſi quòd per millia paſſuum quadraginta, ex eo, quo fuſi fuêre loco, illi profugerint, & hic inexplebili cæde fugientes ad Rhenum uſq; perſecutus ſit. Appianus atq; Plutarchus octogintа Germanorum millia hoc prælio concidiſſe perhibent; quâ fide id ſcribant, incertum habeo. Quanta demum victoria illa fuerit, non tamen auſus Cæſar exercitum transportare per Rhenum, & Germanos in ſuis ſedibus proſequi; ſatis habuit in præſens victos prælio Germanos expuliſſe è Gallia.

Florus lib. 3. c. 10.

Dio lib. 38.

Eutropius. Plutarchus in Cæſare. Appian. l. de bell. Gall. Livij Epitome l. 104.

An. V. C. DCXCVIII &c. Ante

Tertio ab hinc anno Cæſar devictâ propè universâ Galliâ confirmatior audentiorq;, traducto per Rhenum exercitu, Germanos in ſuis ſedibus aggreſſus: quòd omnino conſtitutum haberet, Germaniæ

niæ bellum inferre, arreptâ belli causâ à Tencteris & Vsipijs. Hæ gentes à Suevis Cattisq; agris expulsæ, cum turba mulierum & puerorum triennium per Germaniam vagatæ, postremũ astu militari Rhenum transgressæ, invitatæq; à Gallis, ut Dio perhibet, in Menapiorum agros se effudêre, interq; eos per hyemem consedêre, graves incolis & vicinis infestæ. Profligati jam prius erant in alterâ ripâ Tencteri & Vsipij, postquã deprædationibus ad Mosellam usq; & Trevirorum fines incursassent: nec tamen ijs ex locis se trans Rhenum recipere constitutum erat. Veriti interim Romanos, qui in vicinis provincijs hibernabant, legatos ad Cæsarem mittunt, cum mandatis, ut aut fœdus impetrent, aut agros sibi in quibus consideant, attribuat: Magna hæc simul jactantiâ flagitando, quòd dicerent, *Germanorum consvetudinem esse, neq; bellum prius inferre, neq; recusare, si lacessantur; unum se Svevis concedere, à quibus ejecti sint, quibus ne Dii quidem immortales pares esse possint, reliquum quidem in terris esse neminem, quem non superare possint.* Ea bellicosæ gentis confidentia erat. At nihil aliud à Cæsare impetrarunt, quàm quòd in Ubiorum finibus trans Rhenum liceret considere; quorum legati quoq; apud se sint, eadem de Suevorum Cattorumq; injurijs queritantes, à quibus id pro suâ auctoritate facile impetraturi essent. Maluit nimirum Cæsar pugnacem multitudinem trans Rhenum Ubijs conjungi in defensionem adversus Cattos, collidiq; Germanos cum Germanis, quàm venales pronosq; in bella homines intra Galliarum viscera pati. Germani omni spe dejecti, pollicentur se libenter domum reversuros, modò tantisper inducias impetrent, nec Romani propius ad sua castra accedãt. Inter hæc Romani quidam equites propiùs Germanorum castra subeunt, in quos Germanorum juventus audaciùs invecta, cum clade repellit. Improbabant id factum majores, ideoq; legatos ad Cæsarem mittunt, deprecatum juvenum facinus. quos Cæsar apud se retinet, collectisq; legionibus ad castra Germanorum advolat, & nihil hostile cogitantes sub meridiem, dum securè prandẽt, obruit. Restitêre fortiter Germani, depugnando inter sepimenta carrorum. Ad ultimum ejecti castris profligantur cædunturq;. In hac perturbatione ingens simul mulierũ & puerorũ turba miserabili strage contrucidata. Plutarchus Cæsorum numerum CCCCXL, milliũ censet. Cæsar ipse CDXXX. millia scribit. Augent Eutropius & Orosius. Cædes nescio majori Romanorũ perfidiâ & immanitate, quàm culpâ & temeritate juvenum perpetrata. Celebris interim apud Romanos scriptores hæc victoria, tanquam magnum belli decus, inter paciscendum obruisse incautos, & imbellem turbam lanienæ militum obtulisse. Sanè Cato, cùm de supplicatione ob hanc victoriam decernenda in senatu rogaretur, sententiam dixit: Cæsarem ipsum hostibus dedẽdum esse, ut pro civitate perfidiam expiaret. Aberat tum fortè Tencterorum Vsipetumq; equitatus, cùm hæc strages ederetur in castris, quâ cognitâ, per aversa itinera se ad Rhenũ recepêre: trajectoq; flumine, in Sicambrorum finibus consedêre, à quibus in fidem

Christum 54. &c. Cæsar Rhenum transgressus Germanis bellum infert.

Cæsar lib. 4 de bello Gall.

Strages Tencterorum & Vsipiorum.

Plutarchus in Cæsare.

fidem & tutelam susceptí. Ob id Cæsar missis ad Sicambros legatis, fugitivum Tencterorum Usipetumq; equitatum sibi dedi poscit; non quòd impetraturum id se confideret, sed ut hanc quoq; transeundi Rhenum, & oppugnandi Germanos causam haberet. Itaq; cùm equites non dederentur, ac simul Vbij trans Rhenum tum incolentes Cæsaris auxilia adversus Cattos implorarent, consilium habuit Cæsar de ponte, quem Rheno insterneret, fabricandũ. Cœptum pontis opus incredibili celeritate & artificio, quale Cæsar ipse oculis subjicit, & tot inde scriptores celebravêre, effectumque intra decem dies, obstupescentibus Germanis, tam brevi tempore vinci naturam arte; tanta quippe fluminis latitudo, tanta rapacitas & altitudo supra humana ingenia istic erat, ut nemo ante eum diem id machinari visus sit. Pontis locus non adeò finitè à scriptoribus designatus: sunt, qui intra Bonnam & Coloniam ponant. Certè infra confluentem Mosellæ collocare fas erit, ubi in confinijs cæsi Tencteri & Vsipetes castra habuêre. Ab horum clade per Ubios in Sicambrorum fines contendit Cæsar, exercitumq; in Germaniam Westfaliamq; ponte jam effecto traduxit. Sicambri audito Romanorum adventu, hortantibus, quos apud se habebant, Tenctéris & Vsipetibus, sese in solitudinem & silvas abdidêre. Quorum vacuam Provinciam ingressus Cæsar, omnes vicos & ædificia exussit, succisisq; frumentis se in Ubiorum fines recepit. Catti similiter famâ transgressi exercitus perculsi, liberos, uxores, suaque omnia in silvas deponunt; habitoque gentis consilio, omnes quotquot arma ferre poterant, in unum locum convenire jubent, certi prælio cum Romanis congredi, & fortunam experiri. Aderant Sicambris Tencteri & Vsipetes, in eandem belli Societatem evocati, exacerbatiq; in Romanos. Quod ubi Cæsar comperit, post decimum octavum diem, ex quo trans Rhenum egerat, se cum exercitu ad Rheni ripam retraxit, recissoq; ponte, in Galliam regressus est, abundè, ut ipse scribit, ad dignitatem populi Romani & securitatem ratus terruisse Germanos, liberasse Vbios, ac vindicasse Sicambros; ita præpeditum, quo minus Castellum ponere, aut aliud monumentuũ in finibus hostium relinquere potuerit. Speciosè hæc Cæsar & Florus. Livius adeò proximam Germaniæ partem ab eo domitam scribit. Quanquam si Dionem Cassium adeamus, metu ille potius bellicosæ gentis recessisse Cæsarem perhibet, vel eò etiam, quòd Svevi in auxilium Sicambrorum evocati imminerent Cæsari; eò Pompejus à Lucano introducitur exprobrare Cæsari: *Gelidis Rheni qui fugit ab undis*: quò illa potissimum spectant, quæ de Svevorum Cattorumve fortitudine bellica tam magnificè introducit Cæsar, hostium virtutem pro more extollendo, quò suam simul exaggeret. Hic operosi pontis expeditionisq; in Germaniam exitus fuit. Indè Cæsar omissâ Germaniâ cum exercitu in Britaniam movit, tanquam per mare in adverso orbe belli fortunam meliorem

Cæsar pontem Rheno insternit.

Cæsar lib. 4.
Dio lib 39.
Florus lib. 3. c. 10.
Livius lib. 105.

Lucan. l. 2.

rem quæsiturus, quam in Germaniâ in præsens nondum maturam reputabat.

Quanquam altero ab hinc anno nova trans Rhenum adversus Germanos à Cajo Julio Cæsare expeditio susceptа, haud ferè alia belli causâ datâ, quàm quod in communi Galliæ conspiratione adversus Romanos Germani à Treviris & Eburonibus sollicitati, socialia cum his arma sumpserant; nulli enim adversus Romanos auxilia denegabant. Trevirorum princeps Induciomarus, Eburonum Ambiorix, clari eâ tempestate belliduces. Ab Induciomaro evocati in subsiduum Catti: sed eo haud multò pòst à Romanis interempto, in fide adhuc Trevirorum hæsêre Catti; dum & illi à Labieno Cæsaris legato profligati se Romanis submitterent Quâ clade auditâ, Catti intra fines suos recessêre. Ambiorix belli initijs felicior, extractam per dolos è castris Romanam legionem ad internecionem delevit, cœsis Sabino & Cotta Romanorum legatis. Quâ victoriâ elatus, non modò Menapios, Nervios, Belgas, & Galliam prope omnem, sed & Germanos trans Rhenum viciniores populos concivit in arma: Primi proniq; inter hos Sicambri, Tencteri, & Usipetes, superioribus suis cladibus exacerbati in Romanos. At Cæsar, postquam profligato Ambiorige, Eburones celeritate oppressit, & ceteri cis Rhenum populi ultra in obsequium Cæsaris venêre, vindictam & vim belli convertit in Germanos; iterumq; Rhenum duabus de causis transire constituit: quarum altera erat ulciscendi Cattos, qui in subsidia Trevirorum se moverant: Altera, ne Ambiorix receptum ad Sicambros ceterosque Germaniæ populos haberet. Igitur paululum supra eum locum, quo antè transierat, pontem alterum Rheno imponit. Quem alij prope Coloniam, alij Antonaci, alij supra Bonnam, alij inter Bonnam & Coloniam verisimiliùs collocant. Opere inter paucos dies ad modum rationemq; prioris pontis effecto, Cæsar exercitum traduxit. Ubij in quorum fines primum perventum, jam antè obsides dederant, receptiq; erant in fidem & tutelam Romanorum. Ab his uti Cæsar didicit Svevos Cattosq; in unum locum, uti antè fecerant, omnes copias cogere, eóque ceteros Germaniæ populos auxilia submittere, castris locum idoneum delegit; non ultra progredi ausus, usque dum per Ubiorum exploratores certiùs cognosceret, Germanos ad Bacenem Silvam, quâ Cherusci à Cattis dividuntur, omne belli robur continuisse, ibique ad initium silvæ Romanos præstolari. Sollicitum id magis habuit Cæsarem, eóque adduxit, ut potiùs Germanorum metu, quod Dio Cassius refert, quàm inopiâ frumentorum, tum matureścentium adhuc, quod Cæsar obtendit, cum exercitu maturè ad Rhenum se retraxerit, nullâ re aliâ memorabili perpetratâ, quàm quòd gloriam Rheni alterâ vice Trajecti reportârit. Ponte eâ parte, quæ ad Barbaros pertinebat, recisso, castellum in adversâ parte cum

An. V. C. DCC. &c. Ante Christum 52. &c. Cæsar denuo Rhenum transit. *Cæsar lib. 4.*

Alter pons à Cæsare Rheno imponitur.

Aventinus. Cluverius. Glandor. in notis ad Cæsarem.

Florus l. 4. c. 12.

cum præsidio militari posuit: adeo terror comitatus recedentes, ne Germani per eadem pontis vestigia insequerentur. Vel inde Florus memorat Cæsarem breviore tempore, & minori cum victoriâ rediisse, quàm ut Castellum ponere, vel aliud gloriæ monumentum in hostium finibus relinquere potuerit. Cæsar vindictam, quam Germanis intulerat, in Eburones convertit, missisq; ad finitimos regionum populos nuncijs, omnes in liberam Eburonum prædam & gentis nomen ac stirpem excindendam evocavit. Pervenit & hæc fama trans Rhenum ad Germanos. Ex his Sicambri II. millia selectorum equitum cogunt, quos navibus ratibusq; impositas XXX. millia passuum infra locum, instrati pontis, Rheno trajiciunt. Ac latè hi primùm spolijs vagati; pòst ubi ex captivis didicêre, Cæsarem cum exercitu longiùs abesse, castra Quinti Tullij Ciceronis iterato impetu aggrediuntur, certo expugnaturi, ni tam fortiter Cicero in præsens Sigambris, quàm antè Nervijs restitisset. Veriti deinde Cæsaris adventum, cum ingenti præda, quam in silvis deposuerant, trans Rhenum in suas sese veteris Westfaliæ sedes recepêre. Adeo Germani, post duplex bellum transito Rheno illatum, etiam insultare ausi. Galliam Cæsar redegit in provinciam, Britanniam tributariam fecit, Germaniam non nisi territam reliquit.

Cæsar l. 6. de bel. Gal.

Plutarchus in Cæsare.

Illacessiti de hinc Germani ad extrema Augusti Cæsaris tempora: nam bellum inde civile consecutum, quod intestinis dissidijs atq; armis ita convulsit Romanam Rempublicam, ut pacem magis cum exteris nationibus ambiret, quàm bellum quæreret. Et Cæsar Germanos omnes belli sui socios, quàm hostes habere maluit. Nam cognitâ semel Germanorum constantiâ & fortitudine, in Germaniam mittit ad eas gentes, quas ante pacaverat, equitesq; ab his, & levis armaturæ pedites conscripsit; quorum tanta erat celeritas, ut jubis equorum sublevati cursum equorum adæquarent; hos deinde in cohortes distributos per legiones dispertijt, stipendijsq; suis inter militiæ suæ robora impensè fovit. Nec Cæsarem fefellit æstimatio virtutis, qualem ipse in Svevis Cattisq; describit. Mox enim ardente adhuc bello Gallico, producti in aciem Germani adversus Vercingentorigem; cumque ancipiti prœlio res ageretur, tandem Germani à dextero latere summum jugum nacti, hostes loco depellunt; fusoq; Gallorum equitatu, Vercingentorix in fugam actus. Haud dissimiliter ad Alesium à meridie ad solis occasum dubiâ victoriâ decertatum, donec Germani ex unâ parte confertis turmis in hostem impetum facerent, & Gallos primùm in fugam compellerent. Paria Germanorum decora legas ex prœlijs adversus Bellevacos, Atrebates, Pictones, & Drapetem Gallorum regulum; laudique datum fuit, audaciam ingenti corporum mole ac robore æquasse. Bello civili traducti Germani à Cæsare in Hispaniam, atq; Italiam; deinde Brundusium, & in Thessaliam, ubi summum momentum Cæsari ad victoriam contra Pompejum prœlio Pharsalico attulêre.

Cæsar Germanos in subsidium belli Gallici evocat.

Cæsar l. 7. de bello Gall.

Dio lib. 40.

Lib. 8. de bello Gall.

Nam

Nam cùm diu æquo marte decertaretur, ac Cæsariani ab immisso Pompeij equitatu vehementer pressi inclinarent, continuò Cæsar dato signo Germanorum cohortes immittit. Eæ cum mox impetu proruerent in Pompeij equitatum, disjecti sunt primùm equitum ordines; quorum perturbatione levis armaturæ milites in fugam rapti. Hunc in modum laxata acie totius exercitus Pompejanorum ruina consecuta est. Tantum momenti ad hanc celebrem pugnam victoriamque attulêre Germani. Neque alij hi Germani fuerunt, quàm quos Cæsar pacatis trans Rhenum regionibus ex Svevis, Cattis, Sicambris, Tencteris & Usipijs conscripserat, & quemadmodum supra demonstratum est, in Romanam militiam traduxerat. Fuêre interim & in Pompeij exercitu Germani, qui post in Africam deportati Scipioni contrà Cæsarem militavêre, cognitique à Cæsarianis, dum in campo inter cæsorum cadavera, vasta & magnifica Germanorum corpora reperta sunt. Id tam creditu facilè, quàm insitum Germaniæ juventuti ultrò eas nationes petere, quæ tum bellum aliquod gerebant. Inde ad Romanam disciplinam artemque militarem condocefacti Germani, exercitique inter eos militares viri, easdem bellandi artes in Germaniam retulerunt, quibus postea ipsis Romanis exitio fuêre. Quanquam id potius demireris, pugnacissimam gentem inter civilia bella, quibus tam diu ac fœdè Respublica lacerata est, quietam consedisse; seu nemo illa scripserit, seu scripta interciderint. Haud obscura ejus rei vestigia. Nam ut primùm Augustus civilium bellorum vacuus aliquantum, tanquam superiores etiam Germanorum irruptiones in Galliam ulturus, misit M. Agrippam consulem supremum illum consiliorum & bellorum suorum moderatorem cum exercitu ad Rhenum. Belli hujus recens causa erat, quòd Ubios cumprimis amicos populi Romani, excitis in rebellionem Treviris, vexâssent, hostiumq; instar tractassent; soli enim Ubij ex Trans Rhenanis se in fidem & tutelam populi Romani dederant, tanquam avulsi à ceterorum Germanorum societate. Agrippa turbulentis in Galliâ motibus compressis, devictisque Aquitanis, ultorem etiam se Germanorum tulit: ponte enim Rheno instrato, (quam gloriam sibi post C. Julium Cæsarem sumpsit) Germanos intra suos fines est aggressus; sed eodem quo C. Julius Cæsar exitu: brevi enim compulsus est copias trans Rhenum reducere in Gallias. Non desunt, qui Ubios hoc tempore in citeriorem ripam traductos volunt, & Cæsaris Augusti Vipsanijq; Agrippæ ductu Ubiorum oppidum primùm conditum; idque eo loco, ubi C. Julius vestigia castrorum reliquerat, & mirifico illo pontis opere Rhenum junxerat. Senatus populusq; Romanus M. Agrippæ ob hasce res præclarè gestas in Galliâ & Germania triumphum decrevit, quem Agrippa recusavit, ratus haud decere, naufragijs Cæsaris, quæ tunc urbem mœstam tenebant, triumphi lætitiam interponere.

Germani adsistunt Cæsari contra Pompejũ.

Cæsar lib. 8. de bello Gall.

Hirtius de Bello Afric

Tacitus de mor. Germ.

Dio lib. 46. & lib. 47.

Dio lib. 53. Strabo l. 4.

Agrippa Rhænum transit ponte imposito.

Lipsius, Cluverius Miræus.

Sigonius.

Inde

An. V. C. DCCXVII. &c. Ante Christum 35. Dio lib. 51. Strabo l. 4. Sigonius. Brovverus.

Inde ab Octavio Cæsare revocatus est ex Galliâ, ad classem reficiendam moderandamque. Vix dum ille excesserat ê Gallia, cùm Svevi, Germana natio, quæ supra Sicambros omnem illam Rheni ripam insidebat, Rhenum aliquoties transgressi, spolijs ac populationibus vicinas Galliæ provincias incursavêre, quos demum C. Carinas Belgicæ præses profligatos, trans Rheni flumen rejecit. Quamobrem anno proximo triumphalia ornamenta adeptus, insignem cum Augusto, cujus auspicijs hæc gesta erant, triumphum duxit. Animadversum à scriptoribus, ex quo Gallia & Cis Rhenana Germania à Romanis subacta in provinciam, Germanos, qui trans Rhenum incolunt, multò infestius habuisse Cis Rhenanos quàm ante; tanquam qui à communi gentis Societate avulsi peregrino se imperio in perniciem & jacturam suæ libertatis submitterent.

An. V. C. DCCXXV. &c. Ante Christum 27. Cæsaris Romæ triumphi & initium Monarchiæ. An. V. C. 726. Sigonius in Fastis. Tacitus l. 1. ann. Dio. l. 53.

Aderat jam urbis conditæ annus DCCXXV. quo Cæsar Octavius post Actiacam victoriam superato Antonio, & confecto bello civili, urbem triumphali plausu ingressus. Tum post debellatas, pacatasq; omnes per Imperium Romanum barbaras gentes, Jani templũ, quod ob bella erat reseratum, tertiùm clausit. Tum per Monarchiæ initia Augusti nomen & Imperium (quod ante cum Triumviris per IX. annos, exinde solus per XL. gessit) est sumptum. Quippe ob arrogantiam & discordias optimatum fessa civilibus armis urbe, & civium etiam sanguine exhausta, placuit Principis nomine imperium moderari, ut brevi nascituro Principi, Christo Servatori, submitteretur, cujus novum cælesteque imperium nec terrarum finibus, nec temporum Sæculis clauderetur. Tum Legiones omnes sunt recensitæ, divisæque toto orbe terrarum provinciæ inter Senatum populumq; Romanum & Augustum Cæsarem; interq; Occidentis provincias, Hispania, Græcia, Dalmatia, pluresque cùm infirmiores, tum pacatiores provinciæ Senatui populoque adscriptæ: sibi cum Galliâ Germaniam sumpsit Augustus, tanquam cum ea debellata Romanum Imperium terminaturus, aut certè Augusti nomen nullo alio bello glorioſius quàm Germanico coronaturus. Magni interim Germanos præ ceteris gentibus fecit Augustus: in quorum aliquando gratiam Ægyptiorum Regina, quam ex bello Alexandrino, subactaque Ægypto captivam duxerat Romam in triumphum, dimissa est. Adlecti deinde ob fidem & constantiam gentis ab Augusto Cæsare Germani inter armigeros, quibus custodia corporis est credita, retentiq; ad Varianam cladem, & extremum prope vitæ in illo muneris honestamento. At Jani templum, quod clauserat Cæsar bellis Civilibus extinctis, ab urbis conditæ anno septingentesimo vigesimo quarto, brevi reseratum, ob belli motus in Hispania, Gallia, & Germania, rebellione populorum, concitatos; ad quos componendos Augustus cum exercitu in Galliam est profectus; inde in Hispaniam transgressus, brevi majestate nominis

Dio l. 43. Svetonius in August. Lipsius lib. Elect. c. 20.

& ter-

& terrore hanc tempestatem Galliæ Hispaniæque pacavit. At non æquè nubes, quæ à Germanis impendebat, disjecta. Missus adversus Germanos M. Vinicius Galliarum præses, quòd Rhenum transmissi Germani jam ante Gallias infestârant, & recens mercatores Romanos commerciorum causa incautiùs Rhenum transgressos intra suos fines, seu prædæ cupidine, seu exploratorum suspicione barbarum in modum contrucidaverant. Ejus facinoris ulciscendi causâ Vinicius cum legionibus Rhenum transgressus, tantam barbarorum cædem fecit, ut clarissimum illi Senatus triumphum decreverit. Quem cùm præ modestiâ recusaret, fornix Vinicio, triumphale monumentum, in Alpibus est positus; admisitque, quòd Salassos gentem istic rebellem simul compresserat, majori à Salassis quàm Germanis reportatâ victoriâ. His belli motibus compositis Janus iterum biennio post clausus. Augustus, quòd Gallorum ingenijs ad pristinam libertatem aspirantibus ob bellicosam Germanorum vicinitatem non fideret, Tiberium Neronem in Galliâ cum supremâ armorum potestate reliquit præsulem. Erat is Augusti Cæsaris privignus, Drusi frater, uterque ab Augusto adoptatus, & Cæsaris nomine ornatus: Alter etiam post excessum Augusti successor in Imperio. Hos juvenes, quòd Liviâ conjuge eblandiente ad supremâ Reipublicæ destinaret, armis tractandis regendisque provincijs admovit, abstractumque ab urbis gubernaculo in præsens Tiberio adjunxit M. Agrippam, virum obscuro quidem loco natum, sed bonum militiâ; quem Augustus omnium consiliorum & bellorum ducem, ac tantum non Imperij collegam habuit. Quarè & filia ipsi Julia, & filia Agrippæ Tiberio pòst Cæsari ab Augusto in matrimonium est collocata. Is tum additus Tiberio adhuc inexperto bellorum, ut præcipitem juvenis animum temperaret, regeretque inter ancipites belli casus. Nec enim cum Gallis modò, sed cum Germanis perpetuò Rhenum superantibus, & Galliam incursantibus res erat: fecitque M. Agrippæ præsentia, & in tractandis exterorum populorum animis singularis industria, ut per id tempus Gallia Germaniaque aliquamdiu conquiesceret. Sanè M. Agrippa ad Rhenum digressus diligenter limiti ob Barbarorum incursiones custodiendo prospexit; quæ etsi perobscurè scribantur à Romanæ historiæ auctoribus, ipseque Dio queratur exinde res gestas sub Augusto destitui accuratis scriptoribus; constat tamen M. Agrippæ accessu ad Rhennm, si non priori, ut suprà diximus, Ubios Germanam gentem, & Romanis hactenus fidam, quæ trans flumen incolebat, traductam in citeriorem ripam, & Treviris Menapijsque proximam cœpisse exinde regionem incolere. Tunc & Ubiorum oppidum Coloniamque quidam conditum volunt. Nempe Tacitus: *Ubii quidem, quanquam Romana Colonia esse meruerint, ac libentius Agrippinenses conditoris sui nomine vocentur, origine*

Dio lib. 53.

An. V. C. DCCXXVIII. Ante Christum 24. M. Vinicius strato ponte Rhenum transit, tertius post Cæsarem & Agrippam Germaniam ingressus.

An. V. C. DCCXXIX. & XXX. Ante Christum 23. & 22. *Dio l. 54. Svetonius in Tib. c. 9. Strabo l. 4. Tacitus l. 1. ann.*

An. V. C DCCXXXI. &c. Ante Christum 21. Agrippa Galliæ Præses ad Rhenum accedit.

Lib. de Germ. moribus, c. 28. Gelen. in Sacr.

erubescunt, transgressi olim, et experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur. Quanquam Agrippinæ nomen, si non & ipsum oppidum ab ipsa post Agrippina M. Agrippæ nepte, Germanici filia, Neronis matre multò celebrius. Tacitum rursus audio: *Agrippina, quò vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, Veteranos Coloniamque deduci imperat: cui nomen inditum ex vocabulo ipsius. Ac fortè acciderat, ut eam gentem Rheno transgressam avus Agrippa in fidem acciperet.* Non minus illustre monumentum Agrippæ militares viæ, quæ Lugduno in Romanorum Coloniam quaqua versum ductæ, ob commeantem ultrò citroq; militem Romanum, & publicanorum & mercatorum turbam; quare unam ad Rhenum usque atque ad Ubios directo tramite aperuit. Extant hodiedum plurima in Belgicâ & Germania vestigia, quæ nunc stratæ, nunc regiæ, nunc militares viæ dictæ, certis intervallis distinctæ, & cippis etiam lapidibusque ac mensuris notatæ; apud Italos milliaria, apud Hispanos ac Gallos Leucæ, apud Græcos stadia, apud Persas parasangæ, apud Germanos rastæ; quæ nimirum à mansione & interquiescente viatore nomen habuêre. Rastarum adeò meminit D. Hieronymus; & frequens apud ceteros mentio. Ad hunc modum militares viæ ab Rheno postea ductæ in Germaniam ad Luppiæ & Alisonis confluentes, ubi celebre illud castellum Alisonis à Romanis est structum.

Tacitus l. 12. Ann. c. 27. Lipsius in notis ad lib. 12. ann. & l. de moribus Germ.

Ammian. l. 22. & 23. Procopius l. 11. bell. pers. Surita ad itiner. Anton. Brovverus l. 1. ann. Trevir.

in C. 3. Joelis An. V. C. DCCXXVII. Ante Christum 15.

Post Tiberij & Agrippæ ex Galliâ discessum, impositus Galliis M. Lollius legatus, ante quinquennium Romanus Consul, *homo pecuniæ quàm faciundæ rei cupidior, et inter summam vitiorum dissimulationem corruptissimus*, ut Velleius scribit. Quàm invisa Gallis avaritia, tam obnoxia fuit Germanorum spolijs Legati inertia. Ausi enim eò præside Sicambri, Usipetes, & Tencteri pro veteri odio in Romanos, quos in suis finibus deprehenderant, agere in crucem, & pro barbaræ gentis ferocià, diversis supplicijs necare. Mox etiam superato Rheno se in Galliam cum expedito equitatu effundere, obvia quævis perpopulando. Quorum insolentiam, ut reprimeret Lollius, exquisitas equitum alas emittit, qui hostem cum præda interciperent, priusquam Rheno transportaret. Animadvertit ea res sagaciores Germanorum; atque ut insidias præverterent insidijs, ultro in hostem feruntur, locum idoneum occupant, Romanumq; equitatum inopinantem adoriuntur. Romani ubi ex omni parte se circumventos conspexêre, repente agmine converso ad castra se recipiunt. Inhærent à tergo Germani, nec fugientium cædibus parcitum, dum ad ipsum Lollium Germani impetu delati. Hæsit Lollius obstupefactus ad Barbarorum audaciam; & mox loco pulsus se in fugam abjicit, captâ quintæ legionis aquilâ inter cæsorum cadavera. Magnopere ea clades affecit Augustum. Quem-

Dio lib. 54. Sueton. in Aug. Clades Lolliana. *Velleius l. 2.*

admo-

admodum id à Suetonio perscriptum: *Graves ignominias cladesque duas omnino, nec alibi quàm in Germaniâ, accepit, Lollianam et Varianam; sed Lollianam majoris infamiæ, quàm detrimenti.* Felix ubique Cæsar post sumptum imperium in Hispaniâ, Galliâ, Dalmatiâ, Illyrio: verùm una Germania, cladibus & bellis infesta. *Suetonius lib. 2. c. 23.*

Excivit Lollianæ cladis nuntius Cæsarem Augustum Româ, nec quicquam sollicitiùs habuit, quàm ut cum exercitu festinaret in Galliam, L. Domitio & P. Scipione consulibus, ulturus ignominiam. Germani comperto Augustum ipsum cum delecto militum robore venire in Galliam, ac sibi accensum irâ imminere, celeriter se trajecto Rheno intra suos fines recipiunt; nec ultra insecutus Cæsar, satis habuit obsides accipere, & pacem, quam ubiq; gentium impensè fovebat, in præsens cum Germanis colere. Nec tamen quieti Germani, altero mox anno, perinde ut & Rhæti multa insolenter moverunt. Sed omissis ad tempus Germanis, Tiberius & Drusus objecti Rhætis comprimendis, intra Alpes occupavêre Romanum exercitum. Cæsar interim per hæc tempora in Gallijs adhuc versatus, postquam omnia cum Gallis Germanisque composuisset, Romam est reversus, Tiberio & Quintilio Varo consulibus: Et Drusus, cujus exinde nomen bellis Germanicis inclarescere cœpit, in Germaniâ ad Rhenum relictus. Movit subinde se Pannonia rebellando Cæsari, cui bello post excessum Agrippæ, quem hoc anno mors in Campaniâ sustulit, Tiberius præfectus. Pacem unicè quærebat Cæsar, Reipublicæ & orbis domitor; agitabatq; non aliud secum, & in Senatu impensius, quàm quietis & pacis consilia: cùm repentè ex serenitate tempestas; & Norici, Illyrij, Pannonij, Dalmatæ, Mysi, Thraces, Daci, Sarmatæ, atque Germani fatali quasi conspiratione ab imposito jugo resiliêre. Nondum quippe assuetæ erant frænis servitutis tumidæ gentium inflatæque cervices, & ferocius, quæ ad Septentrionem sunt populi, tumultuari cœperunt. Quò referri opinor Florum, qui hæc scribit, cum Dionem consentientem habeamus: Germanos cum libertatis retinendæ amor, tum vicinum Galliæ exemplum concitabat. Quippe Gallia ob imposita tributa, & inexplebilem Romanorum Præsidum & quæstorum avaritiam; ob publicanorum exactorumque sævitiam, haud aliter quàm ab hoste vexabatur. Unde & in Gallia tumultuari cœptum, pristinæ libertatis amore. Testis vel unus Licinius, per id tempus præfectus: qui, cùm tributum in singulos menses statutum esset, ipse annum in quatuordecim divisit, lucro nimirum duorum mensium superaddito; ob id postulatus à Gallis apud Augustum Cæsarem de peculatus crimine. Ubi verò ab infenso sibi Cæsare pœnas procudi sensit, novo artificio usus, Cæsarem demulsum ad ædes suas invitavit, ostensoque ingenti

An. V. C. DCCXXXVIII. Ante Christum 14. Lolliana clade exercitus Româ Cæsar in Galliam contendit

An. V. C. DCCXXXIX. &c. Ante Christum 13. *Dio lib. 54.*

Florus lib. 4. c. 12.

Dio lib. 54.

Isa. 1. prædæ thesauro: En, inquit, Cæsar, hæc omnia tibi conquisivi, quæ nunc liberali dono meo habes. Cæsar captus thesauri cupidine Licinium absolvit. Adeo *principes*, ut sacer vates scripsit, *socii* sæpe *furum*.

Multa hujusmodi audiebantur apud Germanos, qui trans Rhenum incolebant; nec aliud quàm Galliæ servitutem ad se transituram verebantur. Inde facta conspiratione, pro libertatis possessione conjurârunt *Sicambri*, *Usipetes*, *Tencteri*, *Bructeri*, & quotquot Westfaliam intra Rhenum & Visurgim incolebant: Cattis exceptis, qui ab hac armorum Societate se subtraxerunt. Et Cæsar Augustus clade Lollianâ, & continuis per Rhenum Germanorum incursionibus lacessitus, bellum adversus Germanos eo concitatiùs sumpsit, *quòd sciret, patrem suum* C. Julium *Cæsarem, bis trajecto ponte Rheno, quæsisse bellum* cum gentibus illis, in cujus honorem concupivit Augustus Germaniam haud secus quàm Galliam in provinciam redigere: *et factum fuisset*, inquit Florus, *si barbari tam vitia Romanorum, quàm imperia ferre potuissent*. Cura igitur & moles Germanici belli delegata Druso Claudio Cæsari, fratri Tiberij Neronis, juveni ingentis animi, & omnibus belli artibus & civilibus studijs instructo, nec minus gloriæ percupido: Ideo affectatum magis bellum, quàm impositum suscepit Drusus.

Florus lib. 4. c. 12. Velleius l. 2.

Drusi expeditio trans Rhenum.

Prima Drusi cura post res in Galliâ compositas, firmare Rheni limitem, & providere ne Germani pro veteri prædandi libidine incursarent Galliam: quam in rem etsi omnia diligenter obstruxisset, non tamen prohibere potuit, quin superato Rheno se in Galliam inferrent Germani: quorum audaciâ provocatus in prædantes movit, & trans Rhenum cum clade repulit. Hoc primo belli

I. Drusi expeditio in Germaniam.

successu confidentior Drusus, ausus & ipse post C. Julium Cæsarem & Agrippam transire cum exercitu Rhenum, non istic ubi alij, sed ad inferiorem ripam, secundum insulam Batavorum & Rheni divortium; quò incautos istic falleret obrueretque. Ibi primus belli impetus in *Usipetes* factus. Nam etsi Tacitus *Usipetes et Tencteros* proximè Cattis; Dio tamen, qui hæc bella nobis tradit, ad inferiorem Rheni ripam collocat: Consederatque tunc vaga illa gens in Cliviæ & Monasterienſium agris Rheno propior.

Rhenum transit cum exercitu adversus Bructeros & Usipetes.

Tacitus de morib. Germ. Dio lib. 54. Sueton. in Claud. c. 1.

Decursis populatisque Usipetarum agris, Drusus in Sicambros movet cum exercitu, vastatâque magnâ parte earum regionum, reflexit ad Rhenum iter: ac cum classe quam paratam habebat, secundo Rheni flumine in Oceanum devectus Frisios subegit; quibus tributi loco coria boum imposuit. Sub quod belli tempus fossa Drusiana cœpta. Nimirum, ut præter Dionem Suetonius memorat, *Drusus Oceanum septentrionalem primus Romanorum ducum navigavit, transq; Rhenum fossas novi et immensi operis effecit*, (quæ nunc adhuc

Fossa Drusiana.

Tacitus l. 11. ann.

Drusia-

Drusianæ vocantur) quas & Germanicus, bellica patris vestigia legens, cum classe intravit. Ita Rhenum, qui ante bicornis erat, tricornem fecit; alveo ex Rheni flumine per VIII. millia passuum in *Isalam* aperto, quò classem cum exercitu ex *Vahali*, & superiori Rheni parte in *Flevum* lacum, ac dein in Oceanum deduceret, Frisios & Chaucos petiturus. Quam in rem *Isalæ* quoque alveum intra *Doesburgum* laxiorem fecisse opinantur non pauci. Frisijs subactis, incessit cupido in *Chaucos* movendi. Ducta classis ad fines Chaucorum, sed in paludes æstuariaq; acta, ubi præsens discrimen Drusus adijt, navibus ob refluxum maris in sicco destitutis: nec prius emergere licuit quàm Frisij, qui pedestri se militiâ Romanis junxerant: periculo & Chaucorum manibus extraxissent. Quâ in expeditione *Bructeros* navali prœlio in Amisia flumine; quòd à Strabone relatum est, superasse crediderim. Multa Drusum meditantem revocavit hyems. Ita hoste magis lacessito, quàm victo, exercitum laboribus & ærumnis confectum ad hyberna reduxit in Galliam: ipse laboribus & ærumnis attritus Romam profectus est ad Augustum Cæsarem; nova belli consilia, & imperia debellandæ Germaniæ capturus.

Prima hæc Drusi expeditio fuit in Germaniam, quam altera, dehinc consecuta est Q. Ælio Tuberone, & Paulo Fabio Maximo consulibus. Auctus tum est Drusus prætoris Urbani honoribus; ac nihil festinatiùs habuit, quàm bellum Germanicum repetere. Inde sub initium veris evocato ex hybernis exercitu, ad Rhenum contendit; traductisque per flumen copijs, mediam Westfaliam ingressus, primùm in *Usipetes* movit: quibus obrutis subactisque, cum magna pars ad interiora *Bructerorum* se reciperet, *Luppiam* flumen ponte junxit, traductisque Legionibus *Sicambros* irrupit. Quo quis satis cognoverit Sicambros *Paderbornensem* Diœcesin incoluisse: Inde ad *Visurgim* usque flumen multâ mortalium cæde pervenit. Ut verò tam libere hostium regionem peragraret Drusus, & cum exercitu à Rheno interiora hæc Germaniæ loca penetraret, quò nondum quisquam Romanorum progressus fuerat, fecit Sicambrorum & totiùs populi Westfaliam incolentis expeditio in *Cattos*, qui soli finitimorum auxilia negârant adversus Romanos. Per id bellum intestinum Druso nudatæ regiones patuêre; ceteris ad Drusi adventum cum uxoribus & liberis in silvas & paludes, & montium *Teutonicorum* saltus refugientibus. Aliàs validæ ac bellicosæ gentes, ut mox constabit, non passuræ Drusum tam impunè percursare provinciam, & ferro flammaque pervastare omnia.

An. V. C. DCCXLII. Ante Christum 10.

II. Drusi expeditio transRhenum. *Dio lib. 54.* Drusus Luppiam ponte jungit.

Hoc rerum successu consilium erat Druso transire Visurgim, & *Cheruscis* trans flumen arma inferre. ni frumentorum inopiâ, & hyemis propinquitas impediissent. Cœpit igitur à Visurgi per Teu-

Ejusdem clades, illata à Germanis.

tonicorum montium juga retro legiones ducere, non sine detrimentis, & præsenti totius exercitus discrimine. Quippe *Sicambri, Angrivarii, Bructeri, Cheruſci, Tencteri*, ceterique Barbarorum, omissis *Cattis* collecti in arma, recedentem Drusi exercitum, per insidias erumpendo quaquaversum ex saltibus & montium latebris è vestigio insequi: à tergo & lateribus infestare, & quotquot Romanorum longiùs abscesserant, ut locus, ut casus obtulit, intercipere ad cædem. Postremùm ubi Romanos arcto saltuum & vallium transitu nacti, tum verò totis viribus in unum contractis irruere: & parum abfuit, quin omnem Drusi exercitum locorum angustijs circumventum internecione delerent; si quantum audaciæ ferociæque exarserat, tantùm artis militaris adfuisset. At dum ferarum in morem sine ordine, sine signis, sine certo ducum imperio incurrunt, Romani, arte militari meliores, incomposítos excipiunt, fractâque primâ irruentium ferociâ retropellunt. Pugna utrimque atrox & cruenta, at jactura cæsorum militum major apud Germanos fuit. Hæ viarum angustiæ ad *Oldenbecam* pagum creduntur designari. Præludia hæc Varianæ cladis fuerunt, haud procul in ijsdem montium jugis. At Drusus cum attrito exercitu in subjectam planitiem emersit. *Ex eo barbari*, (verba Dionis Cassij refero) *propiùs adire veriti, eminùs tantum hostem infestavêre, ita ut Drusus vicissim iis contemptis castellum contra eos ad Luppiæ et Alisonis fluviorum confluentes, aliudq; in Chattis ad ipsum Rhenum extruxerit.*

Drusus cũ exercitu à Visurgi redux, extremum periculum subit.

Ferdin. in Monum. Paderb. & tabula Geograph.

Dio lib. 54.

Alisonis Castellũ à Druso positum ad Luppiæ & Alisonis confluentes.

Hoc nunc illud Alisonis castellum, præter Dionem, à Tacito & Velleio claris Romanorum scriptoribus memoratum, quod primùm à Romanis intra Rhenum & Visurgim in sinu Westfaliæ, & in visceribus hujus Diœcesis ad confluentes *Luppiæ et Alisonis* est positum, belli sedes, ex qua Germaniam debellare cœptavêre. Alterum in Chattis castellum à Druso positum alij *Cassellas* volunt, caput nunc gentis Cattorum; quidam supra *Adranæ* ripam collocant, haud procul ab amnis ejus & Visurgis confluentibus: ducti comprimis Flori auctoritate, qui à Druso castellum Visurgi impositum memorat; alij in monte *Tauno*, qui Mogunciæ objacet, in Germaniæ Cattorumque veterum solo adsignant. Inde enim posito castello super vestigia paterni præsidij in monte Tauno Germanicus exercitum in Cattos rapuit. Sanè Dio Cassius hoc Drusi castellum in Cattis ad ipsum Rhenum collocat, à quo Taunus mons haud procul disjunctus. Castellum Alisonis, loco posituque suo nobis certius ad confluentes *Luppiæ* & *Alisonis*, qui nunc in *Almæ* nomen deflexit: nempe ut castellum in Cattis Drusus hac suâ expeditione posuit ad gentem Cattorum continendam, ita castellum Alisonis in Sicambrorum, Angrivariorum, Cheruscorum, Bructerorum finibus præmunijt, frænumque circumiacentium & validissimarum gentium

Florus lib. 4. c. 12.

gentium esse voluit,& hoc ipso in loco confluentium amnium,ubi nunc *Neuhusium* oppidum, arx & sedes Episcoporum Paderbornensium est. Ut nunc multum hi exerrent, qui Alisonis castellum ad *Isalam* flumen quærunt,& *Iselburgum* pro Alisone obtrudunt; aut qui ad Luppiæ & Rheni confluentes *Wesaliam* audent interpretari: erroris illi comitem sequuntur Ptolomæum,qui more suo multa in Germaniâ perturbando Alisonem Rheni ripæ apposuit. At Velleius, qui castra Tiberij ad Luppiæ fontes, ubi nunc *Lipspringæ* oppidum est, locata memorat, ibidem & Alisonis castellum visus est ponere; quod à clade Varianâ propè saltus *Teutoburgenses*, immissis illico Germanorum copijs obsessum est. Sed Velleium tam facile cum Dione conciliaveris, quàm propè inter se sunt fontes Luppiæ & confluentes Luppiæ & Alisonis. In eodem enim complexu locorum intra unam propè Leucam fontes Luppiæ; & trium hic amnium, *Paderæ, Luppiæ, et Alisonis* ad castellum Alisonis confluxus. Proinde & Tacitus castellum Alisonis non Luppiæ fontibus, sed *Luppiæ* oppositum scribit, qui ab hoc amnium concursu confluxuque justi tandem fluminis nomen obtinet. Nec minuta hæc Romani auctores tam exactè tradiderunt. Quin ne *Paderæ* quidem nomen, triplo prorumpentibus aquis auctioris, ab ullo scriptore Romano accepimus à Luppiæ fontibus distinctum: seu quòd fontes alveosque pro iisdem habuerint; seu quòd brevi intervallo fluxuque à fontibus suis in unum alveum amnemque misceantur: & *Padera* multo nobilior fluvius in connubio confluxuque amnium nomen amittat cedatq; Luppiæ.

Sed Tacitus, dum *cuncta inter castellum, Alisonem ac Rhenum novis aggeribus à Germanico permunita* scribit, novum scopulum objicit, in quo eruditi viri se multùm collisérunt: utrumnè hæc tria distinguenda sint, castellum, Aliso & Rhenus: an *Castellum et Aliso* pro eodem accipienda? imò verò, inquit Vetrannius ac Lipsius: Nam aliud *Castellum*, aliud *Aliso* fluvius, cui nunc *Almæ* nomen est, aliud *Rhenus*. At nihil ex Dione clariùs, qui castellum inter Alisonis & Luppiæ confluentes à Druso structum exsertè scribit. Quod ergo Castelli nomen quærit Cluverius? aut quomodo Velleius à clade Varianâ obsessos Alisone Romanos perhibet, si Aliso non est ipsum castellum? Sed facile hæc composueris, si uno *Alisonis* nomine simul Castellum, simul Alisonis fluvium significari dicas. Multa sunt hujusmodi. *Amisia* Tacito flumen, & vicus Amisiæ; perinde ut *Fulda, Lippia*, multaque alia nomina fluvium & oppidum sonant: de quibus supervacaneum tricari, nisi quibus id pro ingenio lubet. Imò quod castelli in Cattis nomen, quod Dio memorat, nec alio certo nomine designat? certum castellum, incertum nomen, utrumq; in Alisonis castello certum possidemus. Hic situs loci inter amplexus

Tacitus lib. 2. annal.

xus trium amnium, Paderæ, Luppiæ, & Alisonis, in editiore tumulo & loco circum à natura ficto factoque, incertum utrumne ad amœnitatem jucundior, an ad castelli munimentum opportunior. Castra Drusi, quæ toties inde à Varo, Tiberio, Germanico, frequentata, in conspectu castelli posita fuisse, cùm prisca ostendunt vestigia, tum vetustissimus hujus Diœcesis pagus *Elsen*, qui ab *Alisone*, seu ab *Elisone*, ut à Græcis scriptoribus nuncupatur, nomen hodiedum retinet: modico is spatio abruptus à castelli loco, situsque in assurgente leniter clivo, & centum fontibus à latere scaturientibus salubris opportunusque aquationi militum: circum prata, silvæ, agri frumentarij per subjectam montium Teutonicorum planitiem, castrorum invitamenta, quæ amplo illic spatio dimensa, ad ternas quaternasque legiones, qualia Vetera, ceteraque ad Rhenum castra fuisse constat, capiendas. Et quia tum æstiva, tum hyberna fuêre, spatium illud inter castra & castellum frequentibus domicilijs excultum, habitatumque creditur; ut vel inde Ptolomæus Alisonem inter Germaniæ urbes recensuerit, si non quandoque etiam castra circum Paderæ fontes eodem propè intervallo à castro dissiti collocata fuerint; ut castra castellaq; plerumque oppidorum seminaria, & origines urbium memorantur. Sanè non locus ullus Westfaliæ Caroli M. accessu, castrisque circumpositis frequentior, quàm *Paderborna*; qui & *vias* Romanorum *militares*, & loca castrorum plerumque secutus. Romani exinde, qui Drusi bellum excepêre, sæpe è castris veteribus, ubi nunc Sanctensis est civitas, transmisso ad Wesaliam Rheno, secundùm Lippiæ ripas exercitus ad Alisonem traduxêre: & quantum paludibus & saltibus humidis impeditum fuit iter, exaggerarunt vias, palis trabibusque ad marginandum defixis. Ita per pontes longos (à quibus *Delbruggiam* patrium Germanumque nomen retinere volunt) ad Alisonis castra perventum est. Genus hoc viarum militarium, quos aggeres & limites dixêre, primùm L. Domitius, cùm Augusti auspicijs militaret, reperisse fertur ad transitum per humentia hujus regionis loca; quod deinde Drusus continente magis tractu à castris veteribus, & ab Rheno per Cæsiam silvam, Monasterienssem videlicet & Paderbornensem Diœcesin, secundum Luppiæ ripas ad castellum Alisonis duxit: quam deinde viam tenuit Tiberius, & post Germanicus Cæsar, exercitum ad fontes Luppiæ & Castellum Alisonis traducendo. Sed illustrius inde Castelli Alisonis nomen à Vari tribunali, castris Tiberij & Germanici, Ara Drusi, tumulis militum, equitum decursionibus, obsidione Germanorum, quæ in tempore memorabuntur. Celebrius nostrâ ætate castellum Alisonis non tam fecit, quam refecit *FERDINANDUS* Episcopus ac Princeps *Monumentis* suis *Paderbornensibus*; inter quæ primùm ex vetustatis memoria, locum tenet Aliso. Et

Tacitus lib. 4. ann.

Velleius Tacitus lib. 3. ann. Cluverius lib. 3. c. 9.

so. Et quia vel sola inscriptio eruditione suâ rem omnem comprehendit, hic ego, quòd Monumenta hæc comprimis illustranda susceperimus, necesse habui legentium oculis subjicere. Cetera quæ hic desiderari possunt, eruditæ Monumentorum Notæ, cum Panegyri Paderbornensi præstabunt.

ALISO. ROMANUS
MEMORIÆ. SACRUM
SIQVIS. ALISONEM. VESTIGAS. FORTE. SICAMBRIS
IMPOSITVM. DRVSI. GRANDE. NERONIS. OPVS
QVO. STETERVNT. AQVILAE. POPVLIS. QVO. ROMA. SVBACTIS
IVRA. DEDIT. SIGNIS. PERNICIOSA. SVIS
HVC. PROPERA. PAGO. VICINO. NOMEN. ET. AMNI
HAERET. ADHVC. PRISCIS. NOBILE. TEMPORIBVS
LONGA. DIES. FOSSAS. LATE. COMPLEVIT. ET. HOSTIS
MOENIA. VICTRICI. DIRVIT. ALTA. MANV
FAMA. SVPERSTES. ERIT. SCRIPTORIBVS. AVCTA. LATINIS
DONEC. ALISONIS. LVPPIA. CRESCET. AQVIS
FERDINANDVS. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA
EPISCOPVS. PADERBORNENSIS. COADIVTOR
MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES
PYRMONTANVS. ET. LIBER. BARO. DE
FVRSTENBERG
ALISONEM ROMANORVM. CASTELLVM. CONTRA
SICAMBROS. A. NERONE. CLAVDIO. DRVSO. AD. LVPPIAE
ET. ALISONIS. CONFLVENTES. POSITVM. RERVM
GESTARVM. GLORIA. CELEBERRIMVM. DIOECESI
SVAE. VINDICAVIT. ET. PATRIAE. ANTIQVITATIS
ILLVSTRANDAE. STVDIO
M. H. P

Condito per Autumnum Alisonis Castello. Drusus præsidium imposuit, ad continendas finitimas barbarorum gentes; haud dubium, quin ad Amasim & Luppiam (perinde ut ad Visurgim factitasse memorat Florus) castella hybernaque militum disposuerit, ne mili-

militem præsidiarium longiùs à Rheno avulsum relinqueret in medio barbarici soli inter validissimas Sicambrorum, Bructerorum, Cattorum & Cheruscorum gentes. Ac facilè fuit Romanis implere Germaniam præsidijs legionum, cùm toto illo quadriennio belli, quod Drusus gessit cum Germanis, imperium ab alijs ferè exterorum bellis quiesceret. Ideo omnis vis & potentia Romanorum in unam Germaniam debellandam adacta; & nihil aliud *concupiit Augustus Cæsar* (uti id à Floro assertum est) *quàm Germaniam in provinciæ formam redigere.* Nec unquam inde Germania atrocius oppugnata, nec violentiùs pressa in periculum venit, quàm hoc Drusi bello. Igitur postquam militem ab Alisone per Cattos in hyberna deduxerat, Drusus Romam profectus est; decretisque à Senatu triumphalibus honoribus ob res præclarè gestas, ovans urbem est ingressus. Aucti honores eo nimirum senatus populique decreto, ut bellum Germanicum proconsulari imperio susciperet, quod Julio Antonio & Q. Fabio consulibus ingentibus animis resumpsit. Tiberio fratri bellum Pannonicum & Dalmaticum imperatum: nam eæ gentes jam ante subactæ rebellare cœperant. Germania trans Rhenum subigenda supererat; quare Augustus Cæsar, ut propius adesset Germanico bello, Româ in Galliam descendit. Jani templum, quod ob hoc bellum reseratum erat, cùm claudi vellent, est vetitum. Adeo metus Germanorum, incertusque belli exitus sollicitos habuit Romanos. Sub Veris initium Drusus exercitum omnium validissimum instructissimumque inter Mœni ostia & Ubios (quòd inter Mogunciam & Bonnam Rhenum pontibus instraverat) in Cattos traduxit, ratus si hanc gentem una cum Sicambris, Cheruscis & Tencteris perdomuisset, in ceteris subigendis levius belli negotium fore. Catti ad Drusi adventum relicto eo agro, quem à Romanis acceperant assignatum, Sicambris se conjunxerunt. Simul aliæ gentes in societatem belli excitæ Drusi impetum aliquamdiu sustinuerunt: At extremum multitudine Romanorum obruti, aut in silvas & paludes se abdidêre, aut trans Visurgim Albimque profugi ad Suevorum, Marcomannorum, aliarumque gentium auxiliâ profugerunt. Ita Drusus, quod à Dione scriptum est, partim maleficijs, partim terrore nominis Romani, Cattos, Sicambros, Tencteros, ceterosque inter Visurgim & Rhenum populos perdomuit. Neque dubium omni maleficiorum genere & crudelitate Drusum tractasse imbellem, quæ reperta est, turbam: Nam vel inde execrabile Drusi nomen mansit apud posteros ad nostram usque ætatem; obtinetque in vulgo mos, ut Dæmonem malumque imprecaturi, Drusi id nomine faciant. Eâ enim sævitiâ tractavit incolas, ferro nimirum, flammâ, cædibus, omnique crudelitatis genere, non sexui, non ætati parcendo, tanquam gentem hactenus invictam, & Romanis insultantem, funditùs exscin-

Florus l. 4. c. 12.

Florus l. 4. c. 12.

An. V.C. DCCXLIII. Ante Christum 9.

Tertia Drusi expeditio in Germaniam. *Calvisius. Dio lib. 54.*

Dio lib. 54.

exscindere consilium habuerit : Barbarus ipse magis, quàm barbari, quibus cum bellum erat. Auctor est Strabo, Bructeros, quæ valida non minus, quàm Catti Sicambrique gens erat, prælio navali in Amisia flumine à Druso victos. *Strabo l. 7.* Quod utrum ad hanc Drusi expeditionem referam, an ad superiores; & an classem rursum ex Galliâ per Mosam Rhenumque amnes in oceanum & ostium Amasis invexerit, incertum habeo. Id verisimiliùs, cùm hoc anno nullus se barbarorum hostis obtulerit, non modò castellum Alisonis firmatum præsidijs; sed plura castella Visurgi, Amasi & Luppiæ imposita esse, ad subigendam Westfaliæ regionem (quæ propugnaculum hactenus ceterarum habebatur) ut liberiùs inde trans Visurgim imperium proferretur. Utrumne etiam hac expeditione Visurgim transgressus sit, nemo explicatè prodidit. Agnoscit Dio (qui tamen ceterorum lacunas explevit) multa horum bellorum desiderari, quæ integre constarent, si quatuor Livij, quos de hoc Drusi bello scripsit, aut viginti de bello Germanico Plinij superessent libri. Florus, Suetonius, Eutropius, ceterique abrupta per lacinias tradunt, sine temporum ordine. Bellis hoc anno feliciter confectis, Drusus legiones apud Germanos in hibernaculis reliquit, ceterum exercitum per Rheni flumen ad citerioris Germaniæ Galliæque hiberna reduxit. Inde Augustus cum privignis Tiberio & Druso Romam se retulit, magnâque Senatus ac populi Romani lætitiâ ac plausu acceptus est.

Ao. V. C. DCCXLIV. Ante Christum 8.

Drusus exinde auctus honoribus, & cum L. Quinctio consul renunciatus. Accendit ea dignitas, simulque populi Romani de triumphatâ Germaniâ acclamatio mirificè Drusi animum, quibus juvenis belli gloriæque cupidissimus nihil sollicitiùs habuit, quàm ut bellum superioris anni resumeret. *Brovverus lib. 1. ann. Trev. Calvisius.* Quarta hæc & confatalis Drusi expeditio fuit, quà Rhenum trajecit, & in validissimas nationes, Cheruscos, Suevosque ac Sicambros exercitum duxit. Neque enim ita victi erant bellicosi hi populi, quin animos etiam ferociores resumerent à cladibus, atque ad arma rursum vindiciasque convolarent. Quippe, ut Florus scripsit, *viginti Romanorum centurionibus incrematis, hoc velut Sacramento sumpserant bellum, adeo certa victoriæ spe, ut prædam in antecessum pactione dividerent. Cherusci equos; Suevi aurum et argentum; Sicambri captivos elegerant. Sed omnia retrorsum.* Drusus namque Cattorum & Sicambrorum fines per initia veris ingressus, obvia quæque sine magno labore subegit, congressosque præliis haud incruentâ victoriâ superavit. *Dio lib. 55* Inde in Suevos digressus, ac mox reflexo itinere in Cheruscos, Visurgim transijt, omniaque latè perpopulando, ad Albim pervenit. Itaque victor Drusus, equos, pecora, torques eorum, ipsosque præda divisit & vendidit. *Eutropius lib. 7.* Drusus interim ad Albim substitit cum exercitu, nec ultro ausus est intrare Germaniam. Quanquam Domitius Ahenobarbus Neronis Imperatoris avus, ut Tacitus est auctor,

IV. Drusi expeditio in Germaniam, quæ & ultima & fatalis illi fuit. *Florus l. 4. c. 12.*

Tacitus lib. 4. ann. c. 44. Lipsius. auctor, Drusi, ut credibile est, legatus, *flumen Albim transcenderit; longiùs penetratâ Germaniâ, quàm quisquam priorum; easque ob res insignia triumphalia adeptus sit.* Sed Albis fatalis Drusi terminus: Nam ibi dum consistit, admirans amplitudinem Germaniæ, & gentium adhuc restantium bellicosarum multitudinem hactenus inexploratam: Suetonius in claudio c. 1. Dio lib. 55. Mulier quædam humanâ specie amplior se Druso offert, & sermone latino affata; quo te, inquit, *Druse* inexplebilis tua cupiditas agit? non tibi satis hæc omnia videre? Quin tu abi retrò: jam enim & operum tuorum, & vitæ terminus tibi instat. Drusus, seu malus ille genius fuerit, seu inane spectrum imaginationi objectum, haud leviter consternatus, actusque retrò cum exercitu movit. Haud multò pòst in itinere morbo correptus, ac priusquam à Sala fluvio Rhenum contingeret, in æstivis castris, quæ ob id *scelerata* sunt dicta, magno militum dolore ac luctu è vivis excessit. Qui Livij Epitomen dedit, ex fractura, equo super crus ejus collapso, tricesimo die, quo id acciderat, extinctum tradit anno ætatis xxx. Tam brevis plerumque vita hominum, per innocentium sanguinem sævientium. Reperio, qui ad Isalam fluvium, quòd is Sala etiam appellatus fuerit, intra Westfaliæ fines exspirasse velint. At Strabo, qui hæc memorat, diversus: nam postquam Amisiam, Visurgim & Luppiam percensuisset, *est et Sala fluvius*, inquit, *inter quem et Rhenum bellum felici successu gerens obiit Drusus Germanicus.* Quod autem bellum inter Rhenum & Isalam (quale inter Rhenum & Salam cum Chattis & Suevis habuit) tum gestum sit à Druso, nemo prodidit. Cadaver rectà Mogunciacum deportatum. Ibi celebre monumentum cenotaphiumque, cujus vestigia hodiedum extant, araque Drusi à militibus ad Rhenum est posita: qualis & ad Alisonem apud nos statim ab excessu *Drusi ara*, præsidiariorum legionumque operâ, constructa, quæ post cladem Varianam à barbaris disjecta, restitutaque est à Germanico filio; ut tempore memorabitur. Tanta ducis sui apud milites veneratio amorque erat, & tam celebre Castellum Alisonis: ubi hybernantes legiones tanquam in sede belli Germanici hæc ad famam mortis exerexerunt. Nam qui arcus triumphales, statuæ, fornices & honores Romæ in funere Drusi sint exstructi, supervacaneum est referre. Tiberius ad famam ægrotantis Drusi in Germaniam acceleravit, trahentemque adhuc animam reperit. At non alius Drusi mortem acerbius sensit, quàm Augustus Cæsar: ferturque dixisse, plus se ex funere ejus tristitiæ, quàm ex omnibus victorijs commodi percepisse: Seu quòd ex Liviâ creditus illum suscepisse; seu quòd per hunc Germaniam subigendam sperârit, successoremque designârit. Sanè bellicis virtutibus operibusque nemo tum Druso præstantior in Republicâ est habitus. Nec Germaniam adhuc ullus Romanorum potentius subegerat, brevi in provinciæ

Dio lib. 55. Strabo l. 7. Livii Epit. Florus l. 4. Velleius. Suetonius.

Serrarius in Mogunciac. Dio lib. 55. Eutropius lib. 7. Suetonius in Claudio Tacitus l. 2. ann. c. 7.

Seneca in consol. ad Polybium.

provinciæ formam cessuram, si vita juveni mansisset longior. Unde Germanici cognomento, quod primus in familiam invexit, ob debellatos tot Germaniæ populos, à Senatu populoque Romano, tanquam alter Africanus Asiaticusque Scipio exornatus. Inter militaria ejus opera comprimis castella, frena populorum, & perfugia exercitus, receptacula militum. Quippe ut Florus disertè: *In tutelam provinciarum præsidia atque custodias ubique disposuit, per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim. Nam per Rheni ripam quinquaginta amplius castella direxit: … Invium atque in accessum ad id tempus Hercynium saltum patefecit.* Quanquam, quæ ad *Albim* & *Visurgim* posuerit castella, vetustas obscurârit. Unicum *Alisonis* castellum ad Luppiæ & Alisonis confluentes, celeberrimum omnium in Germaniâ, scriptorum nobis memoria servavit. Nec dubium, ut diximus, quin plura etiam ad Luppiam atque Amasim per Westfaliæ regionem castella collocârit; quorum nulla apud scriptores, etiam Dionis ævo, memoria relicta est. Loca, inquit ille, *quædam Germaniæ*, (cumprimis inter Visurgim & Rhenum) *Romani tenebant, non simul, sed ut forte subacta fuerant hinc inde, unde in historiis eorum nulla mentio. Iis in locis Romani milites hiberna habebant, urbes condebant, eorum mores jam barbari accipiebant, in forum* (quale Varus consul apud Alisonem aperuit) *conveniebant, congressusque cum illis pacatos habebant.* Ac tametsi Romani milites, Druso Cæsare, Germaniam interiorem, quam tum exploratam primùm habuêre; tentârint intrare, cuperentque trans Albim proferre bella; Augustus tamen in præsens statuit populos ultrà Albim sitos, ac nihil armis intra Imperium molientes, ad Societatem belli potiùs invitandos esse, quàm maleficio, prolatisque armis irritandos: quòd consultiùs haberet eam Germaniæ partem, quam inter Rhenum & Visurgim tenerent, armis prius tueri firmareq; præsidijs: &, si fata fortunaque juvarent, in provinciæ formam redigere.

Numismata Imperat. *Apud Joan. Vaillant tom. 1. p. 11. & tom. 2. p. 27.* *Carol. Patinum p. 5.* *Florus lib. 4. c. 12.* *Dio lib. 56.* *Strabo l. 7.* *Sueton. in Augusto.*

Sublato, ut diximus Druso, Cæsar Augustus ob luctum aliquamdiu urbe abstinuit; quo deinde posito, ad urbem redijt. Ac licet magna pars anni in componendâ Republicâ consumptâ, C. Martio Censorino & Asinio Gallo consulibus, quòd à morte Drusi omnia conturbata fluctuarent; nihil interim sollicitiùs sumptum, quàm bellum Germanicum. Instauratus omni apparatu exercitus: auctæ suis supplementis legiones: data largiora militi stipendia: designatus in proximum annum consul Tiberius, quem antè bello Pannonico ac Dalmatico præfecerat. Hunc belli gloria clarum, carumque militi, in locum Drusi fratris Cæsar Augustus belli Germanici imperatorem dixit. Additus Cajus Cæsar ex filiâ nepos ad experimentâ belli facienda, & venerationem regnatricis domus splendoremq; militiæ. Et Tiberius eò inflammatiùs bellum sumpsit, quò recentiùs vindictæ vulnus ex fratris morte inter Germanos extincti urebat. Gloria

An. V. C. DCCXLV. Ante Christum 7. *Dio lib. 55.* *Velleius.* *Suetonius.* *Calvisius.* Tiberius in locum Drusi subrogatur ab Augusto.

I. Tiberij expeditio in Germaniam.

etiam stimulos ex affectatione Germanici nominis credebatur additura: ut quam gentem primus omnium Drusus cœperat tam fœlicibus auspicijs domare, frater debellaret.

Aperto per veris tempus anno, Tiberius cum instructissimo exercitu per vestigia fratris ad Rhenum movet; sed cautè admodum, multoque remissiore in bellum animo, quàm Drusus. Germani postquam omnem belli molem in se verti didicêre, legatos mittunt pacem rogatum; quam cùm ex ingratis conditionibus pro voto non impetrarent, ausi sunt etiam post tot Drusi clades arma ostentare. *Strabo l. 7.* Tiberius transito Rheno primùm in Sicambros duxit exercitum: seu quòd ea gens ab Luppiæ usque fontibus ad Rhenum diffusa *Melone* duce initium belli fecerat; seu quòd inquietissima hæc validissimaq; ceteras traheret, omnium, quæ hactenus fere gesta sunt, bellorum concitatrix. Tiberius ut semel à radice malum evelleret, ducto in eos exercitu in deditionem accepit: & quantum inter eos repertum est armatorum inermiumque hominum cum uxoribus & liberis in alteram Rheni ripam transportavit; sedesque illis in Galliæ solo ad littus Rheni à Romanis attributa est, ubi freno stringi poterant inter validiora Romanorum præsidia. *Suetonius in Tib. c. 9.* Suetonius horum deditorum translatorumque numerum XL. millium Sicambrorum censet. *Tacitus lib. 12. ann. c. 39.* Tacitus gentem Sicambrorum penitus excisam perhibet. *Aurelius victor in Augusto.* At Strabonem si consulas, non id Sicambrorum fuit excidium, quin portio aliqua in antiquis sedibus relicta sit. *Strabo l. 7.* Unde enim *Deutorix* Sicambrorum princeps à Germanico post Cæsare debellatus, & Romam in triumphum ductus? *Martialis in carm. ad Domit.* Unde Franci pòst, quos magnam partem ex Sicambris coaluisse tradunt scriptores, figens prorsus excisa fuit? Unde, qui Domitiano Cæsare *crinibus in nodum tortis venêre Sicambri*? *Claudianus Paneg. de IV. Consul. Honorij.* Unde, qui Honorij principatu *ante ducem nostrum flavam sparsere Sicambri cæsariem*? Fateor equidem proximis bellis, quæ Tiberius, proximique Romanorum Cæsares gessere cum Germanis, à Tacito nullam Sicambrorum mentionem fieri, ne civili quidem bello; quo tamen Bructeri, Tencteri, ceteriqué trans Rhenani populi toties memorantur. Sed per id tempus gens illa pressa latuerit sub Romanorum jugo, donec sensim in utrâq; Rheni ripa revalescceret, & Francorum pòst exordijs in eandem sese belli Societatem cum ceteris Germaniæ populis conjungeret, serò tandem ultura Romanorum inclementiam & servitutem.

Extinctis ad hunc modum Sicambris, bellicossimâ gente, quæ hactenus tot armis Romanos fatigaverat, quæque maximam Diœcesis Paderbornensis partem incoluerat, alijs deinde ex vicinis gentibus in eorum sedes deductis *Tiberius victor omnes Germaniæ partes*, nimirum inter Rhenum & Visurgim, *sine ullo detrimento commissi exercitus peragravit, quod præcipuè huic duci semper curæ fuit: et sic perdomuit* *Velleius. l. 2.*

eam,

eam, ut in formam pene stipendiariæ redigeret provinciæ. Nec enim genti libertatis retinentissimæ ausus totam tributi servitutem imponere. Nimirum quia Castella & hiberna in modum oppidorum atque urbium Romani inter hos populos tenebant, sensim ad usum & consuetudinem Romanorum Gallorumque traduci posse credebant, ut barbaris exuti moribus sese in tutelam & fidem Romanæ Reipublicæ darent. Quodque Drusus sævitiâ perfringere non potuit, Tiberius humanitate & mititate conficiendum sperabat. Utrumne hac expeditione suâ Tiberius Visurgim transgressus ad Albim penetrârit, (quod quidam recentiorum scripsêre) neque Dio Cassius, neque veterum quisquam tradidit. Alisonem certè Drusi fratris præclarissimum in hisce locis castelli opus invisisse, & præsidia confirmasse, haud dubitaverim. His ad tutelam & securitatem Germaniæ compositis, exercitum per Rhenum reduxit in Galliam; ipse Romam profectus: & ob ea, quæ à se gesta perscripserat, alter illi triumphus cum altero consulatu oblatus est, quem cum Calpurnio Pisone inijt. Triumphus hic Tiberij, quem post Pannonicum gessit alterum, ob devictas Germaniæ gentes magnificus ac superbus fuit. Producti ante coronatos equos captivi Germanorum reges, vinculis onerati: simul & longus captivorum ordo, homines truci & feroci aspectu, squalidis comis, ac minas adhuc spirantes in Romanos. quippe quàm ægre domi servitutem, tam indignè ferebant se in ludibrium populi Romani produci. Sed multò indignius spectaculum, ipsam Germaniam abs se inter devictas orbis Romani provincias repræsentari, supplicique genu procumbere ante debellatorem Augustum & Tiberium, & colla sua præbere Romanis calcanda. Ad hunc modum effigies regionum, præliorum, oppidorum, castellorum, montium, amnium & lacuum, ac devictorum populorum introductæ, oblatæque spectantium oculis singulorum imagines: ipse Rhenus decolor sanguine, fractis cornibus caput sub arundine posuisse visus. Superba hæc signa sequebatur Tiberius inter militum lauro coronatorum civiumque acclamationes, curru triumphali invectus in Capitolium, Jovi vota soluturus.

An. V.C. DCCXLVI. Ante Christum 6.

Suetonius. Dio lib. 55. Velleius l. 2. Ovidius l. 4. Trist. Eleg. 2. lib. 3 de Ponto Eleg. 4. Sigon in fastis ad an. V.C. 746. *Calvisius.*

Tiberij triumphus.

Peracto triumpho, Tiberius Senatum in Capitolio; Livia seorsim matronas epulo excepit. Quæ ab Ovidio poëtico magis ingenio quàm historico memorantur; nondum enim Germania nostra in eam sortem & Romanæ provinciæ servitutem venerat. Florum potiùs audias, qui *triumphatam magis, quàm debellatam pronunciat.* Augusti id Tiberijque ostentationi datum; quales triumphos, victorijs ac rebus gestis inanes, Caligulam, Neronem, aliosque pòst Cæsares ad populi imposturam, & sui potiùs quàm devictarum gentium ludibrium egisse, memorabimus. Cautior Augustus, cui cùm idem triumphus oblatus esset à Senatu, hæc inania rejecit.

Enim verò quàm vana hæc Tiberij Romæ fuerit ostentatio, satis insequens annus testatur. Vix ille triumphârat, cùm exortis rursum in Germania motibus, in provinciam est revocatus: eductoque ex hybernis exercitu, denuò ad Rhenum contendit. Testem hujus secundæ expeditionis Dionem Cassium habemus. Quinam verò hi motus fuerint, quarumve gentium, neque Dio, neque veterum quisquam prodidit: nec magnoperè interesse rati, quòd Dio Cassius nihil hoc anno memorabile in Germania actum fateatur; seu quòd Germani ad Tiberij adventum conquieverint, pacemque coluerint, quâ Florus ab excessu Drusi in alios homines mutatos perhibet, *tanquam alia terra, cœlum ipsum mitiùs molliusque solito videretur*; seu quòd Tiberius abruptâ belli Germanici præfecturâ, mox omni etiam se Reipublicæ munere exuerit. Quâ animi perturbatione in insulam Rhodum secessit ad privatæ vitæ genus, in quâ septennium commoratus, specie quidem quietis, tanquam à laboribus bellicis vacaturus, re autem Juliæ conjugis, quæ Augusti filia erat, tædio, & Caji Lucijque Cæsarum æmulatione. Hos enim juvenes ex Agrippa & Julia ortos in familiam Cæsarum induxerat Augustus, & in spem successionis, ex propiore sanguinis nexu, à Drusi morte efferre cœperat. Abeuntem Tiberium frustra Augustus, Livia Mater, & Senatus retinere conati. Adeo fulgor orientium juvenum perstrinxerat Tiberij oculos in invidiam, animumque ejus in mœrorem, & pertinaciam abjecerat. Ejus in Rhodum discessu, Germania aversis domitoris sui oculis primùm respirare, ac deinde rebellare etiam cœpit. Sed annis abhinc ad Christi ortum, & post hunc aliquot, magnum scriptorum silentium: ut ne historia quidem Romana habeat, unde magnopere illustrari possit. Nimirum præter leves motus, quos præsides utriusque Belgicæ, & ad Rhenum præfecti compresserunt, alta ubique pax erat, & gentium quies per Romanum Imperium, omni studio ab Augusto Cæsare quæsita, & Christo novo pacis principi nascituro parata: quam & Germani coluerunt, recepti in amicitiam Romanæ Reipublicæ; postquam excisis propè Sicambris, Suevi, Catti, Tenecteri ceteræque gentium cæsorum captivorumque multitudine exhausti enervatique, respirare quàm bellare maluerunt. Ac nisi nos Eutropius fallat, bello hoc, quòd Drusus Tiberiusque fratres gessêre cum Germanis intra Albim & Rhenum, *quadraginta millia captivorum* Augustus Cæsar ex Germania transtulit, & super Rheni ripam in Galliâ collocavit.

An. V.C. DCCXLVII &c. Ante Christum 5. &c. *Diolib. 55.* II. Tiberij expeditio in Germaniam. *Florus lib. 4. c. ult.* *Velleius l. 2. Tacitus l. 1. ann.* *Svetonius in August. Plinius lib. 12. c. 14.* *Eutropius in Augusto.*

Annus tandem omnium mortalium immortaliumque votis aderat expectatissimus, quo Christus Filius Dei, illibatâ Mariæ Matris Virginitate, 25. Decembris natus: ac deinde octavo post die, primo videlicet Januarij, circumcisus initium anni sanguine suo consecravit. Erat hic annus, censente Baronio aliisque, urbis Romæ condi-

conditæ septingentesimus, quinquagesimus secundus, imperij Octaviani Augusti quadragesimus secundus, consulatus ejus, quem cum Plautio Silvano inijt, decimus tertius; à quo CHRISTI anno & nos deinceps historiam nostram pertexemus.

Bellum Germanicum, quod supra intermissum diximus, primis statim post CHRISTI natalem annis exarsit tanquam cum fatali bellorum gente, quæ Romanum Imperium unà cum barbaris populis ad ruinam suam fatigatura erat. Cœpit id triennio ante, quàm Tiberius ex Rhodi secessu redituque ad urbem, rursum in Germaniam ab Augusto mitteretur; quemadmodum id à Velleio scriptum, gestumque est Cajo Cæsare, & Lucio Æmilio consulibus. Germanæ nimirum gentes trans Rhenum magis pressæ, quàm perdomitæ, triumphatæque magis quàm victæ, ægre patiebantur se tributarias fieri, in eamque servitutem detrudi, ex quâ citeriorem Germaniam Galliamque indies intuebantur. Nam quò, inquiebant, *illa Castella ubique ad visurgim, Luppiam et Amasim structa? nisi ut frena sint populorum, vincula servitutis, quæ in dies præmuniuntur, præsidiisque augentur? Quò hiberna tanto onere alendi, quanta spoliandi libidine? Quò tributorum initia? nisi ut totam demum servitutem imponant. Omne frumentum et annonam convehi ad horrea præsidiariorum, ut post bona fortunasq; ipsa demum corpora servituti subdant. Quorsum tot millia Sicambrorum in Galliam transportata? tot millia captivorum dispersa per provincias, nisi ut exulum agri dividantur in militum possessiones, et militem nullum inter se videant, nisi exterum et ignotæ linguæ? Aut quis præfectorum avaritiam, militum rapacitatem, præsidum dominatum unquam expleat, nisi liberæ gentes in mancipia Romanorum transeant? quæ ne reges et belliduces inter se patiantur, nisi annuos et temporaneos, qui cum militiâ principatum ponant. Hactenus se aliis nationibus imperitasse, bellumque æmula virtute ac potentiâ Romanis intulisse: nunc imperia accipere, vectigalia pendere, liberos suos aut in servitium Romanorum, aut belli, quo se opprimant, usum enutrire. Hactenus omnium gentium fortissimos habitos Germanos, unamque apud ipsos fortitudinis matrem insitam fuisse libertatem, qua nulli mortalium cedant, nec cedere possint: exui servitute et recipi omnia posse, si conspirent singuli, audeant omnes, spem libertatis ostendi ex morte Drusi, discessu Tiberii, Augusti senio, à quo rapacissimi tantum præsides mittantur, specie ad Rheni limitem custodiendum, quem toties majores transierunt, re autem totius Galliæ et Germaniæ affectatione; sed nunc hostem primùm ex visceribus Germaniæ depellendum.* * Hæc & similia consilijs agitabantur inter primores, querelis inter populum; quibus pristina accensa audacia, ut ad arma convolarent. Belgicæ tum præfectus erat M. Vinitius, quo immensum illud Germaniæ bellum exarsit; id à Vinitio quibusdam in locis gestum, quibusdam sustentatum feliciter, eoque nomine decreta ei speciosissima inscri-

Annus Christi 1. 2. Augusti Imp. 42. 43.

*M. Vinitius Præses Belgicæ bellū adversus Germanos sustentat.

An. Christi 3. & 4. Augusti Imp. 44. 45. *Velleius l. 2.*

ptione operum ornamenta triumphalia. Bellum id Velleius verbo perstrinxit magis, quàm descriptum reliquit, à quo multa exactiora desiderantur, cùm is per hæc tempora equitum præfectus missus in Germaniam per novem continuos annos adjutor spectatorque fuerit. Sanè immensa bella non tam paucis verbis absolvuntur; neq; in locum Vinitij Tiberium Cæsarem cum instructissimo exercitu, & totius Imperij viribus adversus Germanos revocare necesse fuisset, ut quod affectum erat bellum, pendebatque incerto eventu, Tiberius conficeret. Jam Cajus & Lucius Cæsares extincti erant, alter in urbe Lyciæ, alter Marsiliæ, & cum his æmulationis flamma. Jam Tiberius ex Rhodi secessu Romam redierat cum magnâ Augusti Cæsaris & populi Romani lætitiâ: cui mox post Vinitium Germaniæ bellum impositum. Nec enim vindicem custodemq; Imperij sui diu commorari in urbe sustinuit patria, nec periculum, quod à Germanis imminebat. Ac priusquam Augustus mitteret in Germaniam, adoptavit Tiberium, & tribunitiâ potestate in decennium auxit. Veritus tamen, ne & is aliquando elatus animo ad res novas consurgeret, Germanicum Drusi filium ei vicissim adoptandum dedit firmioris obsequij auctoramento, tametsi jam Tiberio filius in successionem natus esset. Tantum amori Drusi, & Germanici virtuti, quam bellis Germanicis pòst multò testationem fecit, tribuit Augustus. Tiberius postquam veris initio Galliam ingressus cum Sentio Saturnio consulari legato, incredibile quanta lætitia, & quàm faustis acclamationibus inter gratulationes à militibus sit exceptus. *Videmus te*, inquiunt, *Imperator, salvum recipimus; ac deinde, ego tecum, Imperator, in Armenia; ego in Rhætia fui: ego à te in Vindelicis, ego in Pannonia, ego in Germaniâ donatus sum.* Quò nos duces, veterem Imperatorem sequemur milites tui. Postquam Rheno transmissus exercitus, intrata ad Alisonem usque Germania. Vellei verbis res à Tiberio gestas prosequar: *Subacti Caninefates. Bructeri, *Angrivarii, receptæ Cheruscæ gentes, et amnis mox nostrâ clade nobilis transitus Visurgis; penetrata ulteriora: cùm omnem partem asperrimi et periculosissimi belli Cæsar vindicaret; in iis, quæ minoris erant discriminis, Sentium Saturninum præfecisset. .... Anni ejus æstiva usque in mensem Decembrem producta, immanis emolumentum victoriæ fecêre. Sed pietas sua Cæsarem, penè obstructis hyeme Alpibus, in urbem retraxit.* At priusquam hoc anno reliquum exercitum reduceret trans Rhenum Tiberius, *in mediis Germaniæ finibus ad caput Juliæ fluminis hiberna digrediens, Princeps locavit.* Ita quidem magnificè Velleius. At quod *Juliæ* illud flumen in his finibus, nisi *Luppiæ*? quod vitio exscriptorum irrepsit, & dudum eruditi viri emendârunt. Imo quis *Erygius* amnis apud Dionem, quem hac ipsa expeditione ad Albim progressus Tiberius transijt, nisi *Visurgis*? pari exscriptorum errore, qui ex Græco Sermone, quo

III. Tiberij expeditio in Germaniam.

An. Christi 5. 6. 7. Augusti Imp. 46. 47. 48.

Velleius l. 2. Dio lib. 55.

* *al. Attuarij.*

Tiberius Cæsar castra ponit ad Luppiæ fontes.

Lipsius in Vell. notis. Xylander in Dionem.

quo hæc Dio scripsit, facilè intervenit, nomenque τῦ ἐρύγρε promptè commutes in τῦ ὀνερύγρε fluminis. Nec enim in totâ Germaniâ Trans Rhenana aut *Julius*, aut *Erygius* fluvius uspiam. Igitur Tiberius antequam cum legionibus ceteris transRhenum in hyberna concederet, hyberna legionum ad caput *Luppiæ* fontis disposuit (si non maximum exercitus Romani robur collocârit circum *Alisonis* castellum, ubi sedem belli, Drusi fratris instituto, esse voluit, ad ferociſſimas circum gentes continendas) hybernisque ad Alisonem regendis impositus est C. Sentius Saturninus legatus, Quàm igitur celebritatem Alisonis castellum à Drusi opere, hanc à Tiberij hybernis accessuque Romani exercitus *Paderborna* non immeritò sibi vendicat. ut jam ex his quoque facilè quis intelligat, hoc loco sedem belli à Romanis delectam. At quo finitè loco Tiberius hæc castra hybernantium legionum collocârit, haud minus ambigas: utrumnè ad fontes *Luppiæ*, qui ad *Lisſpringæ* oppidum magna aquarum vi ex venis meatibusque subterraneis Teutonicorum montium prosiliunt; an ad *Paderæ* ortum? ubi admirando magis naturæ opere tot simul fontes ex visceribus suis terra aperit, majorique prorumpentium aquarum impetu novum fluvij alveum implet? Sanè Paderæ fontium fluvijq; nemo Romanorum scriptorum perinde ut Luppiæ meminit; ut hos fontes Paderæ ac Luppiæ eodem simul nomine videantur complexi scriptores Romani. Ac parum arbitror referre utrum senseris, quando, ut suprà relatum est, inter utriusque fluvij fontes haud magnum intervallum, qui intra unius alteriusve horæ spatium in unum mox alveum supra Alisonis castellum concurrunt, infraque tertius fluvius *Aliso*, quem nunc *Almam* dicimus, miscetur: ubi & *Padera* prius, pòst *Aliso* suis amissis nominibus *Luppiæ* tandem justi fluminis nomen cedunt. Ut jam castra hybernaque Tiberij ac cæterorum inde Romanorum ducum, aut Paderbornæ forsitan ad fontes Paderæ, aut in vico *Elsen*, centum fontibus amœno, & propè Alisonis castellum sito, collocata dixeris. Verùm cùm Velleius ad caput Luppiæ fluminis castra Tiberij nobis assignet, lubet hoc loco ad Tiberij castra hybernaque ex FERDINANDI Episcopi Monumentis doctam & elegantem inscriptionem Luppiæ hìc tanquam omnium imaginem comprehensionemque interjicere.

Τιβέριος μέχρι τῦ ποταμῦ πρότερον μεν τῦ ἐρύγρε, μετὰ δὲ τῦτο καὶ τῦ Αλεΐδος προεχώρησεν. Tiberius usque ad flumen primum Erygrum, deinde ad Albim progressus est.

FONTES. LUPPIAE
MEMORIÆ. SACRUM

LVPPIA. ROMANIS. ANNALIBVS. INCLYTVS. AMNIS
NEC. MINVS. IN. FRANCA. NOBILIS. HISTORIA

HIC

HIC. ORITVR. NOMENQVE. DEDIT. FAMAMQVE. NERONVM
QVO. SITA. MAIORIS. CASTRA. FVERE. LOCO
ET. QVEM. CONCILIO. PRO. RELLIGIONE. VOCATO
SAXONIAE. CAROLVM. TER. CELEBRASSE. FERVNT
DEVENERARE. SACRVM. FLVVII. CAPVT. HOSPES. ET. OLIM
CELATIS. NILI. PRAEFER. ORIGINIBVS
QVI. LICET. INNVMERIS. TVMIDVS. PETAT. AMNIBVS. AEQVOR
FONTE. TAMEN. MAIVS. LVPPIA. NOMEN. HABET

FERDINANDVS. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA
EPISCOPVS. PADERBORNENSIS. COADIVTOR
MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES
PYRMONTANVS. ET. LIBER. BARO. DE
FVRSTENBERG

AD. FONTES. LVPPIAE. FLVMINIS. IN. DITIONE
PADERBORNENSI. SVRGENTIS. ROMANI. EXERCITVS
HIBERNIS. ET. CAROLI. M. CONCILIIS
CELEBRATOS
M. H. P

An. Christi 8. Augusti Imp. 49. IV. Tiberij expeditio in Germaniam. *Lib.* 2.

Post hiberna Tiberius iterum cum exercitu ex Galliâ & citeriore Germania educto Rhenum transgreditur, junctis, quæ ad fontes Luppiæ hibernârant, legionibus. Primus belli impetus in *Chaucos*, qui rebellârant, factus; in quam rem quoque classis ex Galliâ Belgicaque per mare in ostium Albis invecta, Drusi institutâ primùm ostensâque navigationis viâ, novas copias adjunxit. *Perlustrata* deinde *armis tota Germania est.* Magnificè hæc Velleius: *Victæ gentes penè nominibus incognitæ. Receptæ Chaucorum nationes, omnis eorum juventus, infinita numero, immensa corporibus, situ locorum tutissima, traditis armis, unà cum ducibus suis, septa fulgenti armatoque militum nostrorum agmine, ante Imperatoris procubuit tribunal. Fracti Longobardi, gens etiam Germanâ feritate ferocior. Denique quod nunquam antea spe conceptum, nedum opere tentatum erat, ad* * *quadragesimum milliarium, à Rheno usque ad flumen Albim, qui Senonum Hermundorumq; fines præterfluit, Romanus cum signis perductus exercitus, et eodem, mirâ felicitate et curâ Ducis, temporum quoq; observantia, classis, quæ oceani circumnavigaverat sinus, ab inaudito atque incognito ante mari flumine Albi subvecta, plurimarum gentium victoria, cum abundantissimâ rerum omnium copiâ, exercitui Cæsarique se junxit.*

* al. lect. quadringentesimum.

Stabat

Stabat interim in ulteriori ripâ Albis armata & fulgida hostium juventus. Continuit se in citeriori ripa Tiberius cum exercitu, nec ausus flumen transgredi, etsi classis omnibus instructa adsisteret, & barbari ad motum navium à ripâ refugerent. Audentior Germanus ætate inter illos Senior, corpore eminens & dignitate: Is lembum conscendens in medium fluminis processit, petijtque liceret sibi in alteram ripam egredi, ac videre Cæsarem. Data facultas. *Tum appulso lintre, et diu tacitus contemplatus Cæsarem, nostra quidem, inquit, furit juventus, quæ cum vestrum numen absentium colat, præsentium potius arma metuit, quàm sequitur fidem* &c. Reversus deinde est in naviculam, sine fine respectans Cæsarem. Magno hæc verborum sonitu Velleius, ut panegyrim magis, qnàm historiam te audire credas. Et quantum hæc elevat Dio Cassius, dum posteriore Tiberij expeditione nihil memorabile actum perhibet? Nec alius, ipso Velleio testante, eventus fuit: *Victor enim Tiberius cum incolumi, et semel tantummodo magnâ cum clade hostium, fraude eorum, tentato exercitu, in hybernâ legiones reduxit, eâdem quâ priori anno festinatione urbem repetens.* C. Sentio Saturnino honores triumphales à Senatu populoque Romano decreti; Augusto Cæsari ac Tiberio Germanici nomen datum, tanquam omnibus triumphi ornamentis gloriosius: nec tamen aliud his bellis confectum, quàm quòd horum metu bis Germani pacem acceperint. Interim Velleius: *Nihil jam erat in Germania quod vinci posset, præter gentem Marcomannorum.* Quæ hæc scriptoris Romani vanitas, quæ adulandi libertas? Itane jam trans Albim nullæ amplius Germanorum gentes? aut quæ intra Rhenum, Visurgim atque Albim ita victæ? ut non magis delinita, quàm debellata adhuc fuerit Germania, satis id Variana clades patefaciet.

Velleius l. 2. *Dio lib. 55.* *Lib. 2.*

Pace cum Germanis inter Rhenum atq; Albim initâ, anno proximo Tiberius Cæsar diversis è partibus Maroboduum Marcomannorum ducem aggredi statuit. Constantem is principatum occupaverat, certumque imperium Regni instar, ex quo vim regiam complexus animo, exercitumque LXX. millium habebat in armis, ad Romanæ militiæ disciplinam usumque armorum institutum. Legati, quos ad Cæsarem mittebat, interdum ut supplicem commendabant, interdum ut pro pari loquebantur. Inhærebant huic Duci Hermunduri, Senones, Longobardi, Suevi, finitimique inter Visurgim & Albim Germanorum populi. Bellum etiam eò sollicitius sumptum à Tiberio, quò magis veritus, ne si Maroboduum aggrederetur, Cheruſci, Catti, tum ceteræ inter Visurgim & Rhenum exasperatæ pressæque gentes sese in vindictam, asserendamque libertatem Maroboduo associarent. Hactenus enim desciscentium à Romanis populorum apud Maroboduum fuerat refugium. Bellum interim magnis animis sub initia veris provectum. Tiberius transito Danubio in Bojohe-

An. Christi 9. Augusti Imp. 50. *Velleius l. 2.* V. Tiberij expeditio in Germaniam adversus Maroboduũ Marcomannorum Regem.

Bojohemum movit: Sentius Saturninus jussus legiones ex hibernis Germaniæ Galliæque trans Rhenum ducere in Cattos, excisisque continentibus Hercyniæ silvis occurrere. Abrupit hæc consilia in ipso apparatu motuque in Germaniam Pannoniæ & Dalmatiæ rebellio, qua Augustus Cæsar & tota Italia concussa. Nec alia rebellandi causa erat, quàm quòd tributorum, non minus quàm Germani, impatientes pristinam libertatem affectarent. Omissâ igitur Germaniâ, omne belli robur in Pannones & Dalmatas versum, revocatusque cum exercitu Tiberius ex Germaniâ, & bello Pannonico impositus. Jam enim Augusto suspectus erat Tiberius, tanquam bellum Germaniæ consultò traheret, quò diutius ejus specie in armis esset; nec illa vis ingenij martiusque vigor in Tiberio, quæ in Druso erat. Additus Tiberio Germanicus Cæsar Drusi filius, juvenis in omnium virtutum bellicarum exempla genitus, paternæque gloriæ æmulus. Egregia Germanicus hoc bello experimenta cœpit ostenditque, majora pòst in Germania ex paternis vestigijs daturus. Tractum hoc bellum in quartum annum; ac pacificatione magis quàm ferro compositum. Bato enim Pannonum dux, cùm se ultrò dederet, rogatus à Tiberio, cur Pannonij ac Dalmatæ tam perfidè ac ferociter rebellassent; *Vos*, inquit, *Romani in causâ estis, qui ad gregem vestrum custodiendum non canes, neque pastores mittitis, sed lupos.* Ea nimirum præsidum erat avaritia sævitiaque in subjectos sociosque Romanorum populos.

Dio lib. 55.

Dio lib. 55.

An. Christi 10. &c. Augusti Imp. 51. &c.

VARIANA Clades.

Hæc inter bella Germanis respirandi, armandique se pro veteri libertate asserenda datum est spatium, ne similia ceteris in tributorum pensitatione, & Romanorum servitute paterentur. Opportunus ad id *Quintilius Varus*, qui post Tiberij discessum ex præfecturâ Syriæ evocatus, Galliæ Germaniæque impositus est præses, custosq; Rhenani limitis; inde per annos aliquot Germanis otium fuit, sub lento & imbelli præside. Non ille armis Germaniam domandam censuit, sed mitigandam usu, consuetudine, & indulgentia: ideo ille condere leges, dicere jura, mores Romanos inducere; perinde ut his artibus Gallorum Belgarumque animi ad Romanorum mores, imperiumque accipiendum traducti erant; ideo erigere prætoria, condere oppidà, præmunire castella, hyberna trahere, donec memorabili pòst illâ clade à Germanis affectus, quam omnes eorum temporum scriptores celebrem fecêre; nec ulli explicatius quàm Dio Cassius, Velleius, Florus ac Tacitus perscripsêre. Horum fide verbisque etiam magnam partem, quia intra hujus Diœcesis fines à Romanis accepta est, referre cumprimis interest; Si de anno cladis priùs, quem obscurum reliquerunt, conveniri possit. Reperias enim, ut in monumentis Paderbornensibus est relatum, qui annum cladis ab ortu Christi IX. alij X. alij XI. alij XII. censent. Sed Tacitus hîc nos expedit,

dit, nescio an ab alijs obsérvatus, qui sextum post cladis annum primam Germanici expeditionem in Germaniam tradit; is verò, cùm Tiberij Cæsaris imperantis secundus, urbis verò conditæ DCCLXIIX. sit, ex quo retro si numeres, conficitur annus V. C. DCCLXIII. Christi verò XII. Rursum Tacitus cædem Cattorum, quæ anno V. C. DCCCIII. facta est, quadragesimum à clade Varianâ asserit. Justa, inquit Lipsius, supputatio, quâ cladis Varianæ annus V. C. DCCLXIII. simul asseritur, P. Cornelio Dolabella, & C. Junio Silano Consulibus, ad quos Consules annumque urbis conditæ, etiam Dio Cassius ac Velleius finem belli Pannonici, & nuntium acceptæ cladis Varianæ referunt. Inde mox etiam triumphus, qui Tiberio & Germanico oblatus erat, ob luctum urbis intermissus, Tiberioque eodem anno Germaniæ præfectura bellumque denuo imperatum. Quod altero dehinc anno, urbis verò conditæ DCCLXIV. M. Æmilio Lepido, & Statilio Tauro Consulibus Tiberius & Germanicus sumpserunt. Cladis diem etsi quotannis mœstum ac lugubrem habere voluerit Augustus, haud minus tamen incertus est, eumque velut ex composito siluêre auctores, relaturi si victoriæ ac triumphi fuisset. Tantum Florus subobscure, *Varus*, inquit, *perditas res, eodem quo Cannensem diem Paulus, et fato est, et animo secutus*; at cum ea ad Cannas clades IV. Nonas Sextiles sit accepta, eundem quoque cladis diem à Floro designari volunt; abnuunt id, qui per diem tantummodo cladem notari contendunt; at quid vetat utrumque hac voce commonstrari, quando in fastis Romanorum infausti atque atri dies utrumque significant; perinde ut apud Livium clades Cremonensis atque Alliensis eodem die signatur? Et cur Florus hîc magis cladem ad Cannas, quàm vel ad Ticinum, vel ad Trebiam, vel ad Trasimenum lacum introducit? nisi ut ex Cannensi clade eundem diem Varianæ adsignet? Sanè tempus anni, quo per æstivos menses Varus ad Alisonem hæsit, & litium causas pro tribunali extraxit, haud multum cladem à Sextili mense disjunxit. Fuit & Augusto Cæsari etiam hic mœstus dies, quòd Augustum mensem suo nomini dicatum clade hac fatalem habuerit; ut vel inde Romani scriptores nefastum hunc diem cum mense tàm apertè non consignârint. Sed nunc ipsam cladem Varianam insignemque illam Germanorum victoriam tot scriptoribus memoratam certiùs dicamus, quando inter Romana monumenta resque gestas à priscis horum locorum gentibus nihil illustrius hæc nostra Diœcesis possidet,

Tacitus l. 1. ann.

Tacitus lib. 12. ann.

Dio Cassius lib. 56.

Velleius l. 2.

Causaubon' in Sueton. cap. 23. de Augusto

Dio lib 56.

Velleius l. 2.

Florus lib. 4. c. 12.

Svetonius in August. c. 23.

In Tiberio c. 17.

Tacitus lib. 1. ann.

Plinius l. 7.

Postquam igitur Quintilius Varus antè etiam cum Tiberio consul, nunc Tiberij successor in præfecturâ belloque Germanico, proconsulis auctoritate cum exercitu Rhenum transgressus, non armis, quibus hactenus indomitos compererat Germanos, sed novis artibus censuit subigi posse, & ex suo ingenio suisque moribus, qui corruptissimi erant, repentè formari in alios homines. Vir quippe mollis & lan-

An. Christi 12. August. Imp. 53.

Xiphil. in Augusto

Zonaras in Augusto tom. 2.

Velleius l. 2.

& languidus, animo quàm corpore immobilior, otio magis castrorum quàm bellicis durisque rebus assuetus, pecuniæ cupidissimus. Satis id ex præfectutâ Syriæ cognitum, *quam pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit.* Suæ gentis, quod plerisque insitum, æstimator, alienæ contemptor; *concepit Germanos esse homines barbaros, qui nihil præter vocem membraque haberent*: Quippe qui armis frangi non poterant, ratus posse usu & jure dicendo mitigari. Quo proposito mediam ingressus Germaniam, velut inter viros pacis gaudentes dulcedine verborum, jurisdictione, agendoque pro tribunali ordine habebat æstiva. Nimirum ad castellum Alisonis, ubi castra posuit, Drusi Tiberijque vestigia secutus, qui ijsdem in locis castra sua habuerant, ac belli sedem fixerant: inde enim postea dolo Arminij extractus in circumpositos Teutoniæ montes ad fatalem cladem, ubi Romani milites, ut à Dione additum, & suprà à nobis relatum est, hiberna habebant, urbes condebant, *Barbari Romanorum mores accipiebant, in forum conveniebant, congressusque cum illis pacatos agitabant.* Velleius l. 2. Ac tolerata hæc à Barbaris, aut dissimulata, dum ab alijs Romanorum præfectis ex æquo bonoque agebatur; nec gravatè ferre sunt visi, se in leges Romanæ Reipublicæ formari, exuique barbarum vitæ cultum, ut Coloniæ apud Ubios, ceterisque trans Rhenum oppidis & locis fieri intelligebant; perinde ut inter Pannonios per id tempus non disciplinæ tantummodò, sed & linguæ quoque Romanæ notitia, & literarum usus introductus erat; quibus artibus Romani barbaras gentes potentius, quàm per arma, in obsequium societatemque suæ Reipublicæ componi posse credebant. At postquam Varus non modò prætorium forum, & tribunal hîc ad Alisonem inter medios Germanos erigere, convocare populorum cœtus, jus dicere; sed & leges tanquam servituti subjectis imperare; pecunias & tributa tanquam à servis, & servitia ut à mancipiis exigere; superbiam juxta ac sævitiam ostentare cœpit; quasi violentiam Barbarorum lictorum virgis & voce præconis posset inhibere, gentemque hanc perinde ut Syros per avaritiam & dominandi libidinem tractare; Tum verò Germani, *quod nisi expertus quis crediderit, in summâ feritate versutissimi, natumque mendacio genus simulando fictas litium series, et nunc provocantes alter alterum injuriâ, nunc gratias agentes, quod eas Romana justitia finiret, feritasque sua gentis novitate incognitæ disciplinæ mitesceret, et solita armis discerni jure terminarentur, in summam socordiam perduxêre Quintilium, usq; eò, ut se prætorem urbanum in foro Romano jus dicere, non in mediis Germaniæ finibus exercitui præesse crederet.* Planè hæc Velleium dicere audimus. Quòd autem Germanos *natum mendacio genus hominum* scribat, abnuimus Germani.

— *Dolus an virtus quis in hoste requirat?* Poëta Romanus hæc veriùs quàm hic Velleius historicus. Belli causa hîc agebatur

justa

justa Germanis, injusta Romanis; nec alia quàm dominandi libido, accensa per avaritiam & sævitiam Vari. Postquam ex toga sæviora armis jura viderunt Germani, nec iniquam servitutem à cervicibus aliter depellere licuit, quàm militari, concessoque dolo, Varum circumvenêre, stolidumque ducem in insidias protraxêre; quò constaret ingenia Germanorum non minus, quàm eorum arma valere; neque omnem belli artem in Italia nasci. Referam hæc Vellei verbis: Auctor repertorque horum *Arminius juvenis genere nobilis, Sigimeri principis gentis ejus filius, manu fortis, sensu celer, ultra barbarum promptus ingenio, ardorem animi vultu oculisque præferens, assiduus militiæ Romanæ comes, et jam civitatis Romanæ jus, equestremque consecutus gradum, segnitia ducis in occasionem sceleris usus est; haud imprudenter speculatus neminem celeriùs opprimi, quàm qui nihil timeret; et frequentissimum esse initium calamitatis securitatem. Primò igitur paucos, mox plures in Societatem consilii recipit. Opprimi posse Romanos, et dicit et persuadet; decretis facta jungit; tempus insidiarum constituit. Id Varo per virum ejus gentis fidelem, clarique nominis Segesten indicatur: sed prævalebant jam fata consilijs, omnemque animi ejus aciem perstrinxerant: Quippe ita se res habet, ut plerumque qui fortunam mutaturus est, consilia corrumpat, efficiatque, quod miserrimum est, ut quod accidit, id etiam meritò accidisse videatur, et casus in culpam transeat. Negat igitur se credere, spemque in se benevolentiæ ex merito æstimare profitetur.* Lib. 2. Tam secura fuêre omnia apud Varum, & tantâ fiduciâ penetraverat animum ducis Arminius, ut ne milites quidem, quod in hostico fieri solet, uno in loco contineret; sed rogatu procerum Germanorum alios militum infirmioribus Germaniæ populis submitteret, alios præsidij causâ oppidis vicisque imponeret, alios ad arcendos prædones aut subvehendos commeatus attribueret; & qui hæc ad distrahendum & infirmandum Vari exercitum petebant obtinebantque, ex conspirantium Germanorum procerum numero erant, novo dolo Varum circumvenientium. At nondum Varus Arminij consilijs ad opprimendum opportunus erat. Novo igitur & potentiore dolo aggressi Varum, persuadent hostem ex Germanorum copijs collectum haud procul à Visurgi in Teutonicis montium jugis consistere; quam in rem ex composito quidam eminus se ostentabant. Aderat Varo hortator Arminius, ut in hostem cum exercitu moveret, ducem se itineris, & auxilia suorum pollicitus. Ita Varus castris ad Alisonem extractus, progressusque longiùs per saltus Teutoburgienses, eóque securius, quòd per amicorum regiones se crederet procedere. Nam qui ab Rheno statim in Cheruscorum fines & ad flumen Visurgim abductum dicunt, magnopere falluntur, cùm æstiva non alibi quàm ad Alisonem & sub juga montium Teutonicorum quærenda, quo ex loco Varus Arminij astu intra Teutonicos montes protractus; uti id ex progressu regressuque

Variani exercitus,& Dionis narratione,quam hic sequimur, æstimare pronum erit. Igitur Arminius proceresque Germani cum Romanorum cohortibus prægressi exercitum, delatique per montes Teutonicos in locum insidiarum,ubi Arminius suas copias abdiderat. Hic repentè Arminius ceterique procerum ex fictis amicis palàm hostes suis se jungunt,conversique in Romanos primùm abrupta agmina contrucidant: mox undique ex collium valliumque latebris ac saltibus dato signo prorumpunt, Romanumque exercitum magnis detrimentis infestant. Lento is nimirum & impedito gradu trahebatur per saltus & collium anfractus, multumque fatigabatur Romanus in cædendis arboribus, ad viæ transitus aperiendos. Secuta inter currus ingens puerorum, mulierum & calonum turba. Fœda simul eo die pluvia ventorumque tempestas, quibus malis legiones nunc distractæ,nunc impeditæ inter lubrica itinerum. Germani cùm his angustijs intercluſum Varum cernerent, multò audacius collium periti incurrunt, primùmque eminus, & (cùm languidiùs se defenderent Romani) etiam cominus congressi, magnam eo die cladem Varo intulêre, arborum etiam subsidio adjuti, quarum capita & ramos præfectos in Romanos dejecerunt. Eluctati dehinc in apertiora collium loca, præmunitis se castris includunt, & postridie ordinato magis itinere aliquamdiu progressi, iterum in sylvas saltusque implexos arbustis deferuntur; inhærent recedentibus Germani Arminio ductore, & undique coorti illatique magnâ clade afficiunt; quòd Romani angustijs locorum præpediti convolutique in orbem confertim simul in hostem pugnarent, nullo peditum equitumque servato ordine: nec leve minus ab objectu implexarum arborum erat impedimentum, quibus tam hostium latitantium aspectus, quàm certus telorum ictus interceptus. Excepit hanc diem tertia, quæ Varo tandem fatalis fuit; ubi enim cum attritis legionibus emersérat ex prioribus viarum angustiis in planitiem montis Teutonici (quæ inter Hornam & Dethmoldiam oppida,pari ferè intervallo media interjacet, & circum sylvis & saltibus in modum coronæ incincta,hodiedum ab hac pugna victoriæ campus dicitur) hic Varus postremùm castra posuit, valloque & munimentis præmuniit,intraque ea legiones,& omnem militem recepit. Seu inde se ad Alisonis castellum ut tutiorem firmioremque castrorum locum, seu ad Asprenatem avunculum, quem cum duabus legionibus ad Rheni limitis custodiam reliquerat, se recepturus. Intercepêre hæc Vari consilia Germani,Arminio hortatore ad prœlium. Jam enim Bructerorum, Marsorum, Angrivariorum ceterorumque copijs adeò erat auctus confirmatusque, ut parem se ferret Romanis,& fortunam belli experiri auderet juvenis ardore animi,ferociâ gentis, vultu oculisque pugnæ invitamentum. Hoc duce Germani

mani, ut convenerat, ex omni parte sylvis & saltibus effusi improvisum in castra Vari impetum faciunt, vallum perrumpunt, obvios è stationibus depellunt sternuntque. Romani qui nihil horum circumspexerant, subito metu, & barbarorum undique incursantium clamore & furore perculsi, perturbatis ordinibus arma rapiunt. Fœda simul dies erat ventorum tempestate, & infusis imbribus, quo cœli malo usus armorum Romanis impeditur, sagittis, pilis, scutisque madentibus: Germanis hæc minùs noxia erant, quòd plerique levis armaturæ, induratisque ad cœli injurias corporibus, pugnarent adversus consternatos. Primo incursu obrutas legiones perturbant, cædibus grassantur, & ut quemq; ad lanienam magis quàm pugnam casus obtulit, contrucidant. In hac rerum desperatione Varus, cui plus ad moriendum quàm pugnandum animi erat, suo se ense transfodit. Alij dehinc primores acceptis jam vulneribus cùm metuerent, ne aut vivi in hostium potestatem venirent, aut a Barbaris sævum in modum trucidarentur, sibi quisque manus intulerunt. Horum auditâ morte nemo jam etiam eorum, quibus robur adhuc suppetebat, se defendit: alij ducum exemplo se transfodiunt, alij armis abjectis cædi se præbent: nam fugere nemo, etsi maximè vellet, circumventus necessitate poterat. Inter duos castrorum præfectos, quàm clarum exemplum L. Eggius pugnando occubuit, *tam turpe Ceionius prodidit; qui, cùm maximam partem absumpsisset acies, auctor deditionis, supplicio, quàm prælio, mori maluit. At Volumnius legatus Vari, cetera quietus ac probus, diri auctor exempli, spoliatum equite peditem relinquens, fugâ cum aliis Rhenum petere ingressus est. Quod factum ejus fortuna ulta est; non enim desertis superfuit, sed desertor occidit.* Velleius l. 2. Ad ultimum, qui profugis cæsisque præfectis superfuêre, pecorum ritu mactati; vitam interim & mortem nunc ira, nunc venia temperabat; paucos fuga subtraxit. Sævitia cum in omnes, tum maximè in causarum patronos exercita, per quos Varus ante sævierat. *Nihil illâ cæde atrocius cruentiusque, nihil insultatione barbarorum Romanis intolerabilius. Aliis oculos, aliis manus amputabant. Unius os sutum, recisa prius linguâ, quam in manu tenens barbarus, tandem, inquit, vipera sibilare desiste. Ipsius quoque consulis corpus, quod militum pietas humi abdiderat, effossum, ac semiustum* Florus lib. 4. c. 12. Velleius l. 2. hostis feritas laceravit; caput abscissum, latumque ad Maroboduum Marcomannorum ducem, nempe ut similia adversus Romanos ex societate belli auderet; à quo tamen postea missum ad Augustum Cæsarem, gentilis tumuli sepultura honoratum est. *Caldus Cœlius complexus seriem catenarum, quibus vinctus erat, ita capiti illisit, ut simul sanguinis et cerebri profluvio exspiraret. Signa omnia, et aquilæ duæ in barbarorum manus pervenêre; tertiam signifer prius, quàm in hostium manus veniret, revulsit, mersamque intra balthei sui latebras gerens, in cruenta palude sic latuit:* Velleius l. 2. Florus l. 4. c. 12. Ubi altera à Bructeris, pòst altera à Marsis recepta sit,

Velleius l. 2. tempori referam. Ad hunc modum *exercitus omnium fortissimus, disciplina, manu experientiaque bellorum inter Romanos milites princeps, marcore ducis, perfidia hostis, iniquitate fortunæ circumventus*, & trucidatus est. Cæsæ ad internecionem propè legiones tres, totidemque alæ equitum, cohortes sex, auxilia præterea, exauctoratique, qui militarium operum immunes ad prœlij tantummodo usum, & extremos casus sepositi castra sequebantur. Ex his si stragem æstimes, supra xx. millia facilè militum prostrati. Ignominiosa populo Romano clades,

Tacitus l. 1. ann. quâ nulla post Crassi in Parthis cædem magis exitialis fuit. Quanquam si Dionem convenias, evasere robustiores, quibus elabendi spatium dedit Germanorum in prædam cupiditas. Iram in Romanos votaque ut Barbari explerent, pro ritu gentis affixa sunt truncis arborum cæsorum capita, lucis propinquis extructæ aræ, apud quas tribuni, primores ordinum centuriones mactati, devotæ Marti Dijsq; suis victimæ: alij in scrobes & paludes demersi; quidam suspensi ex quercubus & patibulis; alij ad ludibrium circumducti, nullo deditiorum, captorumve discrimine. Quantùm à Druso sævitum in Germanos, tantùm vindictæ & crudelitatis repensum in Romanos. Non quievit victor Arminius, quippe è vestigio insecutus Romanos, agmen aliud in ericeto Sennæ trucidavit. Servant adhuc villæ binæ sub juga Teutonicorum montium ab ossibus cadaverum nomen, perinde ut gemini rivi per Sennam & Diœcesin Paderbornensem decurrentes, alter rubeus à tabe sanguinis, alter osseus ab injectis cadaveribus posteris appellatur; satisque testantur ossa humana, telorum fragmina, varia armorum genera ac numismata Romanis signis percussa, quæ in campo victoriæ, ceterisque apud nos locis eruuntur. Mox à prœlio omnis vis bellica ad castellum Alisonis obsidendum expugnandumque conversa. Perstitit in eo post cladem Lucius Cæditius præfectus castrorum, eorumque, qui unà circumdati Alisone immensis Germanorum copijs obsidebantur;

Velleius l. 2.

Tom. 2. in Augusto Cæsare. is impetum Barbarorum fortiter sustinuit. Quippe ut Zonaras præter alios explicatius hæc scripsit: *Barbari post cladem Vari, omnibus munitionibus, una excepta, sunt potiti: quam dum oppugnant, neque Rhenum trajecerunt, neque in Galliam impressionem fecerunt, ac ne castellum illud quidem expugnare potuerunt ex obsidendi imperitiâ et Sagittariorum, quibus Romani utebantur, multitudine, à quibus repulsi multis suorum interfectis. Deinde cum præsidiis Rhenum teneri, et Tiberium cum magnis copiis adventare fama allatum fuit, plerique à castello recesserunt, reliqui ne subitis hostium excursionibus infestarentur vias obsederunt, simul obsidione simul penuriâ commeatûs obsessos ad deditionem adacturi.* Id verò castellum quod à clade solum in potestate Romanorum est retentum haud aliud sanè quàm Alisonis dixeris ad confluentes *Luppiæ* & *Almæ* fluviorum, in subjecta Teutonicorum montium planitie haud procul

cul à loco cladis inter Visurgim ac Rhenum in mediâ Germaniâ, quo nullum celebrius hactenus ex Romanorum historia eâ belli tempestate, hisce in regionibus cognitum est, quod & à clade Vari Germanis copijs obsessum scribit Velleius. At Romani quoad commeatus suppetebat, exspectatione auxilij constanter obsidionem tolerabant; pòst ubi absumptâ annonâ, nec auxilia adfuêre, deserto Castello, ferro sibi reditum quærere ad Rhenum consultum habuerunt, speculati ad id noctem ventis & imbribus turbidam; ac primas secundasque Germanorum excubias silentiò transgressi, ad tertias demum comprehenduntur; ac parum abfuit, quin omnes ad internecionem delerentur, nisi ipsos Barbaros prædæ cupiditas aliò atque aliò distraxisset, quâ opportunitate expeditissimus quisque sese servavit. Forte tum tubicines signum cursus accinuêre, quo cum Germani in suspicionem adventantis hostis venirent, & nox simul tenebras intenderet, Romanos persequi destiterunt. Ita Alisonis Castellum vigesimo demum, ex quo structum erat, anno in Germanorum potestatem venit. Lucius Asprenas, qui legatus sub avunculo *suo Varo militabat, navâ virilique operâ duarum legionum, quibus præerat, exercitum immunem tantâ calamitate servavit, maturéque ad hyberna descendendo vacillantium etiam cis Rhenum sitarum gentium animos confirmavit.* At is cùm apud *Vetera castra*, quod nunc oppidum *Sanctense* est, reputetur constitisse, fugientes ab Amasi & Luppiâ in tutelam suscepit: obstititque ne Arminius victoriâ inflatus Rhenum transcenderet, aut pro libidine ad Rheni ripam grassaretur. Florus hac clade factum memorat, ut *Imperium quod in littore Oceani non steterat, in ripâ Rheni fluminis staret.* Dio Cassius post cladem Augusto Cæsari renunciatam, perhibet Germaniam adhuc præsidio contentam, nec hostem ausum fuisse Rhenum transire. Id verisimilius, Arminium hostes suos longiùs prosecutum esse, & omnem illam viam ad Rhenum usque fugitivorum cœdibus consignasse; quo modo mihi conciliandi videntur, qui cladem Varianam ad montem Strombergensem, haud procul istic à Luppiâ flumine editam tradunt. Tenuis quidem istic rivus *Lise* in Luppiam influit, unde adsitum *Lisibornæ* Cœnobium nomen trahit, eumque rivum Alisonem volunt; verùm nec ibi celebres Teutonici montes Visurgi prætexti, nec castellum Alisonis ad confluentes Luppiæ & Alisonis. Agmen interim aliquod Romanorum secundum Luppiæ amnem fugitivum ab Arminio ad Strombergam cæsum non abnuerim, perinde ut Warendorpium ad Amasim flumen situm à Vari stativis castrorum nomen servari volunt. Mihi nunc fatalem cladis locum propè Dethmoldiam in Teutonicis jugis demirari magis lubet, quòd istic, ubi Arminius Varum Romanosq; devicit, & Germanis amissam gentis libertatem reddidit, eodem propè loco Carolus Magnus ingenti prœlio

stravit Widekindum Magnum & rebelles Saxones, libertatemque Christianæ religionis genti sanctissimum donum asseruit. Captivos Romanorum, quos Arminius & Germani abduxêre, alios passi sunt precio redimi, eâ tamen lege, ut extra Italiam manerent : *alios etiam, ut Seneca sensit, ex senatorum gradu ad servitia abstractos, pastores gregis, et custodes cásularum suarum fecêre.* Haud aliter enim Romani captivos Germanorum tractaverant, quos aut inter gladiatores in mutuam necem depugnare adegerant : aut alijs injurijs supplicijsque in probrum gentis affecerant. Tum gentis libertate provocatus Segimundus Segestis filius, jam ante Sacerdos ad aram Ubiorum creatus, ruptis Vittis profugit ad suos.

Senec. Epist. 47.
Tacitus l. 1. ann.
Dio lib. 55.

At cladis Varianæ nuntius posteaquam Romam perlatus est, incredibile quantum Augustum Cæsarem Urbemque perculerit. Cæsar profectò adeo fuit consternatus, ut veste lacerata, submissoq; capillo & barba, caput interdum ex mœrore & indignatione foribus illiserit, vociferans, *Quintili Vare legiones redde.* Quo in luctu per multos continuò menses se domi abdidit, nec in publicum processit, veritus ne Germani Gallique post amissum belli robur factâ conspiratione Italiam irrumperent. Idem à Pannonijs Dacisque metus, crudo adhuc ejus belli vulnere, neque per pacem obducto. Certè triumphus, qui ex hoc bello confecto Tiberio & Germanico decretus erat, ob publicum urbis luctum intermissus. Detersо luctu, comprimisque quòd intelligeret L. Asprenatem cum duabus legionibus hac clade intactum atque incolumem adhuc superesse ad Rheni limitem custodiendum, Augustus & Senatus ad sarciendam cladem, & securitatem Italiæ atque Urbis omnia convertêre : Voti ludi Jovi opt. Max. si Rempublicam in meliorem statum vertisset, quòd Cimbrico & Marsico bello in summo discrimine factum : dispositæ per Urbem excubiæ, ne quis se domi tumultus commoveret ; prorogatum imperium præsidibus provinciarum, instituti novi delectus militum, armata juventus urbana ; tametsi ea non magni momenti superesset. Et quoniam qui militari erant ætate, dare nomina detrectabant, ex ijs qui nondum trigesimum annum attigerant, quintum quemque, ex natu majoribus decimum quemque, ut sors ducta obtulit, ad militiam evocavit : cùm ne sic quidem parerent, alios bonis, quosdam morte mulctavit. Scriptus & libertinus miles, quo genere militum nonnisi bis ante usus Cæsar, semel ad præsidia coloniarum in Illyrico, iterum hoc Germanico bello ad tutelam Rheni. Qui ex Germanis Gallisque versabantur in Urbe peregrini, complures in insulas amandati. Germani milites, quos supra diximus inter armigeros & custodes corporis ab Augusto adlectos, tum primum exauctorati, jussique Urbe & Italia excedere, tanquam Germani Cimbricum Teutonicumque bellum resumpturi Ita-

Dio lib. 56.
Sueton. in August. c. 25.

ri Italiæ imminerent. Tantum unus Arminius belli fulmen ex longinquo, quantum Hannibal propè trepidationis injecerat; actumq; fuisset, si tam Galli, Pannonijque ac ceteræ ad Danubium & Rhenum gentes, quàm Germani pro libertate conspirassent. His quiescentibus satis habuit in præsens Arminius & Germaniæ proceres Romanos trans Rhenum depulisse, & Germaniæ suæ trans Rhenanæ pristinam libertatem reddidisse. Quo primo militari facto Arminius *liberator Germaniæ* appellatus est. Juvat nunc hanc Varianam cladem & Germanorum victoriam, quam FERDINANDUS Episcopus & Princeps noster, haud minus quàm ceteri scriptores inter Monumenta Paderbornensia celebrem fecit inscripsitque, hoc loco interjungere, tanto digniore elogio, quo illustriùs à Germani sanguinis Principe genti suæ & posteritati ex profluenti ingenij vena & calamo est consecratum.

CLADES. VARIANA
MEMORIÆ· SACRUM

EN. UBI. ROMANÆ. CLADIS. MONVMENTA. SVPERSVNT
VARVS. ET. ARMINIO. STRATUS. AB. HOSTE. IACET
ET. CAMPO. IN. MEDIO. NOTVM. VICTORIA. NOMEN
SERVAT. ADHVC. NOSTRIS. INCLYTA. TEMPORIBVS
AVSPICIIS. RAPVIT. PVBES. GERMANA. SECVNDIS
IMPERII. GEMINAS. NOBILE. PIGNVS. AVES
DESINAT. EVPHRATES. PARTHOS. MEMORARE. TRIVMPHOS
CLARIOR. EST. CÆSO. LVPPIA. QVINTILIO
REDDIDIT. ILLE. JOVI. CRASSORUM. SIGNA. LATINO
HIC. AQVILAS. VICTOR. POSSIDET. USQVE. SVAS

FERDINANDVS. DEI. ET
APOSTOLICÆ· SEDIS· GRATIA
EPISCOPVS. PADERBORNENSIS. COADIVTOR
MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES
PYRMONTANVS. ET. LIBER. BARO. DE
FVRSTENBERG

VARIANÆ. CLADIS. PENE. EXITIABILIS. ROMANIS
CÆSARE. AVGVSTO. AD. TEVTOBVRGIENSEM. SALTVM. INTER
AMISII. ET. LVPPIÆ. FONTES. ARMINIO. DVCE. A. CHERVSCIS
BRVCTERIS. MARSIS. ET. CONTERMINIS. GENTIBVS
ILLATAE. M. H. P

Ab

Ab hac clade Varianâ, & Germanorum trophæis, id unum egit Augustus Cæsar, ut Germanorum bellum, & Arminij Germanorumque impetum sisteret; & quia apud ceteras per Imperium gentes pax & quies armorum erat, eò omnis belli apparatus & cogitatio est versa. Primùmque Tiberius Cæsar, apud quem post Augustum summa erat domi militiæque auctoritas, missus celeriter cum eâ manu & multitudine, quam ex veteranis, urbanâ juventute, & libertinis sorte delegerat: Ac quàm raptus, invitusque miles, tam discors subinde & tumultuarius post Augusti excessum. Cum his tumultuarijs copijs Tiberius eodem etiam anno ante hyemem festinavit in Germaniam, nullâ re alia memorabili gestâ, nisi quòd castella præsidiaque ad Rhenum ijs tumultuarijs copijs præmunierit. Inde Romam est regressus; intellexitque tum coram ab eo Augustus, quod ante per literas docuerat Tiberius, Arminium Rheni transitum non pertentasse, Germanosque intra suos fines se continere; deinde superesse quædam castella in Germania Romanorum præsidijs retenta; seu illa in Cattis, sive in Frisiæ oris, Rhenique & Amisiæ ostijs, sive alibi fuerint à Druso istic imposita; Alisonis certè castellum, ut jam diximus, desertum. Neque L. Asprenas quicquam in amissâ Germania ausus repetere, cui satis erat Rheni limitem tueri. Nec alia Cæsaris Augusti in præsenti rerum perturbatione cura fuit, quàm limitem Rheni præmunire, claustrum adversus Germanos Romani Imperij, quos jam toties aut prædarum cupidine, aut Galliarum affectatione Rhenum transisse noverat. Vel inde jussus ab Augusto Drusus tot castellis Rheni limitem firmare, quorum ille quinquaginta, ut supra diximus, exstruxit. Horum præcipua quæ ad nos pervenêre, *Mogunciacum*, *Antoniacum*, *Bonna*, *Colonia Ubiorum*, *Durnomagum*, quod hodie *Dormagen*, *Burungum*, *Novesium*, *Gelduba*, paulum supra *Ordingam*, *Castra Vetera*, eò loci ubi post Sanctense oppidum emersit; frequens illic & opportunus trajectus Rheni ad influentem Luppiam prope Wesaliam in Bructeros, Usipetes, Tencteros, Sicambros secundùm Luppiæ ripas ad castellum Alisonis; deinde ad Visurgim & medios Germaniæ fines ad interiorem Germaniam debellandam. Altero qui cladem Varianam secutus est anno M. Æmilio & Stabilio Tauro consulibus, omni apparatu bellum ab Augusto Cæsare adversus Arminium Germanosque insumptum, eóque securius & potentius, quòd ceteræ per Imperium nationes toto prope orbe terrarum pacatæ, adhuc quiescerent, *nec ullum eâ tempestate bellum*, ut Auctor est Tacitus, *nisi adversus Germanos, abolendæ magis infamiæ ob amissum cum Quintilio Varo exercitum, quàm cupidine proferendi imperii, aut dignum ob præmium.* Id bellum clarissimis in Republica Romana Imperatoribus Tiberio & Germanico ab Augusto Cæsare est demandatum; contractisque ex Galliâ & citeriori Germa-

Dio lib. 56. VI. Tiberij expeditio in Germaniam.

Velleius l. 2.

Annus Christi 13. Augusti Imp. 54.

Dio lib. 56.

Tacitus lib. 1. ann.

VII. Tiberij expeditio in Germa-

Germaniâ legionibus, sub vernum tempus itum cum florentissimo exercitu & ingentibus militum animis ad Rhenum. Magnificè de hac expeditione loquentem Velleium audias: dispositos nimirum à Tiberio exercitus, munita præsidia; inde per Rhenum transmisso milite, hostem, qui Cimbricam Teutonicamque minitabatur Italiæ ruinam, depulsum; territum Arminium & procul à Rheno submotum: penetrata interiora Germaniæ, apertos limites, vastatos agros, ustas domus, fusos obvios. Dionem & Suetonium si hæc narrantes legas, vanus assentatione suâ Velleius videbitur. Nec enim tam gloriosa hæc Tiberij expeditio: quippe cùm ad Rhenum perveniisset, hæsitavit cum exercitu, incertus metu Germanorum an flumen transiret. Ob id legatus legionis, quòd paucos milites cum liberto Tiberij trans Rhenum venatum misisset, ignominiâ notatus. Exploratis omnibus, tandem traduxit exercitum, castris haud procul à Rheni ripâ positis, valloque præmunitis; ipse in cespite nudo sedens cibum sumpsit, & sæpè sine tentorio pernoctavit, in hostem excubans, nec tamen sine periculo; parum enim abfuit, quin à Bructero quodam castra ingresso per audaciam hominis occideretur. Nec ultrò intrata Germania, nisi quòd vicini circùm agri populationibus vexati, prœlium nullum confertum, nec ullus subactus populus. Veritus enim Tiberius, ut à Dione relatum, ne si ab Rhéno longiùs procederet, alteram Vari cladem ab Arminio & Germanis referret. Adeò cruenta hæc & tabe adhuc spirantia terrebant vestigia. Longiùs certè processisset, si Aliso belli superioris sedes retentus fuisset. Ita æstas in castrensi otio consumpta à Tiberio & Germanico; ac ludi tantummodò solennes in honorem natalium Augusti celebrati equestribus centurionum certaminibus; tanquam Germanorum bella inter otium & luxum tractarentur, seu ut seni Augusto, populoque Romano ludificarent juvenes novique Cæsares. Ludis peractis, exercitus in hyberna reductus; Tiberius & Germanicus in Italiam regressi, magnificentissimum non de Germaniâ victâ, sed de Pannoniâ & Dalmatiâ ex superioris belli meritis triumphum duxêre. Ita & populo ludificatum. Novies Tiberius gloriatur in epistola se ab Augusto in Germaniam missum: hæc postrema ejus expeditio fuit; Una tantùm ob res gestas in Germaniâ triumpho digna reputata à Senatu. Ornamenta tamen triumphalia modò decreta ex Germanicis bellis Tiberio. Augustus cum à clade Variana nihil adversus Germanos evinci cerneret, ac ne unam quidem Regionem intra Visurgim & Rhenum tot importatis exercitibus in provinciæ formam redigi posse, fessus bellorum Germanicorum, consultum habuit Imperium Romanum inter præsentes terminos claudere, quòd jam tantùm terrarum & nationum acquisitum esset, quantum una Respublica, jam sibimet dominandi potentia & amplitudine regionum prægravis, admini-

niam.

Lib. 2.

Dio lib. 56. Sueton. in Tiber.

Tacitus l. 1. ann.

Suetonius in August. Tacitus l. 1. ann. Julianus in Menippæa. Lipsius in notis.

ministrando capere posset; finesque Imperij Euphratem, Danubium, Rhenum & Oceanum designâvit. Jam orbis terrarum quantus intra hos terminos stringitur, victus erat: invicta Germania; & cæso etiam Varo, triumphabat victrix, Romanorum aquilis, & signis nondum receptis. Ceterùm præter triumphum Tiberius & Germanicus Cæsares Romæ honoribus ornati, tanquam mira patrassent in Germania. Germanicus cum C. Fonteio consul dictus. Augustº Tiberium unàq; Agrippam juvenem ex filia nepotem adoptavit, vicissim Germanicum à Tiberio adsciri in adoptionem jussit, ad regnatricem domum firmandam. Rheni limes legatis commissus ad tutelam. Cæsares urbicis capti, Romanis se ludis oblectavêre; occiditq; Germanicus læto populi spectaculo ducentos leones; tutiora hæc in circo quàm in campo Germanorum prœlia.

An. Christi 14. &c. Augusti Imp. 55. &c. *Dio lib. 56.*

Germanico dehinc & Fonteio Capitone Consulibus, Augustus senio confectus extrema componere cœpit; adeo jam pedes cum viresque omnes destituerant, ne in senatum veniret amplius: & vox, ne proloqui posset. Omnia hinc in Tiberium vergere tanquam in successorem, annis maturum, & multa vitia tegentem animo, quæ cum imperio se prodidêre. Quanquam Augustus Successorem Agrippam juvenem ex filiâ nepotem præ Tiberio privigno designârit. Sed ab eo abhorrebat senatus, ob trucem juvenis indolem & belli inexpertem. Utroque Germanicus bellicâ indole & fortitudine melior, gratiorq; senatui ac populo, ob Drusi patris memoriam. At Liviæ artibus, potentis apud Augustum maritum fœminæ, his prævaluit Tiberius. Quieta per hæc nonnihil Germania. Nec tamen Augustus ita senectute præfractus, quin sub extremum vitæ belli curas resumeret, intento quàm maximè animo in Rheni limitem & Germaniam ulciscendam. Eò Germanicus in Galliam missus, & octo apud Rhenum legionibus impositus. Validum id belli robur, quòd cum suis auxilijs & equitatu nonnulli ad centum millia censuere militum. Quatuor legiones ad superiorem Rheni ripam inter Tribocos, Nemetes, Vangiones, nimirum ab Alsatiæ finibus Mogunciacum usq;: quatuor ad inferiorem Rheni ripam apud Ubios, & per adiacentia Rheno loca ad Vetera usque castra, & Frisiam dispositæ. Omnis hæc vis bellica metu Arminij & Germanorum ad Rheni custodiam contracta, & per quadraginta Drusi castella est divisa. Et quia idem simul metus incesserat à Pannonijs, Dalmatis, & ceteris trans Danubium populis rebellionem machinantibus: seu hi victoria Arminij provocati, seu à Germanis sollicitati fuerint ad belli societatem. Augustus Cæsar bello Illyrico Tiberium imposuit, abeuntemque in Campaniam Beneventum usque comitatus est; ipse deinde Nolam petijt, ubi cum invaletudine & senio ad extrema vitæ urgeretur, revocatus ex itinere à Liviâ matre Tiberius, spirantemve adhuc an exa-

an exanimem repererit, haud satis compertum. Excessit Augustus XIV. Kal. Septembris Anno Christi XVI. ætatis LXXV. Imperij post Actiacam victoriam XLIV. inter virtutum & vitiorum libramenta magnus: versoque rerum statu, & invecta primùm Monarchia Reipublicæ, Urbis non minus, quàm Orbis domitor. Nulla tamen trans Rhenum Germaniæ pars omnibus hisce bellis & totius Imperij nervis subacta in provinciam. Stitêre hic fata armorum cursum, tanquam Augusti nomen istic clauderent, unde cum Francis & Saxonibus aliquando surrecturum esset.

Obitus Augusti Cæs. An. Christi 16. *Dio Baronius,* Alij mortuum volunt Ann. Christi XIV.



LIBER

LIBER II.

VVESTFALIÆ ROMANÆ.

Tiberius Cæsar post excessum Augusti.

Sueton. in Tiber. c. 21.

SUccessit Augusto Tiberius, jam antè Imperatoris nomine adscitus collega, fortitudine bellicâ multum Augusto remissior, vitijs deterior, moribus dirior; quæ cùm in successore agnosceret Augustus, *miserum*, dixit, *populum Romanum, qui sub tam lentis maxillis erit.* Felicia interim orbi Christiano tempora. Quàm enim celebris Augusti principatus natali Christi, tam is salutaris sub Tiberio morte Servatoris pro humano genere perpessâ, clarusque primis Christianæ religionis exordijs, quibuscum novum Christi Regnum, tot vatum & sæculorum oraculis promissum, exurgere cœpit. Contrà Romanum Imperium ab excessu Augusti, quocum ad fastigium potentiæ pervenerat, sensim in pejus prolabi, Cæsarum regentum malo, Magistratuum avaritiâ, discordijs civium, potentum vi atque ambitu; donec postremùm solutis legibus, & corrupta veteris Reipublicæ disciplinâ, per luxum & vitia in præceps itum. Accessit longè potentius malum ab exteris barbarisque gentibus, quas justa numinis ira torrentis instar ad exitium Reipublicæ ruere permisit; ut quantum Romani vel sceleribus contaminarent priscos Reipublicæ mores, vel sævirent in Christianos Cæsares, Tyranni, ac provinciarum sanguinarij Præsides; tantum fortunæ & felicitatis pristinæ subtraheret Deus barbarorum in Imperium incursionibus; donec Gothi, Alemanni, Wandali, Longobardi, Schytæ & Getæ discerperent, raperentque postremùm Franci Germaniæ populi. Ita se nimirum habent regna, ut quibus virtutibus sunt parta, ijsdem contrà vitijs amittantur.

Livius l. 1. Dec. 1. Salustius in Catil. bello. Tacitus l. 1. ann.

Ipsa statim Tiberij exordia imperandi incerta, turbida & invisa domi forisque, civibus veterem libertatem Reipublicæ affectantibus, quam ab Augusto per vim atque dominandi libidinem oppressam noverant. Drusus si superstes mansisset, creditus fuit pristinum Reipublicæ statum libertatemque redditurus, quod Tiberio succeden-

cedente agitatum à multis Romæ. Neque exteræ provinciæ tantùm, Gallia, Pannonia, Dalmatia, aliæq; complures respectare arma, molirique conspirationes, asserendi se Germanorum exemplo in pristinam libertatem, exsortemque Romani dominatus statum; Sed & Romanorum legiones in Pannoniâ, Galliâ & ad Rhenum exardere dissidijs, cœptare seditiones, & multa postulare, quæ metu & potentiâ Augusti toleranda fuerant; quæque ad eum diem malè pressa ingenti flammâ erupêre. Alij palàm Tiberium aspernari, & Germanicum poscere Cæsarem: militum alij missionem flagitare: quidam stipendiorum angustias, & præfectorum sævitiam accusare; tantoq; motu seditio hæc exarsit in Pannoniâ, ut legatis vim inferrent, necemque intentarent, & legiones inter se discordantes ferrum in se mutuo tanquam in hostes stringerent. Sed Pannonica seditio coërcita per Drusum filium, quem Tiberius misit in castra cum prætorianis militibus & robore Germanorum; jam enim Germanos, quos Augustus è custodia corporis post cladem Varianam abjecerat, Tiberius receperat inter armigeros ob fidem & constantiam armorum: quorum etiam præsidio Drusus Tiberij filius ab irrumpentibus seditiosis servatus. Sub idem tempus multò furiosius legiones ad Rhenum tumultuari cœperunt: tribuni castris exturbati, trucidati centuriones: & cadavera in Rhenum projecta, simul omne militare imperium confusum. Octo hæ legiones erant in duos exercitus divisæ, alteri exercitui ad superiorem Rheni ripam Silius legatus, alteri apud Ubios ad inferiorem Rheni partem Cæcinna præerat, summa rei penès Germanicum Cæsarem erat. Quibus cognitis: advolat ex Galliâ ad Rhenum Germanicus; jamque rabies eò processerat, ut exutâ omni militari disciplinâ Ubiorum oppidum, apud quod duæ legiones hyemabant, diriperent, & Galliam omnem deprædandam sibi designarent. Seditionis incendium ab eo milite ortum, quem Augustus post cladem Varianam tumultuario opere scripserat, & Rheni limiti custodiendo è tironibus & vernaculâ multitudine imposuerat, duris bellorum insuetum. Haud minus incesserat periculum, si Rheni ripa nudaretur, ne Germani obvolitante Arminio, transmisso flumine irrumperent in Gallias. Nihil non egit Germanicus, quo seditionem in fomite comprimeret, fregitque tandem furentium animos corporis objectu, solutione stipendiorum, & coërcitione suppliciorum: præclaro simul documento, militum seditionem in ipso æstu disijciendam, militumque licentiam severitate, audaciam constantiâ frangendam esse: nam si timeas, tardesvè, dum vires sumat per impunitatem, ægrè prævalescens incendium extinguitur. Cœptavêre & in Chaucis Romani milites seditionem: Auctores duo Vexillarij discordium legionum; at præsenti duorum militum supplicio, quod Menius castrorum præfectus imperârat, paulatim

Seditio Romanorum militum in Pannoniâ. *Tacitus l. 1. Ann.*

Coërcita seditio per Drusum Tiberij filium.

I. Germanici expeditio in Germ.

Seditio militum ad Rhenum. *Tacitus l. 1. Ann.*

repressâ : mox intumescente motu, arma in ipsum Menium conversa. Ille præsidium ab audaciâ mutuatur, raptum vexillum ad ripam vertit, & si quis agmine discessisset, pro desertore fore clamitans, reduxit ad hyberna turbidos, & nihil ultra ausos. Quibus facilè adducor ut Dioni assentiar, post cladem Varianam præsidia quædam Romanorum in Germania trans Rhenum relicta fuisse, comprimisque in Chaucis & Frisijs, ad Amisiæ & Visurgis ostia, per quæ haud multò pòst Germanicus classem invexit. Sumptis apud Ubios reorum supplicijs, abductisque veteranis in Rhætiam adversus Suevos irrupturos, quievit seditio. Idem in castris, quibus Vetera nomen erat, ubi duæ legiones hyemabant, Germanicus per literas facere jussit Cæsinnam legatum. Illæ Germanici accepto imperio, collatoque cum aquiliferis signiferisque consilio, postquam majorem legionum partem in officio vident, de sententiâ legati statuunt tempus, quo fœdissimum quemque & seditionis crimini obnoxium ferro invadant. Tum signo inter se dato irrumpunt contubernia, trucidant ignaros, ut quemque sors vel in cubili, vel in mensa obtulit. Et quidam bonorum cæsi. Postquam intellectum, in quos sæviretur, pessimi quoque arma rapuerunt. Non legatus ipse Cæcinna tutus, non tribunus moderator adfuit; donec Germanicus ipse cum legionibus, quas secundo Rheno ab Ubijs advexerat, castra Vetera ingressus, factum Cæcinnæ probat, & militi seditionis facinus exprobrat. Convictos pudore & conscientiâ, in hostes, quos Germanos trans Rhenum monstrabat, accendit; & milites nullo se merito gloriosius expiare posse seditionis scelus persuasi, Germanico se ad expeditionem in Arminium & Germanos permittunt. *Sequitur ardorem militum Germanicus Cæsar, junctoque ponte* haud procul à castris Veteribus, *duodecim millia ex legionibus, sex et viginti socias cohortes, octo equitum alas* per Rhenum *transmittit. Læti neque procul Germani agitabant. ... At Romanus agmine propero silvam Cæsiam limitemque à Tiberio cœptum scindit, castra in limite locat, frontem ac tergum vallo, latera concædibus munit. Inde saltus obscuros permeat, consultatque ex duobus itineribus, breve ac solidum sequatur* (ad Alisonem per tramites stratorum pontium) *an impeditius et intentatum, eóque hostibus incautum? Delectâ longiore viâ, cetera acceleratur. Etenim attulerant exploratores festam eam Germanis noctem, ac solennibus epulis ludicram. Cæcinna cum expeditis cohortibus præire, et obstantia silvarum amoliri jubetur; legiones modico intervallo sequuntur. Juvit nox sideribus illustris; ventumque ad vicos Marsorum, et circumdatæ stationes, stratis etiam tum per cubilia, propterque mensas, nullo metu, non antepositis vigiliis. Adeo cuncta incuriâ dissecta erant, neque belli timor; ac ne pax quidem, nisi languida et soluta inter temulentos. Cæsar avidas legiones, quò latior populatio foret, quatuor in cuneos dispertit.*

Compressâ seditione, Germanicus instrato ponte Rhenum transit. *Tacitus l. 1. Ann. c 50.* Bellum Germanici cum Germanis trans Rhenum.

Quinqua-

Quinquaginta millium spatium flammâ ferroque pervastat, non sexus, non ætas miserationem attulit. Profana simul ac sacra, et celeberrimum illis gentibus templum, quod Tanfanæ vocabant, solo æquantur. Sine vulnere milites, qui semi somnos, inermes, aut palantes ceciderant. Excîvit ea Cædes Bructeros, Tubantes, Usipetes; saltusque, per quos exercitui regressus, insedêre. Quod gnarum duci; incessitque itineri et prælio, pars equitum et auxiliariæ cohortes ducebant; mox prima legio, et mediis impedimentis, sinistrum latus. Unde vicesimani, dexterum quintani clausêre: vicesima legio terga firmavit, pòst ceteri sociorum. Sed hostes, donec agmen per saltus porrigeretur, immoti; dein latera et frontem modicè adsultantes, tota vi novissimos incurrêre; turbabanturque densis Germanorum catervis leves cohortes, cùm Cæsar advectus ad vicesimanos voce magnâ: Hoc illud tempus obliterandæ seditionis, clamitabat, pergerent, properarent, culpam in decus vertere. Exarsêre animis, unoque impetu perruptum hostem redigunt in aperta, cæduntque. Simul primi agminis evasere silvas, castraque communivere. Quietum inde iter; fidensque recedentibus, ac priorum oblitus miles, in hibernis locatur. At cautè ac timidè adhuc Germanicus ingressus Westfaliæ regiones; nec longius, quàm ut ad Rhenum se facilè reflecteret; nihilque eâ expeditione memorabile editum, præter spolia & cædes imbellis ætatis. Adeo Varianæ cladis vestigia, & Germani ab Arminio exciti terrebant, ne à Visurgi cæteris auxilio advolarent. Satis quoque constat ex hac Taciti narratione, quam idcircò induximus, ubi *Casia Silva*, ubi *Marsi* quærendi. Quippe cùm *castris Veteribus* ad Wesaliam Rhenum trajecerit, atque inde in Cæsiam Silvam delatus sit, non *Duisburgensis* ad Ruram *saltus*, sed inter Coesfeldiam & Rhenum statuendus; inde non ad dexterum latus, Luppiam versùs per solitum iter & pontes longos ad Alisonem, sed ad lævam per circuitus viarum & inferiora Diœcesis Monasteriensis loca itum in Marsos, ubi celebre illud *Tanfanæ* templum dirutum, de quo supra memoratum. At quæ hæc *Tanfana* dea, aut quis deus? plerique originis deam interpretantur, ducto *Tanfanæ* nomine ex priscâ Germanorum linguâ, quæ hac voce principium significat: nisi fortè eadem fuerit cum *Hertha* Dea. Certè Tacitus de Suevis priscisque Germanis, præter Mercurium & Martem, *in commune Herthan, id est terram matrem colunt.* Ac verisimile Tacitum linguæ Germanorum ignarum Ærthum voluisse significare; hac enim vocè Teutonicâ, perinde ut aliarum gentium linguis *terra* appellatur, omnium quæ gignuntur procreatrix & origo. Utcunque hæc acceperis, iram Romanorum ad deijciendum *Tanfanæ* templum accenderunt, signa & spolia Varianæ cladis, quæ Barbari diis suis tutelaribus istic oblata suspenderant. Una certè aquilarum inter *Marsos*, altera inter Bructeros reperta, apud quos hoc celeberrimum templum & *Tanfana* dea culta.

Tanfanæ templum in Marsis æquatur solo.

Tanfana.
Tacitus de Germ. Germanis Erde *sive* Ærde.
Gothis arte.
Belgis Æerde.
Scotis Erth.
Britannis Earth.
Hebræis Ereht.
Chaldæis Ara.
Arabibus Arth.

Annus Christi 17 Tiberij Imp. 1.

Infequens annus Druſo Cæſare & C. Norbano Coſſ. Germaniæ propè exitialis; nec facilè infeſtior antè procella perculit. Quippe Germanicus Cæſar, quod anno ſuperiore tentaverat ulciſcendæ ſubigendæque Germaniæ bellum, id nunc exequi ingentibus animis eſt aggreſſus: Juvenis militari gloriâ ex Germanico nomine & Druſi patris veſtigijs incenſus. Et debellandæ Germaniæ ſpes inceſſerat ex diſſidijs inter Arminium & Segeſtem Cheruſcorum principes, quòd Arminius Segeſtis filiam alteri pactam rapuerat; præter hoc *Gener inviſus, inimici ſoceri, quæque apud concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infenſos erant.* His incitatus Germanicus, initio veris *quatuor legiones, quinque auxiliariorum millia, et tumultuarias catervas Germanorum cis Rhenum colentium ex* Vangionibus, Tribocis, Nemetibus, Treveris, Nervijs, belgiſque *Cæcinnæ tradit: totidem legiones duplicem ſociorum numerum ipſe ducit: poſitoque caſtello ſuper veſtigia paterni præſidii in monte Tauno*, quem ex adverſo Mogunciaci Herichium volunt, *expeditum exercitum in Chattos rapit, L. Apronio ad munitiones viarum et fluminum relicto*, veritus in regreſſu imbres & fluminum auctus. Sed Chattis adeò improviſus adfuit, ut quod imbecillum ætate ac ſexu ſtatim captum, aut trucidatum ſit, juventus flumen Adranam nando tranſmiſerit. Ibi collecti in arma Romanos pontem cœptantes arcebant; dein tormentis ſagittisque pulſi, tentatis fruſtra conditionibus pacis, cùm quidam ad Germanicum profugiſſent, reliqui omiſſis pagis viciſque in ſilvas diſperguntur. Cæſar incenſo *Mattio* (id genti caput, & paſſim Marpurgum, aut Mettius pagus creditur) aperta populatus, vertit ad Rhenum, non auſo hoſte terga abeuntium laceſſere; nec Cæſar auſus cum exercitu ultra Germaniam ingredi. Fuerat inter hæc animus Cheruſcis iuvare Chattos, ſed exterruit Cæcinna huc illuc ferens arma, & Marſos congredi auſos proſpero prœlio cohibuit. Stetêre hîc Romanorum arma, hæſitante Germanico, ultráne tutum intrare Germaniam; donec à diſſidijs Germanorum ſumpta audacia, & aperta Romanis via eſt. Nimirum *haud multò pòſt venerunt à Segeſte legati, auxilium orantes adverſus vim popularium, à quibus circumſidebatur: validiore apud eos Arminio, quando bellum ſuadebat* adverſus Romanos, diſſuadebat Segeſtes. *Addiderat Segeſtes legatis filium nomine Segimundum; ſed iuvenis conſcientiâ cunctabatur. Quippe anno, quo Germaniæ deſcivêre, Sacerdos apud aram Ubiorum creatus, ruperat vittas, profugus ad rebelles*; tam honoratum ſacerdotium in principis filio & veſtium ritu, ex inſita naturæ luce ad venerationem ſacrorum. *Adductus tamen in ſpem clementiæ Romanæ, patris mandata pertulit, benigneque exceptus, cum præſidio in Gallicam ripam miſſus eſt.* Per hanc diſſidij opportunitatem convertit agmen Germanicus; pugnatumque cum ijs, qui obſederant Segeſtem: ereptus ipſe cum magnâ

II. Germanici expeditio in Germaniam.

Tacitus l. 1. ann.

Dio lib. 57.

Tacitus l. 1. ann.

Lipſius in notis. Cluverius l. 3. c. 7. Dilichius in Hiſt. Haſſiæ.

Adrana fluvius ponte inſtratus à Romanis, vulgò Eder.

Lipſius in notis. Cluverius l. 3. c. 7. Dilichius in Chronico Haſſiæ.

Tacitus l. 1 ann. c. 57.

magnâ propinquorum & clientum manu. *Inerant et fœminæ nobiles, inter quas uxor Arminii* Thusnelda, *eademque Segestis filia, mariti magis quàm parentis animo, neque victa in lacrymas, neque voce supplex, compressis intra sinum manibus, gravidum uterum intuens.* Clades hæc illustrium captivorum numero aucta à Strabone eorum temporum scriptore; sed Taciti verbis & narrationi placet inhærere, cujus hîc fidem appello: nec pigebit disertum scriptorem audire, nostra tam explicatè describentem: *Tenebantur et spolia Varianæ cladis, plerisque eorum qui in deditionem veniebant prædæ data. Simul Segestes ipse ingens visu, et memoria bonæ societatis impavidus*, ultrò se dedidit: princeps fere infra Germanam constantiam ac fortitudinem abjecti animi: Multa is apud Cæsarem prolocutus contra Arminium pro fide suâ erga Romanos, pro filio & filiâ. Clementi hæc responso accepit Germanicus: promissa liberis & propinquis incolumitas, ipsi antiqua provinciæ suæ sedes relicta. Fama dediti Segestis non eodem apud Germanos animo accepta; ut diversi bellum cum Arminio, aut pacem cum Segeste antehabebant, ita factum ejus aut probatum, aut damnatum. Plerique Germanorum dolore atque ira accensi detestabantur Segestis proditione detrudi se in servitutem Romanorum. At nemo ferocior Arminio, quem super insitam violentiam rapta uxor, & subjectus servitio uterus, vecordem agebant; volitabatque per Cheruscos, arma in Segestem, arma in Cæsarem poscens, neque probris temperabat: *Egregium*, inquiens, *patrem, magnum imperatorem, fortem exercitum, quorum tot manus unam mulierculam auexerint! sibi tres legiones, totidem legatos procubuisse. Non enim se proditione, neque adversus fœminas gravidas, sed palàm adversus armatos bellum tractare. Cerni adhuc Germanorum in lucis signa Romana, quæ diis patriis suspenderit: coleret Segestes victam ripam, redderet filio sacerdotium: hominem Germanos nunquam satis excusaturos, quòd inter Albim et Rhenum virgas et secures et togam viderint. Aliis gentibus ignorantia imperii Romani, inexperta esse supplicia, nescia tributa: quæ quando exuerint, irritusque discesserit ille inter numina dicatus Augustus, ille delectus Tiberius, ne imperitum adolescentulum* (Germanicum videlicet) *ne seditiosum exercitum pavescerent. Si patriam, parentes, antiqua mallent, quàm dominos, et colonias novas; Arminium potiùs gloriæ ac libertatis, quàm Segestem flagitiosæ servitutis ducem sequerentur.* Hunc in modum Arminius, ut à Tacito relatum, populorum animos pertentavit, incertum utrumnè indigniùs ferret soceri proditionem, an dissidia gentis suæ, quæ post tam illustrem à Varo reportatam victoriam, Germanici irruptione se frangi sineret, immemor Germanæ virtutis & libertatis. Verùm *concîti per hæc non modò Cherusci, sed et conterminæ gentes: tractusque in partes Inguiomerus Arminii patruus, veteri apud Romanos auctoritate. Unde maior Cæsari metus; et ne bellum*

Strabo l. 7.

Oratio Arminij ad concitandos Germanos.

Tacitus l. 1. ann. C. 59.

Tacitus l. 1. ann. C. 60.

Cæcinna cum exercitu ad Amisiam progressus.

Classis Germanici ad Amisiæ ostium.

Stertinius Bructeros vastat.

Aquila inter Bructeros reperta & recepta.

Regio Bructerorum inter Amisiam & Luppiam vastata.

Germanicus cum exercitu Teutoburgiensem saltum & locum Varianæ cladis lustrat.

Pontes longi.

unâ in nole ingrueret, Cæcinnam cum *quadraginta cohortibus Romanis, dis*trahendo hosti, *per Bructeros ad flumen Amisiam mittit. Equitem Pedo* præfectus *finibus Frisiorum ducit, ipse impositas navibus quatuor legiones per lacus vexit; simulque pedes, eques, classis apud prædictum amnem con*venêre. *Chauci cùm auxilia pollicerentur, in commilitium adsciti sunt. Bructeros sua urentes, L. Stertinus missu Germanici fudit, interque cædem et prædam reperit undevicesimæ legionis aquilam cum Varo amissam. Du*ctum *inde agmen ad ultimos Bructerorum* (imo ad Alisonis Castellum) *quantumque Amisiam et Luppiam amnes inter vastatum : haud procul Teutoburgensi saltu, in quo reliquiæ Vari legionumque insepultæ dicebantur. Igitur cupido invadit Cæsarem solvendi suprema militibus, ducique; permoto ad misericordiam omni qui aderat exercitu, ob propinquos, amicos, denique ob casus bellorum et sortem hominum. Præmisso Cæcinna aut occulta saltuum scrutaretur, pontesque et aggeres humido paludum et fallacibus campis imponeret, incedunt mœstos locos, visuque et memoriâ deformes. Prima Vari castra, lato ambitu, et dimensis principiis, trium legionum manus ostentabant; dein semiruto vallo, humili fossâ, accisæ iam reliquiæ consedisse intelligebantur. Medio campi albentia ossa, ut fugerant, ut restiterant, disiecta vel aggerata. Adiacebant fragmina telorum, equorumque artus, simul truncis arborum antefixa ora : lucis propinquis barbaræ aræ, apud quas tribunos, ac primorum ordinum centuriones mactaverant. Et cladis eius superstites pugnam aut vincula elapsi referebant : hîc cecidisse legatos: illic raptas aquilas; primum ubi vulnus Varo adactum; ubi infelici dextera, et suo ictu mortem invenerit; quo tribunali concionatus Arminius; quot patibula captivis, quæ scrobes : utque signis et aquilis per superbiam illuserit. Igitur Romanus qui aderat exercitus, sextum post cladis annum, trium legionum ossa, nullo noscente alienas reliquias, an suorum humo tegeret, omnes ut coniunctos, ut consanguineos auctâ in hostem irâ mœsti simul et infensi condebant. Primum extruendo tumulo cespitem Cæsar posuit, gratissimo munere in defunctos, et præsentibus doloris socius.* Operæ pretium erit hoc narrationis rerumque gestarum loco, ubi Germanicus Cæsar in saltu Teutoburgiensi post sextum annum lugubrem Varianæ cladis memoriam renovavit, nos quoque Teutoburgiensis saltus memoriam inscriptionemque Ferdinandi Episcopi nostri legentium oculis animisque ex Monumentis Paderbornensibus subijcere; quando id nobis vel maximè propositum, ut ea narrationis serie illustremus.

SALTUS

SALTUS TEVTOBVRGIENSIS

MEMORIÆ· SACRUM

TEVTOBURGENSIS. SALTVS. LOCA. VASTA. PERAGRANS
PAVLISPER. COEPTVM. SISTE. VIATOR. ITER
HIC. RAPTAS. AQVILAS. CLADIS. MONUMENTA. LATINÆ
INVENIES. VARI. RELLIQVIASQVE. DVCIS
EGIT. ET. HIC. CELEBREM. THIETMALLO. TESTE. TRIVMPHVM
SAXONICAM. CAROLVS. DEPOPVLATVS. HVMVM
VT. MERITO. DVBITES. ROMANA. CÆDE. CRVENTO
ARMINIO. MAIOR. NVM. SIT. HABENDVS. HONOS
SAXONIS. AN. CAROLO. VICTORI. SOEPIVS. HOSTEM
FREGIT. HIC. INDOMITVM. CONTVDIT. ILLE. SEMEL

FERDINANDVS. DEI. ET
APOSTOLICÆ· SEDIS· GRATIA
EPISCOPVS. PADERBORNENSIS. COADIVTOR
MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES
PYRMONTANVS. ET. LIBER. BARO. DE
FVRSTENBERG

SALTVM. LATINIS. TEVTOBVRGIENSEM. OSNEGGVM.
FRANCIS. APPELLATVM. QVINTILII. VARI. LEGIONVMQVE
TRIVM. TVMVLO. ET. CAROLI. M. VICTORIA. DE. SAXONIBVS
PROPE. THIETMALLI. AN. DCCLXXXIII. REPORTATA
NOBILEM. POSITO. HOC. MONVMENTO
ILLVSTRAVIT

Justis funeribus persolutis, *Germanicus cedentem in avia Arminium secutus, ubi primùm copia fuit, evehi equites, campumque quem hostis insederat, eripi jubet. Arminus colligi suos, et propinquare silvis monitos vertit repentè; mox signum prorumpendi dedit iis, quos per saltus occultaverat. Tunc novâ acie perturbatus eques, missæque subsidiariæ cohortes, et fugientium agmine impulsæ, auxerant consternationem: trudebanturque in paludem gnaram vincentibus, iniquam nesciis, ni Cæsar productas*

Pugna Germanici cum Arminio. *Tacitus l. 1. ann. c. 65.*

ductas legiones instruxisset. Inde hostibus terror, fiducia militi: et manibus æquis abscessum. Non hic ausus Cæsar ultra experiri fortunam, & in Varianæ cladis periculum objectare Arminio Romanum militem; sed mox reducto ad Amisiam exercitu, legiones classe ut advexerat, reportat. Pars equitum littore oceani petere Rhenum jussa: Cæcinna, qui suum militem ducebat, monitus, quanquam notis itineribus (ab Alisonis videlicet castello) ad Rhenum viâ militari regrederetur pontes longos quàm maturrimè superare. *Angustus is trames vastas inter paludes, et quondam à L. Domitio aggeratus*, quem Lipsius nescio quo circuitu ac deflexu quærit in Transiselania inter Lingam, Weddam & Covordiam, notis illis vastisque paludibus; quâ tamen viâ nemo facilè credet Cæcinnam perveniisse ad Rhenum, exceptumq; ab Agrippina per pontem, quem apud Ubios Rheno instauratum constat. Diversum prorsus iter redeuntis ex Germaniâ Cæsaris & Cæcinnæ: hic vias militares, iste ad Amasis ostium tetendit cum Vitellio, & classe exceptus. Nec in Transiselania montes ac silvæ, quos Tacitus hîc circumpositos asserit. Nec Arminius cum Cheruscorum & Germanorum exercitu in eas remotas Frisiæ oras insecutus Romanos: sed ex montibus Teutonicis, & locis Varianæ cladis effusus, Cæcinnæ legionibus per Westfaliam & Westfaliæ paludes emergentibus inhæsit à tergo, afflixitque suis cladibus: Quippe, ut Taciti narratione & elegantiâ hæc prosequar, *per limosa, et tenacia gravi cœno, aut rivis incerta* processum. *Circùm silvæ paulatim acclives, quas tum Arminius implevit, compendiis viarum, et cito agmine, onustum sarcinis armisque militem cùm antevenisset. Cæcinnæ dubitanti quonam modo ruptos vetustate pontes reponeret, simulque propulsaret hostem, castra metari in loco placuit; ut alii opus, et alii prælium inciperent. Barbari perfringere stationes, seque inferre munitoribus nisi lacessunt, circumgrediuntur, occursant. Miscetur operantium bellantiumq; clamor, et cuncta pariter Romanis adversa. Locus uligine profundâ, idem ad gradum instabilis, procedentibus lubricus, corpora gravia loricis, neque librare pila inter undas poterant. Contra Cheruscis sueta apud paludes prælia, procera membra, hastæ ingentes ad vulnera facienda, quamvis procul. Nox demum inclinantes tum legiones adversæ pugnæ exemit. Germani ob prospera indefessi, ne tum quidem sumptâ quiete, quantum aquarum circumsurgentibus jugis oritur vertêre in subjecta, mersâque humo, et obruto quod effectum operis, duplicatus militi labor. Igitur futura volvens Cæcinna non aliud reperit, quàm ut hostem silvis coërceret, donec saucii, quantumq; gravioris agminis, anteirent; nam medio montium et paludum porrigebatur planities, quæ tenuem aciem pateretur. Deliguntur legiones, quinta dextero lateri, undevicesima in lævum, primani ducendum ad agmen, vicesimanus adversum secuturos. Nox per diversa inquies, cùm barbari festis epulis, læto cantu, aut truci sonore subjecta vallium et resultantes saltus complerent. Apud Romanos invalidi ignes,*

Pontes longi.

Cluverius lib 3 c.11. lib.an. c.63.

inter-

interruptæ voces, atque ipsi passim adjacerent vallo, oberrarent tentoriis, insomnes magis quàm pervigiles. Ducemque terruit dira quies; nam Quintilium Varum sanguine oblitum, et paludibus emersum cernere, et audire visus est velut vocantem, non tamen obsecutus, et manum intendentis repulisse. Cœptâ luce, missæ in latera legiones, metu an contumaciâ, locum deseruêre: capto properè campo, humentia ultra. Neque tamen Arminius, quanquam libero incursu statim prorupit; sed ut hæsêre cœno fossisque impedimenta, turbati circummilites, incertus signorum ordo, utque tali in tempore sibi quisque properus, et lentæ adversus imperia aures, irrumpere Germanos jubet clamitans. En Varus et eodem iterum fato victæ legiones. Simul hæc: et cum delectis scindit agmen, equisque maximè vulnera ingerit; illi sanguine suo et lubrico paludum lapsantes, excussis vectoribus disjicere obvios, proterere jacentes. Plurimus circa aquilas labor, quæ neque adversum ferri ingruentia tela, neque figi limosâ humo poterant. Cæcinna dum sustentat aciem, suffosso equo delapsus circumveniebatur, ni prima legio sese opposuisset. Juvit hostium aviditas, omissâ cæde prædam sectantium: enisæque legiones, vesperascente die in aperta et solida. Neque is miseriarum finis. Struendum vallum, petendus agger: amissa magnâ ex parte per quæ egeritur humus, aut exciditur cespes. Non tentoria manipulis, non fomenta saucijs. Infectos cœno aut cruore cibos dividentes, funestas tenebras; et tot hominum millibus unum jam reliquum diem lamentabantur. Fortè equus abruptis vinculis vagus, et clamore territus quosdam occurrentium obturbavit. Tanta inde consternatio, irrupisse Germanos. Credentium, ut cuncti ruerent ad portas, quarum Decumana maximè petebatur, aversa hosti et fugientibus tutior. Cæcinna comperto vanam esse formidinem, cùm tamen neque auctoritate neque precibus, ne manu quidem obsistere, aut retinere militem quiret, projectus in limine portæ, miseratione demum, quia per corpus legati eundum erat, clausit viam. Simul tribuni et centuriones falsum timorem docuerunt. Tunc contractos in principia, jussosque dicta cum silentio accipere, temporis ac necessitatis monet. Vnam in armis salutem, sed ea consilio temperanda___: manendumque intra vallum, donec expugnandi hostes spe propius succederent: mox undique erumpendum. Illâ eruptione ad Rhenum perveniri; quòd si fugerent, plures silvas, profundas magis paludes sævitiam hostium superesse: at victoribus decus, gloriam, quæ domi cara, quæ in castris honesta memorat; reticuit de adversis. Equos dehinc orsus à suis legatorum tribunorumque, nullâ ambitione, fortissimo cuique bellatori tradidit, ut hi mox pedes in hostem invaderent. Haud minùs inquies Germanus, spe cupidine, et diversis ducum sententiis agebat. Arminio, sinerent egredi, egressosque rursum per humida et impedita circumvenirent, suadente: atrociora Inguiomero, et læta barbaris; ut vallum armis ambirent. Promptam expugnationem, plures captivos, incorruptam prædam fore. Igitur ortâ die proruunt fossas, injiciunt crates, summa valli prensant,

sant, raro super milite, et quasi ob metum defixo. Postquam hæsêre munimentis, datur cohortibus signum, cornuaque et tubæ concinuêre. Exin clamore et impetu tergis Germanorum circumfunduntur, exprobrantes non hîc silvas, nec paludes, sed æquis locis æquos deos. Hosti facilè excidium, et paucos, et semermos cogitanti, sonus tubarum, fulgor armorum, quantò inopina, tantò majora offunduntur : cadebantque ut rebus secundis avidi, ita adversis incauti. Arminius integer, Inguiomerus post grave vulnus, pugnam deseruêre : vulgus trucidatum est, donec ira et dies permansit. Nocte demum reversæ legiones, quamvis plus vulnerum, eadem egestas ciborum fatigaret, vim, sanitatem, copias, cuncta in victoria habuêre. Ita demum Cæcinna per ærumnas & magno detrimento cum attritis & laceris legionibus evasit. Et parum abfuit, quin Arminius cladem Varianam renovasset, nisi Cæcinnam militem pro imbelli Varo habuisset. Haud incongruum ingratumve erit hoc inter Bructeros loco, quo Arminius Cæcinnam eluctantem ex paludibus, trahentemque exercitum per cœnosos tramites, longis pontibus instratos, Varianâ propè clade notasset, inscriptum Ferdinandi Episcopi monumentum interjungere, quando Delbrugia nostra ex his pontibus longis & impeditis paludum vijs, vetus ac patrium nomen retinere creditur.

DELBRUGGIA

VLTIMA. VETERVM. BRVCTERORVM. SEDES

MEMORIÆ· SACRUM

BRVCTERVS. HÆC. COLVIT. LOCA. FOEDA. PALVSTRIBVS. VNDIS
QVOD. NVNC. INDIGENIS. NOMEN. VT. ANTE. MANET
HIC. VARVM. INFESTO. GERMANICVS. AGMINE. CÆSAR
VLTVS. ET. HOSTILES. DEPOPVLATVS. OPES.
VICINAM. DRVSO. GENITORI. CONDIDIT. ARAM
ET. TVLIT. AUSONIIS. MANIBVS. INFERIAS
POST. VBIVS. FERRO. PARITER. GRASSATVS. ET. IGNI
OBRVTVS. HIC. MAGNA. CLADE. REPENTE. FVIT
VICTAQVE. TERGA. FVGÆ. DEDIT. ET. SVA. SIGNA. RELIQVIT
INCLYTA. VIRTVTIS. BRVCTERE. SIGNA. TVÆ.

FER-

FERDINANDVS. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA
EPISCOPVS. PADERBORNENSIS. COADIVTOR
MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES
PYRMONTANVS. ET. LIBER. BARO. DE
FVRSTENBERG

DELBRUGGIIS. VETERUM. BRVCTERORUM
VLTIMIS. QVOS. GERMANICVS. CÆSAR. VARIANÆ
CLADIS. VLTOR. BELLO. PERSECVTVS. QVANTVM AMISIAM
ET. LVPPIAM. AMNES. INTER. HAVD. PROCVL. TEVTOBVRGIENSI
SALTV. VASTAVIT. COLONIENSES. VERO. CLIVIIQVE
PADERBORNENSIBVS. INFESTI. ACCEPTA. INSIGNI. CLADE
ANNO. MCCCCX. XV. CAL. DECEMB. ILLVSTRARVNT
OB. FORTITVDINEM. EORVM. AC. FIDEM
REIPVBL. PRÆSTITAM
M. H. P

Pervaserat interim circumventi exercitus fama, et infesto Germanorum agmine Gallias peti, ac ni Agrippina (Germanici uxor) *impositum Rheno pontem solvi prohibuisset, erant qui id flagitium formidine auderent; sed fœmina ingens animi munia ducis per eos dies induit, militibusque, ut quis inops, aut saucius, vestem et fomenta delargita est.* Tradit C. Plinius Germanicorum bellorum scriptor, *stetisse apud principium pontis, laudes et grates reversis legionibus habentem.* Quo jam satis constat diverso itinere per Westfaliam Cæcinnam pervenisse ad Rhenum, diverso Cæsarem reduxisse suas legiones: pontemque hunc, per quem legiones exceptæ, non ad Mosellam atque urbem Treviros, quod Lipsio & Brovero visum; sed apud Ubios fuisse, quo Aggrippina se Treviris contulerit, marito propior futura. Nam Rheno, non Mosellæ impositum pontem diserte scribit Tacitus, ad quem Aggrippina excepit Cæcinnæ milites. Alius proinde pons apud Treviros, quem Strabo tradit, nèque hujus cladis perfugium fuit: Fateturq; Broverus, Cæsarem prius Ubios quàm Treviros venisse. Altera pars exercitus eáque legionum numero validior, quam & ipse Germanicus Cæsar est comitatus, ad Amisiæ fluminis ostium est reducta; ut legiones classe, quâ illuc advenerant, reportarentur per Rhenum in Galliam ad hyberna. Sed priusquam eò perventum, fœdâ tempestate jactati. Traditæ Vitellio duæ legiones, quas sicca primùm humo, & terrestri itinere ad Amisiæ portum deduxit. Inde in æstuaria delatus impulsu Aquilonis, simul fidere æquinoctio infesto, quo maximè intumescit Oceanus. *Sternuntur naves fluctibus, hauriuntur gurgitibus, jumenta, sarcinæ, corpora exanima interfluunt: permiscentur*

Tacit. lib. 1. Ann. c. 69. Agrippina fugientem Cæcinnæ militem ad pontem Ubiorum excipit.

Strabo l. 4. Alter Germanici exercitus duce Vitellio redux tempestate jactatus acciditur. *Tacitus l. 1. ann. c. 70.*

inter

Ab ostio Amisiæ ad Visurgis ostium properatum, ubi Germanicus cũ classe stetit & excepit legiones. *Tacitus l. 1. ann. c. 71.*

inter se manipuli, modò pectore, modò ore tenus extantes, aliquando subtracto solo disjecti aut obruti. Non vox et mutui hortatus juvabant, adversante undâ. Tandem Vitellius in editiora enisus agmen subduxit, pernoctatumque sine igne & foco. Pars magna nudo, madenti, & mulctato corpore. Ubi lux terram reddidit, classe ad Amisiam non reperta, penetratum ad amnem Visurgim, quo Cæsar cum classe contenderat: impositæ deinde legiones, quas fama submersas vulgârat. Aperto deinde quietoque mari felicior navigatio in Rhenum & Galliam; nec fides salutis, quòd vagante fama legiones submersæ crederentur, antequam Cæsarem exercitumque reducem vidére.

Hic exitus hujus infestæ expeditionis in Germaniam, quo par clades Romanis illata. Utcunque hæc involutè tradit Tacitus, in quo Lipsius alijque se fatigant; cladem tamen Cæsaris non dissimulat Romanus scriptor; quamvis tam in Germanico, quàm Velleius in Tiberio extollendo immodicus; *quando ad supplenda exercitus damna certavere Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, quod cuique promptum, arma, equos, aurum offerentes; quorum laudato studio Germanicus, armis modo et equis ad bellum sumptis, propria pecunia militem juvit. Utque cladis memoriam etiam comitate leniret, circuire saucios, facta singulorum extollere; vulnera intuens, alium spe, alium gloriâ, cunctos alloquio et curâ sibique et prœlio firmabat.* Hac irruptione in Germanos Segimerus Segestis frater, ejusque filius Sesithacus à Sterninio legato in deditionem accepti, traductique in Ubiorum civitatem, data facilè venia Segimero, cunctantius filio, quòd Quintilij Vari corpus illusisse dicebatur. Decreta eo anno triumphalia insignia Cæcinnæ, L. Apronio, & C. Silio ob res cum Germanico gestas. Germanico Cæsari jam ante manente bello ex superioris anni rebus gestis triumphus decretus, quem distulit majori gloriâ bellorum Germaniæ, captivorumque numero accumulandum.

An. Christi 18. Tiberij Imp. 2. *Tacitus l. 2. ann.*

Agebatur inter hæc annus Christiano nomini decimus octavus, cùm mota orientis regna, Romanæque provinciæ sperabantur Germanico levamentum daturæ: et Tiberius Cæsar non tam ijs pacandis intentus, quàm ut eâ specie Germanicum à legionibus & Germaniæ bellis avocaret. Haud æquis enim oculis intuebatur assurgentem Germanici gloriam, populi plausum, militum studia, tanquam nomini & imperio suo substruentia. Ob id invisa quoque Agrippina, fœmina quæ ducis munia occuparet, & Cajum caligulam filiolum in castris natum educatumque circumferret in spem successionis, imperijque, quod Tiberius Druso filio suo destinabat. Ideo primæ & reconditæ Tiberij curæ avocare Germanicum ad orientis bella, & casibus objectare. At Germanicus quantò acriora militum in se studia, & aversa Tiberij voluntas, tantò contentius sumere bellum Germanicum, & terrâ mariq; parare omnia, unamq;

III. Germanici expeditio in Germaniam.

sibi

sibi gloriam debellandæ Germaniæ depoſcere. Claſſis ingens cenſu provinciarum in Gallijs fabricata. Mille naves ſufficere viſæ, præparatæque, aliæ breves, anguſtâ puppi, proraque, & lato utero: quædam planæ carinis; multæ pontibus ſtratæ, ſuper quas tormenta veherentur, ſimul aptæ ferendis equis aut commeatui. Inſula Batavorum, in quam convenirent, prædicta ob faciles appulſus. Ita ex Oceano in os Moſæ, & per id flumen in Vahalim & Rhenum devecta claſſis. Inde per foſſam Druſianam, patris opus, in Iſalam propè Duisburgum navigatio facta, & per lacus qui pòſt in mare Meridionale excrevêre, rurſum oceanus intratus. Prætervecta deinde Friſia, & maritima ora, donec in oſtium Amiſis deferretur: his veſtigiis Tiberius, his Germanicus Druſi filius inhæſit. *At Cæſar, dum adiguntur naves* hoc circuitu in Germaniæ oras, *Silium legatum cum expeditâ manu irruptionem in Chattos facere jubet. Ipſe audito caſtellum Luppiæ appoſitum obſideri, ſex legiones eò duxit: neque à Silio ob ſubitos imbres aliud actum, quàm ut modicam prædam, et Arpi principis Chattorum conjugem, filiamque raperet. Neque Cæſari copiam pugnæ obſeſſores fecêre, ad famam adventus ejus dilapſi.* Quo jam ſatis liquet caſtellum Aliſonis, quod hìc Tacitus deſignat, ad confluentes Luppiæ & Aliſonis ſuperioribus annis à Germanico receptum, firmatumque Romano milite; ideoque ab Arminio denuo obſeſſum oppugnatumque, quod hoc ipſo Germanici advento acceſſuque liberatum. Quare & hoc loci Cæſar reviſit. *Tumulum, quem ſuperiore anno Varianis legionibus ſtruxerat, et veterem aram Druſo ſitam, quam disjecerant Germani. Reſtituit aram Cæſar, honorique patris princeps ipſe cum legionibus decurrit. Tumulum iterare haud viſum, et cuncta inter caſtellum, Aliſonem, ac Rhenum novis limitibus aggeribuſque præmunita.* Hæc illuſtria illa Paderbornenſium monumenta, hi limites, aggeres, pontes longi militarium viarum, à Caſtello noſtro tanquam ſede belli per Weſtfaliam, per paludes & lubrica ſaltuum ducti ad Rhenum; quo deinde vel ad caſtra Vetera, vel ad Ubios directo tramite perventum. Pronum creditu, eò loci, ubi poſt Weſalia urbs ſurrexit, aliud ad Rheni ripam & Luppiæ oſtium caſtellum à Romanis poſitum fuiſſe, ad receptum tutiorem, trajectumque ad Vetera caſtra. Utcunque Ptolomæus *Aliſonem* inter Germaniæ urbes percenſeat, Weſalia certè non eſt Aliſo, ſed caſtellum noſtrum ad Luppiæ & Aliſonis confluentes, cui poſt vicus & oppidum accrevit. Inter hæc claſſis advenerat, & *Amiſiæ relicta lævo amne; erratumque in eo, quòd non ſubvexit. Tranſpoſuit militem dexteras in terras iturum: ita plures dies efficiendis pontibus abſumpti: et equos quidem et legiones prima æſtuaria, nondum accreſcente unda, intrepidè tranſiêre.* Obſcurior hìc Tacitus, ideoque multorum diſceptationibus objectus. Errorem Germanici haud aliter interpretor, quàm quòd adverſo flumine claſſem non ultrà provexerit. Hinc efficiendis

Caſtellum Aliſonis liberatum obſidione à Romanis. *Tacitus l. 2. ann. c. 57.*

per æstuaria pontibus consumptum tempus, dum ab Amisiæ ostio atque Embda traducendæ legiones ad Visurgim; compendium facturus si in ipsum Visurgim classem per oceanum invexisset, ubi in ulteriori ripâ consistebat Arminius cum Germanorum exercitu, haud procul, ut conjectant, ubi nunc Minda conspicitur. Castra metanti Cæsari ad oppositam Visurgis ripam, Angrivariorum à tergo defectio nunciatur; missus illicò Stertinius cum equite, & armaturâ levi, igne & cædibus perfidos est ultus. Quò minùs Cæsar in Arminium moveret, impedimento erat Visurgis, Romanos à Cheruscis discludens. Ejus in ripâ cum ceteris primoribus stetit Arminius, quæsitoque an Cæsar venisset, postquam responsum est adesse, ut liceret sibi cum fratre colloqui oravit. Erat is in exercitu cæsaris, cognomento Flavius, amisso per vulnus oculo, paucis ante annis, duce Tiberio, & longâ militiâ fidus Romanis. Tum permissum colloqui; progressusque salutatur ab Arminio, qui amotis stipatoribus, ut sagittarij quoque Romani pro ripâ dispositi discederent, postulat; ac postquam congressi, unde ea deformitas oris, interrogat fratrem; illo locum & tempus referente, quodnam præmium recepisset, exquirit. Flavius aucta stipendia, torquem & coronam, aliaque militaria dona memorat, irridente Arminio vilia servitij præmia: Exin diversi ordiuntur. Hic magnitudinem Romanam, opes Cæsaris, & victis graves pœnas: in deditionem venienti paratam clementiam; neq; conjugem, neque filium ejus hostiliter haberi. Arminius fas patriæ, libertatem avitam, Penates Germaniæ deos, matrem precum sociam; ne propinquorum, ne affinium, denique gentis suæ desertor & proditor, quàm Imperator esse mallet. Paulatim inde ad jurgia prolapsi, quo minus consererent manus, avertit Stertinius accurrens, plenum iræ armaque & equum poscentem Flavium attinendo. Cernebatur contrà minitabundus Arminius; prœliumque denuncians: nam pleraque latino sermone interiaciebat, ut qui Romanis in castris ductor popularium etiam meruisset. Adeo Germani tum militavere in castris Romanorum, & Arminius ante cladem Varianam diu stipendia meritus, exercitusque ad militiam Romanorum. Postero die Germanorum acies ad Visurgim stetit. Cæsar non ante exercitum traducendum ratus, quàm pontibus præsidijsque firmasset loca, in ulteriore ripâ ob id equitem vado transmittit, duce Stertinio & Æmilio, ut hostem dimoveret Ibi Cariovalda Batavorum dux erupit. Eum Cherusci fugam simulantes in planitiem saltibus circumjectam traxêre. Dein coorti & undique circumfusi trudunt pelluntque Batavos. Cariovalda congestis telis, & suffosso equo labitur, ac multi nobilium circa. Stitit fugam Stertinius, & ceteros periculo exemit. Sub hæc Cæsar transgressus Visurgim castra ponit: explorata hostium loca, vires, & consilia: edoctusque ab indice transfugâ, cognoscit

Tacitus l. 2. ann. c. 9.

Colloquium Arminij cum Flavio fratre Romanis militante.

Pugna Romanorum cum Arminio.

scit delectum ab Arminio locum pugnæ, aliasque nationes convenisse in silvam Herculi Sacram, ausurosque hostes nocturnam oppugnationem castrorum. Nec fefellit index. Tertia vigilia assultum castris, sed sine conjectu telorum, quòd crebræ pro munimentis stationes, & nihil remissum est deprehensum. Igitur in proximum diem utrinq; omnia ad pugnam composita. Cæsar advocatâ concione, quæ prævisa, aptaq; imminenti pugnæ differit. Nec Arminius & ceteri Germanorum principes omittebant quisque suos hortari, testarique, *hos esse Romanos Variani exercitus fugacissimos, qui ne bellum tolerarent, seditionem induerint; quorum pars onusta vulneribus tergum, pars fluctibus et procellis fractos artus, infensis rursum hostibus, adversis diis objiciant, nullâ spe boni.* *Classem quippe et avia Oceani quæsita, ne quis venientibus occurreret, ne pulsos premeret. Meminissent modo avaritiæ, crudelitatis et superbiæ: non aliud sibi reliquum quàm tenere libertatem, aut mori ante servitutem.* Sic accensos et prœlium poscentes in campum, cui Idistaviso nomen, Arminius & Germani proceres deducunt. Lipsius hunc locum vestigat infra Bremam, ubi mare versus se porrigit magna planities. Cluverius verò propiùs censet inter *Mindam* & *Oldendorpium*, ubi silvæ saltusque primùm surgunt, quos hîc Tacitus injicit. Fatalis cladium locus, quo Caroli M. legiones temere congressæ cæsæque à Widekindo, & nostrâ memoriâ Hammeliana clades cæso fœderatorum exercitu Visurgim funestavit. Decertatum Cæsarem inter & Arminium quintâ ab horâ diei ad noctem, ancipiti diu prœlio. Sustentabat pugnam Arminius, manu, voce & vulnere, donec turbatis postremùm ordinibus, Germani undique multitudine obruerentur. Quo animadverso, Arminius in sagittarios incubuit, illac perrupturus; & impetu perfregisset, ni Rhædorum, Vindelicorum & Gallorum cohortes signa objeciissent; nisu tamen corporis & impetu equi pervasit, oblitâ cruore suo facie, ne noscereturr. Quâ virtute seu fraude & Inguiomerus effugium habuit. Magna pars Germanorum trucidata, ceteri vel in Visurgim præcipites, vel retrò depulsi in silvas. Nec tamen tanta strages edita, quantumvis hanc exaggeret Tacitus, quin mox vindictâ accensi Germani pugnam redintegrârint; nam qui ad Albim cedere parabant, retraxerunt se in pugnam, *armaque rapuerunt: plebes, primores, juventus, senes agmen Romanum repentè incursarunt, turbantes, postremò delegerunt locum flumine et silvis clausum.* Latus unum Angrivarij lato aggere extulerant. Hîc peditatus constitit, veluti castris suis præmunitus. Equitatus propinquis saltibus & lucis abditus. Exploratâ hostium statione consilijsque, Cæsar exercitum in eos duxit, aggressusq; est intra munimentum. Acre ad aggerem perrumpendum certamen: modò repulsi Romani, modò reducti, & saucijs integri subrogati; postremùm funditores ac libratores admoti, tormentis hastas, pila

Tacitus l. 2. ann. C. 13.

lib. 2. ann. C. 19.

Tacitus l. 2. ann. C. 20.

pila & lapides ingerunt, eoque telorum imbre ab aggere depellunt. Capto vallo, Germani non sine strage in silvas se retrahunt. Novum illic prœlium, quod genere pugnæ & armorum usu adversum Germanis. Arminius ob acceptum recens vulnus impeditior; eò incitatior Inguiomerus totâ advolitabat acie, à fortunâ magis, quàm virtute desertus. Pugnatum in vesperum; & serò diei Cæsar subducit ex acie legionem faciendis castris. Equites ambiguè certavêre: pediti tantùm Germano illata clades; nec tamen omni tum campo potiti Romani. Interim Cæsar laudatis pro concione victoribus, congeriem armorum struxit, novumque trophæum posuit, superbo cum titulo: *Debellatis inter Rhenum Albimque nationibus, exercitus Tiberii Cæsaris ea monumenta Marti, et Jovi, et Augusto sacravit.* Enim verò superba ac vana inscriptio. Itáne debellatæ nationes inter Rhenum & Albim? quando nec Drusus, nec Germanicus Albim transire ausus? quando Arminius adhuc (ut ipse post Tacitus agnoscit) invictus? quando nulla adhuc pars Germaniæ inter Rhenum & Visurgim in provinciæ formam redacta. Et quantum terrarum gentiumque restabat, aut bello intactum, aut visum nunquam à Romanis? mirum, quo loco, aut quàm diu monumentum illud victoriæ cum superbo hoc titulo passi Germani? Tumidæ id militum gloriæ & blandimentis Tiberij dandum fuit. Optaret quispiam Germanicum, aliúmve ex illo bello scriptorem aut testem. Frustrà Plinium, qui hæc bella Germanica scripsit, desideramus: & quantùm de his constaret, ni & Taciti hos libros quinq; annalium *Corbeia* nostra ad Visurgim servasset? ibi illi reperti à Quæstore *Leonis* X. Pontificis superiori sæculo, dum bibliothecam lustraret, ut consepultos propè luci redderet. Dio & Suetonius hoc Germanici bellum cum Germanis non nisi verbo delibant: ceteri destituunt. Igitur omnia ex Taciti fide, ex quo hæc compendio damus.

Lib. 2. ann. c. 22. Arminio binis prœliorum cruentisque congressibus profligato, Cæsar bellum in Angrivarios mandat Stertinio, qui cùm perculsi præsenti Romanorum potentiâ deditionem properarent, ac supplices facti nihil eorum, quæ poscebantur abnuerent, veniam omnium accepêre. Æstate jam adultâ, legionum aliæ itinere terrestri per Westfaliam reductæ ad Rhenum, & in hibernacula remissæ; plures Cæsar classi impositas per Amisiam oceano invexit, non ausus ad Albim promovêre exercitum, aut flumen transgredi, ubi patri Druso fata terminum bellorum scripserant. Fas erit mihi hoc loco ad monumenta victoriæ Romanæ conjungere monumentum Amisij fluminis, tantò admirabilius naturæ opus, quantò propiùs inter se trium nobilium fluminum fontes Luppiæ, Paderæ & Amisij apud nos in Diœcesi intra unius milliaris spatium visuntur. Trophæum victoriæ Germanicus Cæsar cum superbo titulo posuit ad Visurgim.

Monu-

Monumentum Amisiæ. FERDINANDUS *Princeps* cum modestiore titulo inscripsit, perenni lapide ad ipsas Amisiæ scaturigines, in ericeto *Sennæ* ponendum. Celebris ab hoc fonte *Amisius* multorum influentium amnium auctu: Transportatis Romanorum, Germanorum, Francorumque armis: Demum ipso ostio & portu suo, nobilis amnis, in quem toties Romanorum classis invecta ad debellandam Germaniam.

FONTES. AMISII
MEMORIÆ. SACRUM

ILLE. EGO. SUM. AMISIUS. SURGENS. HIS. FONTIBUS. AMNIS
OLIM. ROMANA. NOTUS. IN. HISTORIA
QUI. CENTUM. DELABOR. AQUIS. COMITATUS. IN. ÆQUOR
ANTE. PERERRATIS. URBIBVS. ET. POPULIS
NUNC. CAPUT. OCCULTUM. RIMATUS. VALLE. SUB. IMA
FERNANDUS. NIVEO. CONDECORAT. LAPIDE
AT. TIBI. NESTOREI. MERITIS. PRO. TALIBUS. ANNI
LÆTAQUE. PERPETUO. TEMPORA. VERE. FLUANT
ET. NOMEN. FERNANDE. TUUM. SIC. CRESCAT. EUNDO
AUCTA. VELUT. NOSTRÆ. GLORIA. CRESCIT. AQUÆ

FERDINANDVS. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA
EPISCOPVS. PADERBORNENSIS. COADIVTOR
MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES
PYRMONTANVS. ET. LIBER. BARO. DE
FVRSTENBERG

AD. FONTES. AMISII. ROMANIS. NOTISSIMI. FLUMINIS
IN. DITIONE. PADERBORNENSI
NASCENTIS
M. H. P

HOSPES. VIVE. TUÆ. SORTIS. MEMOR. EN. EGO. PARVIS
NOBILIS. HIC. ORIOR. FONTIBUS. AMISIUS
ET. POSTQUAM. FLUVIIS. INGENTIBUS. AUCTUS. IN. ALTUM
VELA. TULI. VASTO. MERGOR. IN. OCEANO
SIC. UBI. PRINCIPIIS. MORTALIA. TENUIBUS. ORTA
CREVERUNT. MAGNIS. AUCTIBUS. INTEREUNT

Vix dum ex Amisiæ portu Romana classis in Oceanum provecta solverat, cùm sæva atque horrida tempestas coorta exercitum disjecit; tanquam irati numinis manus castigatura, ulturaque videretur jactantiam & ferociam Romanorum, quâ nullo ætatis sexusve discrimine desævierant in insontium capita; aut monitura Germanicum, perinde ut Druso patri factum erat, frustra Germaniam tanto sanguine & furore armorum quæri in servitium Romanæ Reipublicæ, quæ ab ipsis Germanis aliquando vindices suorum scelerum, & domitores raptæ potentiæ habitura esset. Igitur in ipso egressu ex ostio Amisij atro nubium globo effusa grando: simul varijs undique procellis incerti fluctus classem jactant. *Omne dehinc cœlum et mare in Austrum cessit, qui tumidis Germaniæ terris, profundis amnibus, immensò nubium tractu validus, et rigore vicini Septentrionis horridior, rapuit disjecitq; naves in aperta Oceani, aut insulas Saxis abruptas, vel per occulta vada infestas. Quibus paulatim ægreque vitatis, postquam mutabat æstus, eodem, quò ventus ferebat; non adhærere anchoris, non exhaurire irrumpentes undas poterant. Equi, jumenta, sarcinæ, etiam arma præcipitantur, quo levarentur alvei, nantes per latera, et fluctu super urgente. Quanto violentior cetero mari Oceanus, et truculentia cœli præstat Germania—, tantùm illa clades novitate et magnitudine excessit, hostilibus circùm littoribus, aut ita vasto et profundo, ut credatur novissimum, ac sine terris mare. Pars navium haustæ sunt, plures apud insulas procul sitas ejectæ; milesque illic nullo hominum cultu, fame absumptus, nisi quos corpora equorum eodem elisa toleraverant. Sola Germanici triremis Chaucorum terram appulit, quem per omnes illos dies noctesque apud scopulos et prominentes oras, cùm se tanti exitii reum clamitaret, vix cohibuêre amici, quo minùs eodem mari oppeteret. Tandem relabente æstu, et secundante vento, claudæ naves, raro remigio, aut intentis vectibus, et quædam à validioribus tractæ revertêre: quas raptim refectas misit, ut scrutarentur insulas. Collecti eâ curâ plerique: multos Angrivarii nuper accepti in fidem redemptos ab interioribus reddidêre.* Quidam in Britanniam rapti, & remissi à regulis. Hæc illa clades Germanici classisque Romanæ, æquata pœnè, quam Arminio & Germanis antè intulerat, cladi.

Classis Germanici tempestate afflicta & lacerata. *Tacitus l. 2. Ann. C. 23.*

Postquam ejus fama relata ad Arminium & Germanos, resumpsêre animos & arma; adeò non deleti, ut haud multò pòst tam facilè exercitum collegerint ex socialibus populis, quàm Cæsar ex naufragio. Audacissimi Catti primùm stetêre in armis, adversus quos C. Silius cum triginta peditum, & tribus equitum millibus revocatus ex hibernis. Cæsar cum majoribus copijs Marsos irrumpit: nam & hi ausi statim ad famam maritimæ cladis induere arma. Horum dux Malovendus nuper à Cæsare in deditionem acceptus, propinquo loco ac cœno defossam Varianæ cladis aquilam modico præsidio servari indicat. Missa extemplò manus, quæ hostem à fronte eliceret;

Iteratum eodem anno bellum cum Cattis & Marsis.

alij

alij qui terga circumgressi recluderent humum: & utrisque adfuit. Eò tutior ac promptior Cæsar pergit introrsus in Westfaliæ regiones, populatur, exscindit, & per omnis obviæ ætatis cædes latè terrorem circumfert, Druso etiam patre truculentior. Unicum perfugium ad silvas, saltus, & invia paludum. Obrutus festino Cæsaris reditu Arminius, quo minus tempori exercitum objiceret. Germanicus post illatam vastitatem, cùm nullus se hostis offerret, exercitum reduxit in hiberna. Lætus Romanus miles, quod adversâ maris expeditione prospera pensavisset. Nec dubium habebat Cæsar fractos Germanos labare animis, petendæque pacis consilia magis agitare, quàm belli instaurandi, etsi proxima æstas adjiceretur, rediretque cum exercitu in Germaniam, posse bellum patrari. Sed crebris epistolis monebat urgebatque Germanicum Tiberius, rediret ad decretum triumphum Romam, satis jam eventuum, satis casuum: prospera illi & magna prœlia; eorum quoque meminisset, quæ venti & fluctus nulla ducis culpa, gravia tamen, & sæva damna intulissent: se novies à Divo Augusto in Germaniam missum, plura consilio quàm vi perfeciisse. Sic Sigambros in deditionem acceptos, sic Suevos, regemque Maroboduum pace obstrictum: posse & Cheruscos, cæterasque rebellium gentes, quando Romanæ ultioni consultum est, internis discordijs relinqui. Contrà precante Germanico annum efficiendis cœptis in perdomandâ Germaniâ, acriùs renitentem Germanicum aggreditur Tiberius, alterum consulatum offerendo, cujus munia Romæ præsens obiret; simul adnectebat, si foret adhuc bellum cum Germanis, relinqueret materiam Drusi filij sui gloriæ, qui nullo tum alio hoste, nonnisi apud Germanias assequi nomen imperatorium, & deportare lauream posset. His adactus Germanicus, Tiberij se arbitrio permisit; quanquam fingi ea, seque per invidiam parto decori abstrahi intelligeret: nec multum conatus Romam concessit, traxitque secum ingentem captivorum numerum, producturus in decretum debellatæ Germaniæ triumphum.

* Annus Christi 19. Tiberij Imp. 3. Triumphus Germanici ob devictos Germanos. *Tacitus l. 2. Ann. Dio. Strabo l. 7. Ovid. l. 2. de Ponte. Fasti Capitol. Onuphrius. Sigon. Pighius.*

* Haud multò pòst C. Cœlio, & L. Pomponio Coss. quem Christi annum censemus XVIII. Germanicus Cæsar ad VII. Kalendas Junias triumphavit de Cheruscis, Chattisq;, & Angrivarijs, quæque aliæ nationes usque ad Albim colunt. Vecta spolia, captivi, simulacra montium, fluminum, prœliorum. Augebat intuentium visus eximia ipsius Germanici Cæsaris species, currusque quinque liberis onustus. Haud minori oblectamento spectati Germani, quos ex illustrissimis viris & fœminis adduxerat, uti eos Strabo eorum temporum scriptor commemorat. *Segimuntus* Segesti filius Cheruscorum dux, sororque ejus & uxor Arminij *Thusnelda*, ac filius tres annos natus *Thumelicus*. Præterea *Sestachus*, Ægimeri * filius Cheruscorum ducis: hujus quoque uxor *Rhamis* Veromeri * Chattorum ducis filia;

al. Segimundus, ut Camsab. legit. * *al. Segimeri.* * *al. Acromeri.*

Deutorix

Deutorix Sicamber, Bœroritis filius, ac frater Melonis; *Libys* Cattorum sacerdos, alijque mortales devictorum populorum, ex Bructeris, Cheruscis, Usipijs, Chattis, Chattuarijs, Ampsanis, * Catheicis, Landis, Subattijs; quarum etiam gentium nomina quædam ab alijs ne prodita quidem uspiam extant, si non apud ipsum Strabonem corrupta. Quanquam Ampsanos facilè ad *Ampsivarios*, Nusipios ad *Usipios*, Catheicos ad *Cathuleos*, & Cathuliones, Landos ad Lancearios, aut provinciales milites, aut Longobardos facilè reducas. *Aegestes*, quem Tacitus *Segesten* scripsit, Arminij socer, quòd ad Romanos profugerat, suorum proditor, inter spectatores fuit; is illi honor delatus à Romanis; si tamen sine dolore carissima sua pignora, si populares suos, filiam ac nepotem inter triumphi captivos spectare fas fuit. Mitigavit triumphus sævitiam, quando magnam partem Germanis vita veniaque data. Reperti & nummi testes hujus triumphi ad posteros, in quibus Germanicus quadrijugo curru sublimis, spectatur cum inscriptione GERMANICUS CÆSAR; ex adversâ parte: SIGNIS RECEPTIS, DEVICTIS GERMANIS. Ita Romæ de Germanis triumphatum, non quia victi debellatique credebantur, sed quòd id honori Germanici dandum erat, bellumq; Germanicum pro confecto acceptum. Nec proximo ab hinc anno ulla vis belli trans Rhenum importata. Cùmq; Germani conquiescerent tot bellis fatigati, frenatiq; præsidijs; inter quæ celebre castellum Alisonis, frenum interioris Germaniæ, eóque à Germanico filio Drusi, patris opus, & gloriæ monumentum diligentiùs præmunitum firmatumque.

* al. Ambsivarijs.

Hist. M S. P. Turcky Brouverus Ann. Trev. l. 1.

Annus Christi 20 Tiberij Imp. 4

Tiberius hinc intermissis armis tertium consulatum inijt, & Germanicum collegam dixit. Consulatum Germanicus absens adijt: Is enim in speciem tot honoribus cumulatus tanquam in adversum orbem, procul à Galliâ & Germaniâ, procul à consueto legionum amore in orientem missus jam erat, ad bella earum provinciarum administranda. Nihil Germanis accidere poterat optabiliùs, quàm præferoci ac bellicoso juvene, ac Cæsare liberari, qui ex Germanici nominis cognomento paternoque titulo sibi debellandæ Germaniæ necessitatem impositam ratus esset. Sed major fatorum necessitas. Haud enim multum superstes posthæc bella Germanicus, fortunâ simul ac vitâ excidit.

An. Christi 21. Tiberij Imp. 5.

M. Junio Silano, & L, Norbano Coss. Germanico submoto, Drusus Tiberij Cæsaris filius, juvenis bellorum inexpertus, Illyrio & Germaniæ administrandæ impositus à patre, ac senatu, populoque Rom. Eo rerum statu post discessum Romani exercitus, opportunum se obtulerat tempus Germanis, asserendi se in pristinam libertatem, sed dissidijs & æmulatione gloriæ arma in se verterunt, Tiberio occultis artibus discordiæ malum seminante inter bellicosas gentes;

tes; quas cùm armis vincere non liceret, inter se collisit. Sed vetus ac longum per sæcula secutura Germanorum malum, in summâ fortunâ dissidere domi, & arma non priùs per concordiam jungere, quàm ab extero hoste sollicitata prematur libertatis jactura. * Bellum intestinum tum adversus Maroboduum Regem acerrimè sumptum; & belli causa non alia, quàm superbum & invisum Regis nomen. Nam inter eos vis nationum, & ducum virtus in æquo, ex priscâ illâ Reip. formâ, quâ delecti principes, & comites, qui jura per pagos vicosq; reddant. Sumpti duces ex virtute, & reges bellorum ex nobilitate, qui cum bello munus ponerent. Cetera nobiles inter se, populiq; pares & gentes regionibus suis ac Rep. discretæ liberæque. *Maroboduus* adolescens Romæ benignè ab Augusto habitus, reversus ad suos, artes & servitutem intulit, privatusque sensim dominationem inter populares suos Marcomannos occupavit. Regia *Boviasmum* in hercynia silva, si non veriùs *Boiohæmum*; eóque brevi invaluit potentia, ut formidabilem produceret exercitum, idemque vicinis circùm subactis populis jugum imposituru crederetur. Quod cùm Germani libertatis retinentissimi tam indignè ferrent in Maroboduo, quàm detestarentur in Romanis, in unam belli societatem conspiravêre. Delectus militiæ dux Arminius: nec modò Cherusci socijque eorum, vetus Arminij miles, arma sumpsêre; sed Suevi, Semnones ac Longobardi à Maroboduo descisentes ad Arminium transiêre, quibus accedentibus præpollebat Arminius. Contra Inguiomerus hactenus fidus Arminio bellator cum magnâ clientum manu ad Maroboduum transijt, non aliam ob causam, quàm quia fratris filio juveni patruus senex parere dedignabatur. Diriguntur acies pari utrimque spe, nec, ut olim apud Germanos, vagis incursibus, aut disjectas per catervas; quippe longa adversus Romanos militia insueverant sequi signa, servare ordines, subsidijs firmari, dicta imperatorum accipere. Instructa acie Arminius equo circumvectus collustravit cuncta, & ut quosque advectus, fando hortandoque recuperatam libertatem, trucidatas à se legiones Vari, spolia adhuc & tela Romanis direpta in manibus multorum ostentabat, fugacem Maroboduum appellans, prœliorum expertem Hercyniæ latebris defensum, ac mox per dona & legationes petivisse fœdus, proditorem patriæ, satellitem Cæsaris, haud minus infensis animis exturbandum, quàm Varum Quintilium interfecerint: meminissent modò tot prœliorum, quorum eventu, & ad postremum ejectis Romanis satis probatum, penès utros summa belli fuerit. Neque Maroboduus jactantia sui & probris in Arminium abstinebat, ut suos exstimularet: ostentare Inguiomerum Cheruscorum decus, cujus consilio & manu omnia patrasset Arminius, hunc modò ad se transfugisse, sui magis quàm Arminij æstimantem: se duodecim legionibus

* Bellum intestinum Maroboduum inter & Arminium, ceteraque Germanorum gentes. *Tacitus l. 2. ann. & l. de mor. Germ. Velleius l. 2*

Tacitus l. 2. ann.

bus petitum à Tiberio, & illibatam Germanorum gloriam servavisse, mox æquis conditionibus discessum, nec ausos fuisse Romanos secum bellum experiri. His atque alijs accensi utrinque ad prœlium milites. Arminium, Cheruscos, ceterasque Germanorum gentes stimulabat antiquum decus, & parta recens libertas: Maroboduum augendæ dominationis cupido. Non aliàs majore belli mole concursum, neque ambiguo magis eventu. Fusis utrinque dextris cornibus, æquo adhuc marte librabat fortuna prœlium, sperabaturque rursum pugna in alterum diem; cùm Maroboduus prœlij loco excedens castra in colles subduxit. Id signum perculsi victiq; fuit Arminio; & transfugis paulatim nudatus Maroboduus in Marcomannos concessit. Campus victori Arminio relictus. Maroboduus pòst in eas angustias redactus, ut missis ad Tiberium legatis auxilia adversus Arminium oraret. Responsum est, non jure eum adversus Cheruscos arma Romana implorare, qui pugnantes in eundem hostem Romanos nullâ ope juvisset. Missus tamen à Tiberio Drusus filius, ut pacem Maroboduum inter & Arminium componeret. Adeo nec Romani junctis cum Maroboduo armis ausi sunt aggredi Arminium. Tam vanum fuit illud Germanici tropæum debellatarum inter Rhenum & Albim gentium. Maroboduus post implorata Romanorum auxilia longè infelicior. Quippe Drusus specie quidem firmator pacis inter Germanos, re autem non aliud agebat, quàm ut discordias inter eos sereret foveretque, & fracto jam Maroboduo usque in exitium ejus insisteretur. Quam in rem Catualdam nobilem inter Gottones juvenem, olim vi Marobodui profugum illexit in ultionem: is validâ manu Marcomannnorum fines ingressus, corruptisque primoribus in societatem armorum, regiam irrumpit, castellum juxta situm occupat, & Maroboduum regno ejicit: neque aliud misero Regi subsidium fuit, quàm ad Tiberij misericordiam profugere; à quo receptus, & Ravennæ in Italiâ exulis instar habitus est; ubi per duodeviginti annos consenuit, multum imminutâ claritate. Non Philippum Athenienſibus, non Pyrrhum aut Antiochum populo Romano perinde metuendum dissertit in Senatu Tiberius, quàm Maroboduum florente fortunâ; Suevis interim si insolescerent ostentatus ad reditum & ultionem. Idem per discordias intestinas Cathualdæ casus: neque aliud perfugium fuit recepto in fidem Romanorum, quàm ut in Galliâ Narbonensi exulare concessum sit.

Lætus Tiberius, internis Germanorum dissidijs, æstu suo vel afflatis vel sustentatis, confici ea, quæ bello non speraverat. Dum hæc inter Cheruscos, Marcomannos aliasque Suevorum gentes aguntur, respiravêre populi, qui intra Visurgim & Rhenum Westfaliam incoluêre: nec enim in Tiberio Cæsare Drusi fratre, nec in

Druso

Druso Tiberij filio bellaces Germanici Spiritus. Tiberio satis fuit habere quietas gentes, nec multum velle lacessere, eâ comprimis tempestate, quâ Germani adhuc armati diffidebant, & Chatti in Cheruscos accensi exercebant odia omni bello Romanis utiliora. Etenim Adgandestrius Chattorum princeps scriptis ad Tiberium literis, mortem Arminij promittebat, si patrandæ neci venenum mitteretur. Perfidum ac probrosum Germano nomini facinus, nec ab ipsis Romanis probatum; recitatis enim in senatu Chatti literis, responsum est, *non fraude, neque occultis artibus, sed palàm et armatum populum Romanum hostes suos ulciscì*. *Tacitus l. 2. ann. c. 88.*

Interim idem hic annus duos simul clarissimos bellatores, Germanicum & Arminium sustulit. Germanicus compositis in Oriente bellicis rebus, lustratâque Ægypto, Antiochiæ in Syriâ excessit: creditumque fuit veneno abruptam vitam, à Pisone & Plancinâ uxore dato, quibuscum graves inimicitias habuit. Non aliàs majori luctu urbs completa, ob jacturam tanti principis, à quo pristina Reip. libertas, uti Drusus pater promiserat, reddenda sperabatur: non eâ tempestate in regnatrice domo virtutum decore & belli gloriâ quisquam clarior. Indoluêre exteræ nationes regesque: tanta ejus in cives, tanta in milites & socios comitas. Reguli quidam præ luctu barbam posuisse, alij uxorum capita rasisse traduntur. Memoriæ Germanici non tantùm Romæ & in Syriâ, sed & apud Rheni ripam arcus erecti, cum inscriptione rerum ab eo gestarum. *Tacitus l. 2. ann. Suetonius in Tiberio & Caligula.*

Arminij casus haud minus Germaniæ fatalis. Ejus viri interitum & laudem Taciti verbis referam: *Abscedentibus Romanis, et pulso Maroboduo, regnum affectans, libertatem popularium adversam habuit: petitusque armis, cùm variâ fortunâ certaret, dolo propinquorum cecidit. Liberator haud dubiè Germaniæ; et qui non primordia populi Romani, sicut alii reges, ducesque, sed florentissimum imperium lacessierit: prœliis ambiguus, bello non victus, septem et triginta annos vitæ, duodecim potentiæ explevit; caniturque adhuc barbaras apud gentes, Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur: Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incurioſi.* Monstratur hodiedum apud nos in edito abruptoque monte, haud procul *Ludæ* oppido, in comitatu *Pyrmontano*, ac Diœcesi Paderbornensi, *Harmesburgum*, quam Arminij gentilitiam sedem aut castrum militare fuisse volunt, eò certè verisimilius, quòd Cherusci etiam cis Visurgim veteres potentiæ sedes tenuerint. Conspiciuntur etiamnum amplo satis spatio castrorum vestigia & rudera arcis: creditur que Varus in eas partes abductus, & primis cladium suarum insidijs exceptus: Vulgus *Herlingsburg* vocat, appellatione per traditam majorum fidem ab Arminio traducta, quæ & scriptorum quorundam opinatio est. Arcem hanc Seilerus à Carolo M. eversam scribit: illic enim Carolus cum exercitu ad Ludam *Tacitus l. 2. ann. c. 88.* *Ferdin. in Monumentis Paderb. Monum. Ludæ. Pideritius in Chron. Lipp. p. 2. Seilerus in Chron. Pyrm. Winkelmannus notitia veteris Westph. lib. 1. c. 8.*

Ludam consedit, uti hæc in Caroli rebus gestis tradunt Francorum annales. Illic haud procul ad *Ambram* fluvium *Schidroburgum*, in quo primam Episcopi sedem Carolus aliquando designavit. In eodem Teutonicorum montium jugo & vico *Angariæ* Widekindi castrum, tanquam geminos hosce bellatores tellus illic paternis sedibus conjunxerit. Loca hæc ad *Ambram* olim magis culta vicis & incolis, quæ nunc silvis magis circumobsitæ visuntur. Hæc de Arminij vestigijs, quemadmodum coram mihi perlustrare licuit. Sed non ultra conjecturas, quibus mihi, quantum alijs tribui velim. Vulgatâ Germanici morte, Galliarum civitates adversus Romanos rebellant, quòd excessu Germanici egregium sibi resumendæ libertatis tempus oblatum crederent. Quatuor & sexaginta civitates desciviſſe ferebantur Romam. Haud ferè ulla civitas intacta seminibus ejus motus. Exarsit is primùm inter Treviros & Æduos. Principes hujus seditionis concitoresque populi Julius Florus inter Treviros; Julius Sacrovir apud Æduos; quòd gravibus tributis, multisq; extra ordinem servitijs, premerentur provinciales & oppida, eoque pecuniam mutuam fœnebrem à Romanis accipere, & cùm grandi divitum usurâ reddere cogerentur. Assumpti in hanc belli societatem Germani, qui trans Rhenum incolebant, & tantò hi proniores, licet Arminius perijsset, quò longiùs Romanorum jugum à cervicibus suis depulsum mallebant. Verùm ea Galliarum civitatum conspiratio citiùs per Acilium provinciæ Lugdunensis, & Varronem inferioris Germaniæ, legatos Tiberij compressa, quàm ut Germanorum trans Rhenum auxilijs juvari confirmarique posset.

An. Christi 22. &c. Tiberij Imp. 6. &c. *Tacitus l. 3. ann.* *Velleius l. 2* *Brovverus lib. 1. ann. Trev.* Galliæ adversus Romanos rebellio.

Annis ab hinc aliquot elapsis Julio Silano & P. Silio Nerva Coss. cœperunt & Frisij, trans Rhenanus populus, pacem exuere. Causam rebellionis dedit Romanorum præfectorum avaritia, & dominandi superbia. *Tributum iis jusserat Drusus modicum pro angustiâ rerum, ut in usus militares coria boum penderent*, nimirum ad scuta, ad militum tentoria, ad machinarum paratum, non præscriptâ firmitudine aut mensurâ. *Donec Olennius è primipilaribus regendis Frisiis impositus, terga urorum delegit, quorum ad formam acciperentur.* Deinde serpente avaritia boves ipsos, mox agros, postremò corpora conjugum & liberorum in servitium trahebantur, quæ apud Germanos eò difficiliùs tolerata, quò libertatis retinentiores erant. Hinc ira, & delatæ querelæ: & postquam his contemptis non est subventum, remedium ex bello quæsivere; raptique per vim, qui tributis præerant milites & patibulo affixi. In hac gentis concitatione Olennius fugâ periculum capitis prævertit, receptus castello, cui Flevo nomen est, ad Isalæ ostium in mare devoluti, ubi post maris eluvionem, incussæ Oceani undæ primùm æstuaria, deinde lacus effecêre; qui Melæ Fletius, alijs Flevus appellatus. Istic etiam castellum, uti ad

An. Christi 30. &c. Tiberij Imp. 14. &c. *Tacitus l. 4. ann. c. 72.* *Bucherius* Et Frisiotum adversus eosdem.

Mela.

ostium

ostium Amasis & Visurgis positum à Romanis, ingressus Regionum receptusque militum. Neque dubium fecero, quin vicini Germanorum populi, Marsi, Bructeri, Angrivarij, Cherusci, Frisijs auxilia sua obtulerint, læti Frisios eadem audere pro libertate, ad quæ ab ipsis toties provocati erant. Id ubi L. Apronio, inferioris Germaniæ propretori cognitum, vexilla legionum è superiori provincia, peditumque & equitum auxiliatorum delectus accivit, & simul utrumq; exercitum Rheno devectum Frisijs intulit. Frisij ad famam adventus hostium, soluto obsidio, ad suas sedes tutandas regressi. Insecutus Apronius, traductoque per æstuaria & vada exercitu, præmittit cohortes, quæ terga Frisiorum circumgrederentur. At illi jam acie compositi, aliam post aliam cohortem & socialium equitum peditumq; turmas, uti abruptæ venerant, cædunt profligantque. Neque Apronius dux Romanus interiora Frisiæ intrare ausus, & cladem ulcisci; quanquam multi tribunorum præfectorumque, & insignes centuriones cecidissent, quorum ne corpora quidem humata. Præter hæc compertum nongentos Romanorum in Lucum Baduhennam perfugisse, ubi extracta in alterum diem pugna, omnes à Frisijs trucidati. Alia demum quadringentorum manus occupatâ Cruptoricis villâ, desperatisque suorum auxilijs, mutuis se vulneribus confecit, morte voluntariâ hostium enses occupando. Fœda hæc Romani nominis clades. Sed *clarum inde*, inquit Tacitus, *inter Germanos Frisium nomen dissimulante Tiberio damna, ne cui bellum permitteret*, aut lacesseret Germanos. Neque senatui in eo cura, an Imperij extrema dehonestarentur; eò jam res eorum prolabebantur, ut timerent, qui hactenus timendi erant. Nam per id tempus secesserat Tiberius in Campaniam, & Capreæ insulam, ubi fœdis ac nefandis voluptatibus se permisit: Sejano præfecto prætorio Romæ dominante, & per senatorum civium capita grassante: versaque est bellica illa Romanorum virtus ab exteris gentibus subigendis in lanienam urbis; cùm frequens illa sub Tiberio & publica accusandi rabies omni civili bello gravius affligeret Remp. Nec domesticis malis intactus Tiberius Sejani aspirantis ad Imperium dolo; sublatus enim è medio Drusus Illyrij & Germaniæ præses, quem unicum habebat filium Tiberius in spem successionis, adjuvante ipsâ Liviâ Drusi uxore, quàm priùs stupro polluerat Sejanus. Adeo cuncta miscentur sceleribus, & valida occidunt Imperia, cùm principes se libidini & otio permittunt, alienis & perfidis regentium fulcris subnixi.

* Aderat inter hæc annus Tiberio duodevigesimus imperij, cùm Christus annos natus triginta tres, ipsosque tres menses, liberator humani generis, impijssimâ atque iniquissima Pilati sententiâ cruci affixus est, idem victima & sacerdos salutis humanæ. Neque à morte Christi Tiberius ultra quinquennium superstes, Cn. Proculo &

Lib. 4. ann.

Tacitus, c. 74.

Seneca de beneficijs.

* Annus Christi 34. &c. Tiberij Imp. 18. &c. *Eutropius in Tib. Tacit. lib. 6. ann. Dio lib. 55. Baronius. Brouverus. Alij paulò aliter. An. Christi ordinant.*

Tiberij Cæsaris mors.

Pontio Nigrino Coss. in Campaniâ extinguitur. Addita vis morti, ut quidam volunt, injectuque vestis à Macrone & Caligulâ extremus Spiritus intercluſus, octavo & septuagesimo ætatis anno, imperij XXIII. Vitâ famâque princeps bonus quamdiu privatus, & sub Augusto commendatus in spem bonam: ferendus etiam, dum Germanicus, & Drusus imperij ejus bellique fulcra, & frena licentiæ superfuêre. Ab horum excessu cuncta simul vitia diu malè dissimulata profudit, abjectâ Reip. curâ. Inde imperium prolabi, & ut autor nobis

Sueton. in Tib. c. 41. Eutropius in Tib.

est Suetonius, *Armenia à Parthis occupata; Media à Dacis et Sarmatis; Gallia à Germanis vexata, magno Romani nominis dedecore, nec minori discrimine.* Quò mihi verisimile est, Germanos resumptis animis & viribus unà cum Frisijs sese sub Tiberij extremo principatu in plenam libertatem asseruisse, & Rheno transmisso ausos in ipsis Gallijs Romanos infestare; tametsi id à Tacito & alijs præteritum. Certè tum, Eutropio teste, Galliæ à vicinis gentibus, nec alijs quàm Germanis, sunt direptæ. Sed tantò nobis feliciora extrema Tiberij, quò illustriùs sese Evangelium Christi per Orientem orbemque universum proferre cœpit. Enim verò postquam recens fama admirandæ sanctitatis & miraculorum Christi ad Tiberium perlata est, perhibet

Tertullian' in Apologet.

Tertullianus, Cæsarem retulisse ad Senatum de Christo in numerum Deorum referendo, cum prærogativâ suffragij; id verò cùm non sponte suâ probasset ante Senatus, Tiberij postulatum rejecisse;

Orosius.

Cæsarem interim usque eò perseverasse in sententiâ, ut, tametsi apotheosin Christi non impetraret, interdixerit tamen, ne quis adversus Christianos accusationes faceret. Quo in numero accusatorum cùm Sejanus esset Christianis infestior (uti ab Orosio scriptum est) haud multò pòst homo mortalium profligatissimus meritas scelerum suorum pœnas dedit; damnatus enim à Tiberio & senatu, capi-

Dio lib. 58.

tisque mulctatus, per Gemonias scalas dejicitur in Tiberim, atque inde extractus triduum populo infame ludibrium fuit.

An. Christi 39. &c.

Successit Tiberio Cajus cognomento Caligula ex regnatrice domo Germanici filius (in quo tamen nihil paternæ indolis) Drusi Germanici nepos sceleratissimus, natus apud Treviros in Vico Amb

CAJUS CALIGULA. CÆSAR

itarino, ubi tum castra patris erant; quem militari vocabulo Cali-

Tacitus l. 1. Ann.

gulam appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi studia eo

Dio lib. 59.

tegmine pedum induebatur. Quamdiu in aula Tiberij versatus,

Sueton. in Calig.

callidè vitia & ferociam texit: postquam imperio admotus, omnia

Eutropius in Calig.

liberè effudit, valuitque dictum, *neque meliorem unquam servum, neq; deteriorem dominum fuisse Caligulâ.* Quantum Tiberius à virtutibus

Ludicra ejus bella cum Germanis.

Augusti deflexit, tantum ille Tiberij vitia & scelera supergressus: portentum magis hominis quàm princeps, ob monstrosas libidines, sævitiam, & stolidum regendi modum. Is tamen ut Tiberij dedecora purgaret, ausus est jactare se bellum contra Germanos suscipere;

in-

ingressusque ob id Sueviam (ut cum Eutropio hæc referam) ac fortè Mogunciam, ut monumentum istic Drusi, aut apud Vbios parentis castra, & pueritiæ suæ contubernia lustraret: inde in Cattos moturum se prætulit cum exrcitu 25000. armatorum virorum. At Suetonius hoc stolidum ridiculumque bellum nobis explicatiùs tradit: *Admonitus enim de supplendo numero Batavorum, quos cum Germanis circum se habebat in custodiâ corporis, fatuum expeditionis impetum cœpit*: cinctusque majori numero saltatorum, histrionum, meretricum & gladiatorum, quàm militum, in Galliam festinavit. Mox contractis legionibus in speciem formidabilis exercitus ad Rhenum progressus, paucos de custodiâ Germanos trajici, occulique trans Rhenum jussit, ac sibi post prandium ex composito tumultu nunciari, hostem adesse. Quo facto, proripuit se cum amicis & parte equitum prætorianorum in proximam silvam, truncatisque arboribus & in modum tropæorum adornatis ad lumina reversus, eorum quidem, qui secuti non essent, timiditatem & ignaviam corripuit; comites autem & participes ludicræ victoriæ novo genere & nomine coronarum donavit, quas distinctas solis ac lunæ siderumque specie *exploratorias* appellavit. Rursus obsides quosdam abductos è literario ludo, clamque præmissos, deserto repentè convivio cum equitatu insecutus, veluti profugos ac reprehensos in catenis reduxit. Ita dum bellum cum Germanis ludificaret, acerrimo scripto absentem Senatum objurgavit, quod Cæsare præliante, & tantis discriminibus objecto, intempestiva convivia circum theatra & amœnos recessus celebrarent. Postremò quasi perpetraturus bellum, directâ acie in littore Oceani, balistis machinisque dispositis, nemine gnaro aut opinante, quid cœpturus esset, repente ut conchas legerent, galeasq; & sinus implerent, imperavit, spolia Oceani vocans Capitolio palatioque debita. Conversus hinc ad curam triumphi, præter captivos & transfugas barbaros, Galliarum quoq; procerosissimum quemq;, & ut ipse dicebat ἀξιοθριάμβευτον triumpho dignissimum, ac non nullos ex principibus legit & sepposuit ad triumphum, coëgitque non tantùm rutilam comam, sed & sermonem Germanicum addiscere, & nomina barbarica ferre. Scripsit deinde procuratoribus, triumphum apparent quàm minimâ summâ, sed quantus nunquam alias fuisset. At priusquam ex Galliâ Romam decederet, consilium inijt trucidandarum legionum, quæ post excessum Augusti seditionem moverant: vixque à sævâ mente inhiberi potuit, quin decimare quemque ad necem perseveraret. Vocatas itaque ad concionem legiones inermes, atque etiam gladijs depositis, equitatu armato circumsedit. Sed cùm videret, suspectâ re, plerosque delabi ad resumenda arma, profugit è concione, confestimque urbem petijt, triumphum acturus; re nonaliâ memorabili gestâ, nisi quòd Galliam

Suetonius in Calig. c. 45.

expilârit, & Germanis se ridendum obtulerit, histrio magis quàm Cæsar. Interim Publ. Gabinium Secundum inferiori, Servium Sulpitium Galbam superiori Germaniæ reliquit Legatos: occiso priùs Lentulo Gentulio; quòd, cùm ille decennio Germaniam administrasset, gratum popularibus comperisset. Hoc illud Caligulæ bellum adversus Germanos; nec aliud unquam attigit effœminatus homo. Tam verè scripsit Tacitus: *Ingentes Caii Cæsaris minæ in ludibrium versæ.* Quæ postquam cognita sunt Germanis, arma Cæsarum Romanorum, quæ hactenus formidare poterant, derisui habuêre. Ad ultimum vecors Cæsar, cùm ingenti avaritiâ, libidine, & crudelitate lævijsset; post damnatum militem, occisum Tiberium fratrem, illatumque sororibus stuprum; a præfectis prætorij crudelem in modum trucidatur. Accurrêre Germani corporis custodes cum lecticarijs, ac nonnullos ex percussoribus, quosdam etiam Senatores innoxios interemêre. Vixit Cæsar annis xxix. imperavit triennio & x. mensibus. Opinari libet Deum in tam nefandas libidines & scelera, quibus Roma cooperta fuit, labi permisisse; quò Christiana religio, quæ tum surgebat, lumine naturæ accepta, compositaque cum flagitijs Romanorum, castissimis suis moribus, & sanctissimo vitæ instituto, faciliùs apud sanæ mentis homines aditum reperiret: quo argumento pòst D. Paulus in Epistola sua Romanos convenit.

Tacitus de morib. Germ.

An. Christi 43. &c. Claudius Cæs.

Post Caligulam Claudius, Drusi filius, Germanici frater, Caligulæ patruus, casu magis militumq; impetu salutatus Imperator, quàm Senatus populique arbitrio. Latuerat hactenus inter equestrem ordinem retrusus, tanquam imperio ineptus, non ullo magistratu gesto, belli etiam inexpertus, ingenio hebetiore, & imminutæ mentis Cæsar; animo moderatus pavidusque; qui libertorum postea & mulierum magis consilio, quàm suo Cæsar spectatus. Ideo bellorum negligens, per ignaviam, haud secus quàm Tiberius & Caligula, exterarum gentium armis est petitus, quas inter Chatti & Marsi, ceterique trans Rhenum populi palàm sumptis armis insurrexerunt. Chattos Sulpitius Galba compressit; Marsos P. Gabinius vicit: quanquam ab eodem quoque Gabinio, Chaucos superatos memoret Suetonius, ob quæ Chauci nomen illi à Claudio Cæsare datum. Interque alia quibus militare decus auxit Gabinius, *aquilam, quæ sola è clade Varianâ supererat à Marsis recuperavit.* Igitur jam omnes aquilæ, si hæc probè memoret Dio Cassius, receptæ sunt. Nam unam aquilarum teste Floro, *signifer priùs, quàm in hostium manus veniret, evulsit, mersamque intra balthei sui latebras gerens, in cruentâ palude sic latuit.* Alteram quæ undeviceſimæ legionis fuit, L. Stertinius missu Germanici inter cædes prædasque Bructerorum reperit, reddiditq; Romanis. Tertiam irruptione in Marsos Germanicus Cæsar, Malovendo Marsorum duce indicante, recepit ab eâ gente, quam

Tacit. l. 12. ann. *Sueton. in Claudio.* *Dio lib. 60.* *Baronius.*

Dio lib. 60. Aquilæ Clade Varianâ amissæ recipiuntur à Romanis. *Florus l. 4. c. 12.* *Tac. l. 1 an.* *Tac. l. 2. an.*

quàm hìc Dio Cassius, Claudio demum Cæsare, à Gabinio legato receptam scribit à Marsis. Hic aut Tacitum, aut Dionem nos fallere necesse est: nisi quatuor aquilas clade Varianâ ereptas fingere libeat, aut eam, quacum signifer latuit, à Marsis post interceptam fas sit credere: utrumnè relata, abrupit Florus, tanquam super hac re incertus. Tam dissoni etiam Romani scriptores. Et quis Tacito propiori temporum præ Dione fidem abroget? præsertim cùm ipse Dio Cassius suprà referat Germanicum ad Oceanum usque progressum, & victis gentibus ossa eorum, qui cum Varo ceciderant, lecta humasse, signaq; militaria recepisse: tanquam pòst immemor sui, aquilam Claudio demum Cæsare receptam dixerit. Sed hæc ipsa dissensio, Floro potiùs hærendum suadet, qui duas aquilas, suo, dum hæc scribit, ævo à Barbaris teneri asserit: ac licet Lipsius hæc conciliare velit, censeatque Florum ex Livij ætate & personâ, cujus ille epitomen dederit, scribere, nec ex suis temporibus (quem Trajano Cæsare vixisse volunt) quicquam de receptis aquilis prodidisse; certè hoc Dionis testimonium præterijt Lipsius, perinde ut ceteri, quos quidem legerim auctores. Utcunque nunc hanc litem componas, magnum semper Romano nomini probrum amissæ in prælio aquilæ. Quantum laboratum, triumphatumque, postquam à cæde Crassi receptæ sunt aquilæ ex Parthorum manibus? quæ serò tandem, si tamen unquam omnes, à Germanis receptæ; tanquam præsagio suo apud eam gentem tam diu depositæ, relictæve fuerint, ex qua Franci postea domitores possessoresque Imperij Romani, ac dein Saxonum, Germanorumque Cæsares prodiêre. Sed ad Claudium nos referamus. Omnia ille bella per legatos, & provinciarum præsides gessit: neque Italiam egressus est, præter unam expeditionem, quam post C. Julium Cæsarem, in Britanniam fecit: subactâque Regni ejus parte, Germanorum comprimis virtute, Romam regressus, tanquam mira perpetrasset, Britannici cognomentum sibi filioque sumpsit. Germaniam nunquam aggredi est ausus, pacem magis quàm bellum cum ijs affectando; quòd consultiùs haberet Germanos mutuis dissidijs & intestinis armis, quæ inter Cheruscos & Cattos jam diu flagrabant, relinquere, quàm suo interventu auxiliove alterius partes lacessere; eaque fuit Germanorum æstimatio, apud Claudium, ut legatis eorum in Orchestra locum sedendi spectandique dederit, simplicitate eorum & fiduciâ motus. Et Germani id sibi deberi rati: nam cum animadvertissent Parthos & Armenios considêre in Senatu, ad eadem loca sponte transierunt, nihilo deteriorem virtutem & conditionem suam prædicantes. Quanquam id Tacitus non Claudio, sed Neroni Cæsari tribuat, Frisiosque fuisse velit. Ii enim postqnam aliarum gentium legatis id honoris datum esse didicissent, palàm in theatro Pompei

Dio lib. 57.

Monumenta Paderbornensia.

Suetonius in Claudio c. 25.

Legati Germanorum seu Frisiorum Romæ honorificum in Orchestra locum occupant. *Tacitus l. 13. ann. C. 54.*

Laus Germanorum.

pei professi, *nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse.* Suetonius Claudio Cæsare id factum memorat. Tacitusne an Suetonius nos fallat, inquirit Lipsius; dissimulat in Suetonio Casaubonus. At satis est hanc liberam legatorum vocem ab utroque scriptore Germanis attributam, magnâque populi Romani admiratione & plausu acceptam. Nam per id tempus quædam Germanorum gentes trans Rhenum se in fidem populi Romani dederant, neque is honor considendi in theatro alijs, quàm fidis, aut bene meritis socijs concessus; quos inter Cheruscos quosdam tum fuisse reputaveris, Romanorum amicitiam ambientes. Quippe gens illa, post sublatum Arminium, per intestina bella, amissis nobilibus, Româ regem petivit, quo se contra Chattos vicinosque populos tueretur. Superat unus regiæ stirpis, qui apud urbem habebatur, nomine Italus. Paternum huic genus à Flavio Arminij Fratre, mater Catumeri principis Chattorum filiâ. Hunc Romæ ortum, ex quo Flavius ad Romanos transijt, non obsidem, sed civem mittit Cheruscis Claudius Cæsar. Ac primò lætus gratusque Itali adventus, atque eò magis, quòd nullis discordijs imbutus pari in omnes studio ageret; inde ob similitudinem morum & comitatem, quâ se omnibus acceptum præbebat, evectus potentiâ; quam cùm suspectam haberent populares, abiêre in factiones, discesseruntque ad conterminos populos, queritantes adimi veterem libertatem Germaniæ, & Romanas opes insurgere, despici gentem suam, tanquam inter ipsos nullus sit ortus, qui principis locum impleat: fraude Romanorum extolli Flavij progeniem, ut prodantur & premantur in servitutem. Hisce atque alijs concitati inter se, copias cogunt; nec pauciores contraxit Italus, paria apud suos differens, non se obtrusum adesse, sed accitum ab ipsis. Nec patrem Flavium rubori esse, quòd in Romanorum fidem & castra transierit; id enim volentibus Germanis factum esse, & nunc ipsorum bono se principem submissum, ut in amicitiâ Romanorum populares suos retineret: falsò proinde libertatis insidias obtendi. Hoc nimirum eos facere, qui nihil spei habeant, nisi per discordias; tantum se experiantur, an indignum se patre Flavio, patruoq; Arminio aut Catumero præbiturus sit. His adstrepebat vulgus; itumq; in prœlium, ex quo victor Rex Italus discessit. Dehinc secunda fortuna ad superbiam prolapsus, pulsusque popularium armis, ac rursum Longobardorum opibus erectus, per læta & adversa, res Cheruscorum afflixit. Opportunum id Romanis sub languido Cæsare, intestinis dissidijs averti à se armâ Germanorum. Nec tamen quietus a Germanis Claudius. Quippe per id tempus Chauci, duce Gannasco, gente Caninefate, transito Rheno, inferiorem Germaniam incursavêre, & Gallorum oram levibus navigijs advecti vastavere, sat gnari Gallos dites & imbelles esse. Adeo jam ante Saxonum

Tacitus l. 11. ann. C. 16.

Italus Cheruscis datus à Claudio Rex.

Tacitus l. 11. ann.

Chaucorum rebellio.

onum nomen, etiam prædatoria Germanorum classis, mare & Galliæ littora infestasse auditum est. At Corbulo postquam provinciam à morte Sanguinij ingressus, ut Chaucos coërcere, triremibus alioque minorum navigiorum paratu Rhenum secundo flumine descendit, & ut quæque navium habiles, per æstuaria & fossas adigit; donec classe ad eum locum perventum, ubi hostem restitisse cognoverat. Ibi conserto prœlio victor Corbulo, depressisque hostium lintribus Gannascum regione profugum exturbat. Fractâ gentis hujus ferociâ vertit arma in Frisios. Ea natio post cladem Apronij inflata, & malè fida, timebatur ne rebellionem cœptaret denuò; ideo ostento armorum terrore apud eos consedit Corbulo, acceptisque obsidibus, agros & limites Frisijs describit, Magistratumque & leges imponit; ac ne jussa imperiumque Romanum exuerent, benevolentiâ captat, præsidiumque ne oneri sit, imminuit: missi simul, qui majores Chaucos ad deditionem pellicerent. Oberrabat interea Gannascus Chaucorum dux, non tam victus quàm irritatus, miles expeditus, ac diu antè inter auxiliares in Romanorum castris meritus exercitusq; : pòst ad suos & Chaucos transgressum, cum Corbulo vi opprimere non posset, ex insidijs aggressus interemit. At cognitâ Gannasci cæde, motæ denuo Chaucorum mentes exasperatæq; in Romanos, dolo ac perfidiâ tolli sibi ducem suum, quem virtute bellicâ vincere oportuerat. Nec qui in exercitu erant, Romani probavere facinus Corbulonis: auditique, qui palàm exprobrarent, justâ provocatione conciri Germanos, pacem quam cum hostibus tractaret, formidolosam fieri, imò quæ hactenus prospere egisset, adversa in Remp. casura: virum insignem & ignavo principi prægravem contra fas & Romanum morem fidemque per insidias necari. Quæ ubi ad Claudium Cæsarem perscripta, haud aliud quàm pacem cum Germanis affectantem, prohibuit non modo novam in Germanias vim bellumque, sed & præsidia omnia è castellis trans Rhenanis in citeriorem ripam Rheni transferri mandavit. Hoc illud Taciti de Claudio Cæsare: *Adeo novam in Germanias vim prohibuit, ut referri præsidia cis Rhenum juberet*, C. Valerio Asiatico & M. Valerio Messala Coss. Postquam hæ Cæsaris literæ Corbuloni in hostili solo castra molienti sunt redditæ, paruit licet invitus: haud aliud abrupta voce prolocutus, quàm, *beatos quondam duces Romanos, quibus licuit cum fortunâ et virtute semper bellum proferre.* Ne tamen miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque trium & viginti millium spatio passuum fossam produxit, quâ incerta Oceani vitarentur. Diversa hæc Corbulonis à Drusi & Civilis fossâ, quoquo tandem loco; uti hæc disceptant alij.

Tacitus l. 11. Ann. Claudius Cæsar præsidia è Germania trans Rhenum revocat. ὦ μακάριοι οἱ πάλαι ποτὲ στρατηγήσαντες. *Dio.* An. Christi 49.

Ad hunc modum compositis omnibus ad pacem cum Germanis, Claudij Cæsaris jussu imperioque, legiones & præsidia castellorum

Dio lib. 60. Vertran. in notis.

Lipsius in notis ad Tacit. Cluver. l 2. Antiq. Germ. c. 31. Pont. lib 2. Germ. c. 10. Ortelius. Alisonis Castellũ. Tacit. l. 12. Ann.

rum, quæ Drusus primùm Claudij pater, & Germanici frater ad Albim, Luppiam & Amasim, interque Cattos & Frisios ad subigendam Germaniam posuerant, trans Rhenum reducta. Tum & Alisonis castellum, si non antè, desertum à Romanis. Utrumne post celebre illud munimentum à Germanis occupatum, an dirutum mox, ne opportunam hanc belli sedem repeterent Romani, à nullo veterum scriptorum pro comperto habeo. Id certius constat, Claudium Cæsarem ita à bellis Germanorum abhorruisse, ut, quamvis sæpe oratus, arma certantibus Barbaris interponeret, nunquam tamen legiones trans Rhenum in hosticum traduci permiserit; veritus enim, ut Tacitus est auctor, ne Germani fortunâ elati Romanam quoque pacem turbarent, victoresque transgressi Rhenum Gallias irrumperent: adeo non victi ad eum diem Germani, sed formidabiles etiam Romanis post bella & clades, & transportatis trans Rhenum gentibus, tanquam è sinu terræ renascerentur homines, aut Cadmæa proles resurgeret ex Teutonicis montibus consepulta. Lubet nunc hic, quando tempus monet, Cornelij Taciti integrum judicium de omnibus hisce bellis Romanorum adversus Germanos producere.

Tacitus l. de mor. Germ. c. 37.

Sexcentesimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat, cùm primùm Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone Coss. Ex quo si ad alterum imperatoris Trajani consulatum computemus, ducenti fermè ac decem anni colliguntur. Tam diu Germania vincitur. Medio tam longi ævi spatio multa invicem damna. Non Samnis, non Pœni, non Hispaniæ, Galliæve, ne Parthi quidem sæpius admonuere. Quippe Regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis, quàm cædem Crassi, amisso et ipso Pacoro, infra Ventidium dejectus Oriens objecerit? At Germani Carbone et Cassio, et Scauro Aurelio, et Servilio Cepione, M. quoque Manlio fusis vel captis, quinque simul consulares exercitus populo Romano, Varum tresque cum eo legiones etiam Cæsari abstulerunt. Nec impunè Cajus Marius in Italiâ, Divus Julius in Galliâ, Drusus ac Nero, et Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes Caii Cæsaris minæ in Ludibrium versæ. Caligula hic postremus est, de quo diximus, ad Rhenum progressus, truncos arborum in trophæum secando, conchiliaque ad littus maris in Triumphum legendo, incertus Romanos ne an Germanos magis ludificaret. Tam infelici bellorum successu adversus Germanos Claudius quoque Cæsar aut monitus, aut territus, desertis Castellorum præsidijs, reductoque trans Rhenum milite, pacem cum Germanis colere quàm bellum maluit. *Inde otium, donec occasione discordiæ* populi Romani *et civilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectavêre, ac rursum pulsi inde proximis temporibus triumphati magis quàm victi sunt.* Quippe ut Cato quondam *Macedonas liberos pronunciavit, quia teneri non poterant*, hoc eodem prorsus judicio Claudius

Ælius Spart. in Hadr. Tacitus de moribus Germ. c. 37.

dius Cæsar, Germanos absolvit, suæque libertati relinquendos censuit: quorum amicitia Romanis utilior quàm bella futura essent. Verùm & Claudius Cæsar revocatis præsidijs non ita consuluit paci cum Germanis, quin Catti mox Rhenum transgressi superiorem citeriorem que Germaniam prædis & latrociniis divexârint. Quod ubi cognitum à L. Pomponio legato, auxiliares Vangiones & Nemetes monuit, adjungerent se legionibus, anteirentque populatores. Inde in palantes Cattos movit, diviso in duo agmina milite, qui lævum tenuêre iter; Cattos regressos & per luxum prædâ usos, somnoque graves circumveniunt, funduntque. Aucta Romanorum lætitia, quòd quidam è clade Varianâ post quadragesimum annum recepti, & servitio exempti. Alterum iter, quod per compendia viatum incessit, ingressi Romani, Chattos aciem ausos, nova clade atterunt. Pomponio interim ad montem Taunum operiente cum exercitu, si forte Chatti ulciscendi cupidine casum pugnæ denuo probarent,

An. Christi 52. Catti Rhenum transgressi cæduntur à Romanis. *Tacit. l. 12. ann. C. 27. Brouverus lib. 2 ann. Trev.*

Per id tempus Agrippina Claudij Cæsaris Augusta conjux in oppidum Ubiorum, in quo erat genita, veteranos Coloniamque deduci imperat, cui & nomen ex vocabulo ipsius inditum Urbs Germaniæ celeberrima servat, ob id etiam Claudia agnominata. Ex quo enim Germania trans Rhenana nudata præsidijs, citeriorem Rheni ripam, castellorum oppidorumque, limitaneo milite intentius præmunire necesse fuit. Ibi constitit Claudius Cæsar, imperiumque Rheno clausit. Tum reditum ad veterem limitem, quo olim Galli à Germanis, nunc Romani à Germanis discluси fuere. Extinctus deinde Cæsar anno ætatis LXIV. imperij XIV. veneno, ut creditum, ab Agrippinâ conjuge præbito, ad mortem accelerandam; quò in Neronem filium, Domitio genitum, imperium transferret, & Britannico Claudij filio, quem Agrippina privignum habebat, certius præcerperet, mulier regnandi cupidine flagrantissima, Quàm tum Roma flagitijs fœda imperante Claudio & sæviente Agrippina, tam fortunata. D. Petri in eam urbem adventu, quem sub initia principatus ejus tradunt auctores. Mox ubi Christi religio crescere, vulgarique cœpit, simul odio & infectatione hostium excepta; quod nec Suetonius dissimulavit. *Quippe Judæos impulsore Chresto assiduè tumultuantes Roma expulit:* id enim nomen per contumeliam servatori datum observavit Tertullianus & Lactantius. Cumque Christianum nomen nondum invaluisset, Judæorum simul censu comprehenderunt. Mitius Dio cum ijs actum scribit: cùm enim Judæi adeo Romæ frequentes essent, ut ægre admodum sine tumultu propter multitudinem exigi possent, non ejecit illos Claudius Cæsar, sed conventibus, quos patrijs legibus agitabant, interdixit. Id ex remisso Claudij imperio sortita Christiana religio: & D. Petrus

Coloniæ Aggrippinæ natales. *Tacit. l. 12. ann. C. 27.*

An. Christi 53. *Spondanus. Baronius.*

Suetonius c. 25. in Tiberio.

Dio lib. 60.

non

non modò Romæ, sed per Italiam & Europam missis discipulis, Christi evangelium longè latéque disseminavit. Censet ex his non minùs Germania suos primos Episcopos, quàm Italia, Gallia, Hispania & Illyrium. Uti hos Baronius & ceteri annalium scriptores ac fasti consignârunt. Missi enim pòst Româ à S. Petro in Germaniam inferiorem, *Eucharius*, *Valerius*, *Maternus*, discipuli Christi. Hi primi Trevirensium, Tungrensium, & Colonienſium Episcopi. Missus deinde *Crescens* Mogunciam, primus ejus loci antistes. Missi & in Germaniam ex eodem cœtu discipulorum *Egistus* & *Marianus*. Agnoscit id Baronius; & in Germaniam trans Rhenanam descendisse ad Cheruscos, transitoque Visurgi *Bardevicum* ad fluvium *Elmena* Egistum unà cum Mariano penetrasse, traditum à majoribus, creditumque olim fuit: quâ testificationis viâ plerique suos sibi primos Apostolicos viros potissimum vendicant. Quò postquam advenêre, sedem istic in celebri & frequenti populorum loco cœperunt, Christi doctrinam inter barbaras gentes tradendo explicandoque, donec postremùm ab incolis interempti, martyrio suo illustrius Christi nomen fecêre. Cœdis adeò auctores Thurij leguntur in vetustis monumentis. Traditam hanc memoriam scriptis suis primò confirmârunt, *Henricus de Hervordia* celebris scriptor ex Dominicanorum familia; *Rolevingus*, *Crantzius*; res non adeò reconditæ vetustatis supraque fidem, quin Heterodoxi etiam scriptores [a] *Magdeburgenses*, [b] *Uranius*, [c] & *Meibaumius* probârint. Ossa horum martyrum pòst à *Kanuto* Danorum Rege, cùm *Henrico Leoni* in expugnando Bardevico adesset, exorata à Leone, & in Daniam transmissa prodit Crantzius. Quanquam Rolevingus suo adhuc ævo *Egisti* reliquias Bardevici superfuisse memoret. Sanè Bardevicum unà cum Julino & Wineta vetustissimum ac celebre in Saxoniâ oppidum in Ducatu Luneburgensi, sæpius deinde à Carolo M. frequentatum; qualia loca ad disseminandum Christi evangelium Apostolici viri, ac discipuli Christi petiêre. Hinc *Treviros*, *Coloniam*, *Mogunciam* populi multitudine celebriora loca doctores Christianæ religionis delegerunt, ac sœpe etiam Romanorum castra & præsidia secuti sunt, inter quos multi militum Christi religione imbuti. At quâ spe fructus Evangelijque proferendi Egistus mediam Saxoniam ingressus, abductis jam trans Rhenum à Claudio Romanorum subsidijs? Quanquam id nemo potiùs ab Egisto, quàm ab alijs Christi discipulis requirere debet, qui divini numinis impetu, missuque Apostolorum acti, Barbarorum nationes adiêre, periculi & vitæ contemptores. Furmerius ex vetusto quodam oppidi Staurensis monumento perhibet, eos comitatu Verriti & Malorigis in eas partes pervenisse. Ac si quis nobis etiam conjecturæ locus, invitamentum esse potuit, *Italus* Cheruscorum Rex à Claudio Cæ-

sare

Primi Apostolici viri & Episcopi in Germaniam missi.

Brover' l. 2. an. Trevir. Gelenius in Sacrario. Colon. & fasti eorum. Serrarius in Mogunc. lib. 2.

Egistus & Marianus Apostolorum discipuli trans Rhenum missi, Bardewicum veniunt.

[a] *Centuria 1 Lib. 2.*
[b] *tract. de LXXII discipulis.*
[c] *in Bardevico.*

p. 1. & 3. de laud. Westph.

sare datus, ut supra relatum, qui Romæ à puero enutritus, multos secum Româ duxerit Germanos : si non & ipse Egistus ac Marianus Germanæ gentis homines, qui ob commercium linguæ ad hanc provinciam delecti. Ut nihil hîc de Flavio patre addam, qui cum multis Germanis ad Romanorum castra transijt; aut repetam, quantâ Germanorum multitudo in custodiâ Cæsaris & militia Romana per id tempus à Cajo Julio Cæsare versata sit. Certè Claudio & Nerone imperatoribus, Christi religio aulas, castra, urbes & populos pervasit. Et quàm multa Christianorum facta abdidit vetustas? quæ jam per obscura tantùm vestigia tenemus. Mihi hæc præterire in Claudio non licuit, quæ tot probati auctores tradiderunt : haud interim nescio à Crantzio hæc ad Neronis tempora referri, secùs quàm Baronius fecit, à quo plerique Apostolorum in suas provincias Claudio imperatore digressi referuntur.

Post excessum Claudij, Nero Agrippinæ astu, & militum proclamatione, quam Senatus populusque Romanus sequebatur, imperator est dictus, anno ætatis XVII, Caligulâ deterior, & Cæsarum, qui unquam fuêre, flagitiosissimus; qui inter tot innocentum cædes, Christiani quoque sanguinis sitiens, publicam martyrum lanienam primùm aperuit. At quantum in insontium capita ferox, tam imbellis atque ignavus adversus hostes : quippe qui in re militari nihil omnino ausus, neque augendi propagandique Imperij voluntate, aut spe ullâ unquam motus. Claudio enim Cæsare, & Caligulâ ignavior, nullam militarem expeditionem suscepit; sed lætus, si modò exteræ gentes quiescerent, ut ipse Romæ prodigus omnia per luxum & libidinem decoqueret. Et Germania ad eum diem quieta, Ducum ingenio studioque, pacem præ bello cum Germanis fo. ventium. At Frisij postquam Romanum militem otio torpescere didicerunt, Verrito & Malorige auctoribus juventutem armant; inde ad Rhenum progressi agros vacuos & militum usui sepositos insident, atque ut patrium solum excolunt : quibus irritatus Avitus, inferioris Germaniæ præses, vim Romanam minitatur, nisi aut agris excedant, aut novam sedem Romæ à Cæsare impetrent. Ad quæ Verritus & Maloriges Frisiorum duces Romam profecti, ambo à Nerone civitate Romanâ donati, agris tamen discedere jussi. Hos deinde agros Ansibarij occupavêre, validior tum gens Frisijs, non tam suâ copiâ, quam adjacentium populorum miseratione : qua pulsi à Chaucis & sedis inopes tutum exilium orabant, Bojocalo legato ad Avitum misso. Multa ille pro meritis suis erga Romanos in medium attulit : Vinctum se rebellione Cherusca jussu Arminij, Tiberio & Germanico ducibus stipendia Romana meruisse, agrum hunc multos annos vacuum jacuisse; vellent proinde ab amicis populi Romani coli magis, quàm vastitatem & solitudinem pati. Cha-

An. Christi 57. &c. NERO CÆSAR Bella sub eo cum Germanis. *Tertull. in apolog. Eutropius. Suetonius c. 17.* *Tacitus l. 13. Ann.* Frisij rebellant. Ansibarij agros à Romanis petunt. An. Christi 60. *Tacitus l. 13. ann. C. 55.*

mavo-

mavorum quondam ea arva fuisse, mox Tubantium, pòst Usipiorum. Sicut cœlum Dijs, ita terras generi mortalium datas. Solem deinde respiciens,& cætera sidera vocans,quasi coram interrogabat, vellentne contueri inane solum ? potiùs mare superfunderent adversus terrarum ereptores. Commotus his Avitus,Bojocalo respondit : Se ob memoriam amicitiæ daturum ipsi agros. Quod cùm ille quasi proditionis pretium accepisset, quasique gentem suam hoc agrorum dono sollicitaret, adstringeretque Romanæ sese ditioni subijcere, aspernatus abnuit, palámque testatus, non defore ipsis terram, in quâ vivant,aut moriantur. Tantus nimirum conservandæ libertatis Germanicæ amor, tantaque audacia spirabat in Bojocalo & Ansibariorum populo. Igitur Bructeros, Tencteros, aliosque intra Westfaliam populos bellorum socios implorant, armaque hactenus intermissa resuscitant. Quæ ubi Avito præsidi cognita, Curtilium Manciam superioris exercitus legatum de periculo monet,rogatque ut Rhenum transgressus arma à tergo ostendat. Ipse legiones in agrum Tencterorum induxit, excidium minitans, ni causam suam à cæterorum conspiratione dissociarent. His obruti primùm Tencteri : exterriti mox Bructeri, ac cæteri ab armis discedunt. Sola Ansibariorum gens retrò ad Usipios & Tubantes concessit. Ansibarij à socijs deserti, primùm ad Cattos, quorum terris exacti, pòst ad Cheruscos transiêre, errore longo,hospites,egeni, hostesque post in alieno solo,magnam partem juventutis cæduntur. Quanquam eadem æstate magno prælio certatum inter Hermunduros & Cattos, cœsisque Cattis multi simul Ansibariorum eo bello perierint. Id constat, Germaniam rarò per id tempus à bellis quieviſse : quantumque à Romanis otij fuit,tantum inestinis armis datum esse : nec ausos Romanos ultra bellum inferre, aut ad Visurgim penetrare, ne armatam semper gentem, continuisque bellis exercitam, periculosiùs provocarent,quam ut vincerent, sperare possent. Germaniam hanc nostram comprimis transRhenanam, Tacitus ævo suo informem terris, asperam cœlo, & tristem cultu aspectuque dixit, neque facilè à quoquam expeti posse nisi patria sit. Unde autem tanta hæc hominum quotannis multitudo,quam ipsa patria non cepit,quæque vaga agros quærit, quos inhabitet ? nisi quia in ipsa cœli solique asperitate simul hominum fœcunditas,insueta duris indoles,robustaq; illa corpora,militiæ & laboribus nata, Romanis etiam formidabilia nutriebantur.

Ansibarij ceteros circum populos ad rebellionem concitant adversus Romanos.

Bellum inter Cattos & Hermunduros.

Tacitus de moribus Germ.

Sanè verò ut Claudius Cæsar, ita Nero pacem cum Germanis maluit quàm bellum. Et quæ bella gereret homo effœminatus, citharœdus, auriga, histrio,leno & adulter,parricida matris fratrisq;, super cædem conjugis, Tyrannis Romanorum civium & Christianorum, Urbis Romæ incendiarius ? quam deinde culpam incendij

cùm

cùm falso in Christianos detorsisset, quæsitissimis eos pœnis affecit. *Igitur correpti, tortique perinde in crimine incendii,* (quod Tacitus fateri debuit,) *quàm odio humani generis,* quo tum laborabant, *convicti. Pereuntibus addita ludibria : ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent; aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.* Eà Neronis tyrannide Apostolorum principes Petrus ac Paulus Romæ eodem anno ac die alter supplicio crucis, alter gladio martyrium subijt: ac Petrus anno Pontificatus XXV. Nec multum Nero superstes, à senatu hostis judicatus, damnatusque ad furcam & publica verba, urbe profugit, ultroque sibi infamem mortem conscivit anno ætatitis * XXXII. imperij XIII. Extrema desperantis vox fuit : *O Jupiter qualis artifex pereo !* quocum omnis simul Augusta familia extincta est. Interim in omni periculo nullis magis fisus quàm Germanis, quos inter prætorias cohortes delegerat, corporis sui custodes. Juvat hæc etsi paululum aliena à narratione, paucis verbis inseruisse. Per hæc Neronis flagitia Romana respubl. pessundata, amissa prope Britannia, erepta, Armenia, legiones Romanæ à Parthis sub jugum missæ; eò nomen Imperij Romani Germanis contemptui ac ludibrio esse cœpit. Quin ipsæ Romanæ legiones pertœsæ tam probrosum Cæsarem, in Hispaniâ primùm rebellantes Galbam veteranum suum ducem Cæsarem renunciavere. Gallia deinde Julio Vindice, seditione commota rebellare cœpit. Atque is tum status erat, quo eligendi Cæsaris arbitrium à militibus sumptum, & inane senatus populique Romani nomen esse cœpit. Galbâ post interitum Neronis imperium capessente, Otto à prætoriano milite, Vitellius à Germano exercitu Coloniæ Agrippinæ consalutatus est Cæsar. Fœda monarchiæ convulsio ! quæ sub idem tempus tres discordantes Cæsares habuit, & quæ arma in exteros hostes parabantur, in viscera convertit. Galba ab Ottone post septimum imperij mensem interemptus Romæ, Unaque Piso, quia successor designatus à Galba. Otto haud multò post à Vitellij exercitu superatus, ultrò sibi manus in necem intulit. Neque Vitellio homini vecordi & temulento, qui in Germania ad Rhenum à militibus Cæsar proclamatus fuerat, ultra septimum mensem imperium. Nam per id tempus Vespasianus belli Judaici dux ab Orientis exercitu Cæsar appellatus, copias ac duces in Italiam præmisit; hæ cæsis Vitellianis Romam intrant, & Vitellium ad cœdem poscunt. Fortiter ille primùm à Germanis, quos in custodiâ corporis habebat, defensus, postremùm vi obrutus, & ingestis vulneribus trucidatus proijcitur in Tiberim. Tum verò per Mucianum, à quo hæc omnia agebantur, à Vespasiano in Urbem præmissum. Vespasiano absenti imperium partum, confirmatumque à Senatu : is demum à rebellione trium principum & cæde incertum ac fluctuans Impe-

Tacit. l. 15. ann. C. 44.

Sueton. in Neron. c. 49 An. C. 70. Dio apud Xiphil.

* al. XXX.

Sueton. in Nerone. Eutropius. in Neron.

Mors Neronis.

Rufus Festus in Breviario.

An. Christi 71. &c.

Galba. Otto. Vitellius. Impp.

Tacitus l. 1. hist. Dio apud Xiphil. Sueton. in Galba, Ottone, & Vitellio. Eutropius. Vaillant Tom. 1. Numism. p. 26. Patinus in Thesauro Numism. pag. 147. Sueton. in Vitel. c. 8. qui de eodem scribit, Vitelli' cùm Imperator consalutatus fuit, cognomen *Germanici* delatum ab universis cupidè recepit, Augusti distulit, Cæsaris in perpetuum recusavit.

rium restituere cœpit. Per hanc intestini belli discordiam, Cæsarum neces, & legionum seditionem, exteræ quoque gentes erectæ in spem libertatis, Romanum dominatum exuere cœptaverant. Primùm Germania, mox Britannia, dein Mœsia & Dacorum gens, demum & per Pannoniam Pontumque arma Barbarorum sumpta: maximusque Romam metus incesserat, ne Daci transito Danubio Italiam, & Germani superato Rheno Gallias irrumperent. Sed nullum periculosius infestiusque bellum quam à Germanis, concitore primùm Claudio Civile ex trans Rhenanâ Batavorum gente, & stirpe regiâ, tanquam altero Arminio in perniciem Romanorum resuscitato. Is, postquam per quinque & viginti annos in castris Romanis militaverat, falso rebellionis crimine intentato, catenatus ante hac ad Neronem missus, & à Galbâ absolutus, sub Vitellio rursus discrimen vitæ adierat, flagitante supplicium ejus exercitu. Hæ privatæ irarum & vindictæ causæ: accessit publici boni causa, libertas nimirum, Germanorum exemplo, Belgis asserenda, quâ nullum in utraque gente potentius hortamentum esse poterat. Bellum hoc à Civile suscitatum, quod Germanis trans Rhenum populis sociale fuit, & unâ armorum conjunctione gestum, longâ narratione pertexit Tacitus: nos ea, quæ ad rem nostram faciunt, deligamus. Civilis igitur civilium inter Romanos dissensionum certus, & ultra, quàm Barbaris solitum, ingenio solers, jussus erat à Vitellio Batavorum juventutem ad delectum vocare, quòd Batavi ex fœdere, non tributa, sed viros tantùm armaque ministrarent. Simul ab Antonio Primo Vespasianarum partium monitus fuerat per literas Germanici tumultus specie retentare legiones, nec Vitellio hærere. Eadem Flaccus Hordeonius inclinato in Vespasianum animo suaserat. Interim Civilis occultato consilio, simulatâque Vespasiani amicitiâ, dum jussu Vitelij delectus gentis suæ agit, totum negotium in rem suam componit: primores gentis & promptissimos vulgi specie epularum in nemus vocat. Ubi nocte & lætitiâ incaluisse videt, injurias populi Romani, ministrorum avaritiam & libidinem, raptus impuberum, & conjugum, stupra, cæteraque servitij mala enumerat: nunquam magis afflictam rem Romanam, nec aliud in hibernis Romanorum superesse, quàm prædam & senes: attollerent tantùm oculos, ad inania legionum nomina ne pavescerent, esse sibi peditum equitumque robur, consanguineos Germanos, Gallias idem cupientes, conspiraturasque secum. Magno assensu auditus Civilis, barbaro ritu, & patrijs exsecrationibus universos adigit in fidem suam. Missi ad Caninefates, qui consilia sociarent. Ea gens partem ejusdem insulæ Bataviæ incolebat, & olim in Cattis, ut Belgæ, oriunda, traductaque in eas sedes Frisijs contermina: expediti simul nuntij, qui Batavorum cohortes avocatas in superiorem Germaniam, ac

Tacitus l. 4. histor. c. 14.

Bellum Batavicum duce Civile, quod sociale fuit Germanis trans Rhenum populis.

tunc

tunc Moguntiaci agentes retraherent in societatem belli. Prompti Caninefates, & Brinium, claritate natalium insignem, scuto imponunt, & more gentis, qui pòst etiam Francorum fuit, sustinentium humeris vibratum ducem sibi deligunt. Sollicitati dehinc Frisij, transRhenana gens, accitique in conspirationem armorum, duarum Romanarum cohortium hiberna irrumpunt: capta & direpta castra, vagi per regionem, negotiatoresq; Romani intercepti, abductiq; sunt. Inde quia castellis expugnandis imminebant Frisij, ultrò ea Romanorum præfecti incenderunt; signa vexillaque, & quod militum erat, in superiorem insulæ partem congregantur Aquilio præfecto. Civilis, ut astu novo consilia tegeret, Romanos increpat, quòd castella deseruissent, facta hæc esse se inconsultò: redirent ad castella, se Frisios & Caninefates compressurum, ulturumque. At dolus hic Romanis patuit. Advolant inter hæc Germani, *Læta Gens bello*, quæ à Tacito eis hìc laus datur, quòd in hanc Civilis conspirationem ultro se obtulissent, Bructeri, Marsi, Angrivarij, Cherusci, ceteræque gentes. Ubi Civili non processêre insidiæ, confirmatis sociorum auxilijs ad vim & apertum bellum transgressus, Caninefates, Frisios, Batavos proprijs cuneis componit: directa ex adverso acies, haud procul à flumine Rheno, obversisque simul in hostem navibus, quas illuc appulerant, Romanum militem adoriuntur. Nec diu certatum: nam primò congressu Tungrorum cohors ad Civilem transijt; quâ defectione perculsi Romani cœduntur. Supererat subitaria Romanis classis, quæ Batavorum remigium dolo hostili ripæ admota, Civili in manus traditur. Captæ quatuor & viginti naves, omnique Romano milite Frisia & Batavia liberata est. Clarum eâ victoriâ Civilis nomen, & magnâ per Germaniam famâ auctor libertatis celebrabatur; statimque Germani legatos miserunt ad Civilem auxilia offerentes. Lætum Angrivarijs transRhenanis populis, recepisse in Civili Arminium. Nec Germanorum societate contentus Civilis, Gallos ad defectionem, & pristinam libertatem sollicitat, Germanorum cumprimis exemplo, qui cæso Quinctilio Varo servitutem à se primi depulerint: libertatem naturâ etiam mutis animalibus datam, virtutem proprium hominis bonum esse, Deos fortioribus adesse, vacui proinde arriperent occupatos, integri fessos, dum alij per Vespasianum, alij per Vitellij factiones scissi inter se pugnant, & mutuis legionum dissensionibus armisque Roma & Italia discerpitur. Hordeonius qui hactenus Civilis conatus per dissimulationem aluerat, ubi expugnata castra, deletas cohortes, pulsos Batavorum insulâ & Frisiâ Romanos accepit, Mummium Lupercum duorum hibernorum legatum egredi adversus Civilem jubet. Lupercus legionarios ex præsentibus, Ubios ex proximis, Trevirorum equites haud longè agentes contrahit, addita Batavorum ala. His

ille in Civilem movet, visoque hoste aciem componit. Idem facit Civilis, & signa captarum cohortium ante oculos ponit, suis gloriæ stimulos, Romanis terrorem : simul matrem suam sororesque, cæterorum conjuges, parvos liberos consistere à tergo jubet, hortamenta victoriæ. Ut virorum cantu, fœminarum ululatu sonuit Germanorum acies, impar à Romanis redditus est clamor, mox congressus præliantium factus, alaque Batavorum transfugiens ad Civilem, sinistrum cornu nudat, versaque in Romanos pugnat. Perstitere interim legionarij, Romanorum arma & ordines retinendo, dum & Ubij, Trevirique dilapsi totis campis palantur. Illicò igitur incubuêre Germani, acieque turbatâ Romanos in fugam abijciunt. Proxima erant Vetera castra, in quæ receptum habebant fugitivi. Altera hæc Civilis victoria, qua magis inclarescere cœpit, erigique bellorum socij, cumprimis transRhenani populi, quibus nihil molestiùs, quàm Rheni limitem insideri Romanorum præsidijs.

Interea Batavorum & Caninefatum cohortes, quas suprà diximus avocatas in superiorem Germaniam & Italiam, ad Vitellij subsidia retractæ à Civili, ad novæ hujus victoriæ nuntium, inferiorem Germaniam petunt, ut Civili se jungant. Quo comperto, scribit Hordeonius Herennio primæ legionis legato, qui Bonnam obtinebat, transitu Batavos prohibeat, se cum exercitu tergis eorum inhæsurum : quod tamen ignavus homo omisit; mutataque mente scribit Herennio, ne transeuntes teneret; unde suspicio Romano militi oborta, sponte legatorum excitari bellum, & fraude ducum suorum evenire. Opprimi poterant, siquidem hinc Hordeonius, inde Herennius motis utrinque copijs medios clausissent. Batavi cùm castris Bonnensibus propinquarent, præmittunt, qui Herennio exponerent, si nemo se impediat, innoxium iter fore : si arma occurrant, ferro viam inventuros. Obhæsit adhæc Herennius, cunctantemq; milites perpulêre, fortunam prælij experiretur. Inde tria millia legionariorum, & tumultuariæ Belgarum cohortes, cum paganorum & lixarum turbâ castris Bonnensibus erumpunt, ut Batavos numero impares circumfundant. At Batavi veteris militiæ virtutisque memores in cuneos congregantur, densi undique ad frontem tergaque ac latus fusi. Sic tenuem Romanorum aciem perfringunt cæduntq;, profugis vallum portasque castrorum petentibus. Plurimum ibi stragis, cumulatæ corporibus fossæ Bonnensium : nec cæde tantùm & vulneribus, sed ruinâ & suis plerique telis interiêre. Victores Batavi, Coloniâ Agrippinensium vitatâ, ad Civilis exercitum descendunt. Civilis adventu veteranarum cohortium, justi jam exercitus ductor, majora ausus; sed consilij adhuc ambiguus, quòd Romanam potentiam suspectaret. Ideo callidè cunctos, qui aderant, in verba Vespasiani adigit, ut eo velamento bellum pro Romanis gerere crederetur;

Civilis call. dè Vespasiano jurat.

deretur ; mittitque legatos ad duas legiones, quæ priore acie pulsæ in Vetera castra concesserant, ut idem Sacramentum acciperent. At redditum est responsum, neque proditoris, neque hostium se consilijs uti. Quæ ubi relata Civili, incensus irâ, universam Batavorum gentem in arma rapit. Junguntur Bructeri, Tencterique, & excita nuntijs Germania ad prædam famamque Civilis. Quo comperto, Mumius Lupercus, & Numisius Rufus castra Vetera præmuniunt, firmatis vallis murisque ; diruta procestria, quæ haud procul castris in modum municipij usibus lixarum & advenarum structa erant : quanquam commeatum aliaque tolerandæ obsidioni ab hoste diripi permiserint. Eo Civilis incitatior exercitum ad castra Vetera expugnanda admovet, medium ipse agmen cum robore Batavorum complexus, utramque deinde Rheni ripam, quo truculentior visu foret, Germanorum catervis complet, assultante per campos equite. Simul naves in adversum amnem actæ, depromptæque è silvis luciscque signa cohortium & ferarum imagines, ut cuique genti inire prælium mos. Augebat spem amplitudo valli, quòd duabus legionibus castra tenerentur, quæ vix quinque millia armatorum hactenus tuebantur : adeo ampla validaque hæc castra semper fuêre. Quippe hibernis illis, ex quibus tot legiones Rheno traductæ, & secundùm Luppiæ ripam in Germaniam immissæ, obsideri premique Germanias Augustus Cæsar crediderat. Eò & vis omnis bellica à Batavis Germaniscque transRhenanis in ea castra conversa. Nihil furoris per crebros assultus intentatum, nihil artis & solertiæ militaris intermissum per machinas. Admotæ vineæ, scalæ, testudines, contabulata opera, & in modum pontis rotis subjectis motabilia ; ex quibus alij superstantes tanquam ex aggere præliabantur, pars intus occulti muros subruebant. Jam & Civilis Batavique tot annis in castris Romanis exerciti, horum operum scientes, & multa à transfugis edocti erant. Quæ tamen omnia propugnatorum constantia fregit ; donec desperatâ vi, Civilis consilia ad moras obsidionis verteret, haud ignarus paucorum dierum inesse alimenta, ac fame priùs quàm armis subigi posse Romanos.

Castra Vetera oppugnat.

Hordeonius interim, penès quem suprema militiæ præfectura erat, cognito Veterum castrorum obsidio, missisque qui per Gallias auxilia concirent, Dillio Voculæ, duo & vicesimæ legionis legato, delectas ex superiori Germaniâ copias tradit, ut quàm maximis per ripam Rheni itineribus acceleret. Motus Bonnâ exercitus Coloniam Aggrippinensium, affluentibus illic auxilijs Gallorum, qui primò rem Romanam enixè juvabant : Mox valescentibus Germanis, pleræque civitates adversus Romanos armatæ, spe libertatis, & si exuissent servitium, ut Germani, cupidine imperitandi, facilè in pristinum statum redituræ. Miles Romanus etsi discors multis criminaretur

Hordeonium senem, & militiæ pavidum, Voculæ tamen imperio se permisit. Efferabat discordes animos inopia stipendij ac frumenti. Rhenus adhæc, incognita illi cœlo siccitate, vix navium patiens, ad subvehendos commeatus, tanquam amnes etiam Romanos, & vetera imperij munimenta fato & irâ numinis desererent. Ob id dispositæ per omnem ripam stationes, quæ Germanos vado arcerent. Vocula dehinc Agrippinâ Novesium digressus, ubi tertia decima legio conjuncta, additusque Voculæ in partem curarum Herennius Gallus legatus: nec ausi in hostem pergere, loco cui Gelduba nomen, castra fecère. Ibi struendâ acie, muniendo se vallandoque, & cæteris belli meditamentis militem firmabant. Utque præda ad virtutem accenderetur, in proximos Gugernorum agros ductus â Voculâ exercitus: pars cum Herennio permansit in castris. Fortè navem haud procul castris frumento gravem, cùm per vada hæsisset, Germani in suam ripam trahebant. Non tulit Herennius, misitq; subsidio cohortem. Auctus & Germanorum numerus, paulatimq; aggregantibus se auxilijs, acie certatum. Germani multâ cum strage Romanorum navem abripiunt. Victi Romani non suam ignaviam, sed Herennij legati perfidiam culpabant. Protractum è tentorio, sciscâ veste, verberatoque corpore vinctum abripiunt, donec adventu Voculæ exsolutus. Tanta tum exercitui illi licentia, & disciplinæ veteris dissolutio erat.

Tacitus l. 4 histor. c. 28.

At Civilem immensùm universa Germania extollebat, datique ultro ad firmandam belli societatem nobilissimi obsidum. Ille, ut cuique proximum, vastari Ubios Treviroscque, & alia manu Mosam amnem transire jubet, ut Menapios, Morinos, & extrema Galliarum quaterent. Actæ utrobique prædæ. Infestiùs cum Ubijs actum, quorum genus etsi Germanicæ originis, ejuratâ patriâ, Romano nomine Agrippinenses vocari, censerique Romani volebant, indignantibus semper Germanis. Cæsæ cohortes Ubiorum in vico Marcoduro incuriosiùs agentes, quia ripâ procul aberant. Nec quievêre Ubij, quo minus pro vindictâ è Germaniâ prædas peterent, primò impunè, deinde circumventi, meliore in Romanos fide quàm fortuna profligantur à Germanis. Contusis Ubijs, gravior & successu rerum ferocior Civilis, obsidionem ad castra Vetera urgebat, non quietus, donec legiones Romanos inde ejecisset. Nec Germanis trans Rhenum populis quicquam infestiùs, quàm munimentum illud castrorum, ex quo transmisso Rheno tot legionum expeditiones secundùm Luppiæ ripas in Germaniæ regiones ad Alisonem usque alteram belli sedem hactenus missæ erant. Urgebant cum novo exercitu hærentes Geldubæ, intenti ad obsidionem liberandam. Civilis eò acriùs oppugnationem resumpsit, intentis custodijs, ne quis occultus nuntius venientis à Vocula auxilij penetraret. Machinas molem-

Ubij à Germanis cæduntur.

molemque operum Batavis delegat : Trans Rhenanos prælium poscentes ad scindendum vallum ire jubet, detrusosque redintegrare certamen : nec finem ejus laboris nox attulit. Congestis enim circùm lignis accensisque, epulantes, ut quisque vino incaluerat, ad pugnam temeritate ferebantur : tela Germanorum per tenebras pleraque vana & incasso ictu perlata ; contrà Romani certis ictibus conspicuum ad focos nocturnos Germanum militem feriebant ; donec jussu Civilis restincti ignes cuncta tenebris & armis miscerentur. Tum verò strepitus dissoni, cæci assultus, & confusa utrimque tela ictusque. Apud Germanos inconsulta & præceps ira. Romanus periculorum cautior ferratas sudes, & gravia saxa non fortè jaciebat. Ubi sonus molientium ascensum, ubi scalæ appositæ, eô collectam vim trahere & umbone propellere, mœniaque transgressos pugionibus fodere. Sic exhausta nocte novam aciem dies aperuit. Eduxerant Batavi turrem duplici tabulato, quam prætoriæ portæ propinquantem incussis trabibus perfregere Romani, multâ superstantium ruinâ & pernicie. Præcipuum pavorem intulit suspensum & nutans machinamentum, quo repente demisso, singuli pluresq; hostium in sublime rapti, verso pondere intra castra effundebantur. Quibus fatigatus Civilis omissa oppugnandi spe, rursum per otium assidebat, nuntijs & promissis obsessarum legionum fidem pertentando.

Interea victis ad Cremonam Vitellianis, Vespasiani partes prævaluere, cui & Hordeonius in Germania sollicitatus sacramentum dixit, missusque ex victis Vitellianis ad Civilem in Germaniam Alpinus Montanus Trevir cohortis præfectus, cum mandatis ut bello absisteret, neve externa armis falsis velaret. Si Vespasianum juvare aggressus foret, satisfactum cœptis. Ad ea Civilis primùm callidè ; post ubi Montanum præferocem ingenio vidit, cœpit injurias suas exponere, quibus à Romanis tractatus, tanquam eæ præmium laboris sint, quòd per quinque & viginti annos in castris Romanis militârit. *Et vos*, inquit, *Treviri, cæteraque servientium animæ, quod pretium effusi toties sanguinis expectatis, nisi ingratam militiam, immortalia tributa, virgas, secures, et dominorum ingenia.* Ausos aut libertas sequetur, aut victi ijdem erimus. Sic accensum Montanum, sed meliora referre jussum dimittit. Ille ut irritus legationis redijt, cætera dissimulans, quæ mox ex conspiratione quoque Trevirorum erupêre. Civilis in præsens parte copiarum retentâ, ad Veterum castrorum obsidium, veteranas cohortes, & quod è Germanis maximè promptum, adversus Voculam exercitumque ejus mittit, Julio, Maximo, & Claudio victore sororis suæ filio, ducibus. Rapiunt hæ alæ in transitu hibernа Asciburgi sita. Locus is in medio Veterum castrorũ & Geldubæ alicubi fuerit ; ostenditur vestigium nominis, ex vico Asburg haud procul

Civilis missum ad se Montanum ad bellum trahit.

cul Murſiæ oppido. Inde concitatis itineribus improviſi in caſtra Voculæ involavêre, ut non alloqui ſuos, non aciem pandere licuerit. Eo tumultu prorupit eques, exceptuſque compoſitis Batavorum & Germanorum ordinibus, terga in ſuos vertit; cædes inde magis quàm prælium. Pòſt ubi Nerviorum cohortes ſeu metu ſeu perfidiâ latera Romanorum nudavêre, ad legiones perventum, quæ amiſſis ſignis intra vallum ſternuntur à Germanis. Fortè dum hæc pugna ardet, ſuperveniunt Vaſconum cohortes, Voculæ in ſubſidium miſſæ, auditoque præliantium clamore intentos hoſtes à tergo invadunt, latioremque quàm pro numero terrorem faciunt. Alijs Noveſio, alijs Moguntiaco univerſas copias adveniſſe credentibus. Is error ut Romanis addidit animos, ita Batavos Germanoſque dejecit, turbavitque, ac repente ſcena prælij mutata. Fortiſſimus quiſque è Batavis, quantum peditum erat, funduntur; eques cum ſignis captiviſque, quos primâ acie corripuerant, evaſit. Cæſorum tamen eo die major fuit numerus Romanorum, quàm Germanorum. Tentaverat interim Civilis obſeſſarum legionum apud Vetera caſtra animos, tanquam perditæ apud Romanos res, & ſuis victoria proveniſſet. Quam in rem ſigna vexillaque circumtulit, oſtentati etiam captivi, ex quibus cum unus clarâ voce prælij geſta ſucceſſumque Romanis proſperum patefaceret, confoſſus illico eſt à Germanis; quo conſpecto major indicanti fides apud obſeſſos facta. Aderat interea Vocula cum victore exercitu, & in conſpectu caſtrorum conſtitui ſigna, foſſamque & vallum circumdari jubet, ut depoſitis impedimentis ſarciniſque expeditiores certarent cum Civili, ſecutuſque clamor militum pugnam poſcentium. Stabat & Civilis expeditus ad pugnam, virtute ſuorum fretus. Conſerto prælio, varia apud Romanos fortuna, & fluctuans ſucceſſus. Tendere manus ad obſeſſos ne tempori deeſſent. Illi cuncta è muris ſpectantes omnibus portis prorumpunt, & prælium redintegrant, donec fortè Civilis lapſu equi proſtratus, creditusque per utrumque exercitum cecidiſſe. Quâ famâ Batavi ac Germani è prælio ceſsêre; nec Vocula auſus inſequi, ſatis habuit obſidione liberaſſe Vetera; caſtraque legionum ingreſſus, vallum, turreſq;, & quod oppugnatione dirutum erat, reparari mandat, tanquam rurſus obſidium immineret à Civili. Nihil æquè caſtra Vetera premebat, quàm annonæ egeſtas. Emiſſi à Voculâ Noveſium, qui terreſtri itinere frumentum adveherent: nam Rheno flumine Germani potiebantur. Vocula cum exercitu præmiſſis legionum impedimentis & imbelli turbâ retro Geldubam, inde Noveſium conceſſit. Civilis inſtaurato exercitu poſt Voculæ diſceſſum caſtra Vetera cum parte copiarum denuo circumſedit; cum reliquo milite è veſtigio Voculam inſequitur. Primo frumentarios intercipit, cœditque; inde Geldubam capit, & mox haud procul Noveſio equeſtri

Obſeſſos fraude tentat.

Geldubam ca-

equestri prælio prosperè certando Romanos fundit, lateque per vicinos agros victricia signa circumfert. In Romano exercitu omnia querelis & seditionibus plena. Hordeonius legatus noctu è cubiculo protractus interficitur: eadem Voculæ parabantur, nisi servili habitu per tenebras ignoratus evasisset. Deinde in pœnitentiam mutati Voculam sequuntur, apud quem resumpto Vespasiani sacramento ad liberandam Moguntiaci obsidionem duci se sinunt. Eam enim Urbem Catti, Usipij & Mattiaci exercitus incinxerant. Mox prædis satiati, & Treviris adjuvantibus Romanos, discesserant. Mox & ipsi Treviri descivêre à Romanis, armaque cum Civili junxêre: tanta rerum ubique perturbatio erat, priusquam certus Cæsar imperaret. pit, & Romanos cædit.

Interfecto Hordeonio commeavere nuntij inter Civilem Classicumque præfectum alæ Trevirorum. Classicus nobilitate opibusque anteibat alios, regium illi genus, & pace belloque clara origo. Miscuêre se Julius Tutor & Julius Sabinus: Ille Trevir, hic Lingon. Tutor ripæ Rheni à Vitellio præfectus erat. Hi secretis primùm sermonibus animos ceterorum scrutati, deinde Coloniæ Agrippinæ in domum privatam convenerunt: nam publicè civitas talibus inceptis abhorrebat: attamen interfuêre & quidam Ubiorum, Tungrorumque. Nec tulêre moras consultando, omnes certatim conclamant asserendas per hanc Romanorum discordiam, concussamq; Italiam, Gallias in libertatem. De reliquijs Vitelliani exercitus discors sententia. Plerique interficiendos censebant: vicit ratio parcendi, alliciendosque potius in societatem; legatis tantùm legionum interfectis, ceteros facilè accessuros. Simulatum interim obsequium erga Voculam, quo incautiorem opprimerent. Is deinde illectus fraude conspirantium, obsidionem Veterum castrorum solvendam suscipit, & in hostem cum exercitu denuo movet. Nec procul Veteribus castris aberat, cum Classicus & Tutor per speciem explorandi prægressi, cum Civili & ducibus Germanorum pacta firmavêre. Tumque primùm discreti à legionibus, proprio vallo castra sua circumdant, obtestante Voculâ, & facinus defectionis coram Classico & Tutore exprobrante. Ac postquam in perfidiâ utrumque perstare videt, verso itinere Novesium movet. Erant qui Voculæ fugam suaderent, ut præsenti se discrimine eximeret. Ille contra audendum ratus, vocatâ concione, multa apud militem de fide erga populum Romanum, multa de perfidiâ disseruit. Oratio variè accepta inter spem metumque ac pudorem. Cum postremò discederet Vocula, & de supremo vitæ suæ fato agitaret; prohibuêre servi, ne fœdam mortem spontè præveniret. Luctantem inter hæc adversa & suprema fati sui Classicus, misso Longino desertore primæ legionis jubet obtruncare. Ita Vocula gloriosius perijt, quàm Classicus necârit. *Tacitus l. 4. hist. c. 55.* Fœdus Civilis cum quibusdâ Gallis.

Heren-

Herennium & Numesium legatos vinciri satis visum. Sumptis dein Imperij Romani insignibus in castra processit. Adacti milites juvare pro imperio Galliarum, sublatoque Vocula legato, Classicus & Tutor divisis curis imperium exercitus sumpsêre. Tutor validâ manu circumdatos Agrippinenses, deinde quantum militum apud superiorem Rheni ripam erat, juramento accepit in fidem, occisisque Moguntiaci Tribunis, & pulso castrorum præfecto dominatum istic arripit. Classicus cum parte deditorum militum Civili junctus, in castris ad Vetera consistit, & deditionem legionum hibernarum urget. Et quò se verterent, tot obsidionum malis afflicti, desertiq; ab omni auxilio, quos fames præterea ad extrema adegerat? absumptis enim jumentis equisque & ceteris animalibus, quæ profana fœdaque, in usum necessitas vertit. Virgulta postremò & stirpes & internatas saxis herbas vellentes, miseriarum patientiæque documentum fuerunt. Quibus ærumnis exhausti mittunt ad Civilem legatos, vitæ incolumitatem orantes. Neque ante preces admissæ, quàm ut cæteri fecerant, in verba Galliarum jurarent. Tum pactus prædam castrorum, dat custodes, qui pecuniam, calones & sarcinas retentarent, cæteros abeuntes deducerent. Ad quintum fere lapidem coorti Germani incautum agmen aggrediuntur. Pugnacissimus quisque in vestigio, multi palantes occubuêre, ceteri retrò in castra profugiunt: increpante Civili Romanos, tanquam fidem per scelus abrumperent: serióne, an simulato, incertum. Direptis castris faces injiciunt, cunctosque qui prælio superfuerant, incendium hausit. Civilis barbaro voto post cœpta adversus Romanos arma propexum rutilatumque crinem patrata demum cæde legionum deponit (Is quippe Cattorum & Germanorum mos erat, crinem barbamque submittere, nec nisi hoste cæso exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. Transijt deinde idem ad Saxones patrium & solenne hoc votum) Ferebanturque Civilis parvulo filio quosdam captivorum sagittis jaculisque puerilibus figendos obtulisse. Cæterùm neque se, neque quemquam Batavorum in verba Galliarum adegit, fisus Germanorum opibus ac viribus, pari libertate servitia Gallorum respuendo. Lupercus legatus legionis inter dona missus Velledæ. Ea virgo *nationis Bructeræ latè imperitabat: vetere apud Germanos more, quo pleraſque fœminarum fatidicas, et augescente religione arbitrantur Deas.* Multum tum Velledæ auctoritas increvit; nam prosperas Germanis res, excidiumque legionum Romanarum prædixerat. Sed Lupercus in itinere interfectus: pauci centurionum tribunorumque in Galliâ geniti reservantur pignus societatis. Cohortium, alarum, legionum hiberna ad Rheni ripam & per eas oras subversa, crematæque, totusque Rheni limes Romanorum præsidijs liberatus. Legio XIII, cum auxilijs deditis Novesio in Colo-

Castra Vetera demum expugnata à Civile.

Tacitus de mor. Germ.

Paulus Diaconus lib. 3. de gestis Longobard.

Tacitus l. 4. histor. c. 61.

Coloniam Trevirorum transgredi jussa; altera quoque legio desertis Bonnensium castris eodem traducta. Tantùm Moguntiaci ad Rhenum & Vindonissæ inter Helvetos Romanorum præsidia hibernaque relicta. Cætera Belgæ, Treviri & Germani occupavere: eversis jam ante in Batavia, Frisia & ad Oceanum oris Romanorum castris hibernisque. Civilis deinde & Classicus rebus his secundis sublati, an Coloniam Agrippinensem diripiendam suis exercitibus permitterent, dubitavere. Trahebantur sævitiâ & cupidine prædæ ad excidium civitatis: obstabat ratio belli, & novum imperium inchoantibus. Consultior fama clementiæ fuit. Civilem præterea flexit memoria beneficij, quòd filium ejus primo rerum motu in Colonia Agrippinensi deprehensum honoratè custodierant.

Sed trans Rhenani, gentibus invisa civitas, opulentiâ, auctuque, & crebris ex ea expeditionibus in Germanias factis. Neque alium finem belli rebantur, quàm si promiscua ea sedes omnibus Germanis foret aut disjecta Ubios quoque dispersisset. Igitur Tencteri, Rheno discreta gens, missis legatis, mandata apud concilium Agrippinensium exponi jubent, quæ ferocissimus è legatis in hæc verba locutus. *Redisse nimirum Agrippinenses in corpus nomenque Germaniæ, communibus Diis, sed præcipuo Deorum Marti se gratias agere, et ipsis gratulari, quòd tandem liber inter liberos futuri. Nam ad hunc diem flumina ac terras, et cœlum quodammodo clausum à Romanis, quo minus colloquia, congressusque, et arma gentis communia habere licuerit: verùm ut amicitia societasque secum in æternum rata sint, postulari ipsos muros Coloniæ, munimenta servitii detrahant: quando etiam fera animalia, si clausa teneas, virtutis oblivisciuntur. Romanos omnes in finibus suis contrucident; haud facilè libertatem et dominos misceri: bona interfectorum in medium cedant. Liceat utramque ripam, et ipsis et Trans Rhenanis colere, ut olim maioribus factum, quomodo lucem noctemque omnibus hominibus, ita terras fortioribus viris aperuit; instituta, cultumq; patrium resumant, abruptis vectigalibus, quibus Romani plus quàm armis adversus subiectos valent.* Agrippinenses sumpto consultandi spacio, quando neque subire conditiones metus futuri, neque palàm aspernari conditio præsens sinebat, Tencteris respondent. Quæ prima illis libertatis facultas offeratur, avidiùs, quàm cautius ab ipsis sumi, ut Tencteris, cæterisq; Germanis consanguineis jungi possint: *Muros civitatis, congregantibus se Romanis exercitibus, augere magis quàm diruere in præsens tutiùs videri: Romanos quos interimant iam bello absumptos esse, aut in suas sedes quemque refugisse, qui supersint per commune connubium sociatos esse: nisi ab ipsis interfici parentes, fratres et liberos velint. Quod ut iniquum reputent, ita nec ab illis postulari se credere. Vectigalia et onera commerciorum resoluturos: transitus quoque incustoditos diurnos et inermes fore, cætera ad arbitrium Civilis et Velledæ se referre.* Sic lenitis Tencteris legati ad

Tencteri Ubios adeunt & horridè affantur.

Tacitus l. 4. histor. 64.

Civi-

Civilem & Velledam missi cum donis, cuncta ex voluntate Agrippinensium perpetravere. Sed coram adire, alloquique Velledam, negatum. Arcebantur aspectu, quò venerationis plus inesset. Ipsa editâ in turre, dilectus è propinquis consulta responsaque ut internuntius Numinis portabat.

Civilis cum Labeone congressus.

Civilis societate Agrippinensium auctus, proximas cis Rhenum civitates affectare, aut bellum adversantibus inferre statuit. Arma igitur in Claudium Labionem, Romanæ militiæ præfectum versa. Qui cùm pontem Mosæ impositum ante ceperat, Germani tranantes à tergo invasere Labeonem. Simul Civilis arma intulit, fugatoque Labeone, Sunicos, Tungros, Bethasios, Nervios in fidem accepit, latèque per eas regiones imperium militare circumtulit: tanquam præludio belli tum ostenderet, quò Franci posteà Rhenum transgressi primam firmamque regni sui possessionem capessivere. Sed hunc prosperum Civilis & Classici successum haud multò post fortuna, conversâ belli scenâ, mutavit. Quippe Galli qui in eandem belli societatem sollicitati erant, convocato Rhemis consilio, pacem pro bello, & servitutem pro libertate delegêre: tam enervati delicijs, & imbelles, aut timidi futurorum. Ji si conspirassent cum Treviris, Batavis & Germanis, poterat imperium Romanorum, uti inter Civilem, Classicum, & Tutorem consilia convenerant, intra Alpes restringi, & universa Gallia, Germanorum exemplo in libertatem asseri: quando post tot Cæsarum cædes nondum Vespasiani imperium confirmatum erat.

Cerealis profligato Civili, & Classico, rem Romanam Treviri, & ad Rhenum restituit.

Igitur postquam Cerealis, supremus belli legatus, cum novis legionibus ex Italiâ, Hispaniâ, Britanniâ, & undique accitis descendit in Galliam, ibique cùm Sabinus Lingonum dux à Sequanis cæsus periret, Galliarum civitates in fidem auxiliaque Romanorum transiêre. Nec Tutor Trevirorum dux sat intentus ad superiorem Germaniam continendam. Adventantibus enim per Rhætiam Romanis, vitato Moguntiaco Bingium cum copijs suis discessit, ubi reperto Navæ fluminis vado à Sextilio Felice & Julio Brigantico Civilis sorore genito, Civilique offenso cæsus fugatusque Treviros se recepit: ubi tamen Valentino Treviro se jungit; urbemque, occisis jam Herennio & Numisio legatis, in arma retrahunt. Advenit interea Cerealis cum exercitu Moguntiacum, pugnæ avidus; hostesque citatis itineribus quærendo Rigodulum venit. Vicus erat ad Mosellam, aliquot milliaria supra Confluentes, ubi Valentinus cum magnâ Trevirorum manu se intra munimenta loci incluserat. Eò postquam vim omnem belli promovit Cerealis, expugnato Rigodulo Valentinum capit. Postero die Trevirorum Coloniam est ingressus, milite non aliud flagitante, quàm ut subversa civitas in prædam daretur: hanc esse Classici & Tutoris patriam, hanc esse sedem belli, & fomitem

omnium

omnium seditionum. Pressit iras Cerealis, & Civitati pepercit, receptisque è Mediomatricis legionibus, quæ defecerant, Treviros & Lingones ad concionem vocat, & ad fidem hortatur, ne Civili Batavisque ac TransRhenanis gentibus, quàm Romanis servire velint: *Quæ enim Germanis toties transcendendo in Gallias alia causa quam libido, atque avaritia, aut mutandæ sedis amor? Hoc Cimbros et Teutones, hoc Ariovistum et omnes illos barbaros populos quæsisse. Non de Romanorum societate, ut grævem illis aut noxiam querantur, quæ tutela ipsis sit non servitus: quando neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt. Si quid per avaritiam et dominatum præfectorum Romanorum hactenus licentius actum sit, sciant vitia fore, dum homines sunt, et mala hæc naturæ, ut sterilitatem, imbres nimiros, et transeuntes tempestates toleranda esse. Aspirasse illos quidem ad Civilis Classicique imperium, sed ignorare longè intolerabilius id cervicibus imminere tributis et superbo dominatu. Monere igitur se, ne pertinaciam cum pernicie, quàm obsequium cum securitate malint.* Tacitus l. 4. histor. c. 73. Plura in hunc modum differens Cerealis, Treviros composuit, avulsosque à Classico & Germanorum societate recepit in fidem. Per id tempus dum Treviri cum victore exercitu consistit Cerealis, mittunt ad Cerealem epistolas Civilis & Classicus. Si imperium Galliarum velit, ipsos finibus suarum civitatum contentos fore. Si bellum mallet, ne id quidem abnuere. Ad ea nihil Cerealis, nuntios Romam mittit. Interim Civilis & Classicus divisis copijs accedunt. Romani castra extra civitatem vallo fossâque incluserant. Apud Germanos diversis sententijs certatum. Civilis operiendas Trans Rhenanorum gentes censebat; contrà Tutor, pugnandum, antequam aliæ legiones ad Cerealem aggregarentur, Tutori accessit classicus & diversitatem consiliorum diremit; statimque exequuntur. Media acies Ubijs & Lingonibus data, dextero cornu cohortes Batavorum, sinistro Bructeri Tencterique collocati. Ita compositi divisique pars per montium juga, alij per viam inter Mosellam flumen procedendo, improvisi castris adsunt, simulque dato signo assiluêre. Perrupta primo impetu legionum castra, fusi equites, medius Mosellæ pons, qui ulteriora civitatis annectit, ab hostibus insessus. Cerealis ut in cubiculo ac lectulo, (neque enim in castris noctem agebat) pugnari simul & vinci suos audit interque res turbidas intrepidus fugientes manu retrahit, & intecto corpore promptus, & fortissimi cujusque accursu auctus, recuperatum pontem lectâ manu firmat. Mox in castra digressus, rarum apud signa militem, ac propè circumventas aquilas videt, incensusque irâ militem alloquitur, tribunósque & præfectos quosque cum suis cohortibus consistere jubet, neque enim acies effuso hoste inter tentoria & sarcinas explicari poterat. Tutor & Classicus & Civilis suis quisque locis

pugnam ciebant : Gallos pro libertate, Batavos pro gloriâ, Germanos ad prædam instigando. Et cuncta pro hostibus erant, donec legio vicesima prima, patentiore quàm cæteræ spatio conglobata, sustinuit ruentes impetumque hostilem, ac mox retro impulit. Castra in manibus hostium erant, nisi pravum inter ipsos certamen de prædâ victoriam corrupisset, Germanorum cumprimis rapacitate. Postquam victores terga vertêre, insecutus Cerealis, eodemque die castra hostium capit exscinditque. Tam instabilis belli fortuna. Nec longa quies Romano militi data. Quippe Agrippinenses, ubi Romanorum res revalescere cognitæ, rursum à societate Civilis & Classici desciverant, & dispersos in domibus suis Germanos trucidaverant. Unde auxilium orabant à Cereali, offerebantque uxorem & sororem Civilis, & filiam Classici, relicta apud se pignora fidei. Ad hasce implorantium preces festinabat Cerealis, antequam hostes reparatis viribus ad ultionem accingerentur. Namque & Civilis illuc intenderat non invalidus, & flagrantissima cohortium suarum manu è Chaucis & Frisijs composita Tolbiaci in finibus Agrippinensium agebat. Sed tristes nuntij avertêre, postquam didicit dolo Agrippinensium deletam cohortem Germanorum, quam largis epulis, vinoque sopitam, clausis foribus injecto igne cremaverant. Hinc propero agmine Cerealis Agrippinensibus subvenit, urbemque recepit. Varia inde fortunâ certatum : Nervij & Tungri à Fabio Prisco legato per decimam quartam legionem recepti; contra Caninefates classem Britannicam aut deprimunt, aut capiunt, ijdemque Nerviorum multitudinem fundunt. Classicus apud Novesium præmissos à Cereali equites secundo prælio protrivit. At Civilis post adversam apud Treviros pugnam, & Agrippinensium defectionem, reparato per Germaniam exercitu, apud Vetera consedit, tutus loco : & ut illic prosperarum rerum gestarum memoriâ aspectuque trans Rhenanas gentes opportunè attraheret in novum militiæ supplementum. Secutus est eôdem Cerealis cum exercitu. Neuter ducum cunctatur, uterque ad prælium anhelus; obstabantque humentes campi primo fervori, quòd Civilis obliquam in Rhenum molem duxerat, cujus objectu revolutus amnis latè circum agris se circumfuderat. Lacessentibus interim Batavis, Germani notis vadis persultant, lateraque Romanorum aggressi, haud levi clade afficiunt. Ejus prælij eventus Germanis secundus, utrumque ducem diversis animi motibus, ad maturandum summæ rei discrimen erexit. Civilis instare fortunæ, Cerealis abdere ignominiam. Uterque dum aciem instruxit, suosque cohortatus ad prælium : & Civilis jactantius : *Stare Germanos Batavosque super vestigia gloriæ suæ, cineres ossaque Romanarum legionum calcantes. Ne terrerentur vario Trevirici prælii eventu, suam illic victoriam Germanos corrupisse, dum amissis telis per securita-*

Tacitus l. 5. hist. c. 14.

Civilis suos ad pugnam adversus Romanos excitat.

securitatem in prædam versi. Rheni et Germaniæ Deos in conspectu esse, quorum numine capesserent pugnam, coniugum, parentum, patriæ memores. Illum diem aut glorioſiſſimum inter maiores, aut ignominioſum apud posteros fore. Approbata Civilis dicta sono armorum & tripudijs. Inde Saxis, glandibusque & cæteris missilibus prælium incipitur. Absumptis quæ jaciuntur eminus telis, Germani immensis corporibus & prælongis hastis fluctuantem labentemque Romanum militem fodiunt : simul mole, quam in Rhenum eduxerat Civilis, Bructerorum cuneus transnatavit, quorum incursu illic inclinata acies, dum legiones Romanæ repressa Bructerorum ferociâ prælium exæquant. Inter quæ transfuga Batavus adijt Cerealem, pollicitus, si per extrema paludis eques immitteretur, & se ductore in hostium terga impressio fieret, rumpendam hostium aciem. Missæ duæ cum transfugâ alæ incauto hosti circumfunduntur. Quod ubi clamore cognitum, legiones à fronte incubuêre, pulsiq; Germani fugâ Rhenum petunt; neque Romanus insecutus abscedentes è prælio, quòd repente fusis imbribus & propinqua nocte victoria abrupta. Atq; hoc illud opinor est prælium Cerealis adversus Germanos, quo tanta multitudo Romanorum & Barbarorum ex supplementis Chaucorum cæsa, ut cadavera profluentis cursum retinuerint: quemadmodum hæc in Epitome Dionis apud Xiphilinum memorantur. Postero die Cerealis exercitum decima ex Hispaniâ legione supplevit: Civili alia mox auxilia Cheruscorum subvenêre. Stetit rursum uterq; ducum in armis. At tutiora delegit Civilis, incensoque Batavorum oppido in Insulam concessit, gnarus deesse naves Romanis efficiendo ponti, dirutâ simul quam Drusus fecerat mole. Transiêre Rhenum quoq; Tutor & Classicus, & centũ tredecim Trevirorum senatores. Nihilo post pugnam ad Vetera abjectior Civilis; tantumq; belli superfuit, quantum prope gestum. Quæ enim præsidia legionum, cohortium, & alarum in iis locis disposuit Cerealis, ubiq; invasit Civilis. Decima legio Arenaci, secunda Badavoduri oppugnata. Ad castra Decumanorum cæsus præfectus castrorum, & quinque primores Centurionum, Badavoduri Germani pontem irrumpere cœperunt, dum prælium nox dirimeret. Præter Civilem, Tutor, Classicus, & Verax sorore Civilis genitus, quisque suam infestam Romanis manum trahebat. Accedebat miseratio & conspiratio vicinarum gentium, Civilem animantium, juvantiumq; : pervicit tamen Cerealis, ut legiones consisterent apud inferiorem Rheni ripam. Ipse subinde Novesium, Bonnamque ad visenda castra, quæ hyematuris legionibus erigebantur, navibus adverso Rheno remeabat; & fortuna non minus adversa; dum enim soluto agmine & incuriosis vigilijs agit, animadversum id à Germanis, nec segnes illi insidias componunt. Electa nox atra nubibus, & prono amne rapti

Prælium Romanorum cum Germanis.

nullo prohibente, vallum ineunt, cæduntque obvios: aliud agmen naves invadit. Romani vulneribus exciti, quærunt arma, ruunt per vias, sternunt, & sternuntur. Dux semisomnis & intectus, errore hostium servatur: namque prætoriam navem, vexillo insignem, illic ducem rati abripiunt. Cerealis tum alibi noctem egerat, apud Claudiam Sacratam, Ubiam mulierem, inter concubinæ amores in cubili, aliàs cum navi in spolium venturus. Multa luce revecti Germani cum præda & captivis navibus. Prætoriam triremem flumine Luppiâ donum Velledæ fatidicæ virginis traxêre, ut pronum creditu sit ad Luppiæ ripas inter Bructeros habuisse sedem alicubi; nec desunt qui in Spellenæ pago haud procul Wesalia domicilium habuisse velint. Cerealis post lustrata Novesij & Bonnæ castrorum munimenta ad exercitum regressus, ad insulam Batavorum hostiliter omnia populatur. Flexo jam in Autumnum anno imbribus pluvialibus & superfusis amnibus Bataviæ Insula excedere coactus, castra dein in plano posuit. Cerealis haud minus quàm Civilis fatigatus bellis, Batavis pacem, Civili veniam offert: Velledam propinquosque Germanos monet, fortunam tot belli cladibus adversam mutare, & pacem cum Romanis colere. Miscebantur minis ampla promissa, tanquam precario armorum quietem sollicitarent Romani, quod hactenus Romano nomini indignum habuerant. His pellecti TransRhenani, simulque Batavorum populus & proceres, pacem bello antehabere cœperunt. Quæ inclinatio postquam à Civili animadversa, statuit & ipse prævenire; petitoque Cerealis colloquio, scinditur medius Nabaliæ fluminis pons, in cujus abrupta progressi duces, paciscuntur, & bellum, ut conjectura est, tandem finiunt. Nam Taciti, quem hactenus secuti sumus historia hic abrumpitur: neque Xiphilino, qui Dionem contractum dedit, placuit hæc Germaniæ bella referre. Adeò historiarum compendia plerumque sunt dispendia, ubi maximè desideres: cæteri quoque scriptores hîc silent. Et quantum de his Germanorum bellis constaret, nisi Tacitus omnium sæculorum memoriâ dignus disertusq; scriptor posteritati consignasset? Quanquam multa in Tacito obscura atque abdita. Quale hic Nabalia flumen, quod Vahalim alij censent scribendum, alij Navaliam certiùs Isalam interpretantur, aut oppidum aliquod, portumvè à navium statione ad commerciorum usum, ubi nunc Duisburgi oppidum est: quemadmodum ad medium Rheni alveum & ad Mosam utrumque Trajecti oppidum. Sanè apud Ptolomæum veterem Geographum Navaliam oppidum legimus, Septentrionali Rheni alveo oppositum. Longius exerrant, qui Wesaliam oppidum interpretantur; quasi à statione Romanarum navium istic Navalia sit dicta Wesalia, quæ ne nata quidem tum ex vestigijs se ullibi prodit: nec illic postremum

Mollerus in descript. Rheni.

Pax inter utrosque inita.

Xiphil. in Vespas.

Vopiscus. Quintilian.

Lipsius in notis. Rhenanus. Hadrianus Junius. Cluverius l. 3. antiq. c. 17.

stremum cum Batavis finitum est hoc bellum. Verius illi, quibus Navvalis, quasi posterior vahalis dictus, quantus ex vahali & Rheno in Isalam Drusi opere & fossa effusus. Multa hic Lipsius, multa alij; nihil, præter conjecturas, certi. Perinde ut Nabia, quam Marcellinus à Divis Evvaldis intratam scribit, nondum exploratus est locus. Certior *Velledæ* virginis auctoritas in his bellorum auspicijs, mirante Cereale, *æquiùs fœminæ illius imperium tolerari apud Germanos, quàm Romanorum principes.* Diu apud plerosque *Velleda* numinis loco habita. Ante hanc *Auriniam* & complures alias venerati, vanâ superstitione & dæmonum ludibrio. Quin Velleda ipsa delusa, fatique sui ignara; quòd extremùm capta & in triumphum producta, ut ex Statio Poëtâ censent:

Non vocat Arctoas acies Rhenumque rebellem,
Captivæque preces Veledæ.

Quo tamen id bello factum, nemo prodidit. Lipsius gentis vocabulo Weldam appellatum vult. In hujus postea locum sublecta *Gauna* virgo cultu divinæ vatis, tantâ etiam populi famâ ac veneratione, ut Domitianus Cæsar abs se auditam coram muneribus honorârit. Germani quàm bellorum, tam superstitionis amantes, ad armorum eventus præcognoscendos, & dæmon ut ludificaret, mortales hasce fatidicas mulieres, Sybillarum ritu, ac specie virginitatis per hæc instrumenta fallaciæ suppositit. Ultima hæc Bructerorum apud Tacitum belli Civilis mentio, quam tamen ille gentem prorsus excisam retulit libro de Germaniâ, postquam à Chamavis & Angrivarijs supra XL Bructerorum millia uno prælio cæsa. Quanquam gens illa Bructerorum, quam postea Boructuarios dixêre, Caroli Martelli & Pipini ævo superstes ad Luppiam veteris Saxoniæ regionem incoluerit.

Lipsius in notis ad Germ. Tac. *Dio in fragm. XLIX.* *Suidas in voce.* Ἰουδαῖοι. *Beda.* *Marcell in vita S. Suiberti.*

Ceterùm post cruentum Civilis bellum, quo omnis inferior Germania excita stetit in armis, postquam pacificatione compositum fuit, haud dubiè Cerealis, quem Dio affinem Vespasiani Cæsaris perhibet, cum Germanis pacem coluerit, ne gentem toties Rheno transgressam armatamque lacesseret, nondum confirmato Vespasiani imperio; turbaretque plura, quàm fluctuantes adhuc Imperij res ferre poterant. Et Vespasianus postquam compressis civilium armorum turbis, imperium adeptus, exanguem propè Rempubl. reficere cœpit. Bellis inde Orientalibus conficiendis avocatus, Germaniam intactam reliquit: satis enim bellicosarum gentium gnarus, dum legatus Claudij Cæsaris Germaniam citeriorem administrarat. Neque Tito pòst filio & Cæsari ullum cum Germanis bellum; uterque bellis Orientalibus de Judæâ simul triumphavit, pater de adjectâ provinciâ, filius de expugnatâ Hierosolymâ. At Titus se nobis solùm ex eo memorandus offert,

Dio & Xiphil. *Suetonius.* *Aurel victor.* *Eutropius.* *Eusebius in Chron.* *Pomponius Lætus.* *Vaillant tom. 1. Numism p. 30. & 35.*

Sueton. in Tit. c. 4. offert, quòd, Suetonio teste, *Tribunus militum et in Germaniâ et in Britanniâ meruerit, summâ industriâ, nec minore modestiâ, et famâ: sicut apparet statuarum et imaginum eius multitudine, ac titulis per utramq; provinciam.* Vespasianus Pater decem, ipse duos tantummodo annos imperavit: *Amor et deliciæ generis humani appellatus*: adeò æquus ac beneficus in omnes, dicere ut solitus sit: *Non oportere quenquam à sermone Principis tristem discedere*; &, si dies illi sine beneficio præstito transisset, *Amici*, inquiebat, *diem perdidi. Pontificatum deinde maximum ideo se professus accipere, ut puras servaret manus.* Optimis hisce principibus Christianis quies & libertas fuit, quietique sub his Germani & Barbari: quippe affligere Christianos, & affligi Imperium à Barbaris, conjuncta semper mala fuerunt. Vel inde scriptorum etiam silentia. Quanquam ex quo Tacitus hic nos destituit, locuples rerum omnium scriptor, ceteri quoque jejuni, ac non nisi per transitum sine historiæ integritate summa tantum modò rerum delibent, in mores vitasque Cæsarum magis intenti, quàm exterarum gentium bella cum Romanis describenda; unde & nos eâdem brevitate ceteros exinde Cæsares expediemus.

Ibid. c. 1. Ibid. c. 8. Ibid. c. 9.

An Christi 84. Domitiano Cæsar. Sueton. in Domit. Epit. Dion. Eutropius.

Domitianus dehinc Cæsar Vespasiani filius, Titi frater, totus ab utroque degener; alter nimirum Nero libidine & crudelitate, alterque post Neronem in Christianos tyrannus. Bellum ille quidem non modò Dacis & Decebalo eorum Regi fortissimo, sed & Cattis Germanisque intulit; verùm ut Dio Cassius perhibet, nullo unquam hoste viso, tantùm per legatos ac præsides provinciarum multa jactantiùs quàm felicius gessit, Interim ille per stolidam vanitatem Germanicâ veste uti: Cæsaris nomen cognomento Germanici sumere: inanes currus, & falsa simulacra victoriæ tanquam trophæa Germaniæ Capitolio invehere: triumphum de victis abs se Dacis Germanisque ducere; cùm tamen constaret majori clade rejectos per Danubium ac Rhenum Romanos, quàm victoriâ unquam redijsse. Explosêre ipsi Romani scriptores hunc vanum Domitiani triumphum, quem funus & exequias cæsorum amissorumque militum per ludibrium dixêre. Quò etiam illa Taciti: *Inerat conscientia, derisui nuper fuisse falsum è Germaniâ triumphum, emptis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur.* Ausus & hoc ignavo Cæsare Antonius superioris Germaniæ legatus palàm rebellare, & imperium corripere, confisus Germanorum auxilijs, quos in societatem belli pellexerat. Et illi, ut gens avida belli, jam in armis stabant Rhenum transituri; bellumque haud facilè extinguendum accendissent, ni Lucius Maximus, Antonium hæc languidiùs parantem oppressisset, aut Normannus Appius acie etiam victum straviset. Sed ea insecuta sunt tempora Domitiano adversa, ut fictus ille triumphus brevi in luctum

Vaillant T. 1. Numism. pag. 38. Aurelius victor. Plinius in Panegyr. Trajani.

Tacitus in vitâ Agricolæ c. 39.

ctum Reipubl. sit versus: *Tot* nimirum *exercitus Romani in Mœsia, et Daciâ*, tot in Germaniâ & Pannoniâ partim ducum temeritate, partim ignaviâ amissi, tot militares viri cum cohortibus expugnati, capti, trucidati, ut jam non de limite Imperij ac ripâ Danubij ac Rheni, sed de hibernis legionum & possessione provinciarum sit dubitatum. Summa clades à Germanis nostris trans Rhenum incolentibus illata; neque gens ulla insolentior tum in Romanos, quòd vel Plinius Romanus scriptor fassus est ultro; *sustulerant*, inquit, *animos, nec jam nobiscum de sua libertate, sed de nostrâ servitute certabant: ac ne inducias quidem, nisi æquis conditionibus inibant, leges q; ut acciperent, dabant.* Bellicosi hi populi memorantur fuisse Catti, Usipetes, Tencteri, Sicambri. Eò vana illa Martialis blandimenta, quibus Domitianum falsò exornat; inanior etiam Domitiani jactatio, quâ se Germanicum à devictâ Germaniâ, perinde ut mensem Septembrem, quo imperium susceperat, Domitianum appellari voluit. Stolida hæc ad ludibrium, tanquam non ante Domitianum Drusus, Tiberius, Caligula, Claudius, Nero, cognomentum Germanici Cæsaris sibi vindicarint: tam vanè, quàm ad eum diem nemo istorum Germaniam adhuc nostram in provinciæ formam redegerat, aut tributariam fecerat. Si quid veræ laudis ex his Germaniæ bellis, Ulpio Trajano debetur, quem virum militiâ bonum & industrium Domitianus proconsulari cum imperio misit ad Rhenum, præsidemque superioris & inferioris Germaniæ imposuit, cujus virtute, justitiâ, admiratione que bellicorum operum, ut Aurelius Victor tradit, Barbari in fœdere & amicitiâ continebantur, ne videlicet Rheni limitem perrumperent. Initio quidem imperij patris Vespasiani Domitianus in Germaniam profectus: verùm quæ Petilius Cerealis feliciter gessit contra Batavos, ea ipse sibi postea arrogavit: osor etiam ducum eorum, qui res præclarè agerent. Quos inter Agricola Præses in Britanniâ, quem tamen virum Domitianus multis occultè odijs est insectatus: tanquam privati hominis nomen super Principis attolleretur. Præclara eo bello Britannico laus Batavorum, Tungrorum, & Germanorum, ex quibus bellicosas cohortes scriptas per mare transvexerat. Memorabile inter has Usipiorum cohors facinus ausa. Occiso enim centurione ac militibus, tres liburnicas adactis per vim gubernatoribus ascenderunt, & uno remigante, suspectis duobus, & ob id interfectis, nondum vulgato rumore, ut miraculum provehebantur; mox hac atque illac rapti, & cum plerisque Britannorum sua defensantium, prælio congressi, ac sœpe victores, aliquando pulsi, eò ad extremum inopiæ venêre, ut infirmissimos suorum sorte ductos vescerentur: atque ita circumvecti Britanniam, pro prædonibus habiti, primùm à Suevis (Chaucis opinor) mox à Frisijs intercepti sunt. Eò nunc minus demirari licebit, quâ audaciâ, aut invitamento fortunæ

Germani sub Domitiano Romanis infesti. *Plinius in Paneg.*

Sidonius in Paneg. Avit. dicta. Vaill. tom. 1. Numism. pag. 40.

Aurelius Victor in Trajano.

Tacitus in Agricolæ vita.

post

post Saxones Angli, & harum regionum populi classe in Britanniam vecti Regnum illud postea invaserint : quando iam ijs Romanorum bellis situs Regni, maris navigationem, & terræ fertilitatem opesque cognitas habuêre. Ceterum Domitianus haud aliam digniùs ex Germaniâ laudem retulit, quàm quòd Trajanum, quem à Nervæ excessu Roma Imperatorem accepit, Germaniæ præsidem & Rheni limitis custodem imposuerit, Virum bello acrem & militi gratum: ejus bellicâ fortitudine coërciti Barbari, receptisque oppidis ac castellis Rhenus in potestatem Romanorum redijt, id quod ceteris scriptoribus ferè silentibus à Martiali Poëtâ proditum, quemadmodum ille Rhenum in hunc modum allocutus :

Lib. 10. Epigr. 7.

Nympharum Pater, amniumque Rhene ;
Quicunque Othrysias bibunt pruinas,
Sic semper liquidis fruaris undis,
Nec te barbara contumelioso
Calcatum rota conterat bubulci :
Sic et cornibus aureus receptis,
Et Romanus eas utraque ripa :
Traianum populis suis et urbi,
Tibris te Dominus rogat, remittas.

Elias Venetus. Raderus. Reperias auctores, qui per contumeliosum bubulcum à Martiali designari velint Sicambrorum aut Bructerorum regem ducemve, quasi is jam tum recepto gentis more carpento, quem juncti boves traxerint, vehi solitus : hunc deinde morem Francorum Reges ejusdem gentis posteros imitatos volunt. Sed hi auctores supra Poëtæ ingenium mentemque sua nobis figmenta videntur obtrudere, tanquam bellaces illi populi Sicambri & Bructeri alijque bobus pugnârint : cùm Catti & Tencteri ut à Tacito relatum est, equitatu valerent. *Quippe solitum illud bellorum decus equestris disciplinæ arte præcellere* : id etsi Tencteris adscribat Tacitus, commune tamen omnibus Germanis trans Rhenum gentibus fuit. Quid enim *bellator ille equus, quem Principis sui liberalitate exigunt ituri in prælium* ? Eò & Tacitus inter dona quibus maximè gaudent, *electos equos, magna arma, crateras torquesque* memorat, interque dotes, quas uxori maritus offert, boves quidem recenset, tanquam domesticum pecus, cui tamen frenatus equus, & scutum cum framea gladiusque conjungitur. Et quis unquam hosce militares viros bobus aut in bellum aut in pompam vectos prodidit : Martialem si expendant, haud aliud dicere videbitur, quàm ne barbaræ Sicambrorum, Bructerorum, Tenctorum, & Usipetum genti unquam exinde Rhenus gelu induratus pontem sternat, transitumque aperiat incursionibus in Romanum solum, ad prædas carpentis onustis plaustrisque revehendas. Hæc Domi-

Tacitus de mor. Germ.

tiano

tiano Cæsare acta. Is post XV. Imperij annos cunctis mortalibus invisus tyranni exitum habuit : quippe multis vulneribus à domesticis confossus interijt ; nomen è Cæsarum numero erasum, funus cum ingenti dedecore per Vespillones exportatum, abjectumque.

Nerva post illa imperium adeptus : id, quia anni unius & paucorum mensium fuit, nihil nobis exterorum bellorum suppeditat. Optimè verò de Republ. Romanâ meritus, quòd Ulpium Trajanum vivus cooptâvit hæredem : convocatoque senatu collegam dixerit, gente Hispanum, qui tum ad Rhenum Germaniæ præses imperitabat. Is subinde Coloniæ Agrippinæ ab exercitu appellatus Cæsar, venitque ad eum in Germaniam Hadrianus Consobrinus post Trajanum Imperator. Non Trajano post Augustum ad Constantinum M. clarior & fortunatior bellis Cæsar, à quo Reipubl. Romanæ priscum decus, & imperij limites redditi. Inde cognomento optimi à Senatu acclamatum : *Ne sis felicior Augusto, melior Trajano.* Quæ tamen nominis gloria acerbitate in Christianos multum deformata est. Bellorum ejus, quibus orbem per XX. annos victor peragravit, complures meminêre : belli quod cum Germanis gessit, unus ferè Eutropius & Plinius in Panegyri. Multa ejus vestigia & monumenta relicta apud posteros : Colonia nimirum Trajana & castra *Ulpia Trajana* tricesimæ legionis ad divortia Rheni, intra *Vetera castra, et Arenacum*, quod hodie *Arnheimium* censent. Loci vetustatem ac nomen Coloniæ servare credunt vicum *Kellen*, si non ipsum oppidum Cliviæ, intra situs castrorum tunc comprehensum ; perinde ut Vetera castra ad vicini loci clivum, collemque porrecta fuêre, quæ multis disceptant viri nostrâ memoriâ antiquitatum periti. Quæ legio Ulpia Trajano tricesima fuit, ea Germanica dicta, quòd in Germaniâ eam scripserat Trajanus præses Germaniæ. Urbes verò quas Eutropius memorat à Trajano trans Rhenum in Germaniâ reparatas, haud dispicio : etsi inter has quidam Cæsaris Insulam in ulteriore ripâ reponant. Sanè Tacitus qui Trajano imperatore adhuc vixit, *nullas Germanorum populis urbes habitari notum satis esse*, scribit : *nec pati quidem inter se junctas urbes voluisse Germanos.* Hiberna potiùs castrorum crediderim, quæ in modum oppidorum constructa, suprà ex Dione memoravimus : aut si quæ oppida fuerunt, ea Batavodurum, Arenacum, aliaque ad inferiorem Rheni ripam extiterint, ubi Romanum Imperium post civilis bella, & rebellionem Batavorum Frisiorumque firmari cœpit à Trajano : ac verisimile habeo amissum Civilis & Germanorum bellis Rheni limitem, à Trajano postea recuperatum, instauratumq; castellis & præsidiis esse ; tum nimirum cùm præses Germaniæ inferioris Domitiano & Nerva Imperatoribus Coloniæ Agrippinæ versa-

An. Christi 99. Nerva Cæsar. *Dio. Eutrop. Victor. Zonaras.*

An. Christi 100. Trajanus Cæsar. Coloniæ Agrippinæ Salutatus. *Ælius Spart. in Trajan. Vaillant tom 1. Numism p. 46. Tabula itiner. Antonini. Ptolomæus.*

Bilibaldus. Ortelius. Althamerus in Tacitum. Tacitus de Germ.

Pighius. Cluverius lib. 2. Germ. c. 15. Bilibaldus.

Dio in Trajan. Xphil. versaretur. Nam ex quo inde Romam evocatus ad capessendum imperium in nostram Germaniam non est reversus, sed inde Dacicum bellum à Trajano susceptum, strato super Danubium ex secto lapide admirandi operis ponte XX. pilis subnixo, cujus altitudo pedum CL. latitudo LX. distabantque pilæ suis fornicibus conjunctæ intervallo CLXX. pedum. Tantum pro Daciâ subigendâ molitus Trajanus relictâ Germaniâ, tanquam incassum vinceretur; quamvis hic pons subinde superiore sui parte ab Adriano disjectus, ne hosti per eum transitus pateret. Victo tandem Decebalo fortissimo Rege, & Daciâ in provinciæ formam redactâ, arma in Orientem convertit, subjectáq; Assyriâ, Mesopotamiâ, Armeniâ, Persiâ, quàm latissimè trans Euphratem imperij fines prolati. Innumerabilis Trajano Imp. erat Christianorum multitudo per Imperium Romanum, cumprimisque in Oriente: quò factum ut cùm Cæsar lustraret exercitum, undecim millia Christianorum in eo repererit: cùmque in unâ Asiæ urbe aliquando Arius Proconsul de Christianis quæstiones haberet, omnes ejusdem urbis incolæ sublata manu ante tribunal se ad mortem ultrò obtulêre: ad quod obstupefactus Proconsul, *O miseri*, inquit, *si cupitis perire, præcipitia et restes habetis.* Trajanus etsi nullo edicto publico Christianos ad necem postularit, collegia tamen ac cœtus fieri prohibuit, diligenterque inquiri in Christianorum mores & vitam, voluit; seu quod vel orta ex Judæis secta Imperio noxia; seu quod ob frequentia miracula, magicis artibus imbuti homines crederentur. Edicto interim Cæsaris provocati Proconsules ac Præfecti, quotquot Christianorum in cœtus convenisse deprehendebantur, ad supplicia rapuerunt: quos inter Plinius secundus Proconsul Bithiniæ, celebrem illam ad Trajanum dedit Epistolam, quæ equidem nescio utrumne scriptoris magis ignorantiam malevolumque animum, an Christianorum innocentiam constantiamque prodat. Hanc quorundam gratiâ adscribere visum, quòd jam dudum Christi religio etiam Gallias pervaserit, & Coloniam ad Rhenum penetrârit:

Baron. ad an. C. 107. Tertull. ad Scap. c. ult.

Pl. l. 10. epist. 97. c. 95. Euseb. in Chron. Tertull. in Apolog. Orosius l. 7.

Solenne est mihi, domine, omnia, de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam instruere? cognitionibus de Christianis interfui nunquam: ideo nescio quid et quatenus aut puniri soleat, aut quæri. Nec mediocriter hæsitavi sitne aliquod discrimen ætatum, an quamlibet teneri nihil à robustioribus differant: deturne pœnitentiæ venia; an ei, qui omnino Christianus fuit, desisse non prosit; nomen ipsum etiamsi flagitiis careat, an flagitia cohærentia nomini puniantur. Interim in iis, qui ad me tanquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos an essent Christiani: confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus: perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam, qualecunque esset quod faterentur, pervicaciam certè et inflexibilem

flexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiæ: quos, quia cives Romani erant, annotavi in urbem remittendos: mox ipso tractu, ut fieri solet diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore, multorum nomina continens, qui negant se esse Christianos, aut fuisse; quum præeunte me deos appellarent, et imagini tuæ (quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum afferri) thure ac vino supplicarent: præterea maledicerent Christo; quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera Christiani. Ergo dimittendos putavi. Alii ab judice nominati, esse se Christianos dixerunt, et mox negaverunt: fuisse quidem, sed desîsse: quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque. Omnes et imaginem tuam, deorumque simulacra venerati sunt; ii et Christo maledixernnt. Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quòd essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo dicere secum invicem: seque Sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coëundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen, et innoxium: quod ipsum facere desisse post edictum meum, quo secundùm mandata tua hetærias esse vetueram. Quo magis necessarium credidi ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur, quid esset veri et per tormenta quærere. Sed nihil aliud inveni, quàm superstitionem pravam et immodicam, ideoque dilatâ cognitione ad consulendum te decurri. Visa est enim mihi res digna consultatione, maximè propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum, et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est: quæ videtur sisti et corrigi posse. Certè satis constat, prope jam desolata templa cœpisse celebrari, et sacra solennia diu intermissa repeti: passimque venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quæ turba hominum emendari possit, si fiat pœnitentiæ locus.

Cæterùm Trajanus neque dum Præses limitis Rheni Coloniæ Agrippinæ considéret, ac multis Gallia Germaniaque Christianis repleta esset; neque Imperator postea delectus, in ullum genus hominum iniquus videri voluit. Quin Præfecto Prætorij aliquando ensem porrexit, ac *Cape hunc*, inquit, *et si bonus fuero, pro me Utere; sin malus, contra me stringe.* Interim cùm multa licentiùs præfectis adversus Christianos permitteret, & passim multi innocentes ad supplicia traherentur, oblanguente Republ. fortuna quoque Cæsarem in debellandis hostibus Imperij destituit. Quanquam nullæ Germanorum incursiones per Rhenum, quem diligentissimè præmunierat, Imperio ejus quod in vigesimum annum extraxit, factæ memorentur: & Rhenum ipse illacessitis Germanis limitem Imperij reliquit. Neque Rufus Festus, qui immensis terrarum spatijs Imperium ab eo explica- *Dio in Trajan.*

explicatum refert, ullius trans Rhenum provinciæ meminit, quæ ab hoc Cæsare adjecta sit. Ad Ultimum apud Isauræ urbem extinctus est, cùm frustra Romæ ad triumphum exspectaretur. Germani interim Trajano Cæsare, cujus metu refrenabantur, ne Rheni limitem prædabundi transirent, mutuis se dissidijs armisque obterunt, quantum id ex Tacito & Plinio æstimare fas erit. Enim verò Tacitus, Belgicæ procurator, cùm per hæc Vespasiani tempora, aut certè Nervâ adhuc vivo, ut Lipsius censuit, præclarum illum atque omni posteritatis memoria dignum de moribus Germaniæ conscriberet librum, cruenti inter has trans Rhenum gentes belli meminit, quo per conspirationem aliarum Bructeri propè ad internecionem deleti sunt. *Juxta Tencteros*, inquit, *Bructeri olim occurrebant: nunc Chamavos et Angrivarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis, vicinarum consensu nationum, seu superbiæ odio, seu prædæ dulcedine, seu favore quodam erga nos Deorum. Nam ne spectaculo quidem prælii invidêre. Super sexaginta millia non armis telisque Romanis, sed quod magnificentiùs est, oblectationi oculisque cecidêrunt. Maneat quæso, duretque gentibus si non amor nostri, at certè odium sui: quando urgentibus imperii fatis nihil jam præstare fortuna majus potest, quàm hostium discordiam.* Adeò Germani nostri, ut supra in Arminij nece ac sæpiùs animadversum, fortunam suam domesticis malis corrupêre, armaque quæ in Romanos exterosque convertenda erant, in sua viscera detorserunt. Sed belli hujus intestini causam visus est Plinius indicare. Regem suum ejecerant Bructeri; hunc, cùm supplex ad Romanorum opem confugeret, *Spurinna* legatus, *vi et armis induxit in regnum: ostentatoque bello, ferocissimam gentem (quod est pulcherrimum victoriæ genus) terrore perdomuit.* Sed non ea internecinâ clade ita à popularibus deleti sunt Bructeri, quin & sedes ad Rheni ripam retinuerint ad Caroli M. tempora, & in validam etiam gentem Boructuariorum nomine excreverint.

Germani mutuis se dissidijs conterunt, à Romanis intacti.

Lipsius in notis ad lib. de German.

Tacitus de moribus Germ. c. 33.

Plin. Secundus lib. 2. Epist. 7. ad Macrinum.

An. Christi 120. Hadrianus Cæsar.

Dio Epit. Æl. Spart. Zonaras.

Hadriano dein Cæsare, quem Trajanus ex neptis marito & bellorum collegâ successorem dixerat, multò securior Germania, quòdne parta quidem à Trajano conservârit: misso quidem Julio Severo legato Palæstinam funditus exhausit cæde quingentorum & octoginta millium Judæorum; vastataque Hierosolyma, templum toto orbe celeberrimum odio rebellium Judæorum evertit, in Christianos benignus atque æquus. Nam postquam per Quadratum Apostolorum discipulum, uti Orosius scribit, & Aristidem Atheniensem, & Serenum Granicum legatum, libris de Christianâ religione compositis instructus eruditusque fuit, præcepit per Epistolam ad Minutium Proconsulem Asiæ, ne cui fas esset Christianos sine probato crimine damnare; mandavitque ne Judæo liceret Hierosolymam intrare, civitate tantum Christianis permissa. Idem à Senatu Ro-

Orosius l. 7. c. 13.

mano

mano præter morem Pater Patriæ appellatus. Sed amissâ post Assyriâ, Mesopotamiâ, & Armeniâ, Euphratem Imperij terminum esse voluit; legiones præterea ex Daciâ revocare statuerat, & Danubium Imperij limitem facere. Id quo minus fieret, deterruêre amici, ne cives Romanos, qui Colonias in eas regiones duxerant, agris & urbibus excultis, Barbarorum Imperio relinqueret. Vnâ pace felix, quam toto orbe habuit, provisu militarium operum, & majestatis aspectu semper armatus, nullis tamen bellis intente quæsitis. Britanniam postea lustravit cum exercitu, murumque ad xxc. millia passuum duxit, quo Romani à Barbaris discluderentur. Indefessus per viginti annos Imperator, qui omnes Romani Imperij provincias nudo capite, larido, caseo, poscâ, & castrensibus cibis contentus, intra frigora atque imbres peragravit. Lustrata & ab eo Gallia, & Germania, nulla tamen bella trans Rhenum prolata. Satis habuit Germanis regem constituisse, & suâ libertate illacessitos reliquisse: adeò etiam à bellis alienus, ut à multis exterorum regibus pacem donis redemerit; si non etiam ab ipsis Germanis, quà gente nihil per hæc tempora Imperio Romano formidabilius erat: ac licet nullo prælio Germanos vicisset, Germanici tamen nomen ceterorum affectatione sibi vindicare ausus est.

Eutropius Aurelius Victor.

Ælius Spart. Aurelius Victor.

Adoptatus ab Hadriano M. Antoninus cognomento Pius, ob clementiam & amorem, quo omnes homines complexus; dignior etiam hoc nomine, quòd Christianos non modò coleret, sed honoribus etiam, ut à Xiphilino & Zonara relatum suprà, quàm Adrianus Cæsar fecerat, extolleret. Quanquam si historiam Ecclesiæ consulamus multos plecti sit passus; quæ præsidum magis & præfectorum urbis sævitia sœpius fuit, quàm Cæsarum. Floruit eo Imperatore Justinus Martyr, Philosophus assertorque Christianæ religionis. Ausus is Antonino Pio offerre librum pro defensione Christianæ religionis à se conscriptum; quo lecto permotus Imperator, misso ad civitates Asiæ decreto cavit, ne quis Christianos propter religionem supplicio afficeret: & si quis eo nomine quenquam accusaret, reum absolvi, accusatorem verò mulctari jussit. Ad bella licet ipse non processerit, quippe nunquam Italiam egressus; Imperium tamen veneratione nominis & apparatu bellico per xxiii. annos pacatum habuit. Atque ut Galliam & Germaniam contineret, ductæ primum Coloniæ, instructa milite & commeatu hiberna, provisa affatim annona & stipendia, disposita per Rheni limitem castella, stratæ militares viæ, quibus ex Galliâ aut Treviros, aut Moguntiam, aut Coloniam Agrippinam commearet miles. Satis hæc ex itinerario, quod Cæsari huic Antonino adscribitur, æstimare fas erit. *Interim per legatos suos plurima bella gessit,* ut Capitolinus scripsit: *Nam et Britannos per Lollium Urbicum legatum vicit, alio ex cespite muro ducto,*

An. Christi 140. Antoninus Pius Cæsar.

Dio epit. per Xiphil. in Anton. Iul. Capitol. Zonaras. Aurelius Victor. Eutropius

Antoninus Imp. Christianis benignus.

Iulius Capitol. in Antonino.

ducto, quo barbari diſcluſi, et Germanos, Dacos, ac multas gentes per præſides ſuos contudit: ipſe, quod tum glorioſiſſimum erat inter imperatorios titulos, Germanici etiam nomen ſibi ſumpſit.

An. Chriſti 163. M. Aurelius Antoninus Philoſophus, & L. Ælius Verus Cæſares.

Succeſsère Antonino Pio Cæſares M. Aurelius Antoninus philoſophus, & L. Verus, adoptati à Pio, hic nepos, iſte gener. *Tum primum*, inquit Eutropius, *Imperium à duobus collegis æquo jure adminiſtratum eſt*, ſed moribus diverſiſſimis. Quantum Antoninus philoſophus ſapientiæ, tantùm L. Verus luxuriæ & libidini indulſit: uterque ſævus in Chriſtianos, qui tum paſſim ad dira ſupplicia rapiebantur. At Lucius Verus haud multum ſuperſtes: & ultrix numinis manus, pœnaque ſecuta, quâ ſævitiæ hujus tempeſtas in ipſa Romanorum capita revoluta: Simul enim Parthi, Britanni, Mauri in Hiſpaniâ: Luſitani, Galli inter Sequanos conſurrexêre, rebelles in Romanum Imperium. At longè infeſtius bellum à *Marcomannis*, Punico etiam truculentius, quod primùm à *Cattis* & harum regionum populis ſuſcitatum ſcribit Capitolinus; deinde à *Marcomannis*, *Bohemâ gente*, *Nariſſis*, *Hermunduris*, *Quadis*, *Suevis*, *Wandalis*, *Roxolanis*, *Alanis* & omni Germanorum barbarie. Hæ gentes veluti claſſico inter ſe dato ſimul per Rhenum, ſimul per Danubium effuſæ in Romanum ſolum penetravere: deinde Alpes tranſcendendo haud alium Romanis terrorem incuſsère, quàm ſi Cimbrorum atque Teutonum arma Italiæ rurſus imminerent. Liberata hoc metu primùm Roma Pertinacis ducis fortitudine, qui prælio congreſſus cum Barbaris extra Italiam eos rejecit. Repertæ inter cæſorum cadavera Germanæ mulieres, quæ virili habitu pugnaverant cum Romanis. Tractum id bellum in quartum uſque annum, non ſine mutuâ Romanorum clade, quam etſi Romani ſcriptores diſſimulent, auctor tamen eſt Lucianus ſupra viginti Romanorum millia eo bello trucidata eſſe a Germanis, ac parum abfuiſſe, quin Aquileia Italiæ clauſtrum caperetur. Poſtremum ipſe Aurelius Cæſar excitas undique legiones ex Imperij provincijs evocavit; & quia periculi magnitudo urgebat, apertum eſt ærarium, & quidquid repertum erogatum in milites: oppignorata ipſa Cæſarum ſupellex, factaque in foro Trajano auctione, extremæ reipubl. vires ac nervi in hoc bellum contracti. Armati etiam Dalmatæ, & Germanorum auxilia contra Germanos auro empta. Ad hunc modum cum inſtructiſſimo exercitu trans Alpes movit Aurelius Cæſar, primùmque trans Danubium rejecit hoſtem; inde mediam ingreſſus Germaniam, diverſis prælijs Barbaros fregit: Nec ſine præſenti diſcrimine Romani exercitus: cùm enim Romani à Quadis, Germaniſque, quibus unum ſociale bellum erat, opportunis inter montium clauſtra locis incluſi tenerentur, unde nec progredi, nec regredi fas erat, ſimulque ingenti calore ſolis & ſiti fatigarentur, multique vulneribus & ærumnis confecti contabeſce-

Dio in Epit. Julius Cap. in Antonin. phil.

Bellum Aurelij Cæſaris contra Marcomannos aliaſque Germaniæ gentes.

Eutropius. Zonaras.

bescerent, tum Germani, quod sine pugnæ congressu rem confici posse viderent, prælium consulto differunt, rati feram caveâ inclusam fame sitique satis victam ad necem. In his angustijs M. Aurelius Cæsar legionem Christianam, quam ex Melitenis militibus præsentem habebat, appellari passus, misso præfecto prætorianorum rogat, ut Deum suum, à quo omnia ipsorum precibus impetrari posse audiat, supplices adeant. Quod ubi Christiani toto corpore in terram prostrati fecerunt, repentè nubes è cœlo cogi visæ, tantaq; vis imbrium defluxit, ut plenis galeis miles biberet. Mox fulgura & fulmina & ignes è cœlo decussi in Barbaros, totam eorum aciem disjecere, intactis Romanis, qui hæc attoniti spectabant; deinde versi in Barbaros magnâ clade in fugam abjiciunt. Quo miraculo obstupefactus Cæsar, Christianos exinde mitiùs benigniusque complexus, legionem illam Christianorum Fulminatricem appellari, se vero Germanicum Cæsarem dici voluit. Edicto deinde sanxit, ne quis eo nomine quòd Christianus esset, in judicium vocaretur amplius. Utcunque hæc Romani scriptores aut dissimulent, aut alio trahant ad Jovis pluvij fictique Dei beneficium, nobis tamen hujus miraculi testes abundè sunt ipsæ Cæsaris ad Senatum populumque Romanum literæ, quas inter alios Baronius recitat; tum Xiphilinus, Tertullianus, Gregorius Nyssenus, Eusebius, Zonaras, Orosius, plurimique scriptorum ex constante antiquitatis memoriâ. Sed non hac clade aut victa Germania, aut quieta. Constituerat Aurelius Cæsar prolato bello adversus Germanos Marcomannos in provinciæ formam redigere: Sed Cassio apud Persas rebellante avocatus in Orientem. Nec Catti solum hoc Marcomannico bello transgressi Rhenum, sed & Chauci pellectis in societatem belli Frisijs, Marsis, Bructeris, cæterisq; Germaniæ populis inferiorem Rhenum transgressi, Gallias irrupêre; quos Didius Julianus Belgicæ & inferioris Germaniæ præfectus, provincialium armis adjutus repressit. Tum & Helvius Pertinax, idemque pòst Imperator, classem Germanicam rexit, multisque rebus præclare gestis mare à Frisijs & Chaucis tranquillum reddidit. Pacata jam Republ. cùm anno imperij XIX. suprema sibi fata imminere videret Aurelius Cæsar, Commodum filium Cæsarem dixit, de nullâ gente magis sollicitus, ut Herodianus est auctor, quàm Germanis, quòd eam irritatam magis quàm devictam agnosceret: quæque levibus rerum momentis, insitáque bellandi cupiditate, immaturi filij & dissoluti juvenis imperium turbatura esset. Nec fefellit providum patrem metus.

Insigni miraculo ad Christianorũ militum preces servati Romani & victi Germani. *Vaillant tom. 1. Numism. p. 81.*

Herodiang.

An. Christi 182.

Quippe L. Commodus imperio admotus, primò bellum cum Dacis & Germanis ducum ministerio aliquamdiu prosecutus est: feliciterque cum Germanis pugnatum. Haud post multò cùm & ipsi provinciales rebellarent, transmisso auro argentoque Barbaro-

L. Aurelius Commodus Cæsar. *Dionis Epitome. Herodiang.*

Eutropius. Aurelius Victor. Ælius Spart in Julian. Lampridio in Comm. Vaillant tom. 1. Numism. p. 92. Nummi veteres apud Patinum pag. 175.

rum regulos corrupit, pacemque quam armis imperare debebat, fœda nominis Romani pactione emit. Ipse Nerone flagitiosior, Domitiano sævior, inter trecentas Romæ concubinas hæsit, ferrumque quo barbaris occurrendum erat, in Romanorum civium & Senatorum cervices distrinxit: tanquam & ipse Cæsar ultor datus Romanis in Christianos sævientibus. Inter concubinas interim Martia fœmina sapiens, & pulchritudinis eximiæ, quæ cum Christianorum studiosissima esset, & Cæsaris animum imperiumque in manu haberet, magno levamento fuit Christianis. At postquam & ipsi Martiæ & aulicis necem scripsisset Cæsar, horum conspiratione strangulatus est, duodecimo imperij anno. Adeo nihil virile in mulieroso Cæsare, quod timerent exteri.

An. Christi 195. Pertinax Cæsar. Didius Julianus Cæsar. Septimio Severus Cæsar. Dionis Epit. Capitolinus. Eutropius. Zonaras. Herodiano. Aurelius Victor in Trajano.

Delectus dehinc Pertinax Cæsar, bonus militiâ, & bellicis rebus clarus. Rexerat is Germaniam aliquando, in quâ & matrem amisit, monumento diu superstitem. Brevis fati Cæsar, quem intra paucos menses trucidavere prætoriani milites. Mox in plura capita divisum Imperium, quod Romæ Salvius Julianus, Niger in Oriente, Albinus in Galliâ, Septimius Severus in Pannoniâ rapuit. Cessit demum Severo; homini gente Afro, postquam à Germano exercitu appellatus Cæsar. Eò jam prolapsa erat Romani nominis majestas, ut primùm exteros, deinde Barbaros, Afros, Syros, Mauros, Pannones, Thraces ab exercitu datos accipere imperatores necesse fuerit. Non Germani unquam in hunc numerum venêre, seu quòd nullâ suâ parte in corpus Reipubl. & provinciæ venerant, seu quòd veriti, ne totum genti suæ assererent, quibuscum perpetua bella erant. At Septimius Severus crudelitate in cives, & tyrannide in Christianos Severi nomen explevit. Multis ille bellis Orientem peragravit; demum in Britanniam transgressus, Eboraci extinguitur. Germania magis bello affectata, quàm vel oppugnata vel oppressa, Romano in eâ milite præter incultas urbibus regiones, bellicosos viros, & fatalium cladium aspectus reformidante. Moriens Severus Antoninum cognomento Caracallam Getamque filios dixit Cæsares, superbo cum documento: *Convenite inter vos, milites ditate, ceteros contemnite.* Geta mox sublato, Caracallâ solus imperium gessit, homo omnibus Caligulæ & Neronis vitijs & sceleribus contaminatus. Ausus tamen Germanici Cæsaris nomen sibi sumere, quòd cum patre aliquando iter in Germaniam ingressus fuerat. Nullus tam ignavus Cæsar, qui non Germanicum nomen sibi vendicare expetierit: tanquam cum nullâ gente glorioſrus bellum gereretur, quam tamen adhunc diem prolatis trans Rhenum armis nemo Cæsarum subegerat: scilicet vicisse alias gentes, & pugnasse cum Germanis eâdem triumphi materia. Valuit interim Germanorum æstimatio apud Caracallam: quippe ob fratris necem conscientiæ furijs agi-

An. Christi 213. Antoninus Caracalla & Geta Imp. Herodiano. Dio in Epit. Aurelius Victor. Eutropius. Capitolinus. Spartianus in Caracalla.

tatus,

tatus, peragrare orbem instituit, & Persis bellum inferre. Sed lustrata primùm ab eo Germania ac Rheni limes, ordinatæque Romani Imperij provinciæ, quantum tunc in Septentrionem porrigebantur: quâ in expeditione magnum sibi Germanorum amorem conciliavit. Nec minus ipse Germanorum moribus ac virtutibus captus, Germanos sibi Orientalis belli socios delegit, robustissimo quoque inter corporis custodes adscito, ac sæpe Romano cultu posito, vestem Germanicam indutus, Germanorumque sagulis argento distinctis inter milites conspicuus prodijt: subinde etiam ementito crine flavam capiti Cæsariem imposuit, quod nativo hoc capillitij colore Sicambri, Bructeri, alijque transRhenum populi notarentur: quo etiamnum nostrates passim ab alijs gentibus discriminantur. Verùm non omnes Germanos eo affectu expertus: Caracalla quippe novos ad Rhenum hostes nactus *Alemannos*, quorum tum nomen primò audiri cœpit, quantum id ab Aurelio Victore & Spartiano est cognitum: gentemque illam auctores populosam appellant & bellacem, quæ ex equis pugnare, & equestribus prælijs prævalere tum primùm Romanis, haud secus quàm Catti & Tencteri olim, comperta. Bellum hoc primùm cum Alemannis atrox fuit Romanis, quanquam non ab ipso Cæsare, sed ab Ælio Pertinace, Cæsaris Pertinacis filio confectum sit, gloria ad Caracallam immerito relata, qui ex eo Alemannici sibi cognomentum pari stoliditate sumpsit: ob quod ipsis etiam Romanis derisui fuit. Dio, ut Xiphilinus ex eo retulit, Alemannos hosce, quibuscum hoc Caracallæ bellum fuit, *Cennos* visus appellare, gentem Celticam, tanta in Romanum militem ira concitatos, ut tela quibus ab Ofrœnis vulnerati erant, dentibus ex eorum corporibus evellerent, ne qua manus in illis cædendis defatigaretur. Horum uxores captæ à Romanis, cùm interrogarentur à Caracalla, utrum vendi, an occidi mallent? mori se malle responderunt: at venditæ postea ultrò sibi mortem consciverunt; quædam etiam interemptis secum filijs, ne in servitutem Romanorum capti adolescerent, ultrò in mortem iêre.

Alemannorum nomen & bellum.

Mulierũ Alemannarum fortitudo.

At quinam hi Alemanni, & unde hoc gentis nomen invaluit toties à nobis exinde memorandum? Asinius Quadratus, diligens rerum Germanicarum scriptor apud Agathiam, genus adventantium ex variâ hominum multitudine tradit. Alij abs se ita cognominatos volunt, quòd singuli essent collecti, selectique viri, ac bello nobiles. Cluverius primâ origine Gallos censuit, quique à Romanis in decumates inter Danubium & Mœnum agros traducti sint, ad tutelam Rheni, cum onere simul solvendi decimas, quod Tacitus levissimum quemque Gallorum feciſſe memorat, quique inopiâ, audaciaque postea Rhenum trangressi, ulteriores sedes protenderint. At si Galli origine, Colonique ad tutelam Rheni sepositi, cur

Cluverius l. 3. c. 4. Antiquæ Germ.

Tacitus lib. de morib. Germ.

Lipsius in notis.

cur tanto furore arma in Romanos induerunt ? Fuere quoque in Trans Rhenana Germania decumatium agrorum cultores, nec tamen Alemanni. Dio præterea gentem Celticam vocat, quo nomine auctor ille Germanos complexus, notare solet : quales & ceteri auctores agnoscunt, primâ veràque origine Germanos, haud secus, quàm Francos; vel utriusque gentis nomen Germanico non Gallico sermone sonat. Hi illi Alemanni ad superioris Rheni ripam, qui primi ex Germanis in Rempublicam coalescentes, vexillum libertatis erexêre adversus Romanos, ne, ut Galli cæteræque nationes, in servitutem Romanorum venirent. Horum exemplo postea Franci ad inferioris Rheni ripam, populi videlicet inter Rhenum & Visurgim in societatem communis belli adversus Romanos consurrexerunt : dum postremum tam Alemanni, quàm Franci perrupto Rheni limite Imperium proferrent; tum vel maximè cùm jam Imperium Romanum per intestina dissidia & Cæsarum inertiam desciscèret. Atq; hi exinde Alemanni quibuscum Præsides Romani, educto Moguntia, Treviri, & Coloniâ exercitu, toties bella gesserunt. Repressi quidem à Caracallâ Præfecto, ut diximus, ne Rheni limitem transirent : at nullâ clade ita obtriti, quin Rempublicam suam intra suas sedes firmarent arctiùs, ac reges etiam suos modo in exitium, modo in auxilium Romanorum producerent. Nec Caracallæ arma in præsens Alemannos ultro pressêre : quando Cæsar ipse *moliens adversus Parthos expeditionem apud Edessam urbem, anno imperii sexto, per insidias militis* in secessu naturæ confossus interijt.

Eutropius.

An. Christi 220. Aurelius Heliogabalus Cæsar. *Dio. Lampridius. Herodianus Capitolinus.*

Subrogatus Caracallæ Aurelius Heliogabalus, Caracallæ filius ex stupro consobrinæ creditus, inquinamentum naturæ, ortu perinde ac vitâ novus Sardanapalus, patre fœdior & detestabilior, sed militum potentiâ, à quibus obtrusus erat, Romanis tolerandus, dum intra triennium imperij militari tumultu necaretur : nullo bono de Republ. meritus, nisi quod Alexandrum consobrinum Mammææ filium cognomento Severum, dixerit Cæsarem. Is mox ab exercitu & Senatu Augustus Salutatus, juvenis qui præclara indole, & omnium militarium virtutum aspectu Alexandrum Magnum Romano Imperio polliceri visus. In palatio justus, in castris severus, in prælio fortis, legum omnium in foro observantissimus, quas per Ulpianum & peritissimos jurisconsultos Reip. reddidit. Bella per se omnia gesit, eaque ardua in Oriente cum Persis, in Mauritania cum Afris. Sed hunc fortunæ cursum abrupit bellum Germanicum. Nam qui Germaniæ populi per socordiam superiorum Cæsarum Rhenum, Danubiumque transgressi Gallias incursavêre, ausi etiam Italiam affectare. Quo Audito Alexander validiore cum exercitu in Germaniam acceleravit; neque enim par cum Parthis ac Germanis bellum reputabat. Ubi concitatis itineribus ad Rhenum perven-

An. Christi 224. Alexander Severus Cæsar. *Lampridius. Herodianus.*

tum.

tum, castra haud procul Moguntiâ ad Rhenum locavit, ac Suevis, Cattis, Tencteris, Usipijs, ceterisque barbaris nationibus, quas una belli causâ consociârat, opposuit. Ponte deinde ex navibus fabricato exercitus Rheno transmissus est. Magna in eo erat Parthorum, Osrhœnorum & Maurorum multitudo, quod militiæ genus sagittis & levibus armis expeditum Alexander consulto delegerat, traxeratque secum in Germaniam ad vasta & tarda Germanorum corpora sternenda, & certum, ut rebatur, victoriæ usum. Decertatum primò velitationibus & congressibus sagittariorum; deinde collatis signis acerrimè pugnatum, dubio ferè utrimque prælij eventu: quibus Rex in barbaro ignotoque solo fatigatus, decrevit oratores ad Germanorum proceres mittere, qui pollicerentur omnia principem Romanum facturum, pecuniasque etiam magnâ copiâ daturum. Germani quod pecuniæ cupidi essent, & auro pacem mercari soliti, quam pro ingenio tam facilè rumperent, quàm mercarentur, Alexandri se arbitrio permittunt. Et Cæsari pacem fœdusque emere placuit, quàm periclitari ampliùs; fortè tum majus sibi à suis, quàm à Barbaris periculum imminere sensit. Nam cùm ad veterem militiæ disciplinam legiones per Galliam Germaniamque firmaret, pecuniamque Mammæa mater avidiùs colligeret, premeretque tenax mulier, quam filius inter milites spargeret, aversi ab Alexandro milites cœptavere seditionem, ruptâ simul in occasionem criminationemque, pace cum Germanis inita, quam tam fœdam sibi ac nomini Romano clamitabant, quàm turpiter empta esset. Fax auctorque seditionis Maximinus, homo gente Thrax, ex opilione adlectus in militem, vasto corpore, ingenio truci ac fallaci, qui per gradus militiæ emersérat, postremoque ab Alexandro ob bellicam fortitudinem Galliarum legionibus impositus erat: quibus elatus ipsum Imperium affectare ausus, idque in præsens Alexandro sublato militum studijs sibi certum pollicitus. Eò omnia Alexandri facta criminari apud milites, & in contemptum odiumque attrahere, multa de se jactare, plura militibus promittere. Quibus concitati milites, Alexandrum unà cum Mammæa matre per seditionem in tabernaculo apud Moguntiacum, loco cui Sicila nomen, contrucidant, anno ætatis XXVI. Imperij XIV. magno Senatus populique luctu, majori etiam Christianorum commiseratione, quos libere passus fuerat vivere; nec Christum modò & Abrahamum inter lararios Deos veneratus, receperat, sed & Christo templum dicare in animo habebat, ni deterritus fuisset ab Ulpiano urbis præfecto, Christianorum carnifice, ac ceteris jurisconsultis; ut genus illud hominum politicis artibus sæpe magis noxium est religioni, quàm tyranni ferro. Auditi enim tunc dicere: si Cæsaris auctoritate is honor Christianis accederet, fore ut omnes ad Christiano-

Alexandri bellum cum Germanis.

Herod. l. 6. Zosimus l. 1. Julius Capitolinus in Max. Eutropius. Aurelius Victor.

Cassiodorus in Chronico Eusebij Chronic.

Oros. lib. 7. stianorum sacra transirent, desertis ceteris in urbe Deorum templis. Hauserat Mammæa Christianæ religionis principia ab Origine celebri per id tempus Ecclesiæ doctore, Alexander à matre; eo tam propensus & beneficus in Christianos semper compertus.

Sunt qui putent D. Ursulam & socias hoc tempore occisas.

Tantam hoc Imperatore libertatem Christianæ religionis faciunt, ut sub finem imperij, dum in Germaniam descenderet cum exercitu, velint D. Ursulam cum XI. millium virginum cœtu ex Britanniâ solvisse, adversoque Rheno primùm Basileam, deinde pedestri itinere Romam contendisse: inde ab reditu Romano dum secundo rursum Rheno descenderent ad Coloniam Agrippinam, non ab Hunnis, sed à Maximini, de quo referemus, exercitu omnes illas virgines contrucidatas esse; unàque Episcopos, Patriarchas ac Sacerdotes, uti jam ante in Britannia, aut Romæ, aut in itinere se conjunxerant, in hanc martyrij societatem venisse. Hæc Vincentij Belluacensis, Antonini, Bebij, Gelenij sententia est, quibus postremùm accessit Crumbachius, à quo omnium exactissimè integro volumine hæc Ursulina historia pertractata est. Confici hanc sententiam maximè volunt traditâ majorum fide, Divorum quorundam testimonijs, quibus id à Deo indicatum; tum quòd Episcopos, qui in eâ societate memorantur, per id tempus vixisse compertum sit. Contrà alijs id arduum creditu visum, eâ tempestate tot millia virginum convenisse, iterque per mare in Rhenum, atque inde in Italiam suscepisse, redijsseque Coloniam per tot itinerum molestias & pericula, idque publicâ Christianæ religionis professione, cùm ubique Christiani clam ferè colerent religionem suam; neque ipse Cæsar Alexander & Mammæa mater eam publicè profiteri ausi fuerint: cùm alteram Rheni ripam obsiderent Barbari, & Gallia Germaniaque Romano exercitu plena esset, sævirentque palàm in Christianos Romanorum præsides tormentis & supplicijs. Inter hæc, quomodo pudori tot Virginum, ne dum vitæ consultum esse potuit? unde commeatus? Ubi hospitio quotidie? aut quis per id tempus scriptor id prodidit? Ob hæc & ejusmodi complura alij ad Christianorum Cæsarum tempora, cùm Christianorum religio per Imperium publica & libera esset, hanc virginum profectionem rejiciunt. ac quidam id ad annum Christi 383. revocant, contenduntque non à Maximino Tyranno cæsas virgines, sed Maximo Tyranno post cædem Gratiani per Gallias grassante, hæc ab Hunnis patrata esse, postquam nomen hujus barbaræ gentis audiri cœpit. Alij demum ad annum Christi 451. atque ad Attilæ Tyrannidem referunt, ut suis locis memorabitur. Res etsi per se indubitata, quam tot antiquitatum monumenta, & tradita majorum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

jorum fides perhibent ; cum ipsa tamen ratio temporum & narratio multum implexa : ac nihil propè difficilius, quàm certum martyrij tempus consignare : ut auctorum potiùs sententiam referre libeat, quàm quicquam certi præfinire.

Rapto per tyrannidem imperio, Maximinus ab exercitu Cæsar Salutatus. Augebat famam viri, novamque dignitatem Gigantæa corporis moles, jam passim Hercules, & Autæus Cyclops, & ob sævitiam etiam Busiris, & Chiron audiebat : homo cetera portenti instar, qui uno die XL. libras carnis voraret. Tales jam belluæ Romanis obtrudebantur Cæsares. Utque militi in præsens probaret fortitudinem suam, rupit mox omnia fœdera, quæ Alexander cum Germanis pepigerat, bellumque Germanis inferendum edicit. Eò ceteras legiones è Gallia evocat & pontem Rheno insternit, per quem exercitus in alteram ripam expositus. Secuta est ingens vis mortalium & barbarorum, Mauri, Osrhoëni, Armeni, Parthi, quos jam antè Alexander ex Oriente ad Rhenum perduxerat : & quantum ex scriptoribus conjectes, apud Ubios in eas Westfaliæ regiones traductus est exercitus, quæ silvis & paludibus infestæ fuêre. Germani cum ex fœdere securiùs pacem colerent, quàm in arma convenirent, obruti repentinâ Maximini irruptione, desertis vicis agrisque se in silvas & paludes abdunt, dum gentis consilio motuque cetero. rum in arma colligantur. Maximinus nullo palàm hoste reperto latè spolijs & incendijs grassatus, supra cccc. millia vicorum in barbarico solo exussit ; quo satis æstimes non tam incultas has regiones fuisse, quàm plerique tradiderunt. Nec segeti quæ maturuerat parcitum à flammis. Excîti hac Maximini sævitiâ Germani, armatos se offerunt, silvis contecti. Quo cognito Cæsar sagittarios Mauros Parthosque immittit ; sed pugna votis adversa, quòd inter implexos frondibus saltus cœcis cassisque ictibus pugnaretur, ac plures è Romanis, quàm Germanis sternerentur. Veritus deinde Maximinus abdita nemorum, & Vari insidias, exercitum ad planiora loca reduxit, conspicatusque aliud Germanorum agmen intra paludes signa inferri jubet. Hærebat miles tam paludum, quàm hostium incertus. Tum Maximinus specimen fortitudinis daturus, præfectus equo primus paludes intrat, & mox voragine haustus, quæ supra alvum merserat equum, præsens discrimen adijt. Evictus pudore miles, ne Cæsarem suum cœno hærentem desereret, confertim stagna ingreditur. Nec segnes Germani, quòd paludum gnari & natandi peritiâ valerent, hosti occurrunt, tela ingerunt, pugnam navali specie conserunt, nec desistunt, donec stagna cadaveribus oppleta,

An. Christi 237. Maximinus Cæsar. *Herod. l. 6. Capitolinus in Maxim. Zonaras tom. 2. Ann. Orosius l. 7. Vaillant tom. 1. Numism. pag. 143. & tom. 2. p. 137. Patinus in Thesauro Numism. pag. 134.* Maximini certamen cum Germanis.

pleta, & multâ utrimque cæde abruptum certamen. Germani per invia locorum in tutiora recepti. Maximinus reducto ad Rhenum exercitu, cum magnâ pecorum & captivorum multitudine in Pannoniam usque ad hiberna concessit. Superbas deinde literas ad senatum populumque Romanum scripsit, quas ex Julio Cordo recitat Capitolinus, supra cccc. millia vicorum abs se exusta, majoremque à se captivorum numerum trahi, quàm ut Roma capere possit; ac ni amnes & paludes, ac nemora obstitissent, ab Rheno usque ad Oceanum Germaniam debellari potuisse. Stolida jactantia, quasi in vastâ Germaniâ nulli bellicosi amplius viri ac populi, quam Romani ne quidem ævo illo perlustratam habebant. Agnoscit Capitolinus, multo jactantiùs hæc odio Alexandri scribi ab Herodiano, quàm verius. Tanta componentium hæc aut securitas, aut credulitas. Maximinus ab hac expeditione haud multum supra triennium superstes, ad Aquileiam, quam frustra oppugnabat, per seditionem militum unâ cum filio discerpitur, tabulasque, quas de Germanorum triumpho Romæ fixerat, tanquam inanium horum puderet, Senatus Romanus post mortem ejus tolli exurique jussit.

An. Christi 241. Gordianus Senior. & Junior Cæsares. *Capitolin. Zosimus. Aurelius Victor. Eutropius.* Gothi primùm Imperio fatales. *Carolus Patinus in Thesauro* Numism. pag. 125.

Nondum Maximinus interierat, cùm Gordianus Senior primùm in Africâ à militibus appellatus est Cæsar: Roma interìm intestinis seditionibus agitata ob Pupienum & Balbinum imperium ambientes: his verò interemptis, postremùm Gordianus sedecim annorum adolescens Cæsar acceptus. Prospera hujus Cæsaris initia consilijs Mesithei soceri, sapientissimi viri, cujus ductu Persæ in Italiam perrupturi trans Tigrim submoti. Sed mox acerbiora tempora excepêre Cæsarem Gothorum irruptione. Gens barbara, quæ tot exinde cladibus Imperio fatalis fuit, tum primùm innotuit. Quanquam Gordiani auspicijs, & fortitudine Romanorum militum feliciter repressa. Celebre Cæsaris hujus monumentum à militibus positum inscriptumque:

Divo Gordiano Victori Persarum,
Victori Gothorum, Victori Sarmatarum,
Depulsori Romanæ seditionis, Victori Germanorum.

At quæ illa adversus Germanos victoria? Ducum opinor, qui Rheni limiti custodiendo impositi erant. Eò tum omnia rcciderant, Rhenum si Imperij limitem conservarent, repulsis Germanis, satis ad Germanici nominis affectationem victoriamque reputatum Romanis. Abruptâ florentissimi Cæsaris vitâ in primo fortunæ cursu, occisus enim militari seditione, quam Philippus militiæ præfectus dolo accenderat, anno imperij VI. ætatis vigesimo: tam fluxa castrorum fides eâ tempestate, quâ Cæsarem fieri, mortis erat necessitatem adire.

Inde

Inde Philippus gente Arabs cum Philippo filio Collega imperium sortitus militum studio, quem Cassiodorus & Orosius primùm inter Cæsares Christianum appellant; quanquam id facta, & alij quidam scriptores abnuant. Zonaras certè benigno erga Christianos animo affectum perhibet: imò postquam bellum Persicum confecerat, vota in Ecclesiâ Christianorum cum ceteris exsolvisse, & ritu cæterorum peccata confessum fuisse, interque pœnitentes priusquam ad communionem admitteretur, constitisse. Is deinde intra quintum annum eodem fato exutus imperio. Miserat ille Decium legatum in rebelles Pannones, à quibus compositâ seditione imperator salutatus, versisque in Philippum armis, acie superat. Philippo Cæsari caput supra ordines dentium præcisum, filius Romæ trucidatus. ita Cæsarum capitibus lusum.

An. Christi 246. Philippus Cæsar. *Cassiodorus. Orosius l. 7. Zonaras. Baronius.*

Decius inde è Pannonum gente sævus & sceleratus successor sese in Imperium obtrusit, crudelitate inprimis & immani persecutione mortalibus invisus Cæsar. At quantum ille sævijt in insontes Christianos, tantum barbari furoris convertit in Imperium ultor Deus. Ipse demum à Gothis, Barbarisque prælio victus, cæsoque in conspectu filio, altero mox imperij anno in barbarico solo haustus paludum voragine, corpore nunquam postea reperto perijt. *Digno*, inquit Eutropius, *judicio damnatus, qui persecutionem in Christianos movens, Laurentium Levitam et Martyrem igne excoxit*: quod tamen historia Ecclesiastica ad Valerianum & Gallienum refert. Multo exinde atrocius procella exterarum gentium incubuit, Vibio Gallo, & Volusiano filio Cæsaribus. Uno nimirum fatali impetu Gothi, Pannones, Scythæ, Illyrij, Daci, Marcomanni, Germanique trans Rhenum populi perrupêre intra viscera Imperij. Tum primùm, ut Zosimus auctor est, non pacem mercari, sed & exteris quibusdam gentibus ut quiescerent, populus Romanus tributa pendere coactus.

An. Christi 253. Decius Cæsar. *Eutropius. Aurelius Victor. Zosimus l. 1 Eusebius l. 6. hist. Orosius l. 7.*

An. Christi 254. Gallus & Volusianus Cæsares. *Zosimus l. 1.*

Nec tamen omittebant Romani sævire in Christianos, litabantur victimæ martyrum cœlo, & simul Cæsarum, & cæsorum militum hostiæ consecrabantur orco.

LIBER

LIBER III.

VVESTFALIA FRANCICA.

Origo gentis, & lucta pro limite Rheni perrumpendo.

BElla hactenus, quæ prisci harum regionum populi intra Westfaliam gessêre cum Romanis, ab ipso rerum exordio perscripsimus; nunc instituta narratio nos ad Valerianum & Gallienum deduxit, quibus Imperatoribus Francorum nomen primùm auditum est, cognitumque ex eorum bellis. Gentes eædem, nomen aliud, quo pugnantes prosequimur; haud secus quàm Alemannorum nomen non ita pridem Antonino Caracalla Imperatore per arma inclarescere cœpit. Quâ in re utriusque populi cognata quædam nominis origo, ijsdemque ex causis eadem belli societas, tanquam ex nova inter ipsos conflata Republica. Enim verò quantâ contentione & bellorum mole Romani Cæsares ab Augusto ad hunc usque diem cum Germanis trans Rhenum populis decertarunt, quò subacti in provinciæ formam venirent, quemadmodum Gallos, Belgas, & citerioris Germaniæ populos in suas jam provincias descripserant: tantum Trans Rhenanæ gentes libertatis retinentissimæ, ceterisque longè bellicosiores extremum semper sunt obnixæ, ne in eandem populi Romani servitutem traherentur; toties victi, bella instaurârunt, toties victores speciosa libertatis suæ tropæa erexêre. Ac nullum potentius inter ipsos classicum, quàm vetus ab Arminio libertatis vox, qua ad arma convolârunt. Pòst, ubi animis disjuncti, & dissociati inter se viribus, totius gentis libertas in periculum adduci cœpta est, ne dum singuli pugnarent, vincerentur omnes. Ad hæc dum alij specie amicitiæ illecti à Romanis, alij etiam fœdere abstracti, quidam

dam auro argentoque corrupti avellerentur, simulque labente Romanorum Imperio per Cæsarum ignaviam, & dissidia principum, magna spes prædæ in solo Romano ostenderetur Germanis, trans Rhenum incolentibus, primùm ex his Alemanni in unum belli fœdus & societatem armorum, uti supra diximus, convenerunt. Quiq; prius sparsis gentium vocabulis Triboci, Nemetes, Vangiones, Suevi, Rauraci, Hermunduri, Sedusij, Marcomanni, ceterique inter Rhenum, Danubium ac Mœnum censebantur populi, ij tanquam singuli viri bellaces nomen Alemannorum sumpserunt, aut inditum ex virtute bellica & præclaris facinoribus acceperunt.

Horum exemplo provocatæ inferiores ad Rhenum gentes, Bructeri, Sicambri, Usipetes, Tencteri, Chamavi, Angrivarij, Dulgubini, Ansivarij, Marsi, Catti, Cheruſci, & quotquot inter Rhenum, Visurgim atque Albim censebantur Germani; tum quotquot trans Isalam & Vidrum, circa ostia Rheni, Amasis, & Visurgis ad Oceanum sternebantur populi, Frisij cumprimis, Chauci & Tubantes, in unam quoque belli societatem non tam pro tuendo quàm perrumpendo Rheni limite conspiraverunt. Hinc *Franci* nomen, quòd hominem gentemque liberam patria voce sonat, tanquam ab ipso libertatis signo & bellorum suorum classico sibi adoptârunt. Igitur ut Alemanni superiorem Rheni ripam, ita Franci mediam & inferiorem sibi propugnandam infestandamque sumpserunt. Ceterùm Franci nostri, quod ex scriptoribus satis est cognitum, in duo potissimùm genera distributi fuerunt. Qui ex his inter Rhenum & Visurgim incolebant, per Cattos ad Alemannorum fines porrecti, mediam Rheni ripam defendendam suscepêre, terrâ cumprimis bella gerendo; quos & Mediterraneos dicere *Francos* placuit: Quibus verò trans Isalam ad ostia Rheni, Amasis & Visurgis atque ad littora Oceani sedes fuerunt, *Salii* sunt appellati, ab Isalâ flumine, (ut pleriq; sentiunt) quòd is antiquitus *Sala* diceretur: ijdem & *littorales* ab alijs nominantur; eò & Zosimus Comes: *Saliorum natio, Francorum est portio.* Hi classibus & piraticâ mare & Galliæ oras unà cum Saxonibus & maritimis earum regionum populis infestas habuerunt; interceptâq; Bataviâ, in Belgicam secundam & Gallias sedes protulerunt. Quemadmodum Ammianus Marcellinus Francos in *Salios* & *Ansivarios* divisit, quæ partitio integra erit, si Salij nobis designent Frisios, Chaucos, & Transisalaniæ populos, & si Ansivariorum nomine Bructeri, Sicambri, Chamavi, ceterique mediterranei inter Rhenum, Visurgim, & Albim populi comprehendantur. Satis hæc esse poterant ad Francicæ gentis originem commonstrandam; verùm quia Westfalicæ gentis nostræ, Francorumque gloriæ interest, qui nobilissimum Franciæ regnum condiderunt: & tota hæc gentis origo, primaque exordia multis commentis multisque scriptorum controversijs sunt

Variæ de Francorum Origine Sententiæ.

τὸ Σαλίων ἔθνος Φράγκων ἀπόμοιρον.

involuta; operæ pretium erit, gentis originem, sedem, atque ipsum nomen aliquantò exactiùs exponere, & rem omnem, quantum fas erit, à fabulis & erroribus priùs vindicare: quando alij ex Mœotide palude & Trojanorum reliquijs, alij ex Pannoniâ, alij ex Franconiâ, atque ipsâ Alemanniâ inter Rhenum & Mœnum deducunt.

Primi, qui Francos nostros ex Sicambrorum & Trojanorum reliquijs arcessunt, in hunc fere modum comminiscuntur Francorum origines. Captâ, inquiunt, Trojâ, Sicambri, Antenore rege suo ac duce, Mœotides paludes, Pontumque Euxinum transgressi, in Pannoniam penetrârunt. Ubi dum ad Danubium considerent, Urbemq; ex nomine suo Sicambriam condunt, haud multò pòst à Gothis vexati, victique bello, post amissum in prælio Antenorem regem suum, Marcomirum filium ejus sibi regem subrogant; quo duce dum ex iis locis pulsis demigrant, legationem mittunt ad Saxones, (quos ex ijsdem gentibus fratres colebant) novas sedes petitum: quæ eis, ut Trithemius agnoscit, inter Rhenum & Visurgim concessæ sunt; sortitiq; sunt regionem, quam ab Oriente Visurgis, ab Occidente Rhenus, à Meridie Moguntia, ab Aquilone mare Germanicum claudat. Factum id volunt anno ante Christum ccccxxxiii. & mense quidem Aprili: adeò horum omnium certi sunt. At quot fabulas in hanc unam fabulam contexunt? Quæ unquam Sicambria ad Mœotidem paludem? Quæ Trojanorum inde Coloniæ ad Danubium, & inde inter Rhenum & Visurgim in Westfaliam nostram traductæ? aut quis Gothorum, Saxonum, & Moguntiæ nomen ante Christum audijt?

Interim artifices hujus fabulæ ab Antenore & Marcomiro longam & continentem quadraginta regum seriem ad Pharamundum contexunt, & singulos per sui regni annos consignant, quos inter *Francus* Rex Autharij filius, xvii. regum, à quo Sicambri primùm mutato nomine *Franci* sunt dicti. Et hunc Francum, quem alij Franconem appellant, anno ante Christum nono obijsse volunt. Itáne tam antiquum Francorum nomen ante Christum? quod anno demum post Christum cclvii. Valeriano & Gallieno imperatoribus audiri cœpit. Præterquam quòd ante Pharamundum, qui anno post Christum cccxx, primus Francorum Rex creatus est, nulli Francorum reges, sed duces tantummodo ac reguli, regalesque celebrent: quod & Sulpitius Alexander vetustus scriptor candidè est fassus, haud nescius à Panegyricis & scriptoribus, quibusdam Ascaricum & Radagisum, quos Constantinus M. captos supplicio affecit, Francorum reges appellari: quemadmodum & Genebon, Atech, Malarichus, Mellobaudus, Marcomirus, & Sunno ante Pharamundum regio nomine decorantur. Sed hi extra fabulosum hunc regum ordinem, ac serò tandem, Christianorum Cæsarum ævo, non

tam

tam reges, quàm militiæ duces fuêre. Nam primus, scriptorum consensu, Francorum Rex Pharamundus ; inde vera regum series. Unde ergo ab Antenore illa commentitia regum series, aut qui ejus fabulæ repertores ? Wastaldus nimirum & Hunibaldus nugaces rerum Francicarum scriptores, quorum octodecim libros Trithemius contraxit. Ex his illæ fabulosæ Francorum origines. Neque Trithemius modò, vir quamlibet eruditus, sed & multi Galli Germanique scriptores non incelebres, Aimoinus, Ado Viennensis, Otto Frisingensis, Æneas Sylvius, Wolfangus Lazius, Robertus Gaguinus, ipseque adeò Paulus Æmilius hanc fabulosam à Trojanis originem probavêre : quam tamen Gregorius Turonensis referre maluit, quàm asserere, fabulam subodoratus. Sed dudum hæc sententia inter canoras fabulas est explosa ; neque jam dignam censent amplius eruditi viri, cui refellendæ manum calamumve admoveas. Et mirére, quid Hunibaldum, Trithemium, ceterosque in has fabulas abduxerit ? nisi ut Francorum origines consecrarent, & magnâ nominis celebritate ad Heroës priscos referrent. Nimirum ut Romani suæ gentis exordia ad Æneam Trojanum, ita illi ad Antenorem Æneæ socium producunt : immemores simul utrumque proditorem patriæ & prædonem haberi ; quasique in Germaniâ similes Heroës cœlum & fata negassent : præterquam quòd Dares, Metrodorus, & Chrysostomus, alijque referant, nullum unquam bellum Trojanum fuisse. Quam ob rem & Plato Homeri libros ex eâ urbe, quam ipse bonis legibus formabat, proscribi voluit, quòd ex bello Trojano tot fictos deos & Heroës obtruderent, quos Troja nunquam agnoverat : Uti Minutius Felix hæc tradit, & ex ijs Serrarius, vir omnium antiquitatum studiosissimus. Accessit nominum quædam similitudo, novum fingendi invitamentum. Legerant videlicet Saxones à Sacis, Cimbros à Cimerijs, Misnios à Misis, Danos à Dacis, Frisios à Phrygibus traduci : quæ fabulandi licentia cùm per credulitatem reciperetur, Sicambros quoque harum regionum populos, quibuscum adoptivum Franci nomen primum invaluit, à Trojanorum Sicambris deduxerunt, tanquam Germani & prisci harum regionum populi indigenæ non essent ; quòd vel satis ex Tacito, ut suprà quoque à nobis relatum est, discere poterant ; aut gentis alicujus primordia sat decora, claraque non essent, nisi ab exteris nationibus, aut ex ultimo antiquitatum recessu cum Poëtis arcesserentur. Quemadmodum inter eos quidam ex hoc fabuloso somnio prolocutus:

Serrarius in Mogunt. rebus l. 1. c. 5. Proleg. 4. in Judith.

Principium Phrygibus dat cuncta vetustas.

Altera de origine Francorum opinatio ex ijsdem fabulis excocta, quæ Valentiniano primùm Imperatore, circa annum Christi CCCLVI. ex *Mœotide palude* ad Rhenum deducit Francos, tanquam ævo illo

primùm auditi cognitique sint. Quam in rem dicunt Francos jam dudum in Pannoniâ sedes habuisse, ac Romanis etiam tributarios fuisse; postquam autem eorum operâ Valentinianus usus est, eorumque armis Alanos, debellavit, tum, qui priùs Sicambri sunt dicti, Atticâ voce *Francos*, id est, Feroces esse appellatos; ideoq; etiam ab omni tributo in decennium esse exemptos; quòd cùm decennio evoluto rursum exigerent Romani, & Franci detrectarent, à Valentiniano atroci prælio esse fusos. At ne omni libertate exuerentur, è Pannoniâ emigrasse volunt, & Marcomiro & Sunnone ducibus in Germaniam perveniisse, ubi circa ostia Rheni fluminis sedes fixerint. Canoræ rursum nugæ. Jam supra centum annos Francorum nomen, Valeriano & Gallieno Imperatoribus, inter Rhenum & Visurgim inclaruerat, quos illi Valentiniano demum Imperatore introducunt in has regiones: Fabulæ interim origo, ut opinor, ex eo arrepta, quòd magna Francorum multitudo Mellobaudo duce per id tempus Valentiniano militarit in Pannoniâ, quorum virtute Quadi & Sarmatæ obtriti, & triumphus etiam ab Alanis reportatus fuit; ac fortè eo bello Marcomiri & Sunnonis nomen inclaruit. Hæc quantumvis absurda opinatio, auctores tamen habet Roricum Monachum, Aimoinum, multosque exinde Franciæ scriptores.

Tertia opinatio, quæ Francorum originem ex Franconia deducit, specie quidem illa, aspectuque aliquanto plausibilior, eóque etiam Crantzium, Genebrardum, Peucerum, Bodinum, Aventinum, Tillium, aliosque clari nominis scriptores traxit: sed vulgi magis persuasio, quàm ut fidem & locum apud eruditos reperire possit. Aut enim, qui ita sentiunt, Francos Sicambrosque ex Trojanorum reliquijs, atque ex Pannoniâ in Germaniam, & à Danubio ad Rhenum Mœnumve in Franconiam deducunt, & ad primas fabulas relabuntur, abeuntque simul à Trithemio & alijs harum fabularum patronis, qui intra Rhenum & Visurgim hanc adventitiam gentem collocant; aut nativam illis sedem in Franconiâ statuunt, indigenasque Franciæ Orientalis unà cum Alemannis censent, & omni scriptorum Romanorum Græcorumque antiquitati adversantur, à quibus primi ab origine Franci diversi ab Alemannis inter Rhenum inferiorem, Visurgim, atque Albim collocantur, porriguntur que trans Ifalam in Chaucos, Frisios, & maris accolas: quemadmodum id in totâ hac narratione commonstrabimus. Quâ in re, ut cetera hîc prætermittamus, fidus nobis præ omnibus Geographis est auctor D. Hieronymus, quòd Treviris, per bella Francica cum Romanis, Valentiniano Imperatore, sit versatus, & ad Rheni semibarbaras ripas accesserit, horumque locorum non minus, quàm populorum certus sit cognitor. Is in vitâ Hilarionis, ubi Candidum adolescentem, gente Francum, à Dæmone infestum liberatumque per D. Hilarionem

Lib. 2. contra Jovin.
Epist. 41. ad Chromat.
Epistol. ad Florent.
Hieron in vita D. Hilar.

tionem introducit, *Inter Saxones*, inquit, *et Alemannos gens eius non tam lata quàm valida, apud Historicos Germania, nunc verò Francia vocatur.* Jam verò cùm Alemanniæ termini scriptorum consensu Rheno, Danubio, ac Mœno circumscribantur, & Saxonum eâ tempestate sedes trans Albim ad Cimbricam chersonesum porrecta fuerit, satis constat, Franciam veterem medio illo inter Saxones & Alemannos spatio collocandam esse, Franconiamque, quæ Alemanniæ tum pars fuit, à priscis Francorum sedibus excludi. Quæ sanè eò confirmatiora sunt, quò certius est veterum scriptorum testimonijs, Francos Diocletiano Cæsare unà cum Saxonibus piraticâ infestasse mare, Galliæ & Armoricæ littora prædatorijs navibus obsedisse, Bataviam occupasse, ipsamque adeò Britanniam, Hispaniam, & Africam classibus suis divexasse. Quis verò Francones ex superiori Rheni Mœnive ripa in hanc maritimi belli societatem, & hæc maria ulla verisimilitudine introducit? aut quis unquam scriptor id prodidit? Francis vero Salijs & qui ab Isalâ maris littora, quique Rheni ac Visurgis ostia incolunt, hæc ab omnibus adscribuntur. Hinc ab extremis Germaniæ inferioris oris, atque *ex inviis* Westfaliæ & Frisiæ *paludibus, atque ab ultimis barbariæ littoribus propriisque ab origine sedibus*, Historici, Panegyrici, & Poëtæ eorum temporum, quos in narratione dabimus, Franciæ nationes deducunt; nemo ex Franconiâ arcessit Francos, cùm ne Franconiæ quidem nomen tum auditum fuerit inter Alemannos. Serò tandem cum Franciâ Orientali id nomen invaluit, ex quo provincia illa in Francorum potestatem concessit: quod vel Honorio Imperatore factum volunt, quando perrupto Rheni limite Franci unâ cum Vandalis, ac ceteris Barbaris Germaniam citeriorem invaserunt; vel, quod verisimilius est, Clodovei ævo, post victoriam ad Tolpiacum, cæsis Alemannis, quâ clade tributarij facti perhibentur, cessisseque in partem Francici Regni; vel, quod multò certius reputo, à Theodorico Clodovei filio Francorum Rege id nomen unà cum armis importatum est: quando ille circa annum 524. subacta Thuringia, eam desertam Alemanniæ regionem inter Mœnum & Nicrum novis Franciæ incolis impleviſse fertur. Ut vel inde in D. Kiliani vitâ Franconiæ regio *nova Francia* appelletur. Ab illis demum sæculis *Francia Orientalis*, & pars ejus *Franconia, Francofurtum, Frankendalium*, similiaque nomina à victoribus Francis invaluerunt. Hîc, ut ego me ad superiora reflectam, Franci à Valeriani & Gallieni ævo ad Pharamundum per ducentos annos continuò cum Romanis depugnârunt; toties cæsi, toties novis semper viribus reparata bella, ut ex æquo semper Marte decertârint. Et cui verisimile, ex unâ & angustâ Franconiæ regione inter Mœnum & Nicrum tantam belli molem tot annis adversus Romanos susceptam esse? tanquam ceteri inter Rhenum, Visurgim, & Albim populi

spectatores consederint, qui tamen paria semper cum Alemannis bella adversus Romanos gessisse memorantur.

At Sidonius Apollinaris ex panegyri Aviti Cæsaris nobis opponitur :

Adrianus Junius in Bat.

Bructerus Vluosâ, vel quem Nicer abluit undâ,
Prorumpit Francus.

Freherus in notis ad Ausonium

Ex quo confici volunt, Francos circa Nicrum habitasse. Omitto hunc versum aliter ab alijs recitari, & pro Nicro Visurgim reponi :

Bructerus Vluosa quem Wiseris abluit undâ.

Sed Nicrum retineamus, & Francum ex eo prorupisse : quid illud Aviti ævo incongruum ? cùm jam ante Honorio Imperatore, Rheni limitem perruperint Franci, latè exinde Germaniam superiorem percursando, occupandoque regiones : quod vel ipse Sidonius in eodem Panegyrico est fassus :

Francus Germanicum primum, Belgamque secundum,
Sternebat.

Non jam libet insipidas aliorum opinationes attexere, qui cum Alciato Francos è Scythia ; aut cum Turnebo ex Scandinaviâ, & à Firassis istic à Ptolomæo populis memoratis deducunt : tanquam hæc una populorum fuerit officina, & non multò fœcundior hæc Westfaliæ regio. Haud minus absoni scriptores, Volaterranus, Ritius, Connanus, Bodinus, Forcatulus, Genebrardus, qui Francos primâ origine Gallos tradunt. Id ut persuadeant, adducunt Agathiam auctorem, quòd is scribat, *Francorum natio Italiæ proxima est, et terminis juncta.* Id verè scripsit Agathias : sed de illo Francorum ævo, quo jam Galliam subegerant, nam continenter subjungit : *Veteres tamen hos esse Germanos dixerunt, quòd ubique ex eo satis liquet : nam circa Rhenum habitant, et propinquas incolunt terras, Galliarumque maximam possident partem, non propriam, sed per vim sibi assertam.* Hoc tamen scriptore innixus Genebrardus, scribere audet : *Francica natio Gallica et indigena est, non Germanica, non Trojana, non Scandica, non Sicambria.* Pari fraude Procopium obtrudunt, cùm tamen is auctor Francos nobis ex Germaniâ transRhenana sistat. *Franci*, inquit, *isti Germani quondam vocitabantur : quemadmodum verò id nomen à principio sortiti sint, et Gallias deinde invaserint, et Gothis simul sint hostes effecti explicaturus sum postea.* Rursus eodem libro de bello Gothico : *ubi Oceanus se in Rhenum immittit, paludes in his locis non paucæ : ubi antiquitus Germani, gens barbara habitabat, nec magni momenti tunc viri, qui nunc Franci vocantur.* Speciosiùs aliquantò Bussieres Francos ad originem Gallicam revocat : Quippe ut Bojos, qui antiquitus Bojohemum incoluerunt, Tacitus tradit esse Coloniam Gallorum, cum res eorum ad Rhenum

Connanus l. 2. com jur Civ.
Bodinus in meth. hist. c 9.
Forcatulus l 5. de Imp. Gene. lib 2. Chron.
Agath. l. 1.
Procop. l 1. de bello Goth.
Bussieres l. 1 tom. 1 Franc. hist.

præva-

prævalerent: ita ille populos, ex quibus Franci prodierunt, stirpem & originem Gallicam censet. Id quidem Tacitus de Boijs, uti & de Helvetijs asserit: verùm cùm Germanos *indigenas et gentem sui similem nullisque exterorum connubijs immixtam*, toties scribat, cur alterum ex Taciti fide recipiunt, alterum abnuunt? Quin si Taciti judicio stare velint Galli, reperient & intelligent ex Tacito, plerosque Belgicæ populos à Germanis trans Rhenum incolentibus origines trahere, quod lingua & mores commerciaq; antiquitus culta satis testantur; donec perrupto tandem Rheno Germani nostri, sumpto Francico nomine, depulsis Romanis, utramque Belgicam & omnem Galliam sui juris facerent. *Tacitus de mor. Germ.*

Illa igitur demum vera, ac recepta Scriptorum consensu sententia est, quæ Francos origine Germanos, & indigenas è Westfalia nostra educit, atque ex ijs gentibus in unam belli Societatem componit, quibus intra Rhenum, Visurgim & Albim antiquissimæ sedes fuerunt: tum qui trans Isalam regiones ad littora usque Oceani incoluerunt. Quemadmodum jam supra D. Hieronymus Franciam Veterem inter Alemannos & Saxones commonstravit, & Francos natione Germanos dixit. Neque una gens fuit, cui id *Franci* nomen est datum, ut imperitè Rhenanus sentit; sed multæ in ijs, quæ diximus, locis, Sicambri videlicet, Bructeri Majores & Minores, Angrivarij, Chamavi, Marsi, Usipetes, Tencteri, Chattuarij, Ansivarij, Catti, Cherusci, Frisij, Chauci, Tubantes, ijdemque populi, quibuscum hactenus Romanis bellum fuit, nisi quod sumpto in commune vocabulo *Franci* dehinc appellentur. Quod clarè primùm conficitur ex tabula itineraria, quæ circa annum 430 consignata est: in ea ab Rheni ostio ascendendo ad dexteram ripam leguntur hi populi: *Chauci, Ampsivarii, Cherusci, Chamavi, qui et Franci*; sequiturque in eadem ripa magnis literis scriptum FRANCIA. Subjecti & Bructeri inter Francos; ut jam ceteri quoque populi designentur *Franci*, quotquot ex adversa ripâ & conspectu Westfaliæ, Novesio, Coloniæ, Agrippinæ, Bonnæ, ceterisque Romanorum oppidis & Castellis in Rheno positis objacebant. Atq; ibi cùm vetus fuerit Francia, hinc Claudianus & Sidonius Apollinaris *Sigambros*, Sulpitius Alexander, Nazarius & Eumenius in panegyrico Constantini M. *Bructeros*, Claudianus *Chaucos et Cheruscos*, Sulpitius *Cattos*, Marcellinus *Ansivarios et Attuarios*, Panegyricus Constantini *Frisios* uno Francorum nomine comprehendunt, appellantque Francos omnes. Et quis unquam Scriptorum veterum hosce ab origine sua populos in Scythia, aut Pannonia, aut Franconia collocavit? aut alibi quàm inter Rhenum & Visurgim primas & priscas eorum sedes quæsivit? Repertus Tuitij ex adversa Agrippinæ ripâ lapis, detectusque à Ruperto ejus loci Abbate, viro famâ sanctitatis & doctrinæ celebri, cui inscriptum erat:

Statuitur vera. Francorum origo.

erat: *Divitiense munimentum in terra Francorum ab Imp. Flav. Val. Constantino.* Quam lapidis inscriptionem in Constantino M. integram dabimus. Hanc ob causam pons ille celebris à Constantino M. Rheno impositus ad traducendos exercitus in Franciam. Extat aureus quoque Constantini M. nummus apud Spanhemium, virum ætate nostra eruditum, qui exhibet ex una parte Constantinum, ex altera tropæum & jacentem mulierem, consuetum debellatæ provinciæ Symbolum, hac inscriptione: *Gaudium Romanorum*; infra, *Francia*, legitur, quam Constantinus M. tot expeditionibus ingressus. Ita prorsus Ammianus Marcellinus de Juliani expeditione in Ansivarios, *Rheno transmisso, regionem subito invasit Francorum*; perinde ut de alia ejus expeditione trans Rhenum suscepta dixerat: *petit primò omnium Francos, quos consuetudo salios appellavit.* Ipse Julianus de se in oratione: *Sequebantur pro jure consanguinitatis auxiliares, promptissimi Franci et Saxones, gentium, quæ trans Rhenum et ad mare habitant, bellicosissimæ, et civitas universa, et Francia Rheno adiacens.* Hæc nimirum illa trans Rhenum Francia, ex qua *Genobaldus, Marcomirus, ac Sunno Francorum Duces Germaniam citeriorem irrupêre*, quemadmodum id Gregorius Turonensis descripsit, *Agrippinensi etiam Coloniæ metu incusso.* Ad hos vindicandos Nannius & Quintinus Romanorum duces exciti, & *Quintinus cum exercitu circa Novesium Rhenum transgressus* in Francos movit, clademque insignem accepit à Francis. Hanc denuo ulturus Arbogastes, rigente hyeme, Coloniæ Agrippinæ Rhenum cum exercitu transit ad interiores Franciæ recessus penetrandos, ubi Bructeris, Chamavis, Ampsivarijs & Chattis Franciæ gentibus cladem intulit. Eò & Sidonius Apollinaris flumina Francorum descripsit Vahalim, Vidrum, Visurgim & Albim.

Differt. 8. de Nummis.

Lib. 20.

Lib. 17.

Spanhem. Dissert. 8. de Nummis.

Lib. 2.

Ad hunc modum si quis à Valeriano & Gallieno Imperatoribus, sub quibus Francicum nomen primùm inclaruit, ad Pharamundum usque omnes per Rhenum Francorum irruptiones, omniaque Romanorum bella cum hac gente pervolverit, non alibi is Franciam veterem reperiet, quàm in Westfaliâ & Ostfaliâ, vicinisque trans Isalam ad maris sinus locis; quemadmodum nos hanc rerum Francicarum narrationem, Francorumque sedes deducimus ex Trebellio Pollione, Vopisco, Aurelio Victore, Eutropio, Amniano Marcellino, Orosio, Zosimo, Agathia, Procopio, Prospero, Cassiodoro, D. Hieronymo, Paulo Diacono, Sulpitio Alexandro, Gregorio Turonensi: tum ex Panegyricis ac Poëtis, ceterisque mediæ ætatis illius scriptoribus. Authi omnes nos fallent, aut fallentur, qui extra Westfaliam Franciam veterem nobis monstrant. Quos sanè auctores si perlegissent illi, qui Francorum origines ac sedes tot fabulis inspersas tradiderunt, nunquam tam diversi à nobis in tot commenta abijssent: fateturq; Cluverius, nunquam ab aliquo de his integrum judicium pronunciari

ciari posse, nisi qui integre hosce auctores pervolverit. Id cum nobiscum nostra ætate præstiterint viri eruditi, & historiarum antiquitatumque studiosi, vera ac vetus Francia non alibi exploratior, quàm in Westfalia agnoscitur; secus quàm hactenus fabulosi & nugaces scriptores tradidêre. Ac ne meo unius judicio innixus, abductusq; gentis studio videri possim, adest magnus testium numerus, interque hos cumprimis (a) Nuenarius Comes, (b) Albinus, (c) Rhenanus, (d) Althamerus, (e) Reineccius, (f) Hotomannus, (g) Hadrianus, (h) Miræus, (i) Cluverius, (k) Rivius, (l) Pontanus, (m) Browerus, (n) Chytræus, (o) Gelenius, (p) Horrion, (q) Turckius, (r) Crumbachius, (s) Spanhemius, (t) Conringius. E quibus nonnulli quidem Westfaliam nominatim non exprimunt, in ea tamen regione veterem Franciam collocant, quæ nunc Westfaliæ finibus inscribitur. Ipse adeo Trithemius, etsi Francos ex Trojanis fabulose arcessat, sedem tamen, quam ex migratione consecuti sint, Westfaliam agnoscit: recito auctoris verba: *Certum est*, inquit, *quod primas Sicambri receperint sedes, ubi nunc sunt Geldrenses, Westfali, Monasterienses*, Ipsam deinde Regionem Francorum, quæ Westfalia est, suis terminis inscribit inter Rhenum & Visurgim, porrectis etiam Francorum sedibus trans Isalam ad Oceani littora.

(a) *Præfat. in Egin.* (b) *In Sax.* (c) *lib. de Germ.* (d) *in Tac.* (e) *de orig. Saxon.* (f) *in Francogal.* (g) *in Batav.* (h) *in Chronic.* (i) *lib. 3. de ant. Ger.* (k) *decad 5. lib. 5.* (l) *de orig. Fran.* (m) *in Antiq. Trevir. ad an. 388.* (n) *in Prolegom.* (o) *in Sacr. Colon.* (p) *in Paneg. Paderb.* (q) *in Instruct. an.* (r) *in hist. Ursul. lib. 2.* (s) *dissert. 8. de Nummis.* (t) *de origin juris Germ.*

Galli Belgæque scriptores, quanquam plerique Francorum originem aut dissimulent, aut aliò detorqueant, qui tamen ex ijs veterum monumenta diligentiùs pervestigârunt, cæteris jam à nobis adductis accedunt. * Ex his Petavius, vir sæculi nostri lumen in omni doctrinarum genere: *Vera mihi*, inquit, *videtur illorum opinio, qui non unius populi nomen hoc initio putant fuisse, sed plurium, qui in idem conspirantibus animis Romanorum ab jugo se vindicârunt, Francique à libertate sunt dicti.* Hos deinde Bructeros, Chamavos, Ansivarios, Chattos, Usipios, Tenctheros, qui ambo Sicambrorum nomine contineantur, Frisios, Dulgibinos, Angrivarios nominat; qui ipsimet ejus regionis sunt populi, quæ pòst Westfalia est dicta. Latiùs post hæc Francorum nomen fundit ad Albim usque & per Thuringiam. Neque abnui potest, Cheruscos quoque, ut Arminio olim principe fecerant, in hanc societatem belli, & libertatis defensionem adversus Romanos veniisse. Nemo ferè planiùs ac veriùs, quam Bucherius Belga in eruditâ disceptatione historicâ: *Francorum origo*, ait ille, *non ex Franconiâ, ut vulgò scribunt, requirenda est, sed ex eo terræ tractu, qui modò ducatu Montensi, Westfalia, Transisalania, finitimisque regionibus continetur.* Explicatiùs hæc in Belgio suo Romano prosecutus, Franciam veterem inter memoratos à nobis priscos Westfaliæ populos commonstrat, finesque Francorum ab Oceano ad Lonam fluvium, & Alemannorum terminos exporrigit.

* *Petavius in Rationario l. 6. c. 13. de orig. Franc.*

Bucherius in Discept. hist. idem lib. 8. c. 13. Belgij Rom.

Addo tertium Galliæ scriptorem Hadrianum Valesium, qui ex insti-

Valesius in

præf. ad stud. lector.

institutio cæteris omnibus exactiùs res Francorum à primâ origine perscripsit: *Francorum*, inquit ille, *regio ab Oriente Thoringiam et Saxoniam, hoc est, Albim flumen, aut (ut quibusdam placet) Visurgim; ab Occidente Rhenum et Gallias; à Septemtrione Oceanum Germanicum vel Septemtrionalem; à Meridie Alamanniam habebat et Sueviam, multosque populos continebat; è quibus Rhenum accolebant Attuarij, Bructeri, et Chamavi, ad ostium flaminis positi, ac Salij. Oceani littora tenebant Frisij et Chauci; Interiora terrarum habitabant Ampsivarij, Catti, aliique omnes in unum Franci vocati, et nonnunquam Sicambri, propterea quod agrum veterum Sicambrorum possidebant*, & quam hic aliam Francorum sedem nobis designat Valesius, quam Westfaliam ipsam, haud secùs, quàm ceteri omnes fecerunt?

Bollandus ad 1. Feb. in vita D. Sigeberti.

At hîc se nobis opponit Bollandus. Scribit is commentario in vitam D. Sigeberti Francorum Regis, omnes eos populos, qui infra Bononiam Gallicam incolunt, Menapios videlicet, Ambivaritos ac Caninefates, ad Scaldim Mosamque amnes; tum omnes quotquot nunc Flandri, & Brabanti dicuntur populi, ad Frisiorum usq; Confinia, Francorum nomine ac gente comprehendi, quòd id ex maritimis eorum expeditionibus & ex tabulâ Itineraria Antonini & Peutingeri, & ex idiomate Teutonico satis constare possit. Sed hic auctor toti veterum scriptorum auctoritati obluctatur, à quibus Franci omnes, sive Salij illi sint, sive Ansivarij, sive aliarum gentium nomine cogniti, omnes trans Rhenani populi asseruntur, ut id jam supra à nobis indicatum, & tota exinde narratio aperiet; falliturque ex eo Bollandus, quòd cum Franci maritimi unà cum Saxonibus Bataviam vicinasq; ad Scaldim & Mosam regiones atque ipsas etiam Galliæ maritimas oras aliquando occupârint, continuò istic ab origine incolas & indigenas nobis obtrudat. Vel ideò à Constantio Chloro, ceterisque Romanorum ducibus ijs ex locis expulsi sunt, quòd intra Romani Imperij limites & Belgicæ provincias ausi sint sedes per arma capere: tum vel maximè, cùm piraticâ & classibus prævalerent. Quanquam nunquam ijs ex sedibus integre ita ejecti, quin Francorum Coloniæ istic permanserint, qui deinde Armoricis se conjunxerint, & Romanis etiam sese pòst in fidem & militiæ usum dederint. Tabulam Itinerariam si inspicias, suprà à nobis relatam, Francos illa in Westfalia trans Rhenum collocat. In Antonini tabula, ad quam appellat, viæ tantum militares describuntur, non Imperij limites: extra quos tamen omnes nativam Franciam reponunt... Et quis unquam Belgas per id tempus amicos & socios populi Romani inter barbaros numeravit? quo in genere nationum Romani Græcique scriptores Francos toties recensent, eorumq; inter Germanos regionem ipsam Barbariam compellant.

Genebr. l. 2.

At nemo inter Gallicos scriptores absurdiùs, quàm Genebrardus,

dus, celebris inter suos scriptor: ausus est ille scribere, non videri credibile Francorum reges à Pharamundo, prædonum duce, & generosam illam nobilitatem Francicam à tam impuro sanguine, & à tam vili & abjectâ gente horum, de quibus egimus, barbarorum populorum origines suas trahere. Itane mi Genebrarde indecorus ille Germanorum sanguis, & tam vilis abjectaque Germana trans Rhenum gens? Quæ postquam à C. Julio Cæsare & Augusto tot Romanorum Cæsarum armis & importatis exercitibus oppugnata, nunquam sese in provinciæ formam redigi passa est, ac ne unicum quidem hoc Germaniæ interioris propugnaculum inter Rhenum & Visurgim, in quo nos veterem Franciam vobis commonstramus, expugnare potuit? Animum potius Genebrardus reflectat ad Galliam suam, quæ per id tempus iners, imbellis, & luxu dissoluta intra quinquennium septenniumvè à C. Julio Cæsare subacta, depressaq; exinde in servitutem Romanam jacuit: donec tandem Francorum nostrorum armis, & aliena Germanorum manu in libertatem aliquam erigi cœpit. Inde nomen illud vestrum, partumque Francicum regnum, quod antiquis Westfaliæ populis debetur. Fortes olim Milesij eratis, cùm res vestræ ad Rhenum prævalerent; pòst à Romanis omni Rheni ripâ exuti, amissaque Galliâ, Romanorum tributarij & servi vixistis; imò tam misera erat Gallia vestra per id tempus, quemadmodum Orosius ceteriquè tradunt, *ut invenirentur apud vos, qui mallent inter Barbaros libertatem, quàm inter Romanos tributariam sollicitudinem.* Nempe hoc illud Salviani est, de calamitoso hoc vestro statu: *Malunt sub specie captivitatis vivere liberi, quàm sub specie libertatis vivere captivi: malunt inter Barbaros pati cultum dissimilem, quàm in Romanis justitiam sævientem. Et miramur si non vincantur à partibus nostris Gothi aut Franci?* Nondum Franci nostri Rhenum superârant, luctabanturque adhuc cum Romanis de limite hoc transcendendo, cnm Nazarius liberâ voce prolocutus est ad Constantinum M. de Francis ac Germanis nostris: *Per se ipsa potens natio et post Romanam magnitudinem in terris secunda.* Quid de ullo orbis gente dici glorioſius poterat? Et Genebrardum pudet ad hanc nationem originem Francicam referre, cùm ceteros Gallos non pudeat ad Trojanos, ad Scytas ex Mœotide palude, & ad sordidas illas gentes referre? Libanius Orator & Juliani Imperatoris ævi scriptor Francos Martiam gentem celebrat, quæ inter omnes barbaros bellicosissima censebatur. Ita enim in Oratione de laudibus Constantij & Constantis AUGG. in qua *Francos* sentit *multitudine innumerabiles, haud paulò tamen, quàm pro multitudine validiores, non mare magis, quàm continentem timere, frigus septentrionale cœli temperie gratius, otium, calamitatem maximam, quietem, languorem ducere; contrà summam sibi felicitatem in bello positam existimare.* Agathias verò *gentem validam et hostibus inexpugnabilem et latè finitimis imperantem* scribit,

Chron. ad t. saculum.

Liban. in orat. de laud Constantij. & Constantis Augg.

Agath. l. 1.

scribit; *quæ cùm plurima bellis acquisierit, nihil tamen suorum amittat.* Sanè verò quàm invicta hactenus gens stetit inter Rhenum & Visurgim adversus Romanos Cæsares, tam glorioſum ejus nomen inter omnes Germaniæ nationes. Postquam Francicum nomen sumpsit, & perrupto demum Rheni limite Pharamundus primùm regnum inter nos condidit (quod ceteri exinde reges mirificè auxêre, dum Carolus M. ad fastigium adduceret) omnes Franci gente & origine trans Rhenani fuêre. Verùm à Pharamundo, quem prædonem vocat, primordia Regni cœpisse non sibi persuadet Genebrardus. Quid hoc insolens? cùm sub idem tempus Gothi, Vandali, Alani, Suevi, Marcomanni, Alemanni, Burgundiones, ceterique barbari totum propè Occidentis Imperium raperent, discerperent, & assertis sibi per arma provincijs in Italiâ, Galliâ, Hispaniâ, Africâ, singuli sibi reges ac principes crearent. Spectarentne hæc otiosè tum Franci Germanorum bellicosissimi? Enim verò quid sunt magna regna, nisi magna spolia, imò, *quid remotâ sunt justitiâ*, uti D. Augustinus dixit, *nisi magna latrocinia*? Eò tum Gallia reciderat per Romanorum Præsidum sævitiam, & præfectorum avaritiam. Inde omnia eundem pene ortum habent. *Vetus quippe bellandi causa semper profunda regnandi cupiditas fuit, aut prædandi libido.* Ita tum se res habebant. Nempe ab excessu Honorij Cæsaris Imperium Occidentis cesserat in spolium: à Valentiniani successoris morte excidium spectabatur. Quis hìc arcana Dei consilia & confatalia regnorum scrutetur? ut non rectiùs sentiat, voluisse Deum per Barbaros hosce castigare Christianorum flagitia, & ipsos Barbaros Christianam religionem discere inter Christianos. Ex his primi ferè memorantur Francorum reges cum Francicâ gente suâ, quorum religionem, mores, & virtutem bellicam mirificè rursus inter ceteros dilaudavit Agathias eorum temporum scriptor. Verba ejus adscribam: *Sunt quippe hi Franci Christiani, et rectissimæ inter ceteros omnes sunt opinionis. Habent præterea per civitates Antistites et Sacerdotes; festos insuper haud secus ac ipsi nos peragunt dies. Et sanè hi mihi, etsi cetera barbari, moribus tamen videntur quàm optimis præditi, et maximum in modum civiles, nec quicquam quod à nobis faciat alienos, præter vestitus barbariem, et vocis innatæ sonum linguæque. Quos equidem cum ob eorum virtutes, tum ob æquitatem in ceteros, et concordiam inter se, mirum in modum, admiratione et laudibus prosequor, ac magni semper æstimo.* Prætermitto hìc aliorum scriptorum judicia, cùm id Agathiæ judicium ad refellendum Genebrardum satis esse possit: ex quo nemo non recognoscit, & Francos fuisse aliam à Gallis gentem, & præclaris etiam naturæ ornamentis virtutibusque præditos, ut Francicæ hujus originis pudere non debeat Gallos. Ac cetera si deessent, satis etiam mores, leges, & lingua barbara, à Gallis distinguunt Francos, per quos parti regni Francici gloriam habent. Quando nihil explora-

Aug. de civit Dei l. 4. c. 4.

Agath. l. 1.

ploratiùs certiusque habetur apud omnes scriptores, quàm hoc triplici genere aliam ab aliâ gente discerni. Vestitus ac mores Francorum non alij fuère, quàm priscorum Germanorum, quales Tacitus describit; leges quoque diversas habuisse à Gallis, satis lex Salica & Ripuaria revincit; lingua quæ ab ortu Francici Regni barbara inter eos fuit, haud alia etiam, quàm Germanis inferiorum harum regionum nativa, retentaque constanter post Caroli M. etiam tempora: qua deinde Carolus M. ventis, mensibus ac diebus sua nomina imposuit. Hac etiamnum possidemus, orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum fidei, Decalogum, innumeraq; vocabula priscis legibus & libris consignata. Præclarum ejus rei monumentum liber Evangeliorum ab Otfrido Monacho, Ludovici Pij ævo versus, & in rhythmos prisco Germanorum idiomate compositus: & quid Theotisca illa lingua, quâ Carolus Caluus Rex Franciæ pactus fidem juvavit Ludovico fratri, & Regi Germaniæ, cùm Ludovicus rustica Romana, seu corrupta vestra Gallica lingua juraret. Utrumq; Regem populus secutus; utraque lingua Sacramentum fidei dixit: quemadmodum hoc juramentum annales Francorum à Pitheo editi referunt.

Universim rem comprehendam, si cum eruditis viris dixero Franciam triplicem esse, quarum alia vetus Francia inter Rhenum & Visurgim Albimque, procreatrix illa omnium Francorum, qui deinde Rhenum transgressi novum illic regnum condidêre. Alia, hinc Gallicana, quam Franci in solo Romano victricibus armis cis Rhenum sui juris fecerunt. Alia nova & Germanica Orientalis, quam victis Alemannis porrexêre per superiorem Germaniam; ejus pars Franconia, quæ sola ex ceteris provincijs debellatis nomen retinuit à victoribus Francis, adjecta simul Hassia & Thuringia ad Austrasiæ & Orientalis Franciæ Regnum.

Quæ Francici nominis origo.

Supereſt Francici nominis origo, & sub eo nomine communis belli societas. Procopius eam dare pollicitus: *Franci*, inquit, *isti Germani quondam vocitabantur, quemadmodum verò à principio id nomen sint sortiti, et Gallias invaserint, mox exploraturus sum.* Verùm immemor promissi, ac veluti epoto mandragoræ poculo, nihil de origine nominis præstitit. Credo ignorantiâ Germanicæ linguæ, à quâ id nomen inditum docebimus, nihil certi Græco homini proferre licuit. Ac primùm satis jam constat, non à Franco aut Francone eorum Rege, quem commentitium diximus, id nomen genti adhærere potuisse. Hic igitur Francicorum annalium scriptores quidam in alia commenta versi scribere audent, Francos primùm à Valentiniano Imp. Attico vocabulo quasi ferreos feroceſque homines appellatos esse: sed hæc fabula jam suprâ à nobis detecta. Et quæ Attica vox Francum notat? At Libanius Sophista tanquam cer- In Basilic. 138.

tiùs hac super re aliquid allaturus, haud minus absurdè: *Gens est Celtica*, inquit, *trans Rhenum fluvium ad ipsum Oceanum pertingens, adeo bene vallata ad casus bellicos, ut appellationem ab ipsis rebus gestis nacti dicantur* Francti, tanquam vallati septiq; *à multis autem vocentur* Franci, *corrupto nempe ex errore plurium nomine.* Auctorem interim probo, quod Francos trans Rhenum collocet ad Oceanum usque perfusos, quæ ipsa est Francia vetus, cetera ipse finxit ex Græcâ linguâ & verbo φράττω, quod sepire & munire sonat; tanquam Germanis ex eo nomen inditum sit, quod nemo tum Germanorum Francorumque somniare poterat. Alij Francum quasi φάρεγκον, hoc est hastigerum dictum censent, quos non minus rideas. Quid enim ævo illo Germanis commune cum Græcis, ut ab ijs gentis suæ nomina emendicarent? Invenias qui Francos à Franceſca, quod teste Turonensi & Isidoro hastæ militaris genus apud eos erat, nomen induisse dicant: perinde ut Saxones à Sacis, Saxisve, oblongis videlicet cultris, quibus pugnabant, dicti creduntur. Ut jam ijdem sint Franci à Franceſcâ, quos Æthicus Franciscanos recenset inter Occidentales gentes. Levis conjecturâ, quæ locum non recipit: cùm Taciti ævo Germani etiam Frameis suis & ejusmodi bipennibus usi sint, nec tamen nomen ullum ex his armis adhæserit. Wendelinus Francos Germanos à feritate morum, nec Atticâ, sed Attuaticâ voce Wrange, quæ asperum & trucem hominem sonat, dictos esse censet. At cur ceteris etiam Germanis, quibus eadem morum feritas fuit, id nomen non est communicatum? Sunt qui ab liberis Ansis aut Hansis, quâ voce proceres notabantur, Francorum nomen procudunt; perinde ut alij à liberis Anckis, quod est, liberis famulis, proferunt. Ita hi scriptores cum nomine haud secus quàm ceteri cum ipsâ gente oberrant. Illa demum communior veriorque sententia, quæ nomen Francicum à generosâ gentis libertate capit: Francon enim priscum inter Germanos vocabulum hominem liberum sonat, eademque vis nomini hodiedum subjecta est. Igitur ut Alemannorum nomen sub idem fere tempus ab ipsis populis ex populari linguâ; ita Francicum adoptatum, postquam gens utraque in eandem belli societatem adversus Romanos conspiravit; fallunturque hic ij, qui Francicum nomen altius repetunt, tanquam Ciceronis ævo invaluerit, propterea quod ille Francones memoret epistola ad Atticum. At Vangiones istic legendos censet Rhenanus, quos inter Betasios & Atuas Germaniæ populos percenset. Alij Frangones hominum non gentis nomina intelligunt; locus obscurus aut corruptus, ex quo nihil certi confici potest. Imò, inquiunt, Virgilius inter Æneæ socios Francum memorat:

Frye Ansi. Had. Jun. Frye Anckon Hotomannus Reineccius.

Lib. 14. Epist. 10. Rhenanus. Manut. in Com. Cluv. l. 3. c. 20. Pontanus l. 2 orig. c. 4. Virg. lib. 1. Æneid.

Jam validam Ilionei navem, jam fortis Achatæ,
Et quâ vectus Abas, et quâ grandævus Aletes,
Et quâ trux Francus, magnusque Magantius heros,
Vicit hyems.

Non

Non Francicæ gentis, sed fictum hominis ex ingenio Poëtæ nomen, haud secus quàm Magantij, à quo Moguntiacum urbem conditam comminiscuntur. Explosit hæc dudum Serrarius in Moguntinis annalibus. Similes eorum sunt nugæ, qui Brencos apud Strabonem, quos Horatius Brennos dixit, Alpium accolas nobis interpretantur Francos. Primi enim qui Francicæ gentis meminêre Trebellius, Pollio, & Aurelius Victor in Gallieno Cæsare. Mox inde Vopiscus in Aureliano ceterique scriptores. Hæc paucis de Francicæ gentis origine ac nomine; hæc de regione, quam non aliam, quàm Westfaliam nostram esse constat, prælibare placuit: ne quid alienum ab instituto, aut per inanem gentis nostræ affectationem scribere videamur. Nunc quod certissimum probandi genus est, ad rem ipsam atq; ad res à Francis præclarè gestas & à nobis enarrandas provocamus; ex quibus nemo opinor, cui integrum incorruptumq; est judicium, alibi veterem Franciam quàm apud nos requiret. *Ubi à latere Galliarum* trans inferioris Rheni ripas intra nemorum recessus atque invia paludum infesta Romanis Francorum barbaries à Panegyricis & Scriptoribus monstratur.

Serrarius l. 1. c. 5.

Horat. l. 4. ode. 14.

Inde jam mihi initium gentis Franciæ à Valeriano & Gallieno Imperatoribus erit. Ac Valerianus anno Christi * CCLVI. ætate grandis, quòd jam LXX. vitæ annum ageret, moribus severus, militia clarus, & per omnes dignitatum gradus provectus tanquam communi orbis suffragio Imperator salutatus est. Verùm juratus Christianorum hostis: *Nam mox ut arripuit imperium*, inquit Orosius, *Octavus à Nerone, adigi per tormenta Christianos ad Idololatriam, abnegantesque interfici jussit, fuso per omnem Romani regni latitudinem Sanctorum sanguine.* Quà laniena haud multò post Sixtus Romanus Pontifex, Cyprianus, alijque Sanctissimi Viri gladio percussi, & Laurentius diro ignium cruciatu absumptus est. Verùm ut ceteros tyrannos, ita Valerianum mox ultrix Dei manus consecuta est; ac præter frequentes terræ motus, præterque pestem, quæ latè Italiam Imperiumque depasta est, undique barbaræ gentes in Imperium infusæ; quemadmodum id ab Orosio traditur. *Solvuntur repentè undique permissu Dei ad hoc circumpositæ relictæque gentes, laxatisque habenis in omnes Romanorum fines invehuntur. Germani Alpibus, Rhetia, totaque Italia penetrata Ravennam usque perveniunt: Alemanni Gallias pervagantes etiam in Italiam transeunt: Græcia, Macedonia, Pontus, Asia Gothorum inundatione deletur. Dacia trans Danubium in perpetuum abrumpitur. Quadi et Sarmatæ Pannonias depopulantur, Germani ulteriores,* Franci nimirum ad inferiorem Rheni ripam duplici exciti armatique exercitu terrestri & navali Gallias invadunt. Altero Rheni limitem perrumpunt; altero Galliæ littora infestando, penetrandoque in Hispaniam, id regnum in potestatem redigunt, ut post in Gallieno referam. Præerat eâ tempestate

An. Christi. 256. Valerian⁹ Cæsar.

Valerian⁹ Christianorum persecutor.

* CCLIV. *Trebellius Pollio. Eutropius. Aurel. Vict. Orosius l. 7. Trebell. Pollio in Gall.*

Per varias gentiũ rebelliones punitur.

Vopiscus in Aureliano. Rheni limiti custodiendo à Valeriano Cæsare impositus Aurelianus, quem postea Roma imperatorem habuit, Tribunus sextæ legionis Gallicanæ, versabaturque Moguntiæ tanquam in præcipuo post Agrippinam Rheni propugnaculo. Ac postquam Franci Rhenum transgressi, per totam vagabantur Galliam, ut Flavius Vopiscus memorat, Aurelianus contractis Romanorum copijs in eos invectus, ita afflixit, ut trecentos ex his captos, septingentis interemptis, sub coronâ vendiderit. Hujus victoriæ adversus irruentes Francos, licet haud adeò magnæ, tanta tamen Romæ fama terrorque increbuit, ut Valerianus Cæsar Aurelianum *Restitutorem Galliarum* compellârit. Ac mirum quantâ lætitiâ & triumpho hæc Romæ excepta, palàm etiam pueris puellisq; inter choreas per compita decantantibus, *Mille Francos, mille Sarmatas semel occidimus; mille, mille Persas quærimus.* Tum verò primùm Francorum nomen auditum, quantum ex annalium memoria constat: quanquam in Chronico Alexandrino ante biennium Decio imperatore proditum inveniatur. Militasse præterea sub id tempus in exercitu Romano ipsos Francos, Germanosve, satis ex Epistolâ Valeriani ad Aurelianum constat, qua inter cetera scribit: *Habes legionem tertiam fœlicem, et equites catafractos octingentos, tecum erit Hariomundus, Haldegastes, Hildomundus, Carioviscus.* Quid hæc nomina aliud sonant, quàm Francos, ex Romanâ militiâ duces? At non illa Aureliani tribuni victoriâ ita vel obtriti, vel repressi hi Germani Franci, quin haud multò pòst Alemanni superiorem Rheni ripam transgressi proruperint in Gallias & Rhætiam, Franci verò perrupto inferioris Rheni limite in Germaniam inferiorem & Belgicam se effuderint, latè spolijs & impunè cædibus grassando: quòd eâ tempestate ceteræ quoq; barbarorum nationes intra Imperij fines immissæ omnia conturbarent. Enim vero hac irruptione Augusta Trevirorum, & Mediomatricum Urbs occupatæ vastatæq; extremam calamitatem subierunt; quam Aventinus & Browerus Alemannis: alij verisimilius Francis attribuunt; quòd illi in superiorem Galliam effusi, hi intra Rhenum & Mosellam eam Galliæ partem sibi deprædandam sumpserint: uti id ab Orosio supra satis indicatum est. Inde Franci totam Galliam ad Pyrenæum usque pervagati, omnia spolijs & terrore nominis sui compleverunt. Nec minor clades à navali exercitu, qui ex Frisijs, Chaucis, & finitimis ad Ostia Amasis & Rheni populis collectus, apparatáque classe littora Galliæ prætervectus in Hispaniam penetravit, regnumque illud obtritis Romanis maximam partem in duodecimum annum insedit. *Extant adhuc,* inquit Orosius, *per diversas provincias in magnarum urbium ruinis parvæ ac pauperes ædes, signa miseriarum et nominum indicia servantes: ex quibus nos quoque in Hispaniâ Tarraconem nostram ad consolationem miseriæ recen-*

Vaillant. tom. 1. Numism. p. 173.

Flav. Vopiscus in Aur.

Pont. l. 4 c. 2. de Orig. Franc.

recentis ostendimus. Pervulgata hæc apud ceteros scriptores Francorum irruptio. Nazarius in Panegyrico: *Franci cùm ad bella efferverescerent, ultra ipsum Oceanum æstu furoris evecti, Hispaniarum etiam oras armis infestas habuerunt.* Planiùs de his Aurelius Victor: *Tum Alemannorum vis Italiam: Francorum gentes, direptâ Galliâ, Hispaniam possederunt, vastato et penè direpto Tarracone oppido; nactisque in tempore navigiis pars in Africam usque permeavit.* Sensit ex his Valesius Francos terrestri itinere penetrasse in Hispaniam; quæ tamen navali Francorum expeditioni potius ex Nazario adscripseris. Utcunque pervaserint, calamitosa magis, quàm celebris hæc Francorum irruptio fuit, ex quâ Francorum nomen primò inclarescere, & Romanis formidabile esse cœpit: quemadmodum hæc ab Eutropio, Eusebio, & Hieronymo quoque consignata sunt.

Nazario in Paneg.

Aurelius Victor in Gall.

Eusseb. l. 1. hist.

Valerianus his Barbarorum incursionibus circumventus, experientissimos belli duces singulis provincijs imposuit, ex quibus postea Imperium triginta Tyrannos habuit Gallieno Cæsare: interque hos Posthumium Galliæ præsidem, Virum bello & militari disciplina acrem, quem in hunc modum epistola ad Germaniæ & Galliæ proceres scripta, commendat: *Trans Rhenani limitis ducem et Galliæ præsidem Posthumium fecimus, Virum dignissimum severitate Gallorum, quo præsente non miles in castris, non jura in foro, non in tribunalibus lites, non in curia dignitas pereat, qui unicuique proprium ac suum conservet. Virum quem ego præ cæteris stupeo, et qui locum Principis mereatur jure; quod si me fefellerit opinio, quam de illo habeo, sciatis nusquam gentium reperiri, qui possit vobis penitus probari.* Cœpit is Francorum irruptiones reprimere, Galliam purgare, Rheni limitem firmare præsidijs. Verùm invalescentibus undique Barbaris, quantum ubique obstrueret Valerianus, tantùm velut aggere rupto inundantes Barbari intra Imperium prorumpebant: quibus fatorum malis compulsus, Imperium cum Gallieno filio partiri consultum habuit. Ipse Orientem sibi adversus Scythas Gothos, & Persas tutandum sumpsit: filio, ut à Zosimo scribitur, *Europæos exercitus tradit, cohortatus, ut copiis, quàm maximis posset, occurrentes undique barbaros fortiter oppugnaret: cumque ex his Germanos,* (Alemannos videlicet ac Francos populos) *cæteris infestiores didicisset, qui accolas Rheni et Gallicas nationes maximè divexarent, hanc Galliæ partem sibi propugnandam delegit. Ad ceteros barbaros continendos, qui Italiam, Illyricum et Græciam percursabant, duces eorum locorum exercitibus imposuit, bellumque fortiter gerere jussit.* Inde ad Rheni limitem defendendum progressus est, ducto secum filio, quem Zosimus Gallienum juniorem, Zonaras alijque Salonium appellant, adolescentem solerti ingenio & eximiâ corporis specie, eóque à patre successorem Imperij designatum.

Trebell. Pollio in Posthumio.

Zosimus l. 1.

Zonaras in Gall.

Gallienus in Germanos movet, nullo eventu.

Majori motu ac strepitu id bellum suscepit Gallienus adversus Germa-

Zosimus l. 1. Germanos, quàm eventu; nec aliud egit, quàm ut modò transitu Rheni prohiberet, modò transgressos rejiceret. Ad ultimum, cùm ingenti multitudine Germanorum obrueretur, copijs Romanis impar, & in angustum contractus, necesse habuit, cum Germaniæ gentis principe fœdus inire. Ejus auxilio & patrocinio coërciti Germani, ne tam licenter Rhenum transirent. Attalus is putatur fuisse Marcomannorum Rex, cujus filiam Pipam uxoris aut concubinæ loco apud se habuit, abjectâ * Saloniâ. Multum hujus Principis auctoritas & potentia valuit ad retinendos Francos & Alemannos, ne transito, ut consueverant, Rheno, Gallias irrumperent. Cæsar statim pertæsus tam molesti intricatique belli cum Germanis suscepti, in Italiam se ad otium & delicias retulit, cum superbo Germanici Maximi titulo, quo nihil minus meritus erat, homo ignavus ac imbellis: excusisq; nummis, in quorum altero latere adscriptum: *Victoria Germanica*; tanquam si Romanus Cæsar Rhenum semel inspexisset, rem triumpho dignam secum Romam referre posset. Summa interim rei gerendæ relicta penes Posthumum armorum ducem, & * Salonium filium, quem Præsidem Galliarum fecit, addito Sylvano, moderatore juventutis ac præfecto militiæ. Sedem capere jussus Salonius Coloniæ Agrippinæ ad Rhenum, quam *Urbem maximam* vocat Zosimus, haud alio magis opportuno consilio, quàm ut ex eâ Urbe oppositos ex adversâ ripâ Francos contineret.

* Salonina. *Vaillant. tom. 1. Numis. p. 177.*

Vaillant T. 2. p. 171. *al. Salonium. *Numism. vetera apud Vaillant T. 1. pag. 178.*

Valerianus per hæc, dum in Oriente bella gerit adversus Persas, proditus à Macrino præfecto, doloque circumventus, in manus Saporis Persarum Regis venit, anno imperij sui sexto, vulgatum fortunæ & divinæ ultionis spectaculum; jussus enim catenatus Cæsar, quoties Rex equum conscenderet, curvatos humeros scabelli in vicem præbere. Ad ultimum detracta cute fœdè laniatus, ac sale conditus, vivens formam hominis exuit, qui tot Christianis per immania supplicia vitam detraxerat. Nec Gallienus filius unquam de redimendo patre sollicitus; quòd captivum ac mortuum leniùs ferret, quàm inspectatorem monitoremque vitæ suæ: attamen Gallienus patris fato monitus sævitiam remisit, pacemque Christianis reddidit. Non inde tamen expiata patris scelera, aut remissa in Romanos vindicta, quòd barbaræ gentes non cessarent convellere Imperium. Dacia, quam Trajanus Imperio adjecerat, perpetuùm amissâ. Græcia à Scythis occupata, ipsæque Athenæ direptæ. Quâ in urbe cùm omnes libros in unum acervum congestos concremare parant, intervenit barbarus quidam ex ipsis, vir sapiens, ut Zonaras refert, & salubri consilio, *intermittite* inquit, *hunc librorum rogum; nam Græci dum libris et studijs vacant, arma, quibus nos vincunt, et militiam negligunt.* Simul per id tempus Macedonia, Pontus, Asia à Gothis; Pannonia à Sarmatis Quadisque populata; Mesopotamia à Parthis subacta; Syria

Valerianꝰ Imp. captus ignominiosè à Persis habetur. *Aurelius Victor.*

tenta-

tentata; Hispania à Francis infessâ; Gallia à Francis & Alemannis vastata; Rhenus perpetuis eorundem populorum incursionibus turbatus. Sed his longè pernicioſius malum inteſtina rebellio: nam ex ducibus militiæ, quos Valerianus provincijs impoſuerat, triginta tyranni consurrexêre, quemadmodum singulos Trebellius Pollio descripsit: tot eâ tempestate principes ac Cæsares, quot provinciæ; tot regna quot regiones: visa tum Respubl. Romana fatorum inclinatione omnibus prope membris suis truncata. Unus Odenatus Cæsari fidus, defensâ Syriâ, & receptâ Mesopotamiâ, Orientem est tutatus. Inter raptores Imperij Posthumus Galliæ Belgicæ præses obscuro loco natus, sed bonus, ut diximus, militiâ, ipsam Galliam affectare cœpit, levi provocatus injuria. Enim verò dum Rheni limitem, uti Zosimus hæc refert, adversus Germanos, quos *Francos* intelligit, fortiter tuetur, perrupêre inobservati Franci trans Rhenani, ut Zonaras appellat, Germaniæ populi: qui dum prædis onusti in sedes suas sese trans Rhenum recipiunt, aggreditur eos Posthumus, cæditq;, prædâ omni inter milites divisâ. Quam dum Sylvanus, (Zonaras Albanum, vocat) Salonij moderator ad se deferri poscceret, indignati ob id Posthumi milites, facta seditione Posthumum extollunt: quorum ille favore confirmatus, copias contrahit, & ad mœnia Agrippinæ ducit: incinctâ Urbe, extrema præsidiarijs & civibus minatur, ni Sylvanum cum Salonio Gallieni filio sibi tradant: quibus illi territi imperata faciunt, simulque Cæsaris filium cum præfecto ad Posthumum educunt; quos ille confestim trucidari jussit. His sublatis, exercitus & omnis Galliarum populus Posthumum Cæsarem consalutat. Sumpta Coloniæ Agrippinæ purpura (quòd in eâ urbe domicilium & sedes præsidum Cæsarumque esset) Posthumus inde Germaniæ Galliæque imperium adijt, magno, ut Orosius memorat, Reipubl. bono. Quippe qui summâ moderatione & ingenti virtute Alemannos & Francos è Galliâ ejecit; vastatas conturbatasq; provincias in pristinum statum restituit; trans Rhenum in solo barbarico multa castella & munitiones partim erexit, partim instauravit ad continendos Francos, ne per Rhenum se palabundi inferrent in Gallias. Inter hæc Gallienus tanquam somno excussus, ut subinde medius inter virtutes & vitia agitabatur, Româ cum exercitu Bizantium profectus, urbem tumultuantem citius, quàm speraverat, deditione recipit. Nec aliud memorabile illic perpetratum, quàm quòd præsidiarios milites coronâ circumdatos contra datam fidem, trucidari jusserit. Inde quasi magnum belli facinus edidisset, rapido cursu Romam convolavit ad triumphum, quam magnificentissimè apparari mandavit. Ducti in hunc Gothi, Sarmatæ, Persæ, Franci duceni singulis globis catenati: hostes quos nunquam aut viderat, aut viderat, Caligulæ & Domitiani ludificatione. Pòst ubi Salonij

Trebell. Poll. lib. de triginta tyr. Variæ in Imperio rebelliones.

Zosimus l. 1.

Zonar. T. 2. in Valerian.

Orosius l. 7. Posthumus à gallis Cæsar dicitur.

Vaill. tom. 1. Numism. pag. 182.

lonij filij necem accepit, in Gallias cum exercitu properat, iram & minas spirando. Nec segnior Posthumus filium Posthumum & Victorinum virum fortissimum consortes Imperij adsciscit: simul, ut Trebellius Pollio perhibet, Germanorum & Francorum populos icto fœdere accersit: quibus instructus obviam Gallieno cum valido exercitu procedit. Concursum utrimque magnis animis atq; iris in prælium; quo tamen Posthumus victus, fugatusque. Ac propè erat ut caperetur, ni Aureoli Gallieni ducis indulgentiâ elabi permissus fuisset: tanquam tunc etiam inter Aureolum & Posthumum convenisset de partiendo Occidentis Imperio. Haud tamen clade hac Posthumus abjecit animum: copias instaurat, & munitissimo quodam Galliæ oppido se includit. Eò insecutus Gallienus, oppidum victore exercitu incingit, oppugnatque. Quo in opere sagitta in humerum Gallieni percussa, cùm dolorem vulneris ferret impatientiùs, & simul Græciæ tumultus revocaret, solutâ obsidione in Italiam se recepit ad otium & libidines. Ita Posthumo, etsi per multa dehinc prælia, confirmatum imperium, quod per septem annos præclarâ cum laude gessit novus ille Galliarum Cæsar: nam recepta fere Hispania è manibus Francorum, depulsisque ijsdem Francis & Alemannis trans Rhenum majestatem Imperio occidentali reddidit: Gallieno nihil contra Posthumum obmoventè; cui satis fuit claustra Alpium per Aureolum ducem tueri, ne Posthumus Italiam invaderet. Quin ad hujusmodi clades ridere solitus, tanquam Respubl. Romana sine lino Ægypti & Galliarum Sagis tuta esse non posset: ipse delicijs urbicis & libidine immersus cuncta fluctuare involvique ruinis sivit, omnium propè curarum, præter amores mulierum, expers.

Posthumi Cæsaris nex.

Sed & Posthumus sua fata expertus. Quippe dum severitatem disciplinæ non ferrent in Posthumo Galli, Lolliano Præfecto se addixêre in fidem. Is concitis, quæ ad Rhenum sunt, præsidijs, Moguntiacum sibi sedem belli deligit. Eò Posthumus advolat, cumque urbis obsidioni assideret, & miles direptionem urbis in pretium laboris poscceret, idque ille recusaret, per seditionem perfidè obtruncatur. Vulgatâ Posthumi cæde, Germani Francique castella, quæ in solo barbarico Posthumus extruxerat, diripiunt incenduntque. Mox & veteres in Galliam irruptiones repetitæ. Universim de hoc rerum statu pronunciat Trebellius: *Ni Germani, dum pestem suam Gallienum ferret Respubl. per Posthumum, Lollianum, et Victorinum repressi fuissent, libereque, ut Persis et Gothis, transito Rheni limite, irrumpere licuisset, brevi Romanum Imperium finem suum habiturum fuisse.* Quam in rem multi proferuntur nummi passim reperti, signatique Posthumi Cæsaris effigie, in quibus aut *Galliarum restitutor*, aut *Germanicus Maximus* adscribitur. Valesius binos Posthumi nummos

Trebellius in Lolliano.

Trebellius.

produ-

producit Herculi Deusonienſi & Maguſano inſcriptos; alterâ parte Poſthumus clavam tenet, altera fanum Deuſonem. Valeſius Tuitium interpretatur Agrippinæ objectum, quod Poſthumus id Caſtellum præſidio firmârat adverſus Francos: Maguſam verò Enchuſam Bataviæ oppidum, tum à Francis receptum: quanquam ſint, qui Deuſonem velint Doisburgum ad Iſalam, alij verò Duisburgum ad Ruram deſignent. At qua nunc Tuitium voce exprimunt populares, Deuſo hoc nomine veriſimiliùs indicatur.

Brouv. in ann Trev. Chifletius in vind: Hiſp. c. 9. Voburgius. Deutz Tuitium.

Interempto Poſthumo, Lollianus delatum à Gallis imperium ſuſcepit: vir quidem fortis, ſed quòd per rebellionem militum Cæſar dictus, ſeu quòd nimio labore urgeret ſuos, dolo Victorini cecidit.

Diverſi à nece Poſthumi creati Cæſares.

Victorinus inde quod jam ante à Poſthumo Cæſar appellatus eſſet, Galliarum & Hiſpaniarum imperium adijt: Sed nec ille ultra biennium Cæſar, ab Actuario, cujus uxori ſtuprum intulerat, interficitur. Vir ſi libidinem excipias, omnibus Imperatorijs ornamentis clarus, cujus opere & virtute bellicâ Poſthumus Francos perdomuerat continueratque, ne trans Rhenum ſe in Gallias immitterent. Inter has Cæſarum neces demum & ipſe Gallienus Imperator, dum Aureolum ducem ac tyrannum bello perſequitur, apud Mediolanum cum Valeriano fratre obtruncatus. Imperavit annos omnino xv. homo nullius frugi, niſi quod Chriſtianis parceret. Per id tempus duæ mulieres Zenobia in Oriente, & Victorina celebris illa caſtrorum mater in Gallijs imperium arripuêre: tanquam viris exprobarent imbelles & diſcordes animos.

Eutropius. Trebellius.

Gallieno ſublato, ac poſt eum Aureolo duce, alter ducum Flavius Claudius primùm ab exercitu, dein à Senatu appellatus Cæſar, gente Dalmata, decus Flaviæ familiæ. Quippe ex Criſpi fratris filia Conſtantius Cæſar, Conſtantini Magni pater. Turbatiſſimum is is nactus Imperium, barbarorum irruptionibus. Sed bellicâ ejus fortitudine cccxx. millia Gothorum, Celtarum, ac barbarorum cæſa; tantâ ſtrage, ut ſingulis Romanorum militibus tres Gothorum mulieres obvenerint in prædam. Exinde Germaniam ingreſſus ad locum Bonnacum ducenta Alemannorum millia prælio fudit. Cœpit tum Respublica Romana reſpirare. Rhenum tamen non eſt tranſgreſſus, peſte, quæ per exercitum Romanum graſſabatur, intra triennium imperij extinctus.

An. Chriſti 269. Claudius Cæſar. *Trebellius in Claudio.*

Eutropius in Claudio. Aurelius Victor. Zoſimus l. 1. Baron ad ann. 269. & 270.

Ab exceſſu Claudij legionum conſenſu delectus Imperator Aurelianus, gente Dacus, & obſcurâ natalium origine: At eò virtute bellicâ & ſeveritate diſciplinæ clarior. Teſtantur id leges, quas militibus præſcripſit: *Si vis tribunus eſſe, imo ſi vis vivere, manum militum contine; nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat, ſegetem nullus deterat: de prædâ hoſtis, non de lachrimis provincia-*

An. Chriſti 271. Aurelianus Cæſar.

Vopiſcus in Aureliano. Zoſimus l. 1. Eutropius. Aurelius Victor.

Tertull. in Apolog. *vincialium vivat miles: stipendium in baltheo, non in popina habeat.* Quanquam modum severitatis sit prætergressus: sævus enim & truculentus tam in cives militesque, quàm in Christianos, quorum tunc tantus erat numerus Tertulliano scriptore, ut senatus, forum & palatium refertum esset Christianis. Sed Romanis necessarius magis quàm bonus: ideo Pædagogum senatus dixêre, quemadmodum Vopiscus scripsit; eâ tempestate quà tam domi foriſque soluta erat Reipubl. disciplina. Post Gothos irrupêre in Gallias Marcomanni, Suevi, Germanique & Mediolanum usque penetrando, ingentem urbi Romanæ trepidationem injecêre. Cæsar relictâ Pannoniâ in Italiam advolat, neque ausus prælio congredi, rogat libros Sibyllinos inspici: quod extremum remedium erat periclitante Republ. Cunctati patres in Senatu, quod serò fatalia justa consuli dicerent. Indignatus Cæsar exprobrat, *quasi in Christianorum Ecclesiâ, non in templo Deorum tractaretur.* Consultis libris Cæsar in bellum procedit adversus Marcomannos. At dum cœco impetu fertur, Marcomanni, qui in silvas se abdiderant, sub vesperum improvisè irruunt in Romanos, tantâque clade sternunt, ut ea Imperium solvi crederetur. Pòst mutato fortunæ cursu, Alemanni victi ab Aureliano Cæsare, axactique Italiâ. Tetricus interea Galliæ præfectus, ac ibi hactenus Cæsar, Francos, ceterosque Germanos cohibebat, ne per Rhenum infunderentur in Gallias. Inde Aurelianus Orientem victorijs pervagatus redijt cum captivâ Zenobiâ reginâ ad triumphum: in quem præter Orientales populos Gothi, Alani, Franci, Suevi, Wandali, Germani, omnes religatis manibus præcessêre triumphalem currum. Ductæ & decem mulieres, quæ virili habitu inter Gothos pugnârant, simul Zenobia gemmis fulgida, & catenis aureis vincta, ac Tetricus, qui Aureliano se ultro dederat. Sanè Aurelianus etsi orbe propè victo Rempubl. restituerit; Daciam tamen deseruit à Trajano in provinciam redactam, nec trans Rhenum unquam arma promovit. Germanicus interim, uti Gothicus mox Cæsar appellari voluit, à citeriore videlicet Germania pacata, confossus demum anno 7. imperij à Mnesteo secretorum scribâ, in Thraciâ occubuit. Cæsar inter bonos malosque medius. Tam enim pauci adhuc hactenus boni Cæsares, ut quidam tunc non inscitè dixerit: *Omnes bonos Cæsares in uno annulo describi, depingique posse.* Atque utinam non multa etiam Christianorum regna regesque hoc judicium nunc comprehendat!

Aureliani felices in Oriente bellici progressus.

Vopiscus in Tacito.

Sublato Aureliano aliquamdiu interregnum inter discrepantes patres in Senatu. Posteaquam verò plurimorum literis relatum fuit Germanos transisse Rheni limitem, & in Galliam hostilibus armis perrupisse, acceleravit eâ res electionem Taciti Cæsaris. Incredibili is Senatus populique Romani lætitiâ Salutatus Cæsar: interque cetera acclamatum: *Quis melius quàm literatus imperat!* Vir senex ac

An. Christi 278. Tacitus Cæsar.

studijs

studijs magis quàm bellicis artibus instructus, eò & Cornelium Tacitum scriptorem historiæ augustæ, quem parentem suum dicebat, in omnibus bibliothecis collocari jussit. Sed Taciti & Floriani fratris non ultra annum principatus fuit; deluserantq aruspices populum Romanum, qui stativis eorum fulmine dejectis vaticinati, ex eorum familia prodituros principes, qui Persas, Francos, & Alemannos in Romanas leges adacturi essent, tam formidabile tunc inter ceteras gentes Francorum nomen.

An. Christi 279. Probus Cæsar. *Vopiscus in Probo. Eutropius. Aurelius Victor. Cassiodorus. Zosimus l. 1.*

Probus exinde Cæsar subrogatus, gente Pannonius, ac summis imperatoribus exæquandus. Quippe qui imberbis adhuc à Valeriano tribunus militum, inde per ceteros militiæ gradus, & res præclarè gestas ad Cæsaris dignitatem est provectus. Quapropter acclamitatum illi in Senatu: *Tu Francicus, tu Gothicus, tu Sarmaticus, tu Parthicus.* Nam eas gentes imperio formidabiles jam dux militiæ debellârat. *Testes enim*, inquit Vopiscus, *Marmaridæ in Africa, testes Franci inviis strati paludibus, testes Germani et Alemanni, longè à Rheni submoti littoribus.* Videns quàm intento hic digito auctor originem & sedem Francorum designat? Et ubi? nisi trans Rhenum in Westfalia inter Germanos populos. Sanè Zosimus, dum Probi Cæsaris bella adversus Francos memorat, ea ad Rhenum gesta in adversâ ripâ, ac patrio solo, barbaros hosce Francos castra sua metatos refert, atque inde provocatos ad pugnam ultrò Rhenum transisse. Id bellum in hunc modum recitat Flavius Vopiscus: Postquam Cæsar renunciatus est Probus, *cum exercitu movit in Gallias, quæ omnes occiso Posthumo turbatæ fuerant, et interfecto Aureliano à Germanis possessæ: tanta autem prælia istic feliciter gessit, ut à barbaris sexaginta per Gallias nobilissimas receperit civitates; et cùm jam in nostrâ ripâ, imo per omnes Gallias securè vagarentur, cæsis ferè quadringentis millibus, qui Romanum occupaverant solum, reliquias ultra Nigrum fluvium et Albam removit. Tantum ab his prædæ barbaricæ tulit, quantum ipsi Romanis abstulerant. Contrà urbes Romanas et castra in barbarico solo posuit, et in his milites collocavit, agros et horrea, et domos, et annonam trans Rhenanis omnibus fecit: nec cessatum est unquam pugnari, cùm ad eum quotidie barbarorum capita deferrentur. Ad singula capita singuli aurei numerati, donec reguli ex diversis gentibus venirent, et supplices ad Cæsaris pedes jacerent, cui illi primùm obsides, ut imperatum erat dedêre, deinde frumentum, vaccæ, et oves tributi in modum exactæ.* Postremò vetitum multò severius, ne gladijs uterentur, quòd Francis perinde ut Saxonibus usitatum erat armorum genus, longis cultris pugnare: si non & ipsos Saxones his bellis conjungat, quorum nomen haud multo pòst auditum Diocletiano Cæsare invaluit. Cogitabat & Probus Cæsar hoc felici bellorum successu Germaniam trans Rhenanam, & cumprimis hanc veterem inter Visurgim & Rhenum Franciam in provinciæ formam redigere, quòd dicere

Internecinum Francis bellum à Probo Cæsare illatum.

ret ferocem hanc gentem nunquam quieturam, *nisi si limes Romanus proferretur, et tota Germania fieret provincia*: quò nondum Cæsarum quisquam ab Augusto rem produxerat. Sed & Probus infectum opus intra vota reliquit, contentus in præsens bello vindicasse injurias, castella & præsidia ad refrenandam indomitam gentem imposuisse, itâque attrivisse, ne facilè ad arma resurgerent. Quam in rem *sedecim millia tyronum accepit, quos omnes per diversas provincias sparsit, ita ut numeris cohortibusve ac limitaneis militibus quinquagenos et sexagenos intersereret*, miscereturque Romanæ militiæ. Ingens hæc supra ceteras clades fuit, quâ tamen hæc regio & officina illa populorum non ita est exhausta, quin brevi innumera bellicosorum hominum multitudine resurgeret in arma. Hoc illud Probi Cæsaris bellum Westfaliæ prope internecinum, quod præter Flavium Vopiscum Aurelius Victor, Orosius, ac ceteri scriptores celebrârunt. De quo nemo tamen magnificentius quàm ipse Probus Cæsar epistola ad senatum Romanum: *Ago*, inquit, *Diis immortalibus gratias P.C. Subacta est omnis quâ latè tenditur Germania. Novem reges gentium diversarum ad meos pedes, imo ad vestros supplices stratique jacuerunt: omnes jam barbari vobis arant, vobis jam serviunt, et contra interiores gentes militant. Supplicationes igitur vestro more decernite: nam et quadraginta millia hostium cæsa sunt, et sedecim millia armatorum nobis oblata; et septuaginta urbes nobilissimæ captivitate hostium vindicatæ, et omnes penitus Galliæ liberatæ. Coronas quas mihi obtulerunt omnes Galliæ civitates aureas vestræ P.C. clementiæ dedicavi. Præda omnis recepta est, capta etiam alia et quidem major, quàm fuerit antè direpta. Arantur rura Gallicana barbaris bobus, et juga Germanica captiva præbent nostris colla cultoribus. Pascuntur ad nostram alimoniam gentium pecora diversarum, frumento barbarico plena sunt horrea. Quid plura? illis sola relinquimus, soli nos eorum omnia possidemus. Volueramus P.C. Germaniæ novum Præsidem facere, sed hoc ad pleniora vota distulimus, quod quidem credimus conferre, cùm divinâ providentia nostros uberiùs fœcundarit exercitus.*

Flav. Vopis. Aurelius Victor in Probo. Orosius l. 7. Vopiscus in Probo.

Ob hæc bella quæ Probus partim dux, partim Cæsar tam præclarè gessit, *Francici* primùm cognomento Cæsaris est dictus: ideo illi in Senatu Romano acclamatum *Tu Francicus, Tu Gothicus, Tu Sarmaticus, Tu Parthicus: testes Marmaridæ in Africæ solo victi, testes Franci inviis strati paludibus, testes Germani et Alemanni, longè à Rheni submoti littoribus.* Quam Flavij Vopisci narrationem si quis consuluerit, intelliget is non modò Galliam purgasse, quàm latissimè septuaginta civitatibus occupatis insederant Franci, cùm nullæ tum urbes trans Rhenum fuerint, sed & transito Rheno domuisse Alemannos, & Francos in suis sedibus obtrivisse, ultraque Visurgim & Albim usque projecisse. Nam quem Vopiscus *Nigrum* fluvium conjungit cum *Alba*,

Niger fluvius quis.

quis

quis ille alius quàm Visurgis? nullus enim *Niger* fluvius in Germania: aut scriptoris hic error est, aut exscriptoris vitium. Perinde ut *Julia* fluvius apud Velleium obtrusus pro *Luppiâ*; aut *Erygium* fluvium pro *Visurgi* reperimus apud Dionem. At *Nicer*, inquit Cluverius, pro *Nigro* fluvio hîc ponitur. Imò quantum intervallum inter Albim & Nicrum, ne Rheno quidem memorato; aut cujus momenti Nicer, ut per eum hostem rejecerit tantâ cum laude. Ad interiora Germaniæ progressus est Cæsar, & in barbarico solo hæc egit, ubi Visurgis & Albis, non verò Nicer Rheno infusus designatur. Eòque submovit, unde hæc Francorum ac barbarorum multitudo egressa erat, ubi & celeberrima hæc flumina Visurgis atque Albis feroces illas gentes terminabant; quanquam ultra Nigrum submovisse Alemannos, ultraq; Visurgim simul & Albim Francos haud incongruè reputari possit. Utrumne Probus etiam Cæsar Castellum Alisonis in barbarico solo restaurârit, imposito præsidio ad frenandos Francos; aut quæ illæ Probi munitiones fuerint, incompertum reliquêre scriptores. Certè Præsidem nondum ausus fuit imponere, ut proximiora tantummodo ad Rheni limitem loca appareat præmunisse, ceteris ad tributum tantùm adactis. Zosimus ad tria præcipuè bella hæc contrahit; quorum dux Senno cum filio in potestatem venit; alterum contra Francos, quos per duces subegit; tertium adversus Vandalos & Burgundos, capto eorum duce Irgillo: captivi ex his magnam partem in Britanniam transportati. Gravis & propè exitialis hæc belli tempestas fuit per has Westfaliæ regiones, visaque Drusi & Germanici excidium revocasse.

Velleius l. 2. *Lipsius in notis.* *Dio l. 56.* *Cluverius lib. 3. c. 4.* *Zosimus l. 1.*

Jam verò Franci, qui tanto numero ex Gallia & Batavia exacti, præter tot cæsorum millia & permixtos Romanis tyrones superarant, cùm à Probo agros peterent, in quibus cum uxoribus & liberis considerent, quos Cæsar, ne quid intra viscera Imperij inquieta gens denuò turbaret, in regionem Ponto vicinam transmigrare jussit, ubi pro insito gentis ingenio audax facinus edidêre: Arreptis quippe navibus, quas in Ponto reperêre, totam Græciam conturbârunt; inde in Siciliam delati Syracusas magnâ editâ strage occupavere: tandem spolijs ditati in Africam cum prædatoria classe trajecêre; ubi cùm copijs Carthagine eductis, pedem figere non liceret, pulsi celeriter naves conscenderunt, superatoque freto Gaditano per longos Hispaniæ Galliæque circuitus salvi & incolumes in Franciam ad suos post liminio redierunt. Nec alia hæc Francia, quàm prima & nativa Francorum sedes, quantum per Frisios & Chaucos se in Westfaliam porrigit. Hæc illa Francorum audacter feliciterque suscepta expeditio, in Panegyrico Maximiani illustrius etiam celebrata. *Recursabat*, inquit scriptor, *in animos illa sub divo Probo paucorum ex Francis et incredibilis audacia, et indigna felicitas, qui à Ponto usque correptis navibus Græciam*

Franci in pontum penetrant, & Classe Græciam, Siciliam, Hispaniamque vexant. *Zosimus l. 1. sub finem.*

Asiamque populati, et impunè plerisque Lybiæ littoribus appulsi, ipsas postremò navalibus quondam victoriis celebres ceperunt Syracusas et immenso itinere prætervecti oceanum, qua terras irrumpit, intraverunt; atque ita eventu temeritatis ostenderunt nihil esse clausum piraticæ desperationi, quò navigiis pateret accessus. Quippe Franci Salici non minus quàm Saxones, qui pòst in unum populum coaluerunt, terrâ marique præstantes semper viri, & multum exerciti prædatorijs classibus, quotquot ex utràque gente circa littora maris, & ostia Visurgis, Amasis & Rheni incoluerunt. Atque hæc nunc origo fabulæ, quæ nobis Francos à Mæotide palude & Ponto Euxino producit, quasique à Trojanis & Sicambris istic orti sint, quos hæc trans Rhenana Germania jam ante claros fecerat. Egregium, inquit Baronius de hac expeditione, documentum Francorum gloriæ. Quanquam non alij hi Franci, quàm quos trans Rhenana hæc regio, Westfaliaque extulit.

Vopiscus. Eutropius. Aurelius Victor. Cassiod. in Chron.

At Probus Cæsar, pacatâ Galliâ, domitâque Germaniâ, cum exercitu in Thraciam profectus: multi in Isauria & Ægypto hostes ab eo obtriti, interque hos Saturninus tyrannus. Per hanc Cæsaris absentiam Proculus in Gallia, Lugdunensium studio, origine, ut ipse jactabat, Francus, simulque Bonosus Agrippinæ ad Rhenum Cæsarum fasces arripuit; sed hic metu pœnæ magis, quàm ambitione: quòd per inertiam luxorias militum naves abripi à Francis passus esset homo bibax, de quo Aurelianus dicere solitus: *Non ut vivat, sed ut bibat natus est.* Ad hosce tyrannos opprimendos Cæsar descendit cum exercitu in Gallias: quo cognito, Proculus ad Francos profugit, eorum auxilia implorando, à quibus se ortum finxerat. Franci quibus familiare erat ridendo fidem fallere, hominem Cæsari produnt, à quo confestim interimitur. Bonosus plus confisus Germanis, quos potitando sibi familiares fecerat. Sed non ultra pocula fides; desertus enim ab ijs, laqueo sibi vitam abrupit: dictumque militum joco, *Amphora pendet.* Probus Cæsar, postquam Agrippinæ (circa quam urbem uterq; tyrannus à Vopisco & Orosio perijsse scribitur) omnia composuit, Rhenique limitem in tuto collocavit, Francis & Alemannis denuò in fidem receptis, Romam ad triumphum est profectus, quem magnificentissimum egit. Producti in eum Germani, Sarmatæ, Blemi, Drungi, & omnium penè gentium captivi. Post triumphum captivi, quorum maxima pars Germani, Alemanni cumprimis & Franci, jussi inter gladiatores in alternam necem pugnare: quod vulnus altiùs hæsit in animis Germanorum ad vindictam, quàm Romanis ad spectaculi oblectationem. A triumpho Cæsar ad bellum Persicum profectus, quum ex itinere per Illyrium contenderet, militesque improbo labore fatigaret, Sirmij in patriâ, factâ seditione, anno v. imperij interimitur: nec ferrata turris, ad quam profu-

gerat,

gerat, Imperatorem tutum habuit. Tam clarus victorijs adversus barbaros, quàm æquus in Christianos, quos quietè vivere permisit. *Baronius.* An. Christi 283.

Probo sublegêre Carum imperatorem, Virum inter bonos magis quàm malos Principes collocandum, quem mox bellum Parthicum avocavit in Orientem. Ideo Probi morte & Cari absentiâ cognitâ, ausi sunt Germani, qui ripam Rheni incolebant, Alemanni nimirum & Franci, resumere arma, castella in suo solo posita subvertere, & transmisso Rheno incursare Gallias. Ob quæ Carinus Cari filius à patre missus est in Galliam præses (quemadmodum Aurelius Victor id retulit) sed homo omni libidine & scelerum genere inquinatus. Repressi tamen Franci & Alemanni per fortissimos belli præfectos, quos Cæsar filio adjunxerat. Eò Olympius Nemesianus in Cynegetico Poëta eorum temporum cecinit : Carus Cæsar. *Vopiscus. Aurelius Victor in Caro. Eutropius in Caro. Olymp. in Cynegetico. Valerius l. 1. de orig. Franc.*

Mox vestros meliore lyra memorare triumphos,
Aggrediar Divi fortissima pignora Cari,
Atque canam nostrum geminis sub finibus orbis
Littus, et edomitas fraterno numine gentes:
Quæ Rhenum, Tigrimque bibunt, Tanaimque remotum,
Nec taceam primum, quæ nuper bella sub Arcto
Felici Carine manu confeceris.

Verùm breve imperium Cari, quando Cæsar fulminis tactu conflagravit : Numerianus & Carinus filij, alius post alium confossus interiêre. Ita verò ad hunc diem nullus propè Cæsarum, quo non Germani nostri aut Rhenum transierint infestando Gallias, aut aperta cum Romanis bella gesserint: Gallis, Hispanis, Britannis ceterisque Occidentis nationibus, aut victis aut per inertiam quiescentibus : non per Alpes tot bella cum Gallis; non per montes Pyrenæos cum Hispanis; non per mare cum Britannis, quot ob Rheni limitem cum Germanis, gente omnium per Occidentis Imperij fines inquietissimâ & pugnacissimâ, uti bella deinceps sub alijs Imperatoribus docebunt. Quo tamen in genere nihil magis desideramus, quàm ex ævo illo scriptores, qui continente scriptione hæc percenseant.

Post Carum Diocletianus, immanis ille Christianorum hostis ac tyrannus successit, imperator, gente Dalmata, & obscuro natalium loco : quippe libertino homine natus, sed acri ac sævo ingenio, ex scribâ miles, inde per omnes militiæ gradus honoresque traductus, ab exercitu renunciatus est Cæsar. *Abhinc* enim, ut Aurelius Victor memorat, *militaris potentia convaluit, ac senatui imperium, ereandique jus Principis est ereptum* : tanquam & Deus Senatum Romanum, quòd tyrannis acerbior in Christianos sæviret, hæc pœnâ simul complexus, ut ademptâ libertate, Cæsares à militibus, idemque propè jugum acciperet, quod Christianis irrogârat; aut certè omne imperium ad An. Christi 284. Diocletianus Cæsar. *Eutropius in Diocl. Aurelius Victor.*

Christianos demum imperatores, qui haud multò pòst Constantinum M. consecuti sunt, transferret. Quàm truculentus & inexplebilis Christianorum sanguine Diocletianus, tam turbulentum fortitus Imperium barbarorum incursionibus : perinde ut hæc numinis vindicta à Nerone omnes illos tyrannos ac Cæsares consecuta est. Neque ex Barbaris gens ulla, Diocletiano imperatore, infestior Romanis, quàm Germani à latere Galliarum, quos Francos & Alemannos hactenus fuisse docuimus, Rheni tantummodo limite disjunctos. Accessit ad hos nova gens, novumque Romanorum flagellum, *Saxones* videlicet, jurati exinde, non minus quàm Alemanni & Franci, Romani Imperij hostes. Hi etsi jam antè Romanis cogniti fuerint, quemadmodum Ptolomæus, Hadriano Imperatore scriptor, eos prodidit, recensuitque inter Septentrionales Germaniæ populos : horum tamen nomen per arma & piraticam Diocletiano Cæsare primùm auditum : quando *tractum Belgicæ et Armoricæ Franci et Saxones*, uti Eutropius scripsit in Diocletiano, totumq; illud mare prædatoriâ classe suâ infestum habuêre : bellumque sociale, ut ab Orosio est relatum, *Franci et Saxones* primò adversus Carausium, deinde cum Carausio adversus Romanos gessêre. Celebris inde gens apud scriptores, & multum bellis Francicis hac tempestate permixta, dum Alemannorum & Francorum exemplo provocata auctaque in novam Rempubl. & belli societatem sensim adolesceret, Romanis pariter, Gallis & Britannis, quorum oras deinceps infestare cœpit, formidabilis.

Eutropius.

Orosius l. 7. c. 25.

Ac nos cum instituta rerum narratio ad Diocletianum adduxerit, quo Cæsare primum *Saxones* nostri per arma & piraticam inclaruerunt, operæ pretium duximus, horum originem hoc etiam loco in Diocletiano, perinde ut suprà in Francis fecimus, paulò explicatiùs certiusque exponere ; quæ enim Westfalia nostra vetus est Francia, eadem vetus est Saxonia, ut hoc ordo temporum, & res ipsa hic à nobis exigat. Verùm tot fabulis insperſam invenio Saxonum originem, quot Francorum : tanquam & Saxonum scriptores gentis suæ decus non satis illustrarent, nisi cum Romanis, Francis, Frisijs, ceterisque nationibus, ab exteris adventitijsque populis arcesserent. Primus isque antiquissimus historiæ Saxonicæ scriptor Widekindus, Corbeiensis ad Visurgim Monachus, multa hic inquirit de origine Saxonum, quæ ne tum quidem explorata fuit : asseritque alios eam à Danis & Norrmannis, alios à Macedonibus deducere : sibi verò certum esse, navibus advectos Saxones in Hadolaum, quem locum Haderesliam, non longè ab ostio Albis in Bremensi Archiepiscopatu statuunt. Undenam verò, aut cujus gentis advenæ fuerint non expressit. Igitur post Widekindum alij hos primos Saxonum advenas ex Macedonum reliquijs, qui Alexandro M. prius militârunt, in Germaniam introdu-

SAXONUM Origo.

Lib. 1. Annal.

introducunt. Ac ne fabulosi hi scriptores quicquam concedant ijs, qui Francorum origines à Sicambris Trojanorum reliquijs traxêre, fingunt Alexandro mortuo Macedonas hosce, postquam alia loca spolijs exhausserant, 300. triremibus mari se commisisse, ex quorum naufragâ classe viginti quatuor tantummodo naves in Albim delatæ, provectæq; longiùs ad Thuringorum fines appulerint, fugatisq; incolis, terram eam ceperint in possessionem. Canoræ rursum nugæ. Quibus tamen persuasi Ursbergensis Abbas, Stadensis, Gobelinus, Siffridus, Furmerius, Wittius, alijque hæc somnia affirmare audent, nullo antiquitatis scriptore in medium producto, nisi quòd in veteri & plebeio Saxoniæ chronico hæc scripta invenerint. Hinc alij, cumprimisq; recentiores scriptorum, Goropius, Becanus, Peucerus, Reineccius, Letznerus, Cisnerus, Saxones à Sacis Sassonibusve Asiæ populis ortos, & in has regiones migrasse tradunt: nec aliud agunt, quàm ut priorem fabulam novâ fabulâ accumulent: haud secùs, quàm qui à Saxona fluvio in Muldaviam labente Saxonum nomen gentemque comminiscuntur. Credo equidem, ubi aliqua nominis similitudo se obtulit, hanc illi tanquam erraticum aëris ignem secuti sunt, nullo duce, nullo antiquitatum scriptore, aut vestigio certo veritatis. Ut ij demum rectè senserint, qui cum Crantzio, Conrado Celta, Althamero, Wilichio, Cluverio, ceterisq; Saxones gentem indigenam scripsêre, quales Tacitus omnes Germaniæ populos nobis tradidit. Quemadmodum Saxones linguâ, moribus, cultu corporis, & bellicâ indole non minus, quàm Franci & Alemanni veteres se nobis Germanos repræsentant.

Nomen Saxonum etsi seriùs auditum, gens tamen antiquissima fuit. Nam primus, qui illud prodidit, Ptolomæus est, Hadriano Cæsare, aut ut Suidas censuit, M. Aurelio Antonino; ante Alemannos tamen & Francos invaluit. Reperies etiam, qui Fosas, à Tacito inter priscos Germaniæ populos recensitos, Saxones designari velint, quòd eo loco, ubi Ptolomæus ad Cimbricam Chersonesum Saxones, ibi & Tacitus Fosos collocet. Nam quod ex Lucano adfertur, ex Neronis ævo. *Lib. 32. Geog. c 11.*

Et Biturix, longisque leves Saxones in armis,

Plerisque corruptum apparet; unde Suessiones alij, Axonas alij syncerius legunt, quod Poëta istic Galliæ populos percenseat. Neque Vespasiani ævo cogniti Saxones, quod ex Egesippo confici volunt, eò quòd Josephum perorantem ad suos introducat: *Tremit Romanos Scotia, tremit Saxonia inaccessis paludibus.* Hæc enim gentium duarum nomina, auctor ille, qui Gratiano Cæsare hæc scripsit, uti tum bellis clara reperit, Vespasiani temporibus accommodavit. Post Ptolomæum igitur Eutropius primùm Diocletiano Cæsare bellis

Eutrop. l. 9. c. 18. Oros. lib. 7. c. 25. claros sistit, qui Francorum armis provocati, piratica littora Belgicæ & Armoricæ infestârint, Juliano Cæsare jam adeò potentes, ut omnia littora maris ad Amisiæ ostium infesta haberent, ipsámque Bataviam insiderent. Eò vel usque ad Garumnæ ostium totum illud Gallicanum littus Saxonicum dici cœpit, intra quod spatium duo limites à Romanis præscripti, & utrique suus dux præstitutus, ad vim piraticam arcendam. Hi in notitia Imperij Comites littoris Saxonici per Britannicas oras, & tribuni cohortis Armoricæ in littore Saxonico nominantur. Navium genus erat Saxonibus, ut Sidonius descripsit, Pandi myoparones : quotque naves, totidem Archipiratas videre se credebant homines. Postquam vimineis alveis naves fabricare & bubulis tergis contexere edocti erant, capti mox prædæ dulcedine & successu rerum, latè maria pererrârunt, Francis etiam Salijs in piraticæ societatem attractis, quod & Sidonius retulit :

Sidon. Apoll. l. 3. c. 6. Epist. 9 l. 8. in Panegyr. Anthemio dicta.

Quin et Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle salum sulcare Britannum
Ludus, et assuto glaucum mare findere lembo.

Sperabat, Hoc est, timebat.

Lib. 7. c. 32. Post multas prædas demum Valentinianus Imperator, uti ab Orosio scriptum, *Saxones, gentem in Oceani littoribus et paludibus inviis sitam, virtute atque agibilitate terribilem, periculosam Romanis finibus eruptionem magnâ mole meditantem, in ipsis Francorum finibus oppressit.* Idem de his Zosimi judicium : *Saxones omnes eas regiones incolentium barbarorum, et animis, et corporum viribus, et laborum in præliis tolerantiâ fortissimi, Chaucos gentis suæ partem in Romanum solum emittunt.* At nunc quænam eæ regiones in quibus Saxones nativas sedes habuêre ? Ptolomæus eas designat : *Chauci majores ad Albim usque flumen, hinc super cervicem Cimbricæ peninsulæ Saxones, ipsam verò peninsulam supra Saxones tenent Singulones.* Eodem accedit Stephanus de urbium situ, Saxonesque priscos propè Cimbricæ peninsulam collocat. Quamobrem plerique has sedes in ipsâ Holsatia assignant. Explicatum pòst gentis nomen trans Albim ad Visurgis ripas. Inde duplices passim memorantur Saxones, Cis Albini, & Trans Albini, quæ planiora sunt ex D. Hieronymo, à quo Franci collocantur medij inter Alemannos & Saxones. Quanquam non desint, qui Saxones partem Anglorum velint, quòd Tacitus hos Anglos ultimos Suevorum, infimosque ad Albim collocet, qui deinde à cultris longis, quos Sacas & Sachos dixêre, Saxones appellati sint. In ijsdem regionibus Beda tres hosce populos sibi conterminos jungit, Vitas seu Jutas ex interiore Jutia, Saxones & Anglos, ex superioribus ad Albim & Visurgim populis. Hi nimirum illi validi & bellicosi Germaniæ populi, qui Hengisto & Horso ducibus conscensâ classe magnam Britannniæ partem occupando inter se divisérunt, ex fœderatis hostes Regnique possessores.

Lib. 3.

res. Ceteri post Eutropium Romani scriptores in his invijs quoque paludum locis Saxones nobis describunt.

Ante Ptolomæum verò & Eutropium, à C. Julio Cæsare, Plinio, Strabone, ac primis illis scriptoribus nullam Saxonum mentionem fieri haud mirum, seu quòd in nomen illud nondum coaluerint, seu quod bellis nondum aperti. Id verò inter hæc longè obscuriùs & cognitu difficiliùs, si trans Visurgim atque Albim antiqua Saxonia requirendâ, quonam modo ea provincia, quæ inter Rhenum & Visurgim sternitur, Westfaliæque post nomen sortita est, antiquorum Saxonum sedes asseratur. Nam Beda Divos Ewaldos fratres docendi Evangelij causâ in provinciam antiquorum Saxonum venisse scribit, quod & à Marcellino in vitâ D. Suiberti assertum: quos deinde haud procul Tremonia à Barbaris interemptos esse constat. Mox D. Suibertum ad Boructuarios transisse memorat, qui haud multò pòst à gente antiquorum Saxonum expugnati, Suiberto in Cæsaris insulam recepto. Haud dissimilem pugnam inter Boructuarios & Saxones refert Marcellinus ad vicum Ratingen; satisq; indicare visus Boructuarios alteram Luppiæ ripam, alteram tum Saxones incoluisse. Exinde Bonifacius ad Ethelbaldum Angliæ Regem scribit, antiquos hosce Saxones conjugia sine adulterio intaminata servare; & Gregorius Pontifex epistolam ad Alt Saxones inscriptam dedit, quâ proceribus & populo D. Bonifacium commendat audiendum, ut quemadmodum vicini Hassi salutarem Christi doctrinam jam susceperant, & ipsi etiam antiqui Saxones inter Rhenum & Visurgim, vicinique cumprimis Paderbornenses reciperent. Neque præter Sifridum, aliosve inscitos, quisquam recentiorum scriptorum est, qui veterem Saxoniam in Westfalia non agnoscat. Nec dubitat Chytræus Westfalos appellare genuinos & antiquissimos Saxonum colonos. Sed uti hæc cum ijs, quæ suprà diximus componas, haud facile dixerim. Si enim antiquissimi Saxonum in Holsatiâ, ac deinde intra Albim ac Visurgim, quomodo in Westfalia intraque Rhenum ac Visurgim? Ego sic existimo. Postquam Franci veteres per Westfaliam regibus suis Pharamundo, Clodione, & Merovæo, ceterisq; primò Germaniam inferiorem, deinde Belgicam, pòst ipsam Galliam invaserunt, Francicum nomen unà cum victoribus trans Rhenum in eas provincias & regnum commigrasse, abolito sensim apud suos in Westfalia, ubi natum erat, Francico nomine. Tum verò, quia sub idem tempus nomen Saxonum ad Visurgim invalescere cœpit, populi Westfaliæ in idem nomen transiêre; quique antea communi Francico nomine censebantur, sensim Saxonicum nomen à validiore apud eos gente induêre. Nam per id tempus Alemanni, Franci & Saxones, potentissimi celeberrimique per Germaniam populi, ad quos scriptores, ceterorum particularium quasi immemores, omnia retulêre. Itaque ut

Bed. l. 5. c. 11.

Marc. 6. 22.

Crantzius l. 1. Saxon. c. 31.

Chytræus in Prolog.

Angli,

Angli, Cheruſci, ceterique trans Viſurgim atque Albim populi; ita Chamavi, Chauci, Marſi, Angrivarij, Sigambri, Tenćteri, alijque intra Rhenum & Viſurgim in commune Saxonum nomen tranſiêre, quod Carolo demum Magno potentiſſimum in ijs regionibus fuit. Ac licet origo nominis ac vetuſtas ſit apud Ciſalbinos Saxones: rerum tamen exinde per Saxones geſtarum celebritas eſt penès eos, qui trans Viſurgim habitârunt *Saxones*. Ut vel inde antiqui ſimul *Saxones* dici meruerint, quotquot inter Rhenum, Viſurgim & Albim populi incoluerunt; qui Caroli M. ætate ob id inter Orientales & Occidentales Saxones, ſeu Oſtfalos & Weſtfalos ſunt diviſi. Nec enim mihi facilè perſuaſerim, quod quidam adferunt, Francos, ex quo perrupto Rheni limite Gallias invaſere, ita nativas ſuas intra Rhenum & Viſurgim exhauſiſſe ſedes, ut vacua hæc loca Saxonum immigrationi reliquerint; id enim nullo auctore, aut veſtigio antiquitatis profertur in medium; ſed ſub communi Saxonum nomine, uti ſub Francorum antè fecerant, ſociale bellum geſſiſſe; quando lingua, moribus, inſtituto vitæ, eandem Germaniæ nationem ſemper retulerunt. Sanè qui poſtliminio reduces ex Angliâ Apoſtolici viri, Willebrordus, Suibertus, Ewaldi, ceterique ſacerdotes ex eadem Saxonum & Anglorum gente à majoribus procreati, ſuæ linguæ quam in Angliâ habuerant, commercium cum Saxonibus in Weſtfalia habuêre, ideoque legem Chriſti, uti Marcellinus ſcripſit, facilè Barbaris tradidere. Ac tametſi Franci ſuos ſibi reges à Pharamundo creârint, quorum imperio regerentur; Saxones tamen, & qui intra veteres Franciæ ſedes manſêre, veterem Reipublicæ formam, quæ per primores & Satrapas, populique comitia adminiſtrabatur, retinuerant ad Caroli M. usque ætatem, eo ferè inſtituto Ariſtocratiæ & Democratiæ, quo Tacitus priſcos Germanos nobis tradidit.

Hæc de gente; ipſum verò *Saxonum* nomen unde tandem? non à *Saſſonibus* aut *Sacis* Aſiæ populis, non à *Saxone*, qui cum Friſio & Brunone fratribus Macedonij exercitus Ducibus, gentis conditor fingitur à Siffrido: perinde, ut ab alijs fratribus Friſonum & Brunſuicenſium nomen ſtirpemque introducit. Hæc enim inter fabulas jam rejecimus, dudum quoque exploſas ab alijs. Igitur quantum conjećturæ locus ſupereſt, Saxones ab oblongis cultris gladijsve quos *Sachz* dixere, quibus gens pugnabat, nomen traxere, haud ſecus quàm à quiri *Quirites*. Hæc Widekindi vetuſti Corbeienſis hiſtorici opinatio: quocum ſenſerunt Gregorius Turonenſis, Gobelinus, Engelhuſius, Lipſius, Meibomius, Lindebrochius; quod & ex legibus Gothorum obſervatum: diſertè Viterbienſis:

Ipſe brevis gladius apud illos Saxa vocatur,
Unde ſibi nomen Saxo peperiſſe notatur.

Uſus

Usus hujus vocis hodiedum in Saterlandia obtinet apud incolas prisci sermonis retinentissimos, apud quos, ut coram audivi loquentes, *Sachs* cultrum sonat. Eò referunt alij ex vetusto gentis insigni duos gladios decussatim consertos. Quanquam Widekindus gentis insignia prodat leonem & Draconem, supráque hos Aquilam in clypeo volitantem. Utcunque etiam hæc acceperis; quando de origine gentis certiùs, quàm nominis constat. Multa ejusmodi ex antiquitatis recessu in obscuro manent; multaque ejusmodi nomina fortuitò magis quàm consultò invaluerunt. Pauca hæc de Francicæ ac Saxonicæ gentis origine visum præmonere, quæ ex ipsa rerum narratione plenius certiusque cognoscentur. Neque de his integrum facilè judicium esse potest, nisi idem veteres simul auctores pervolverit, & quo temporum ordine, progressuque res à Francis Saxonibusque gestæ sint, inter se composuerint. Referam me nunc ad institutam narrationem.

Diocletianus igitur imperium Barbarorum irruptionibus, quæ Caro Cæsare invaluerunt, undique concussum nactus, cùm se tantæ rerum moli imparem conspiceret, Maximianum Imperij Collegam adsciscit, hominem agrestem ac sævum moribus, sed militiâ bonum: huic Herculei nomen, illi Jovij datum. Diocletianus Orientem sumpsit moderandum, Maximiano Galliam, Germaniam & Britanniam pacandam dedit: quàm enim infesti ad Rhenum Alemanni & Franci, tam repentino motu conturbata Gallia à Bagaudis, quod agreste hominum genus erat: sumptoque hoc nomine in rebellionem convenerat, quòd exactionibus, rapinis & *latrociniis Judicum*, ut Salvianus retulit, *strangulati homines et necati inciperent esse quasi barbari, quia non permittebantur esse Romani.* Tam iners & abjecta tum Gallia erat, ut præter rusticos nullus ordo ad libertatem ex servitute Romanorum se erigeret. Duces Bagaudorum Ælianus & Amandus. Hac defectione Diocletianus Maximianum in Galliam festinare jubet, additâ inter ceteras, legione Thebæorum Christianâ, quæ cum trans Alpes, Octodurum pervenisset ad Rhodanum, & Maximianus lustrato exercitu solitis gentilium ritibus sacrificare jussisset: detrectavit legio Christiana Mauritio hortatore; ob id decimatione primùm factâ, singuli obtruncati: postremò in ceteras cohortes sævitum. Inde Maximianus in Bagaudos movit, primoque accessu, ut agrestium arma sunt bruta fluxaque, bellum composuit, cæsis alijs, alijs aut ad casas aut silvarum lustra dilabentibus. Et quia majus periculum à Francis & Germanis urgebat, Maximianus sedem Treviris fixit. Vixdum ut Mamertinus in panegyri, *misero illo furore sopito, omnes barbaricæ nationes excidium universæ Galliæ minitabantur. Neque Burgundiones et Alemanni tantùm, sed et Chaibones*, (quos Aviones Tacitus dixit) Herulique, ut qui trans Visurgim & Albim sinumque Codanum

Diocletianus Maximianum Imperij collegam adsciscit.

Salvianus, Mamertinus.

Aurelius Victor. Eucherius Lugd. Episcop. Helinandus in Gall. Monacho circa ann. 1200. Baron & Brovverus.

Mamertino in Paneg.

num incolebant, exciti unà cum Mediterraneis Francis, Rheno perrumpendo imminere nuntiabantur.

Eutrop. l. 8. cap. 18. Orosius l. 7. cap. 25. Carausius Francis & Saxonib⁹ mare infestantib⁹ oppositº. *Aurelius Victor. Eutropius.*

Aderat aliud præsens malum à Francis & Saxonibus, ut suprà diximus, classe piraticâ oras maris Gallici & Britannici infestantibus. Quâ tempestate Saxonum nomen primùm inclaruit. Adversùs hosce novos & maritimos hostes. Carausius jussus à Maximiano classem apparare, *Menapiæ civis, quòd factis prioribus eniteret, simul quia gubernandi (quo officio adolescentiam mercede exercuerat) gnarus habebatur.* Ita ille, ut Eutropius memorat, nova præfecturâ exornatus, *apud Bononiam per tractum Belgicæ et Armoricæ pacandum mare accepit, quod Franci et Saxones infestabant.*

Maximianus producto Treviris exercitu ad Rhenum processit adversùs Burgundiones, Alemannos, ceteraque trans Rhenanas gentes. Quanquam ut Panegyricus ait: *consilio potiùs, quàm ut bellum gerendum ratus: ceteros quidem perduelles, quibus sua ipsa pestifera multitudo, ire passus est in profundam famem, et ex fame in pestilentiam. Chaibones tamen Heruloſque non dignatus pari æstu perdere, aperto marte atque uno impetu perculit.* Ita duo illi Barbarorum exercitus, alter fame & peste, alter prælio absumptus.

Carausij rebellio.

Maximiano his bellis ad Rhenum occupato, Carausius rebellionis consilia agitare cœpit, conspiratione cum Francis & Saxonibus inita, quos ex hostibus sibi socios fecit, alter Civilis inter Batavos suos. Animadversum id primum à Romanis postquam remissiùs bellum maritimum tractare compertus, nec quicquam ex prædâ referre ad provinciales & ærarium, ideòque occidi jussus. Prævertit hæc Carausius, versusque ad extrema, Imperatoris nomen sumit, novus repentè tyrannus, adspectante Maximiano: nec veritus hunc Carausius, quòd Francos & Saxones in societatem belli icto fœdere traxisset, gentes terrâ marique potentes, qui diversis mox regibus suis, vicinam Bataviam & maximam Belgiæ partem occupant. His cognitis, Maximianus in furias agitur: quàm maximum ex Galliâ exercitum contrahit, secundo Rheno in Bataviam descensurus; sed ira primùm sævitiaque in Christianos versa; tanquam hoc facinore dij placandi. Sequebantur castra cohortes quædam ex Thebæâ legione, & aliquot è Mauritaniâ manipuli: milites hi, quòd Christianam religionem colerent, aspernabantur sacra gentilium, ob id varijs in locis ad Mosellam & Rhenum Maximiani edicto mactati. Initium carnificinæ Treviri factum in Augustali urbe & sede. Præerat Belgicæ præfectus Riccius Varus; venerantque in eam urbem Thyrsus, Secundus, Bonifacius cohortium ductores: ij simul ut cogniti ab incolis Christiani, magnâ eos caritate excepere Christiani cives. Exstimulavit id Riccij Vari ferociam, ut truculentiùs in urbem quàm milites belluæ instar sæviret. Cæsi sunt consules, senatores,

Hinc concitatus Maximianus Christianos persequitur.

Trevirensium, & Thebæorum militum martyrium.

res, Cives, & omnis sexus atque ætas Christianam religionem professa: quemadmodum hæc à Browero in annalibus copiosè elegantérque perscripta sunt. Triduum in hac ferali laniena consumptum. Abjecta sunt Martyrum corpora in Mosellam; flumenque ad decem millia passuum cæsorum sanguine decoloratum fuit. Cæsi ad idem Maximiani edictum pro Christo Bonnæ Cassius, Florentius, Mallusius, ac sex alij Thebæi milites, secundo Rheno in Carausium destinati, quòd inanibus dijs sacrificare impium dicerent. Hanc ob causam Christianæ religionis sævitum Coloniæ Agrippinæ VI. Idus Octob. in nobilem XXIX. Thebæorum militum cohortem, Gereone ductore, hortatoreque ad martyrium fortiter subeundum. Eò loci in suburbio Agrippinæ, ubi post D. Helena Basilicam D. Gereonis condidit, cum sacerdotum collegio, corpora martyrum in acervum congesta, & in puteum dejecta sunt. Demum ejusdem serveritate edicti obtruncatus Victor, cum trecentis sexagintà cohortis Thebææ Christianis militibus ad castra Vetera, seu Trajanam Coloniam, qui locus inde vulgò *Sancti*, & ad Sanctos Martyres appellari cœpit. Post quam D. Helena istic quoque admirandi prorsus operis Basilicam honori Victoris, sanctorumque construxit: fallunturq; qui Coloniam hanc Trajanam in Trojanam, & Sanctos, in Xanthum Trojanum fluvium, qui istic nunquam auditus est, convertêre, ut Francorum originem per novas obvelarent fabulas. Scio ab alijs alibi castra Vetera collocari disjungique à Sanctorum oppido: at mihi ratio loci non alia visa est, quàm ipsum Sanctense oppidum, in quo castra vetera requiras. Ex quibus celebratus ille Romanorum per Rhenum ad Ostium Luppiæ trajectus fuit.

Pighius. Nuenarius. Tesschem. Cluverius.

Carausius ubi comperit omnem in se Maximiani exercitum converti, abductâ secum classe littore Belgico in Britanniam secessit, in eaq; delusis Romanis sedem Imperij novus ille Cæsar fixit, regnumque illud dominatu haustum, quantum in potestate Romanorum erat, in fidem accepit, nullius gentis ope magis innixus quàm Francorum & Saxonum, quibuscum classem & bella adversus Romanos conjunxit. Et Franci, Saxonesque interea in littore Germanico ab Albi ad Scaldim usque rebus suis firmandis intenti, Romanis novum bellum, novamque potentiam maritimam objecêre.

Eutropius. Aurelius Victor.

Per hæc Maximianus spe omni sua frustratus, Carausium intactum reliquit. Francis simul & Saxonibus Batavia permittenda fuit, quam à diversis Francorum regibus insessum scribit Eumenius Orator, donec à Constantio post reciperetur. Adeo cruentum illum Tyrannum fortuna destituit. Nec de Germania Galliaque conservanda tutus. Quippe cùm per hyemem insequentis anni Treviri versarentur, ipsoq; die, quo consulatum auspicatus inter festos ludos & plausus, vota nuncuparet dijs, nuntio nec opinato perculsus intelligit, Aleman-

Eumenius Panegyr.

An. 287.

Mamert. in Paneg. Max. Maximianus Alemannos repellit.

Alemannos per Rhenum, quòd is tum glacie induratus constiterat, irrupisse in Gallias. Quâ Barbarorum transgressione deprædationeque commotus Cæsar, contracto ex hibernis milite, hosti barbaro obviàm processit, magnáque cum strage per Rhenum rejecit in sedes suas. Inde cum triumpho Trevirim regressus, Alemannorum illam Francorumque prædandi licentiam acriùs castigandam vindicandamque susceptit. Educto enim per vernum anni tempus exercitu, ipse Rhenum transgressus, Barbaros in suis sedibus aggreditur, latéque Germaniæ provincias cædibus & spolijs pervagatur.

Et Francos domat. An. Christi 288.

Altero dehinc anno ulturus Francos, tum quòd Carausij rebellionem alerent, tum quòd eâdem quâ Alemanni licentiâ Rhenum transiissent, ipse Cæsar cum exercitu ad flumen procedit, ostentato primùm terrore armorum; mox ipsam Franciam ingressus, haud mitiùs quàm anno superiore cædibus & vastatione grassatur. Quo illud Mamertini Oratoris referunt ex panegyri Maximiani: *Rhenum*, inquit ille, *antea videbatur natura ipsa sic duxisse, ut eo limite Romanæ provinciæ ab immanitate barbariæ vindicarentur, tu imperator invicte, feras indomitasque gentes vastatione, præliis, cædibus, ferro igneque domuisti etc. Audieras hoc imperator, an ipse per te divinâ tuâ mente prospexeras? ita demum hostes funditus posse subverti, si in propriis sedibus vincerentur: nec prædam modò, quam cepissent, annuerent, sed ipsi conjuges ac liberos et parentes suos et carissima omnia capta mœrerent.* Quam ob causam auctor orationis, quæ in nuptijs FL. Constantini est dicta, libere pronunciat, *Maximianum ejus socerum Romana trans Rhenum signa primùm barbaris gentibus intulisse.*

His cladibus, quæ proximo etiam anno repetitæ, ducto rursum in Franciam Romano exercitu, obtriti, consternatique Franci, supplices sese ad pacem obtulerunt; magno ob id suorum comitatu duo Francorum Reges Atech & Genobaudes simul purgandi sui causâ Maximianum convenêre: & hi primi illi Francorum Reges, seu duces mavis, quos ex scriptorum monumentis accepimus: eò jam tota hæc Francorum Regum series, quam Hunibaldus tradidit, fabulosa aspicitur. Fuêre haud dubiè alij quoque ante hos Francorum duces, uti Gregorius Turonensis agnoscit, sed cùm horum memoria ex annalibus interciderit, frustrà ad commenta illa recurrimus. Regum Francorum excusationem Cæsar admisit: Atech certis legibus remissus in suas sedes, Genobaudem autem, quòd ab ipsis Francis incertum qua ex causâ ejectus, Maximianus in regnum restituit. De utroque Mamertinus in oratione: *Armorum vestrorum terrore Franci ad petendam pacem cum rege venerunt. Imò per te*, inquit, *regnum recepit Genobaudes; Atech verò munus accepit. Quid enim aliud ille expetivit, in conspectum tuum cum omni suâ gente veniendo, nisi ut demum integra auctoritate regnaret, cùm te Maximiane placasset? Ostendit ille te identidem, ut au-*

ut audio, popularibus suis, et intueri diu jussit et obsequia discere, cùm tibi ipse serviret.

Expeditio hæc transRhenana tam prospera adscribitur Maximiano, ut tropæa victoriæ in media Barbaria constituerit. Subinde Diocletianus & Maximianus Imperatores Francici, Alemannici, & Germanici nomen sumpserunt, vanâ magis ostentatione, quàm ut Germanos debellasse crederentur. Nec aliud magis hac expeditione factum, quàm ut Francos à Carausio avocarent; cùm ne ipsa quidem Batavia recepta à Francis; bellumque cum ijs accensum magis quàm sopitum reliquerit Maximianus. *Mamert. in Geneth. Maxim. Onuph.*

Abrupit hæc postea conturbatus Imperij status; ac præter eos, quos diximus, Alemannorum, Francorum & Germanorum motus, Narses in Perside, Achilleus in Ægypto, Julianus in Italia tyranni, & Quingenteni in Mauritaniâ rebellârunt: Gothi, Scythæ, Terlingi, Taifali in Illyrium: Sarmatæ in Daciam & Pannoniam, velut classico dato, irruperunt, avulsâ jam per Carausium Britanniâ. Quod ipsum Panegyricus quoque scripsit: *Ab ipso solis ortu non modò hac citra Mæotin sub extrema Septentrionis plagâ, quâ fervidum caput Danubius evolvit, quaque horridus secat Albis Germaniam, ruunt omnes in sanguinem suum populi.* Nimirum, quantùm eâ tempestate cruciabantur à Diocletiano & Maximiano Tyrannis insontes Christiani, tantùm barbarorum incursionibus lacerabatur Imperium. Quà rerum tempestate Diocletianus & Maximianus Augusti de summa rei solliciti novos Imperij adjutores adscivêre. Cooptatus à Diocletiano Galerius, ante armentorum pastor. A Maximiano Constantius Chlorus: Uterque Cæsar appellatus. Et quatuor tum Cæsares sortitus orbis, qui humeros tantæ moli sustinendæ subjecere admirabiliprorsus concordiâ; quæ ut novo firmaretur nexu, Galerio data in matrimonium Diocletiani filia, Constantio Theodora Maximiani privigna; jussusque is Helenam abjicere, ex quâ jam Constantinum, post rerum gestarum gloria magnum susceperat. Inter hos Cæsares Imperij administratio in hunc modum distributa. Diocletianus Orientem, Galerius Illyrium atque Istri limitem, Maximianus Italiam atque Africam, Constantius Galliam, Britanniam & Rheni limitemtutandum susceptit: atque is ut fidem suam obligaret, Galerio Cæsari filium Constantinum xv. annorum misit obsidem in Illyrium, simul ad experimenta belli capescenda; quo bello ad invidiam Galerij probavit militarem fortitudinem Constantinus adolescens. Constantius postquam ex Italiâ in Galliam maturavit, felici armorum successu progressus, Gessoriacum portum Morinorum ex adverso Britanniæ littore, & receptaculum piraticum expugnavit, Carausioque eripuit. Tùm exercitum ejus adortus, qui Bononiense littus insederat, prospero mox prælio fudit, victumque Carausium summâ clementiâ conservavit. An. Christi 291. *Aurelius Victor.* Galerius & Constantius Cæsares assumpti. Felices Constantij expeditiones.

Galliâ pacatâ, ad Bataviam insulam, quam Franci insidebant, arma viresque translatæ. In hanc expeditionem magno per hyemem apparatu naves, classisque ad trajiciendum constructa. Ac tametsi Maximianus Regem eorum cum gente in fidem suscepisset, non tamen illo acquievit Constantius; eò quòd gens illa non modò Batavos, sed omnem illum maritimum populum sollicitasset ad arma; nec quies expectanda esset, donec insula illa tota in potestatem Romanorum redijsset. Igitur terrâ mariq; Francus aggressus, cùm neq; paludes, neque silvarum perfugia, neq; fraudos eos satis tegerent, solo propè terrore armorum in deditionem accepit, & quàm latissimè per Belgicæ Galliæq; solitudines dispertijt; totamq; Bataviam Francorum incolis exhausit, mirabili captivorum specie, quam Eumenius in Panegyri nobis exhibet: *Videmus totis porticibus civitatum sedere captiva agmina * Francorum, viros attonitâ feritate trepidantes, respicientes anus, ignaviam filiorum, nuptas maritorum copulatas vinculis, pueros ac puellas familiari murmure blandientes, atq; hos omnes provincialibus vestris ad obsequium distributos, donec ad destinatos sibi cultus solitudinum ducerentur..... Arat ergo nunc mihi Chaucus et Frisius; et ille vagus, ille prædator exercitio, squalidus operatur; et frequentat nundinas meas, corpore venali et cultor barbarus laxat annonam. Quin etiam si ad delectum vocetur, accurrit, et obsequiis teritur.* Igitur ut Franci à Maximiano in Nerviorum & Trevirorum arva translati, *ita nunc per victorias tuas, Constanti Cæsar invicte, quidquid infrequens Ambiano, et Bellovaco et Tricassino solo, Lingonicoque restabat, barbaro cultore revirescit.* Hac Constantij Cæsaris victoria non modò Batavia, sed & quicquid inter Rhenum, Wahalim, Mosam & Scaldim interjacet regionum, receptum ereptumque denuo Francis. Oppidumne Cliviæ tum liberârit ab obsidione Francorum, ut Sigonio visum, & Clivis scholas Francorum furore disjectas instaurârit Constantius, Eumeniumq; celeberrimum ejus sæculi rhetorem præfecerit, magna ingeniorum contentione disceptant Lipsius & Pighius, viri doctrina celebres. Litis causam præclara dedit Constantij epistola, quam Eumenius recitat in exordio: *Merentur et Galli nostri, ut eorum liberis, quorum vita in augusto Clivensium oppido ingenuis artibus eruditur, et ipsi adolescentes, qui hilari consensu meum Constantii Cæsaris ex Italiâ revertentis susceperunt comitatum, ut eorum indoli consulere cupiamus.* Hic ex uno verbo litigium: Nam ubi Rhenanus & Pighius legunt Augusto Clivensium oppido, Lipsius Augustodunensium scribendum contendit, & melior Lipsij causa plerisq; visa. Quis enim in extremis Belgicæ Germaniæque citerioris finibus celebres illas Mænianas scholas, in quibus Eumenij avus homo Athenis submissus docuerit, per ea Barbarorum tempora Clivis requirat? Sed aliena hæc disquisitio, tametsi Batavicâ rebellione & Francorum incursione scholæ istæ memorentur subversæ aliquando.

Eumenius in Paneg. Constantij Cæs.

* al. Barbarorum.

Eumenius Rhetor in Panegyr. Lipsius ad l. 3. ann. & in excurs. ad eundem. Pighius in itiner. Rhenanus Brovverus l. 3. ann. Trevirens.

Sœpius

Sæpius Franci prædando in medias penetravere Gallias, & Probo cumprimis Cæsare, quo hæc Augustodunensis Gymnasij vastatio fieri potuit. Ad id potius intendat quisque animum, quibus impensis Constantius Cæsar, Vir sapiens, & solus inter ceteros tyrannos Cæsares Christianorum amantissimus Scholas illas Mænianas instaurârit, & qua liberalitate moderatorem Sexcentorum millium nummûm salario dotârit: præclarè æstimans, *non tam armis, quàm cultu literarum animos mollescere formarique ad Reip. obsequium, et regentum imperia æquius capessenda.* Quæ Eumenius præclarâ suâ oratione, ac dignâ, quam principes legant, multis exponit. At receptâ Batavià, exactisque Francis, non omne periculum erat depulsum, quòd Alemannia totaque Germania se commoveret ad Rheni limitem perfringendum. Et cùm per id tempus hyemis Constantius totus esset in apparatu Classis, quâ in Britanniam trajiceret, Regnique illius provincias reciperet, advenit ex Italia Maximianus Imp. Treviros, unumque simul palatium cum Constantio Cæsare incoluit. Ibi collatis belli gerendi consilijs, ipse ad Rhenum cum exercitu accessit, omnemque illum limitem non tam equestribus & pedestribus copijs (uti hæc Panegyris verba interpretor) quàm præsentiæ suæ terrore adversus Barbaros est tutatus: alteroque ab hinc anno etiam Coloniæ Agrippinæ consedit adversus Francos intentus, ne istic Rhenum perrumperent. Constat id ex rescripto Augustorum Cæsarum de jure dotium Agrippinæ dato. Interim novus in Britannia hostis Allectus. Is enim cum Carausium post septennium Imperij dolo interemisset, Imperij sibi sumpsit insignia, fretus cumprimis Francorum auxilijs, quibus tota Britannia impleta erat. Ita satelles, qui Archipiratam Carausium occiderat, illo auctoramento rapere Imperium ausus. Ac Constantius, ubi classis jam instructa erat, ingenti militum ardore solvit, prætervectusque obscuro cœlo Vectam Insulam, in qua hostium classis in specula excubabat, Britanniæ littus obtinuit: ac ne fugæ præsidium reservaretur, ignis navibus est injectus. Quo cognito, Allectus se ad prælium conserendum accinxit, raptisq; copijs, quas ex Francis mercede conductis maximam partem contraxerat, processit in aciem. Constantius Asclepiodoro prætorio præfecto rei gerendæ imperium dat. Ille invectus ad primum congressum sternit hostem: repletique campi & colles prostratorum cadaveribus: quos inter Allectus jacuit, cultu regio, quem sumpserat, ultro deposito. Franci ad internecionem cæsi. Hoc illud Panegyrici ad Constantium. Enimvero, Cæsar invicte, tanto tibi deorum immortalium consensu addicta est victoria, omnium quidem, quos adortus fueris, hostium, sed præcipuè internecio Francorum, ut illi quoque milites vestri, qui per errorem nebulosi maris abjuncti ad oppidum Londinense pervenerant, quidquid ex mer-

An. Christi 292. &c.

Allectus Britanniæ Rex à Constantio cæsus.

Eumenius in Paneg. Constantio dicta.

ex mercenaria illa multitudine Barbarorum superfuerat cum direpta civitate fugam capessere cogitarent, passim tota urbe confecerint. O Victoria multijuga & innumerabilium triumphorum, qua Britanniæ restitutæ, quâ gentes Francorum penitus exciſæ ! At non tantùm recuperata Britannia, sed & Galliæ quoque, Hispaniæ, Italiæ, atque Africæ oras perpetuis piratarum Francorumque prædonum incursionibus liberatæ sunt. Nec solùm Franci, sed & ceteræ gentes hujus conjurationis participes ad imperium adactæ ; auctor enim Eumenius est in oratione sua, Constantium, receptâ Britanniâ, *interiores Franciæ nationes non jam ab his locis, quæ olim Romanis eripuerant, sed à propriis et origine suâ sedibus atque ultimis Barbariæ littoribus avulsisse, ut in desertis Galliæ regionibus collocatæ, et pacem Romani Imperii cultu juvarent, et arma delectu.* Non jam mirabitur quispiam Martiano & Valentiniano Cæsare Saxones, Anglos, & Vitas, Jutasve, de qua expeditione Beda memorat, classe in Britanniam penetrasse, ex quorum progenie S. Willebrordus, Suibertus, alijque Apostolici viri prodiere ; cum jam hac tempestate tantis copijs Franci ac Saxones, quos inter Frisios & Chaucos reputo, Britanniam impleverint, & gentis suæ familias in ijs reliquerint ; quando hi ipsi, qui superstites mansere, ad militiam Romanam etiam transijsse memorantur.

An. Christi 295. Quietæ hinc Galliæ ac Rheni limes, Maximiani & Constantij Cæsarum præsentiâ, validique exercitus metu. At postquam Maximianus bello Maurorum avocatus in Africam, novum ab Alemannis ad superiorem Rheni ripam bellum est resuscitatum, Diocletiano VI. & Constantio Coss. Nacti enim Alemanni Vicinæque Germanorum gentes Rhenum glacie denuo constrictum, cum ingenti bellatorum multitudine se effudêre in Gallias, & in Lingones delati, agros fœdum in modum depopulati sunt. Quo nuntio excitus Constantius, cum exercitu advolans in Campis Vindonensium consedit ; neque haud multò pòst, cum Alemanni pugnæ copiam facerent, improspera acie est congressus. Ipse ex prælio saucius cum exercitu se ad Vindonis oppidum retraxit. Ibi dum miles fugitivus intra oppidum recipitur, Constantius, qui postremum agmen ducebat, portis excluditur ; cumque metu Germanorum imminentium portas aperire non auderent, reste ex mœnibus demisso in urbem attrahunt. At Constantius nec casu suorum, nec vulnere suo abjectus, ubi hostium castra conspicatus est temere posita, milites juxta ac cives advocat, factaque in incautos eruptione post quinque horarum spatium Alemannos adortus in fugam abjicit. Cæsa eo die supra sexaginta millia Germanorum memorantur. Superstites ex clade se in insulam Rheni recepêre per glaciem ; quæ ubi mitescente cœlo soluta, omnes in deditionem venêre. Summam ea Victoria gloriam peperit Constantio & GERMANICI titulum, ut habet vetus inscriptio Nicomediensis.

An Christi 296. *Eutrop. l. 9. Aurelius Victor.*

Ingens Alemannorum strages per Constantium. *Baluzius in Notis ad Lactantium.*

OPTI-

OPTIMO. BENIGNISSIMOQ. PRINCIPI. FLAVIO
VALERIO. CONSTANTIO. NOB. CÆSARI.
GERMANICO. MAX. CONS. COLONIA
NICOMEDIENSIUM. D. N. M. Q. EIUS

Alemannis hinc injectus metus, ne cum bellicoso & vigilanti Cæsare exinde se committerent. Franci ad inferiorem Rheni ripam suis suis cladibus attriti continebantur.

Magna quoque per id tempus, devictis in Oriente, Ægypto & Africâ, haud secus quàm in Gallia & Britannia hostibus, tranquillitas, quæ Diocletianum & Maximianum Augustos Romam evocavit ad triumphum, quem uno curru invecti habuere fulgentissimum. Ducti in spectaculum Persæ, Ægyptij, Mauri, Gothi, Sarmatæ, Britanni, Alemanni, Franci. Triumphum excepit horribilis terræ motus, quo Sidon & Tyrus urbes subversæ. Mox sæva & inaudita in Christianos vexatio, quâ intra xxx. dies xvii. millia Christianorum varijs supplicijs absumpta. Et quis non horreat in una Ægypto cxliv. millia Christianorum trucidata; dcc. millia in exilium acta? Totus orcus in orbem effusus videri poterat. Consilium videlicet erat Diocletiani & Maximiani omne Christianorum nomen stirpitus ex Imperio exscindere : in quam quoque tyrannidem conspiraverat Galerius Cæsar. Mitior semper constantius, & à sanguine Christianorum abhorrens, quòd ab Helena priore conjuge ac Constantini matre creditus sit principia Christianæ religionis hausisse. Inde liberiores Christianorum cœtus Treviri, Moguntiæ, Coloniæ, & per Galliam; in qua & Constantius Cæsar per id tempus ex bellorum otio totum se convertit ad pacis studia, reparatæ urbes, instaurata castella ad Rheni limitem, firmata præsidia. Quamobrem Zosimus perhibet, ita Rhenum adversus Barbaros præmunitum fuisse, ut omnes copiæ militares istic sua domicilia habuerint, confluxerintque ad tutelam Rheni. Nec dubitaverim quin ut aulam suam, ita militiam plenam habuerit Christianis, quorum aspectu usuq; Christi religio per Germaniam & Rheni limitem multùm adjuta confirmataque sit. Inter hæc pacis opera celebres illæ seu Clivensium seu Augustodunensium Scholæ Constantij Principis liberalitate instauratæ: floruitque Gallia non modò disciplinâ militari, sed & liberalibus artibus egregie exculta fuit. Testes eruditi illi facundique professores & Oratores, Romani, Galli, Belgæque; doctrinarum monumenta sunt Panegyrici, historiarum nobis supplementa, ad Tullianam eloquentiam assurgentes. Adeò inter arma Romanis etiam literarum studia semper curæ fuerunt.

*Diocletianus haud multò pòst gravi morbo percussus, ac desperatione agitatus, ultrò imperio se exuit, quod idem Maximiano face-

An. Christi 302.

Inaudita Christianorum persecutio.

Zosimus l. 2.

* Annus Christi 303. 4. 5. Diocletianus & Maximianus imperio ultrò se abdicant.

re persuasit. Uterque ad privatam vitam secessit. Inde totum imperium ad Galerium, & Constantium redactum. Ille Orientis, hîc Occidentis fasces sumpsit, & cum eo Italia, Africa, Gallia, Germania, Hispania, Britannia Constantio obvenit; quanquam per summam moderationem ultrò Italiam & Africam cesserit Galerio, quas ille in duos sororum filios partitus est. Italia Severo, Africa Maximino data. Ceterùm Galerius & Constantius ingenio longè dispares. Ille in Christianos desævire perrexit; Constantius summâ humanitate complexus Christianos, quos & honoribus extulit, & in aulâ frequentes admisit, unum etiam Deum omnium moderatorem, uti Eusebius memorat, veneratus. Illud memorabile, ut aulicorum fidem exploraret, edixit promiscuè ut omnes aulæ ministri aut sacrificarent gentilium ritu, aut continuò aulâ suâ excederent; cumque alij Christianorum impium facinus detrectarent, alij ad sacrificia accederent, jussit postremos aulâ exturbari, asserens, nec fidem sibi præstituros, qui Deo fefellissent. Ceteri Christianorum dilaudati, & manere jussi in aulâ. Viva hæc politicorum nostri sæculi scena, ad principis gratiam ex unâ religione in aliam transilientium. Postrema exinde Constantij expeditio, quam Augusti nomine suscepit in Britanniam, fuit adversus Pictos & Caledonas. Opportunè verò accidit, ut priusquam solveret, Constantinus filius elapsus ex insidijs Galerij Cæsaris, patrem conveniret. Nec ille multum superstes ab accessu filij, Eboraci in Britannia morbo oppressus, VIII. Kal. Aug. extinguitur, uti hæc magnificè descripsit Gallus Orator: *Moriturus enim rogatus sententiam, cui imperium deferneret, dixit Constantinum Pium, filium annum trigesimum ingressum, cunctis qui aderant admitentibus.* * *Croco etiam Alemannorum rege, qui Constantium honoris auxiliique gratia in Britanniam comitatus fuerat,* suffragante.

An. Christi 306. Constantinus M. Cæsar.

7. *Victor in Constantio.*

**alij Croto.*

Mox Constantinus ab omni exercitu & provincialibus incredibili lætitiâ salutatus Cæsar. At ille adeo alienus ab hoc honore, ut subditis equo calcaribus, studia in se exercitus, ac Cæsaris nomen, atque onus subterfugere quæsierit. Totus exinde in paternum imperium successit, quem Hispania, Britannia, Gallia, & Germania Cæsarem habuit. Ac primum illi bellum fuit cum Francis, tanquam ferâ & indomita gente, quæ implacabiles animos gereret adversus Romanos. Rupto enim fœdere, quod cum Constantio patre erat pactum, transito Rheno in Gallias perruperant, omnia circùm latè vastando urendoque. Pellexit Francos cognita mors Constantij Cæsaris, tanquam freno ejus potentiæ liberatis, rebellandi opportunitas oblata esset. Duces hujus prædatorij belli Ascaricus & Ragaisus, quem alij Gaisonem vocant; alij reges appellant, gentis scilicet more, quos ex primoribus delegerant. Quæ ubi Constantino sunt relata, rebus in Britanniâ compositis, cum exercitu per Gallias advolat

Franci rebellis à Constantino M. devincuntur.

Eumenius in Paneg. Facerem.

ad

ad Rhenum, & loco opportuno adortus ad prælium stitit. Dimicatum pertinacibus utrinque animis & iris, profligati ad extremum Franci, cæsis circum reges multis primoribus; demum & ipsi reges in potestatem Constantini venère, quos deinde diris ad prodendum exemplum cruciatibus interfecit. Mirificè hanc victoriam extollunt Panegyrici, cumprimisque Nazarius: *Tu imperator optimo inito principatu adhuc ævi immaturus, sed jam maturus imperio, ostendisti cursum ætatis non exspectandum in festinatione virtutis. Tu ferocissimis regibus, Ascarico et comite, captis, tantâ laude res bellicas auspicatus es, ut jam inauditæ magnitudinis obsidem teneremus. Ut Herculem ferunt, tenerum adhuc atque lactentem duos angues manu elisisse, ut jam infantuli indoles futuri roboris emicaret: Sic tu imperator in ipsis imperii tui cunabulis quasi geminos Dracones necares, per sævissimorum regum supplicia ludebas. Franci ipsi præter cæteros truces, quorum vis cùm ad bellum efferveseerent, ultra ipsum Oceanum æstu furoris evecta, Hispaniarum etiam oras infestas habebat.* Explicatiùs etiam Eumenius Augustodunensis orator, sive quis alius Belga in Panegyri enarrat: *Imperatoris igitur filius, et tanti imperatoris, et ipse tam feliciter adeptus imperium, quomodo rempublicam vindicare cœpisti? ignobilem credo aliquam barbarorum manum, quæ repentino impetu et improviso latrocinio ortus tui auspicia tentasset. Affecisti pœna temeritatis reges ipsos Franciæ, qui per absentiam patris tui pacem violaverant; non dubitasti ulterius punire cruciatibus, nihil veritus gentis illius odia et inexplicabiles iras.... Te verò, Constantine, quantumlibet oderint hostes, dum perhorrescant: hæc est enim vera virtus, ut non ament et quiescant. Cautior licet sit, qui devinctos habet venia perduelles, fortior tamen est, qui calcat iratos. Renovasti imperator veterem illam Romani imperii fiduciam, quæ de captis hostium ducibus vindictam in orte sumebat. Tunc enim cùm captivi reges à portis usque ad forum triumphantium currus honestassent, simul atque in Capitolium currum flectere cœperat Imp. abrepti in carcerem necabantur.* Quantum deinde exultat orator in hac Constantini victoriâ: *Inde est igitur imperator pax ista quâ fruimur: neque enim jam Rheni gurgitibus, sed nominis tui terrore munimur. .... Sciunt posse Franci Rhenum transire, quos ad necem suam admittas; sed nec victoriam possunt sperare, nec veniam. .... Ubi nunc illa ferocia? ubi infida mobilitas? jamne procul quidem Rhenum audetis *attollere, et vix securi flumina interiora petitis.* Luppiam videlicet, Amasim & Visurgim. *Hæc est tua Constantine de Ascarici cinere, *Gaisique supplicio quotidiana atque æterna victoria.* Satis hæc aliaque quæ supra retulimus docent, ubi Francorum sedes trans Rhenum quærenda: *contra quos per intervalla dispositæ magis ornant limitem Rheni castella, quam protegant: ubi arat terribilem aliquando ripam inermis agricola et toto nostri greges flumine bicorni versantur.*

Numisma Constantini M. apud Spanhemiũ dissert. 8. p. 750.

Eumenius Paneg Eacerem Constant. dict.

* accolere.

*Ragaisique.

At non ita victi abjective Franci nostri trans Rhenum, ut orator

An. Christi 380.

Franci iterum rebellantes à Constantino M. domantur.

tor ille prædicat. Nam quæ Regum supplicia Constantinus M. ad terrorem gentis ediderat, Franci ad lacessitas iras & vindictam accepêre; ausique proximo anno vicini Rheno Bructeri, ceterique Francorum populi ad Luppiam atque Amasim incolentes unà cum Cattis bellum renovare, ad ulciscenda Regum suorum supplicia. Quo in apparatu dum versantur, Constantinus de machinationibus Francorum edoctus copias contrahit, transmissoque per Rhenum exercitu, priusquam adesse sentirent, incautos invadit, ne copiam ut antè refugiendi in silvas & paludes haberent; omnia occupat, ac miserabili prorsus hominum strage spolijsque per regionem Francorum grassatur. Uti hæc in Panegyrico Constantini explicatè referuntur: *Ut omnibus*, inquit, *modis barbarorum immanitas frangeretur, nec hostes regum suorum supplicia mærerent, etiam immensam Bructeris vastitatem feciſti Imperator invicte. In quo prima consilii tui fuit ratio, quod exercitu repentè trajecto inopinantes adortus es: non quòd aperto Marti diffideres, ut qui palàm congredi maluisses; sed ut illa natio perfugiis silvarum et paludum bellum solita frustari, fugæ tempus amitteret. Cæsi igitur innumerabiles, capti plurimi; quicquid fuit pecoris, interceptum aut trucidatum est: vici omnes igne consumpti; puberes qui in manus venerunt, quorum nec perfidia erat apta militiæ, nec ferocia servituti, ad pœnas spectaculi dati, sævientes bestias suâ multitudine fatigârunt.* Treviri hoc cruentum spectaculum editum contendit Browerus; Coloniæ Agrippinæ Gelenius, quòd istic in ponte fabricando commoratus sit. Postquam á vastatione ad hiberna regressus, victoriæ Francicæ ludi magnificentiâ regiâ celebrati sunt; in quò sanè clementiæ modum excessit Constantinus, quanquam tum nondum Christianis sacris imbutus, ut pro gentilium ritu id militi flagitanti dedisse videri possit: ad castigandam toties perfidam & rebellem gentem, nimirum barbaros barbarum in modum puniendos censuit. Factum ipse Julianus auditus improbare, ac sanguinarium ob id appellare. Supplicium id quoque ferale factum Eutropius recensetTropius recenset: *Cæsis enim Francis atque Alemannis*, inquit, *captisque eorum Regibus, quos bestiis etiam cùm magnificum spectaculum innumeris parasset, objecit.*

Eutrop. l. 10.

An. Christi 309.

Supra Panegyris Ascaricum & Ragaisum Reges in carcere necatos retulit. Utrumne Eutropius hos designet, an alios Francorum duces secundâ expeditione captos, ac feris cum hac impuberum multitudine objectos, incertum habeo. Id magis constat, Francos ceterosqne Germanos inter Rhenum & Visurgim, postquam hæc diritas suppliciorum in suos relata fuit, magnopere in novam belli conspirationem exasperatos fuisse. Tantùm aberat, ut pro ferociâ gentis animos & arma submitterent Constantino. Æstuabat tota regio vicinorum populorum indignitate suppliciorum, ultura facinus, quo nec superiores Cæsares liberum populum tractassent. Intelligebat

ligebat Constantinus quantum gentis odia irritasset : quanquam ferox gens esset, & nunquam quietura, nisi integre in servitutem veniret. Igitur ad perdomandos Francos tandem, Germanosque trans Rhenanos, in quo frustrà tot Cæsares ante se desudassent, pontem illum tot scriptoribus celebrem apud Coloniam Agrippinam Rheno imposuit, opus non ex ligno & contabulatis trabibus, quale Caji Julij Cæsaris aliorumq; fuerat, sed ex secto lapide & perduraturâ mole structum. Æmulatus nimirum Constantinus M. Trajani Cæsaris magnificentiam, pontemq; admirandi operis, quo Danubium junxerat. Stabant in alto Rheni gurgite per sua intervalla grandes pilæ, quibus fornicum arcus subnixi, veteri arte & structurâ solida, haud sine naturæ artisq; miraculo, uti sciographia eruditi viri exhibet. Ex adversâ Rheni ripâ Divitense munimentum à Constantino militum præsidio firmatum, ad pontis tutelam, terroremque Barbarorum; quanquam in pontis hujus structurâ, non tam necessitatem, quàm ornatum limitis Rheni, & majestatem populi Romani secutus sit. Libet hac super re Belgæ oratoris judicium, uti id coram Constantino pronunciatum est, audire: *Insuper etiam Agrippinensi ponte faciundo reliquiis afflictæ gentis Francicæ insultas, ne unquam metus ponat, semper horreat, semper supplices manus tendat; cùm tamen hoc tu magis ad gloriam imperii et ornatum limitis facias, quàm ad facultatem, quoties velis, in hostilem transeundi. Quippe cùm totus armatis navibus Rhenus instructus sit, et ripis omnibus usque ad Oceanum dispositus miles immineat. Sed pulchrum tibi videtur, et revera pulcherrimum est, ut Rhenus ille non solùm superioribus locis, ubi aut latitudine vadosus, aut fontis vicinia exiguus; sed etiam ibi novo ponte calcetur, ubi totus est, ubi plurimos hausit annes, quos hic noster ingens fluvius, et barbarus Nicer, et Mœnus invexit: ubi jam immani meatu ferox, et alvei unius impatiens in sua cornua gestit excedere. Servit profectò, Constantine Maxime, ipsa natura rerum numini tuo, quam in illa gurgitum altitudine, tantarum molium fundamenta jaciuntur, fidam et stabilem firmitatem habitura.* Stetit pons Agrippinensis à Constantino M. usque ad Ottonis M. tempora, quem Bruno Archiepiscopus Colonienſis Ottonis M. frater tandem dissolvi jussit : seu metu imminentium bellorum; seu quod latrocinijs infamis esset. Divitiensis munimenti cùm vestigia sunt in ipso cœnobio Tuitiensi, tum vulgatum illud ac celebre antiquitatis monumentum, quod hac Cippi inscriptione repertum sistitur ab eruditis viris : VIRTUTE. DN. CONSTANTINI. MAX. PII. FEL. INVICT. AUG. SUPPRESSIS. DOMITISQVE. FRANCIS. IN. EORUM. TERRIS. ··· MIL. CAST. DIVITENSIUM. SUB. PRÆSENTIA. PRINCIPIS. SUI. DEVOTI. NUMINI. MAJESTATIQE. EJUS. DUODEVIGINTI. HÆC. VOTA. FECERE.

Pons à Constantino M. Rheno impositus Coloniæ Agrippinæ.

Paneg. Constantino dictus.

Eumen. Paneg. in Constant. dictg.

Gelen. in Sacrar. Syntag 9.

Rupertus in vitâ S. Heribb

B. Rhenanus lib. 3. Brouverus l. 3. antiq. Trevir. Gelenius in Sacrario Syntag. 9.

Stru-

Structum fuit munimentum hoc in littore Francico, et terra Francorum, quam Rhenus tunc à Galliâ & Romano Imperio discludebat: ut cœcus aut hebes profectò sit, qui Franciam alibi quàm in Westfalia requirat. Ceterum ubi Franci conspexere, hoc gentis opere, & hac expeditione, totam belli molem in se devolvi, properè legatos miserunt ad Constantinum, qui pacem peterent, & obsides pollicerentur. Id nimirum Panegyricus dilucidè: *Certe quidem jam in exordio suo hostium monet obsequia, qui pacem supplices petierunt, nobilissimos obsides obtulerunt. Ex quo nemo dubitat, quin perfecto ponte facturi sint, qui jam serviunt inchoato.* Inter hæc dum admirabile pontis opus, & bellum Francorum tenet occupatum Constantinum Cæsarem, Maximianus consilia debellandæ Franciæ interturbat. Venerat is per id tempus Treviros, ad Constantinum generum suum, ubi dominandi libidine stimulatus, clandestina de resumendi imperij & Constantino eripiendi consilia inivit; & jam præfectos militesque præmijs illectos traxerat in partes. Quæ ubi per Faustam conjugem detecta sunt, marito quàm patri magis fidam, Constantinus Maximianum persecutus in Galliam, Massiliæ unà cum expugnatâ urbe cepit, & strangulari jussit. Homo suis fatis agitatus, qui tot annos natus bellum civile adversus generum susciperet: sed *nullis, ut res est, muneribus fortunæ explentur, quorum cupiditates ratio non terminat*: ita in suum exitium ire par erat, qui post tot Christianorum supplicia superis & mortalibus invisus erat.

Paneg. Constant.

Maximianus jussu Constantini strangulatur.

An. Christi 310.

Per hunc Constantini recessum à Rheno adversus Maximianum rursum Franci Germanique conspirare, & majorem quàm antè conflare belli societatem; in quam convenêre Bructeri, Chamavi, Tubantes, Cherusci, ceterique inter Rhenum & Visurgim populi: præterea Vangiones, Alemanni, & quæ superiorem ripam incolebant gentes barbaræ, ut jam duplex hostilis exercitus colligeretur in arma. Ita planè Panegyricus: *Quid memorem Bructeros, quid Chamavos, quid Cheruscos, Vangiones, Alemannos, Tubantes? bellicum strepunt nomina, et immanitas barbariæ in ipsis vocabulis adhibet terrorem; ita omnes sigillatim, dein pariter armati conspiratione fœderatæ societatis exarserant.* Omnes nimirum, præter vetus in Romanos odium, stimulaverat suppliciorum in populares acerbitas, quâ Reges eorum necati, qua puberes atque impuberes captivique cruentæ bestiarum lanienæ fuerant objecti. Prorsus videor ad Drusi Germanicique tempora redire, & ea bella narrando repetere, quæ tum ijdem Westfaliæ populi gessêre, semper à cladibus ferociores, belluarum instar, quæ stimulis agitatæ multò truculentius insurgunt. At postquam hæc conspiratio debellato Maximiano renunciata fuit, omne victoriæ momentum in celeritate posuit Cæsar, & præter Francorum opinionem repente ex Galliâ cum victore exercitu ad Rhenum advolavit,

Rursum rebelles Franci à Constantino domiti.

Nazarius in Paneg. constant

castris

castris ad Coloniam Agrippinam pontemque collocatis. Ibi Constantinus priusquam exercitum Rheno traduceret, dissimulato principis habitu, quàm proximè cum duobus accedit ad Francorum castra, prodeuntes benignè appellat, & spem illorum agitat versatque: dissimulat se esse præsentem, qui intra teli jactum coram cum ipsis loquebatur; invitat ad Rheni transitum, hortaturque Romanos per absentiam Cæsaris invadant. Dilaudat id Constantini factum Panegyricus: *quasi nunquam excelsior principatus, quàm cùm se publico submittit officio.* At plenum audaciæ, temeritatique propiùs, quàm fortitudini. Postquam omnia diligenter Constantinus explorârat, ipse mox cum omnibus copijs Rhenum transgressus, intra fines sedesque intimas Francos adoritur, factoque cum ijs prælio, secundò victor latè regionem percursavit; & quemadmodum antè fecerat, spoliatis agris, incensis vicis, raptis in captivitatem incolis cum exercitu ad Rhenum redijt: haud dubium ad Amasim atque Visurgim usque penetrasse: nam multa Constantini expeditione gesta sunt, quæ à scriptoribus desiderantur, adeoque hanc victoriam exaggeravit, Nazarius orator, ut dixerit, *unum hoc bellum, si debitis laudibus immorari vacaret, diem integrum absumpturum.* Neque tamen Constantinus hac belli expeditione rem ultra provexit, quàm quòd pacem, quam antè abnuerant Franci, daret attritis. Non castella', non præsidium militare, præterquam Divitiense ad Rheni ripam impositum. Nec alio in præsens bello avocatus, quàm quòd Treviros ad hiberna concesserit: & quia ad quintum imperij annum pervenerat, quinquennalia istic vota ritu celebri persolvit; concepta etiam decennalia. Inde quasi remisso debellandæ Germaniæ consilio, quam immenso populorum sinu conspicatus erat, ad pacis studia se convertit. Inter hæc Galerius alter Orientis Imperator & Christianorum tyrannus fœdo genitalium morbo extinctus: & quia Licinium Cæsarem dixerat, Constantinus ei sororem Constantiam in matrimonium pactus est ad firmandam concordiam, & imperium inter consortes imperij. Subinde Constantinus arma in Maxentium Tyrannum vertit. Nam cum is Romam per vim occupasset, & sevitia ejus Christianis non minus quam Romanis intoleranda esset, missi à Senatu populoque Romano legati, Constantini auxilia imploranes. Bellum id Cæsar magno apparatu suscepit, evocatis ex Hispaniâ, Galliâ, Britanniâ, & ab Rheno legionibus; censetque Zosimus, exercitum nonaginta millia peditum, octoginta equitum comprehendisse. Anxius interim Constantinus, seu ob Francos, ne per absentiam suam transito Rheno irrumperent in Galliam; seu magis ob Maxentium, quocum tota Italia expugnata erat contracto ad 170000. peditum & 18000. equitum exercitu; ad divinum auxilium sibi confugiendum esse censuit, atque eum, quem

An. Christi 311. Miser exitus Galerij Imp.

An. Christi 312. Insignis Constantini M. expeditio, & victoria de Maxentio relata.

quem pater veneratus fuerat, Deum implorandum. Igitur dum his belli susceptis curis agitatur sollicitus, & legiones in campum producit, videt signum crucis in cœlo mirifici splendoris, & circum coruscantibus literis legit. *In hoc signo vince.* Mirum prorsus spectaculum, ac portentum, quod à toto exercitu visum post meridiem, sole, jam in vesperum inclinante, celebratumque à Panegyricis, etsi pro ritu gentilis sui erroris opitulatori Jovi, non Christo attribuant. *In ore est*, inquit Nazarius, *omnium Galliarum, exercitus visos, qui se divinitus missos præseferebant: flagrabant horrendum nescio quid, umbone coruscis; et cœlestium armorum lux terribilis ardebat: tales enim venerant, ut tui crederentur. Hæc ipsorum sermocinatio, hæc inter audientes ferebant. Constantinum petimus, Constantino imus auxilio: illi cœlo lapsi, illi divinitus missi gloriabantur, quod tibi militabant. Ducebat hos credo Constantius pater, qui terrarum triumphis altiori tibi cesserat.*

Eusebius in Constant. Sigonius. Baronius & alij.

Signum in abaris postea formatum his duabus literis græcis in se deductis ☧ *quo simul crucis signum expressum. Chifl. in Vind. Hisp. Miræus.*

Veriùs hos genios cœlestes, aut Thebæos milites ad Rhenum cæsos martyres dixeris, Constantino cœlitus in subsidium missos ostensosque. Gelenius in agro Colonienſi id factum censuit, dum V. Maij ab Rheno ad Aram fluvium moveret. Nam inde exercitum traduci cœptum Panegyricus dixit: *Quum Rhenum toto limite dispositis exercitibus reliquerat.* Ac rursum: *Quis crederet Imperatorem tam cito à Rheno ad Alpes cum exercitu pervolasse?* Cúmque deinde oblatâ per quietem specie sui Christus eadem confirmasset, hortatusque esset, ut ad simile signum, quod viderat, militaria labara attolleret, Constantinus accersitis h Christianæ fidei doctoribus, cognitâque veritate religionis palàm se Christo addixit, palàmque Christianum se professus est. Inde alacri animo in Italiam movit, & unà cum quarta parte exercitus contra centum millia hostium Alpes transgressus primùm in Taurinorum campis, deinde ad Veronam acie commissa hostes fudit. Demum cum ipso Maxentio VIII, Cal. Octob. ad Tiberim in conspectu urbis Romanæ congressus, tyranni exercitum stravit. Memorabilis & celebris victoria, quâ octoginta millia Italorum, quadraginta Afrorum, ingens præterea Siculorum aliarumque gentium multitudo, universim centum & septuaginta millia peditum, decem & octo equitum millia ad internecionem prope deleta. Maxentius, rupto ponte Milvio, Tiberi haustus interijt. Caput tyranno præfectum, hastæque præfixum circumtulêre ad spectaculum milites. Is annus, quia Christi erat 312. tam illlustris victoriâ, & Christianorum felicitate, indictiones ab eo numerari scribique meruerunt. Cessit hac victoriâ Constantino Italia & Africa, & quidquid Maxentij fuerat: dum Maximinus interea Orientem teneret, sæviretque in Christianos. Quâ tyranni crudelitate D. Catharina cum alijs martyrium subijt. Profligato Maxentij exercitu, Constantinus senatum populumque Romanum ultrò se dedentem in fi-

Sunt qui haud procul Treviris signum id Constantino ostensum volunt: Sed verior est tententia Baluzij, ex Lactantio referentis, visionem hanc crucis Constantino ostensæ contigisse prope Milanum in castris, dum Romam obsideret. *Baluzius in Notis ad Lactantium de mortibus persecutorum.*

in fidem accepit, urbemque cum incredibili triumpho est ingressus. Rebus in urbe compositis, Mediolanum est profectus, ubi nuptiæ Licinij cum Constantiâ sorore ingenti lætitiâ celebratæ, latàque ab utroque Cæsare lege, libertas Christianæ religionis sancita est. Haud ultrò in Italia morari concessum, ob novos ad Rhenum motus. Quippe Franci Germanique per hanc Constantini absentiam rupto fœdere ad arma prosilierant, delectisque inter se belliducibus, Rheno cum exercitu imminebant, perrupturi, Galliamque universam turbaturi, ni Constantinus tempore occurrisset. Is enim ubi in Italia de periculo edoctus est, acceleratis cum exercitu itineribus citius ad Rhenum constitit, quàm adventantem didicerant Franci. Mox periclitandæ eorum fidei gratiâ ab Rheno cum copijs abscessit, simulato in superiori Rheno majori Alemannorum periculo, cui occurreret. Simul relicti in occulto duces cum copijs, qui Francos, si transirent Rhenum, ex insidijs interciperent. Successit ad consilia eventus. Franci Constantinum abscessisse rati, ad Rheni ripam convolant, irrupturi totis viribus in Galliam. Quo comperto, Constantinus uti naves ad id comparaverat, secundo Rheno per summam celeritatem provectus in Francorum fines cum exercitu irruit, incautosque oppressit : nec aliud in hoc repentino Constantini accessu perfugium fuit Francis, quàm ut in silvas & paludes se abderent. Cæsar inde latè liberéque regionem pervagatus cum victore exercitu summam vastitatem genti toties perfidæ intulit. Intimos tum Franciæ recessus cum victore exercitu penetravit Constantinus, atque ut Drusus olim, Germanicus, & Probus Cæsar, ad extrema redegit Francos : quando ut Panegyricus refert, *à Tibure ad Rhenum, imò ut omen et similitudo nominis sit, et tua imperator magnitudo animi pollicetur, à Tusco Albula ad Germanicum Albim prolaturus imperium accessisti.* Cladem hac expeditione illatam idem orator in hunc modum exaggerat : *Ruperat fidem gens levis et lubrica barbarorum, et robore atque audaciâ lectis eruptionis auctoribus instituisse Rheno nuntiabatur; illicò obvius adfuisti, et præsentiâ tuâ ne auderent transitum, terruisti : etiam videbaris rem votis tuis fecisse contrariam, quod inhibitâ eruptione non foret materia victoriæ, sed inopinato consilio usus : abeundo enim simulato nuntio maioris in superiore limite tumultus, occasionem stolidis ac ferinis mentibus obtulisti in nostra veniendi, relictis in occulto ducibus, qui securos adorirentur. Quo cùm venissent, consilium tuum sequitur fortuna, toto Rheni alveo oppletis navibus devectus, terras eorum, ac domos mœstas lugentesque populatus es: tantam cladem vastitatemque perjuræ genti intulisti, ut vix post illud nomen habitura sit.* Sed fallitur orator : Non hac clade nomen Francicum extinctum cum gente : quæ licet hoc bello extremum afflicta acciſaque fuerit, multò tamen robustior, clariorque exinde se extulit. Eadem illa est provincia inexhausta, quæ Augusti Tiberijque tempo-

An. Christi 313. Franci Germanique à Constantino cæsi & afflicti.

ribus toties excisa credebatur, pòst tamen omnes exinde Cæsares ad Constantinum usque fatigavit, donec perrupto demum Rheni limite, gens Francorum Gallias occuparet, primam regni sui sedem. Neq; Constantinus post hanc cladem Francos perdomare institit, publicis Imperij negotijs, alijsque bellis abreptus. Multò etiam salubrius rem Christianam suscepit ordinandam, quo in negotio sacro dum ad Rhenum obhæsit, & ut reor, Coloniæ Agrippinæ (quamvis Sigonius Arelate, Browerus Treviris factum velit) sollicitatus Donatistarum ex Africa literis, Maternum eo nomine secundum Episcopum Coloniensem, cum Rhetitio Augustodunensi, & Marino Arelatensi Episcopo Romam mittit ad Miltiadem Romanum Pontificem: indictumque concilium, in quo causa Cæciliani Episcopi Carthaginensis falsò à Donatistis accusati agitaretur. Hærebat tum lateri Constantini Imperatoris integerrimus hic Agrippinensium Episcopus; aderat & Helena, non illa castrorum, sed templorum mater. Nec jam mirum tot vetusti & Augusti operis templa Treviri, Bonnæ, Coloniæ, Sanctis, alijsque in locis surrexisse, quæ ad Constantini & Helenæ matris pietatem antiquissima hæc sacrorum monumenta se referunt. Fateturque id Belgicus orator, Constantinum tum occupatum fuisse, *ut loca publica et templa pulcherrima suâ liberalitate repararentur; Basilica et regia opera sideribus et cœlo digna consurgerent.* Quin Sigonius Ticini templum S. Michaëli structum à Constantino, dicatumque anno proximo memorat ob victoriam Francicam, quòd hanc Archangeli patrocinio partam detulerit. Ut omittam basilicas D. Petri ac Pauli, quas eodem anno Constantinus M. Romæ admirandâ structurâ cœpit: ne quid Pontano relinquatur in Ticini templo carpendo. Quanquam inter omnes basilicas Helenæ nihil Rhenus habeat magnificentius opere Regio, quàm Santensem. Et verosimile est has Helenæ fabricas captivorum Francorum manibus magnam partem surrexisse, quos Romani ad hujusmodi opera damnare soliti, quando multò adhuc duriùs cum his captivis actum: Enimvero postquam ab Rheno Treviros digressus est Constantinus M. ludos victoriæ Francicæ regiâ magnificentiâ edidit, eosque cruentos, & Francorum sanguine oblitos. Rursum enim captivi bestijs objecti, ut ab oratore, qui victoriam à Francis reportatam tradidit, exaggeratè relatum est: *Quid enim hoc triumpho pulchriùs? quo cædibus hostium utitur etiam ad nostram omnium voluptatem; et pompam munerum de reliquiis barbaricæ cladis exaggeras, ac tantam captivorum multitudinem bestiis objicis, ut ingrati et perfidi non minus doloris ex ludibrio sui, quàm ex ipsâ morte patiantur. Inde est, quòd cùm exitium differre liceat, perire festinant, seseque lethalibus vulneribus et mortibus offerunt. Ex quo facilè appareret, quàm magnum sit vicisse tam prodigos sui. Facilè est vincere timidos et imbelles, quales amœna Græcia, vel deliciæ Orientis educant. Romanum verò mili-*

Veria à Constantino & D. Helena templa erecta.

militem, quem disciplina ordinat, aut trucem Francum ferina solum carne distentum, qui vitam pro victus sui vilitate contemnit, quantum sit nobis superare vel capere? Tam præclarum sanè gentis Francicæ elogium, quàm crudele exemplum, captivos bestijs dilaniandos objecisse: quasi suppliciorum acerbitate vincendi, qui virtute bellicâ frangi non poterant. Constantinus id sibi & militum gratiæ indulserit, quod nondum baptismatis fonte ablutus, omnes gentilium mores feritatemque exuisset. Certè Eusebius barbaros fluminis Rheni & Occidentalis Oceani accolas, homines intractabiles & præcipiti audaciâ identidem tumultuantes, ideo à Constantino ferarum in modum tractatos perhibet, quòd ad nullam humanitatem traduci posse comperisset. Longè alius mitiorque Constantinus postquam ex integro Christianus, *vetus, veterrimumque supplicium patibulorum et cruribus suffringendis* primus removit: uti hæc præter Sozomenum & Nicephorum Aurelius Victor gentilis scriptor tradit: *hinc pro Conditore seu Deo habitus.* Veriùs dixisset supplicium crucis à Constantino submotum, quòd eo Christus Christianorum Deus sublatus: perinde ut à Christianis Imperatoribus inhumana illa gladiatorum, & cruenta hominum cum bestijs pugnantium spectacula exinde sublata sunt. Haud mirum Romanos Barbaris cessisse in prædam, qui tam barbara perpetrabant, quæ nec inter ipsos Barbaros spectata.

Victor. in Const. Zozom. lib. 1. c. 8. Niceph. l. 7. c. 46.

An. Christi 314. Novum Constantini bellum cum Licinio.

Novum exinde bellum cum Licinio Cæsare Constantinum à Francico Germanoque bello abstraxit. Propinquâ quidem affinitate Licinius erat innexus Constantino, & magnâ animorum ac religionis etiam conjunctione partiti inter se erant Imperium. Verùm, ut raro concors increscentium potentia, postquam Licinius superato depulsoque Maximino totum sibi Orientis Imperium adjunxerat: iniquè id tulit Constantinus, quòd tam suo, quàm Licinij milite hæc victoria parta esset. Ob quæ partitionem ex æquo petijt Constantinus: quod ubi detrectavit Licinius, bellum illi intulit, victumque aliquot secundis prælijs in has conditiones adegit, ut Illirium, id est, Pannoniam, Daciam, Dalmatiam, Mœsiam ac Macedoniam sibi cederet, retentâ Thraciâ cum Asiâ, Ægypto, ac toto Orientali Imperio Pactum hoc ac fœdus utrimque juramento firmatum. Quibus prosperè confectis, Constantinus Romam profectus est ad decennalia Imperij celebranda. Editi in his ludi victoriæ ingenti apparatu, & incredibili Christianorum lætitiâ, nihilque in ijs cruenti spectaculi; quòd sensim in Christianas leges mitesceret. Eâ simul celebritate Crispum & Constantinum filium Cæsares dixit. Ipse deinde Imperator in Illyrium profectus est adversus Gothos, Sarmatas & Scytas; quòd gentes illæ barbaræ haud secùs, quàm Franci Imperij provincias percursaverant. Nec minus de Fran-

Et cum Francis, ad quos mittit Crispum filium & vincit.

cis sollicitus, Crispum filium Cæsaremque in Galliam ad Rheni limitem tutandum misit. Jam enim per hanc Constantini, bello Liciniano, absentiam ausa fuerat ferox gens arma resumere. Additi Crispo selecti disciplinarum magistri, quorum alij florentem juvenem bellicis, alij liberalibus simul artibus excolerent. E quorum numero Lactantius Firmianus, Arnobij ante discipulus, ac Nicomediæ professor eloquentiæ, extremâ senectute, uti Hieronymus scripsit, cum Crispo in Galliam descendit, vir eâ tempestate disertissimus, ob id Christianus Cicero appellatus; quamvis adeò pauper, ut plerumque necessarijs etiam indiguerit. Licuit interim viro sapienti lustrare Galliam, & Rheni limitem, interque Barbaros Christianis patrocinij manum porrigere apud Cæsarem suum. Jam enim aulam & militiam impleverant Christiani; jam Treviri, Moguntiæ Coloniæ, ceterisque per Galliam, Germaniam citeriorem & ad Rhenum locis pleni Christianorum cætus sub Episcoporum suorum imperio celebrabantur. At Crispus Cæsar ubi ad Rhenum perlatus est cum exercitu, reperit Francos in armis, & ex prioribus Constantini patris cladibus exasperatos, etiam ad pugnam se offerre; quos conserto Crispus prælio fudit, & ad quietem repressit. Celebravit hanc Crispi pugnam cum Francis Nazarius, magni per id tempus in urbe nominis, oratione quam in Quinquennalibus beatissimorum Cæsarum Romæ dixit: *Franci*, inquit, *sub armis tuis ita conciderant, ut deleri funditus possent, nisi divino instinctu, quo regis omnia, quos ipse afflixeras, conficiendos filio reservasses. Quanquam ad gloriam vestram fœcundata malis natio Francorum, ita raptim adolevit, robustéque recreata sit, ut fortissimo Cæsari primitias ingentis victoriæ daret, cùm memoria acceptæ cladis non infracta, sed exasperata pugnaret.* Prorsus ad eum modum, quo, Augusto & Tiberio Cæsaribus, à cladibus semper robustior ferociorque surrexit: tanquam immortales apud eam gentem legiones exercitusque, quos cæsis itentidem sufficerent, nascerentur. Celebravit & Crispi ad Rhenum cum Francis bella Publicius Optatianus Poëta in Constantini Panegyrico:

Euſebius in Chron.

Freherus in notis ad Ausonij Mosellam.

Sed Crispi in fortia vires
Non dubiæ ripâ Rhenum Rhodanumque tueri,
Ulteriora parant, et Francis tristia jura.

Idem mox Poëta inquietos & bellicosos hosce populos, Francos nimirum & Alemannos, Crispi Cæsaris virtute ab Rheni transitu prohiberi tradit:

Omnis ab Arctois plaga finibus horrida Cauro,
Et tibi fida suis semper bene militat armis,
Resque gerit virtute tuas populosque feroces
Propellit.

Et

Et quæ in hanc rem pertexit. Una hîc tandem cum alijs jactura, non extare scriptores, qui exactè hæc consignârunt, quæ ex Panegyricorum lacinijs contexenda sunt. Ceterùm Crispus dum Galliam & Rheni limitem egregiè tutaretur, Treviri ut plurimùm in palatio paterno versatus est. Permansit in eo munere ad annum Christi CCCXXIII. quo bellum adversus Licinium Cæsarem susceptum à Constantino; quâ expeditione in Orientem factâ, Crispum filium sibi belli socium esse voluit, relicto in ejus locum Constantino filio ac Cæsare jam appellato: qui Galliæ Germaniæque præses, per 17. annos ad vitæ exitum, multis exinde bellis Alemannorum & Francorum clarus fuit. At bellum Licinianum quàm æquis ex causis susceptum, tam felici exitu terminatum. Inquietus semper Licinius; urebatque animum impatientius, quòd Illyrij provincijs exutus esset: eò simulatâ prioribus annis amicitiâ, occultis Constantinum insidijs appetere cœpit; quarum semper irritus, quòd retegerentur, homo perfidus, atque ad desperata Consilia abreptus, desertor Christianæ religionis, ad cultum inanium deorum redijt, omnique tyranno sævior per Orientem Christianos afflixit. Eò fidentiùs Constantinus post imploratas sacerdotum preces, prælatoque salutifero Crucis signo bellum intulit; quem sœpiùs exinde prælijs victum fregit, donec postremâ acie ad internecionem deleretur. Prodigiumque fuit ex Licinij exercitu, quem centum triginta millium produxerat, triginta tantummodo milites prælio evasisse. Per hanc cladem omnibus provincijs & regnis exutus, ad privatam vitam secedere jussus; ac demum cum jam tertiùm res novas moliretur, Thessalonicæ peremptus est. Ita verò totum Imperium Romanum ad unius Constantini M. monarchiam adactum, quem Christianus orbis feliciorem potentioremque conspexit, quàm Roma Augustum. Jamque omnibus tyrannis debellatis, jamque devictis hostibus exteris, barbarisque gentibus intra fines suos repressis, Imperium Romanum, uti Augustus antè fecerat in novas provincias descripsit, distribuitque inter quatuor præfectos cum supremâ & vicariâ administratione, qui vel consulares, vel præsides, vel correctores appellati; præterque magistros militiæ, magistri peditum & equitum cum aucta potestate delecti. Erant & limitum duces, quorum munus fines tueri, vectigalia exigere, stipendia militibus numerare: ab his Marchionum nomina & munera deducta. Quam ad formam Franci pòst regnum ordinârunt, uti hæc notitiâ Imperij à Sigonio & Browero multis traduntur. Ceterùm Imperij descriptio sic facta. Oriens in XV. provincias distributus: Ægypti sex provinciæ factæ, Asiæ decem, Ponti totidem, Thraciæ sex, Daciæ quinque, Galliæ septendecim; quas inter Belgica prima & secunda, Germania prima & secunda, veterem ad modum descriptione. Nullam ego hîc adhuc reperio Germa-

An. Christi 323. &c

Licinius à Constantino planè deletus.

Totum Imperiũ ad unum Constantinum Imp. devolutum.

Germa-

niæ

nia transrhenana nunquam in provinciam redacta.

niæ transRhenanæ provinciam, nullam inter Rhenum & Visurgim; quam tamen Germaniæ partem, quæ tum Francia appellabatur, tot expeditionibus acerrimè debellandam susceperat Constantinus M. tanquam in hoc uno minor, quòd devicto orbe sola Francia Germaniaq; adhuc invicta; aut, ut periculo verbi loquar, æmula haud multò pòst futura staret Romani Imperij. Quod ipsum multò testatius Nazarius in Panegyri audiente Constantino palam dicere ausus: *Jacet in latere Galliarum, aut in sinu tuo fusa barbaria, per se ipsa potens natio, et pòst Romanam magnitudinem in terris secunda.* Ac is tum status erat, ut retinendæ potiùs felicitatis votum gererent Romani, quàm augendæ cupiditatis, proferendique trans Rhenum imperij: quòd hunc fluvium ita natura ductum crederent, ut eò limite provinciæ ab immanitate barbariæ vindicarentur. Sublato Licinio Constantinus M. per tredecim annos Romanum Imperium seu terrore armorum, seu potentiâ monarchiæ pacatum obtinuit. Nec bellum dehinc grave habuit, præterquam cum Gothis & Sarmatis in Illyrium irrumpentibus, quos magnitudine rerum suarum aut territos, aut armis domitos intra terras suas continuit. Atque ut Imperij limites istic firmaret, castella & præsidia militum Danubij ripæ priùs à Trajano, deinde à Diocletiano imposita removit, militesque limitaneos intra oppida communita contineri voluit: quod tamen, ut Zosimus retulit, à multis improbatum est. Pontem interim Lapideum admirandi operis Danubio instravit: æmulâ Trajani magnificentiâ, ad continendos Gothos & Sarmatas, cæterasque barbaras nationes. Rheni limiti haud minùs prospectum, quando ponte ad Coloniam Agrippinam jam absoluto, præter castella, arces, & burga, ut scribunt, à Maximiano constructa. Constantinus oppida & urbes præmunijt, ac limitaneis militibus civibusque incolis, ut in Illyrio fecerat, implere cœpit. Inde Moguntia, Confluentia, Bonna, Colonia, Novesium, Sancti, ceteræque ad Rhenum civitates excoli, & Christianorum cætibus impleri cœperunt. Galliæ interim & Rheni limiti custodiendo impositus, ut diximus, Constantinus, post Crispum filium, quem à primis juventutis annis militiâ exerceri voluit: & is Rheni limites adversus Francos & Alemannos vivo patre defendit; ac Franci tanti Cæsaris potentiâ frenati quievere. Postremum Constantino M. bellum fuit adversus Persas. Tertia enim hæc gens, præter Germanos & Gothos, quæ Romano Imperio semper formidabilis fuit. Eâ in expeditione Nicomediæ in suburbio morbo extinguitur, anno ætatis sexagesimo quinto, imperij uno & trigesimo, Imperator bellicâ fortitudine, armorum felicitate, omnibusq; imperatorijs virtutibus incomparabilis, Cæsarum omnium maximus: unâ tamen maculâ notatus, quòd Crispi filij & Faustæ uxoris nece domum fœdârit. Hæc æquiore pœna in balneis extincta; ille innocens

Nazarij in Paneg. Quinquen. Constantin. & fil Dict. Paneg. Maxi. dict.

Moritur Constantinus M.

innocens ad falsas novercæ accusationes præcipitantiùs morte damnatus. Haud immeritò fortè luctum hunc domesticum sensit, qui tot domos per Franciam innocentum cædibus & ferarum laniatu funestârat. Quæ tamen omnia jam antè pœnitentiâ expiata, postquam anno Christi 324. fœdo lepræ morbo infectus, evocato ad se Sylvestro Pontifice utramque labem salutari Baptismatis undâ absterſit. At multò infelicior sub feliciſſimo Cæsare Christiana religio, Arianâ hæresi, quæ arte dæmonis invecta nocentius afflixit Ecclesiam, quàm tyrannorum carnificinæ. Vix quies ab his data, cùm hoc intestinum malum ex Christianorum viscеribus natum, totum propè orbem corrupit; & quia id leniùs punivit Constantinus, filium eâ hæresi infectum pati necesse fuit. *Baron.*





LIBER IV

VVESTFALIÆ FRANCICÆ.

Continuata Francorum lucta pro Rheni limite.

POst Constantini M. excessum', uti pater testamento præscripserat, Imperium in tres filios divisum. Constantino natu majori Gallia, Germania, Hispania, & Britannia: Constantio medio inter fratres Oriens, & cum eo Ægyptus & Thracia; Constanti minimo natu Italia, Africa & Illyrium cessit. At verò quantùm pater omnes ante se principes, sapientiâ, religione, magnitudine animi, ac rerum abs se gestarum claritudine præstabat, tantùm à paternâ indole degenerârunt filij. Adeò ætas semper pejores tulit, etiam in regnatrice domo. Brevis tanti Imperatoris felicitas, qui ne in nepotem quidem filiorum ullum transmisit imperium: quòd fatis suis abruptum est, finitumq; in filijs, sine herede extinctis. Constantius ab Arianis seductus, sectæ ejus acerrimum se propugnatorem dedit, hostem Catholicis infestissimum. Deplorandus ob id Oriens; at felicior Italia Constante, Galliaque & ceteræ trans Alpes provinciæ Constantino, quorum uterque in paterna religione perstitit: bello etiam felices aliquamdiu, dum concordes bonique manserunt. Ceterùm audito Constantini M. obitu, Persæ, Gothi, Sarmatæ, Scythæ, Germanique, confatales illæ barbarorum nationes, tanquam classico dato convolavêre ad arma. Ex Germaniæ gentibus Alemanni & Franci, illi superiorem, hi inferiorem Rheni ripam transcendendo, incursavêre Gallias. Constantinus primùm in Alemannos duxit copias, & clade illa-

An. Christi 337. Constantinus Constantius Constans, Constantini M. filij Cæsares. *Eusebius. Zosimus l. 2.* An. Christi 340. &c. *Socrat. l. 2. c. 10.* Bellum Alemannorum & Francorum adversus Constantinum Constantini M. filium.

illatâ trans Rhenum pepulit. Periêre quidem hæc cum Ammiani libris; sed cùm testes percussi nummi reperti, in quibus victoriæ hujus tropæa cum laureato titulo, *Alemanniæ devictæ*, Constantino filio inscribuntur: haud dubitare fas erit, insigni fortitudine ac victoriâ bellum hoc Alemannicum ab eo gestum esse. Alterum adversus Francos bellum fuit, ejusque non obscura vestigia ex Julio Firmico Materno. Nam multa hic auctor de Constantini & Constantis fratrum rebus gestis: *Vicistis hostes. ··· Nunquam vos manus Dei veneranda deseruit. ··· Strati sunt adversantium cunei, et rebellantia ante conspectum vestrum semper arma ceciderunt. Vicistis hostes, propagastis imperium, tumentes etiam ac sævientes undas calcastis Oceani, insperatam imperatoris faciem Britannus expavit.* Quæ Francis adscribenda opinatur Browerus, seu qui Rhenum transgressi involârunt in Belgicam, seu qui piraticam denuò repetendo penetravere in Britanniam. Pari fortitudine bellum Constans Cæsar in Pannonia adversus Barbaros gessit. Quæ fratrum præclara facta haud immeritò queritur Sigonius excidisse ex annalium memoria, Sed hunc fortunæ cursum, ut inter consortes imperij rarò certus est limes, turbavit Constantini ambitio. Questus enim primus per literas apud Constantem fratrem, æquum esse, ut qui cæteros fratres anteiret ætate, idem imperij dignitate & provinciarum amplitudine superaret: petere igitur ut Illyrico contentus, sibi Italiam & Africam cederet. Abnuit id Constans Cæsar, & testamento patris standum respondit. Inde civile bellum inter fratres, magno Reip. Christianæ detrimento. Cúmque Constantinus è Gallia per Noricum armatus iter intenderet in Pannoniam, occurrit frater. Ac nondum in conspectum mutuum venerant, cùm Constantinus per præmissos à fratre præfectos ex insidijs interimitur, haud procul Aquileiâ. Cadaver occisi in Alsam fluvium abjectum; itaque ne tumuli quidem honore potitus est, qui tot terrarum possessionibus non acquieverat. Omnis deinde Gallia, Germania, Hispania, Britannia, quæ Constantini fuerat hereditas, ad Constantem devoluta est. Sed vix Galliam ingressus adeundæ possessionis gratiâ, cùm barbarorum motibus revocatur in Pannoniam; quasi ad hoc barbari sint, ut regentum vitia puniant. Et vix dum Pannoniam cum exercitu intravit, cùm novus à tergo hostis barbarus exortus. Nam ubi à Francis compertum, educto belli robore Galliam debilitatam à Constante, plenis agminibus sese per Rhenum effudêre, invitis, & frustrà obluctantibus Constantis Cæsaris ducibus, in utrâque Belgicâ relictis. Atque hæc barbaræ gentis incursatio tantos motus concivit, ut quemadmodum Socrates memorat, tota Respubl. Romana in periculum venerit: tanquam Franci laxato fœno universam Galliam rapturi essent. At Constans Cæsar postquam de eruptione Francorum edoctus fuit, desertâ Pannoniâ, reflexit

Julius Firmicus V. C. Tom. 5. biblioth. SS PP. c. 12. & 21.

Constantini cædes, à Cõstante fratre illata.

An. Christi 342. &c.

Eusebius in Chron. Zosimus l. 2. Socrates l. 2. Orosius l. 7. c. 29. Ammian. lib. 15. Cedrenus.

Franci sub Constante rebelles Gallias infestant.

flexit exercitum in Francos ; tanquam ex perrupto Rheni limite majus quàm ex Danubio malum incumberet. Traducto in Galliam exercitu, bellum acre & memorabile exarsit, quod multis prœliis & vario eventu est gestum. Ejus deinde non alius fuit exitus, ut D. Hieronymus memorat, quàm quòd cum Francis transactum: *Franci*, inquit, *à Constante perdomiti, et pax cum eis facta.* Nulla alia vindictâ sumptâ, quàm quòd ex fœdere renovato trans Rhenum in fines suos redire permiserit, liberamque gentem, id est, Francos reliquerit, affectatâ magis amicitiâ, quàm bello ad necessitatem gentis expressâ. Rebus ad Rhenum compositis, Constans Treviros ad hiberna secessit; ac licet modò in Pannoniam profectus, modò in Galliam redierit, multaq; præclarè gesserit pro Catholica religione adversus Constantium fratrem, Arianæ hæresis acerrimum propugnatorem, ad extremum tamen remissâ bellorum curâ totum se venationibus, & fœdis mulierum amoribus, bellicam, ut fit, virtutem enervantibus, se permisit: quibus ut liberiùs vacaret, à publicis congressibus, ad voluptatum recessûs se subtraxit. Eò primùm in contemptum apud milites est aductus ; mox etiam, præfectorum quorundam studio, Magnentius Comes, & Constantis per Galliam legatus, vir bellicâ fortitudine egregius, Augustoduni Cæsarem se appellat. Christianum fuisse censuit Baronius; quique primùs è Christianis contra Christianos arma sumpserit, origine barbarus, ut victor & Zosimus retulit, & quod ex Juliani oratione reputes, Francus. Is deinde, postquam imperium rapuerat, Francos & Saxones inito fœdere in societatem belli traxit, tanquam gentium earum imperium per Constantis inertiam traducturus in Galliam. Eâ re cognitâ, Constans fugere conatus, apud oppidum Helenæ Pyrenæo proximum, à Gaisone cum lectissimis misso percussore, sceleratè interficitur. Addit Marcellinus, unum ex asseclis Lanogaisum tribunum, gente Francum, extrema pro vita Cæsaris arma intrepidè corripuisse; ita quantùm ab altero Franco perfidiæ, tantùm ab altero fidei expertus Cæsar. Vulgata Constantis Cæsaris nece, Vetrannius in Pannonia, Nepotianus Romæ purpuram sumunt: jamque tribus tyrannis Occidentis Imperium discerpebatur. Prævaluit Magnentius dominatu per Galliam, Germaniam, & Hispaniam arrepto: mox & Italia adjecta, postquam ejus factione studioque Nepotianus Romæ occisus. Quibus in tantam spem erectus Magnentius, ausus ut fuerit legatos mittere in Orientem, ad Constantium Cæsarem placandum, viros eâ tempestate celebres, Maximinum Trevirensem, & Servatium Tungrensem Episcopos: additi his duo comites Clemens & Valens, (tanta etiam ex scelere fiducia erat) quos cùm benignè accepisset Alexandriæ Athanasius ab Arianis denuò in suspicionem conspirationis adductus, à Constantio Ariano Cæsare in exilium projicitur.

D. Hieronymus in Chron. Brouverus An. Trevir. lib. 4.

Constans Cæsar se venationi, & mulierum amoribus dat.

Aurelius Victor. Zosimus l. 2. An. Christi 350. &c.

Magnentius Constanti rebellis Cæsarem se dicit.

Magnentius Francos & Saxones sollicitat in societatem belli.

Orat. 1. de laud. Const.

Constantis Cæsaris cædes.

Constante cæso tres Tyranni Imperium turbant.

Athanasius in Apolog.

Magnentius gente Franc⁹ Imperiũ Occidentis arripit.

Interim Magnentius rebus secundis, & popularium auxilijs inflatus, juvenis viginti septem annorum, Decentium & Desiderium fratres Cæsares dixit. Desiderio Hispaniam, Decentio Galliam custodiendam tradit: ipse cum exercitu in Italiam properat ad domicilium arcemque Imperij occupandam. Aderant illi affinitatis nomine promptissimi, bellorumque socij Franci & Saxones, ultra Rhenum atq; Occidentis mare incolentes, ut Julianus scribit, nationes omnium bellicosissimæ. Urbes omnes, & castella Rheno propinqua, præsidijs nudata, relinquebantur barbaris: adeò tota vis & belli moles in Italiam erat contracta à Magnentio. Quibus cognitis, Constantius Cæsar, quantumvis bello Persico premeretur; primò Vetrannium in Pannonia arte regno exuit; attractoque ejus ad se exercitu, cum toto deinde belli robore in Italiam movit. Eò priusquàm veniret, occurrit Constantio Cæsari Magnentius in Pannonia ad Mursam, ubi acerrimo prælio 4. Kal. Octob. decertatum. Profligatus primùm Constantij exercitus; mox reparatis viribus & iris, Magnentij exercitus obteritur, ipso Magnentio in fugam abjecto. Stetêre interim Franci & Saxones fortissimè dimicando, immotiq;, dum à catafracto Constantij equitatu acies laxaretur in fugam. Summum victoriæ hujus momentum à Sylvano Franco, Bonniti viri fortissimi filio, qui ante prælium cum lectissimo equitatu ad Constantium transfugerat: adeò tum compertum etiam Germanos nonnisi à Germanis Francis vinci posse, omnemque hujus prælij fortunam in manibus Germanorum versatam esse. Magnentius fugâ Aquileiam delatus, ubi hyemem exegit in restaurandis viribus, Italiáque conservandâ. Sanè studia multorum in Magnentium eò proniora fuêre præ Constantio, quòd Christianus haberetur nullâ hæresi infectus, dum Constantius hæreticus imperator omni tyranno acerbior tractaret Orthodoxos. Et magnum præstitissent Franci Germanique, si hunc gentis suæ Cæsarem concordes provexissent. Per has in Italia factiones, Magnentijque studia, Gaiso Francus, etsi Constantis interfector, primus ex gente Francorum fastos consignavit, quippe qui cum Magnentio consulatum Romanum inijt; Christianusne fuerit, incertum habeo.

Franci & Saxones Magnentio se jungunt.

Constantius & Magnentius pro Imperio occidẽtis decertant.

Sylvani Franci bellica fortitudo.

Gaiso Francus Consul Romanus.

An. Christi 353. Magnentius ex clade desperabundus se ipsum interimit.

Vere proximi anni ineunte, Magnentius sese ad Italiæ clausstra defendenda recepit: ubi denuò fusus: desperatisque rebus profugus in Gallias, Lugduni suo se gladio transfodit: quâ desperatione Decentius quoque frater sibi manus intulit. Tam brevia horum imperia fuere; nec aliter tam magna ausi sunt, nisi per Francorum potentiam, quâ in aulis Cæsarum & militiâ valuêre; ex quo primùm ob bellicam indolem unà cum alijs Germanis à Constantino M. in militiam tantâ multitudine delecti, primùm ob necessitatem, quò contra tyrannos ac barbaros Imperium firmarent: tum ut in Romanam

socie-

societatem assuefacti attraherentur; eò summis honoribus domi militiæque provecti. Quòd sanè quo malo Reip. factum sit, eventu cognitum est; nam etsi multi ad Christi simul religionem transirent, fidemque quam Deo jurârant, Cæsari etiam impenderent; multi tamen inter hos barbari, aut pro insito Francorum ingenio fallaces, qui populares suos in opem prædæ per Rhenum traxêre, exploratisq; omnibus viam sibi ad rapiendum imperium stravêre: ut vel inde Constantino M. vitio datum sit, exercitus suos tot barbaris legionibus impleviſſe: qui postquam hospites facti erant, posteà exploratis omnibus sese dominos, imperijque possessores tulêre, primùm cupiditate spoliorum, deinde regentium vitijs, demum ambitione regnandi provocati.

Constantius Orientis & Occidentis Imperator.

Sublato Magnentio, omne dehinc imperium ad unum Constantium Arianum imperatorem adactum, miserrimo religionis Catholicæ statu. Et Constantius postquam debellato Magnentio victor Galliam est ingressus, fœdum in modum ab Alemannis & Francis tractatam vastatamque reperit. Nam flagrante inter ipsum & Magnentium bello, hæ barbaræ gentes, suprà infraque transmittendo Rhenum, in citeriorem Germaniam Galliamque se immiserant. Alemanni hac irruptione sibi regem delegerant Chonodomarum, qui *et Decentium Cæsarem æquo Marte congressus superavit, et multas civitates erutas*, ut Ammianus est Auctor, *opulentasque vastavit*. Sed hujus ruinæ ipse Constantius causa, à quo Alemanni corrupti, illectique muneribus adversus Magnentium erant, quò cuncta tyranni hujus faceret asperiora. *Julianus orat. 2. Mamertinus in Paneg. Julian. Ammianus lib. 16. Zosimo l. 2.*

Sylvanus gente Francus à Constantio Germaniæ inferiori præfectus.

Hanc ob causam Constantius Sylvanum gente Francum, pedestris militiæ rectorem in Germaniam inferiorem & ad Rheni limitem mittit, ad Alemannos, Francos & Saxones continendos, cujus virtute bellicâ Rheni inferioris limes defensus stetit adversus populares suos. Dispar de hoc viro judicium. Julianus & Mamertinus hominem imbellem, libidinosum, avarum & laboris intolerantem vocant, qui exacta à civibus pecuniâ pacem à barbaris emerit; Marcellinus ducem fortissimum magnorumque meritorum compellat: alius barbaro quidem patre genitum, sed Romanis artibus & disciplinâ institutum. Constantius dehinc Cæsar Arelatem ad hiberna concessit, pacatamque Galliam habuit, præter Alemannos, quos ipse anteà evocârat.

An. Christi 354. Alemanni Constantio rebelles.

Ab hac barbara gente per alios Alemannorum reges ac fratres Gundomarum & Vadomarum aliud bellum conflatum, à quibus proximi Rheni limites infestis incursionibus divexati: tanta nimirum prioris prædæ erat dulcedo; metuebaturque, ne transmisso Rheno, in Gallias se inferrent. Cui periculo ut maturè occurreret Constantius, sub initium veris cum exercitu movit ad Rhenum, Ibi cùm pontem facere instituisset, telis hostium ex ulteriore ripâ incessentium prohibitus destitit. Inde alio loco ab *Ammianus lib. 14.*

indice de vado edoctus, per noctem inchoavit transitum: sed hostes commonefacti primùm ad impediendum occurrunt; inde auspiciis suæ gentis deterriti, bello omisso ultrò pacem petierunt: quam Constantius promptius dedit, quàm illi accepêre. Veritus enim Constantius cum Germanâ gente bellis collidi, quòd fœderatos mallet, quàm lacessitos; plerumque fortunam adversam in bellis passus, ut Marcellinus scribit: quanquam haud multò pòst alia Alemannorum pars ad Brigantinum lacum collecta binis cladibus Arbelionem Magistrum equitum attriverit. Inter hæc Franci ad inferiorem Rheni ripam haud minus quieti, rapinis & incendijs citeriores Rheni provincias vastant: *Gens* nimirum *perfida Franci*, ut Salvianus scripsit, *quæ ne ad momentum quidem quiesceret*: sed hos in præsens Sylvanus præfectus rejecit trans flumen in sedes suas, bellicâq; virtute cohibuit, ne, se tutore limitis Rheni, rursum in Gallias perrumperent. His facinoribus, quibus summam laudem meritus erat, in extremam invidiam apud belli præfectos, Dynamium, Lampadium, Eusebium, aliosque est adductus. Infensissimus ex his Dynamius. Is ut Sylvanum everteret, literas Sylvani ad amicos scriptas intercipit, ac periculo abstergit, solâ subscriptione incolumi; argumentumque longè diversum falsumque reposuit, quasi amicorum auxilia sollicitaret ad purpuram Cæsaris sumendam, rogaretq;, juvarent, se brevi solium principis aditurum. Supposititijs falsisque hisce literis ad Constantium Imp. perlatis, causa Sylvani in consilio bellico est agitata, cui ipse Dynamius, ut nunquam satis cauta est falsitas, alias literas confinxit Sylvani & Malarichi ad Tribunum fabricæ Cremonensis, quibus Tribunus ut conscius hujus conjurationis commonebatur. Id ubi à Malarichо, qui & ipse gentilium rector erat ac Francus, est rescitum, suamq; simul innocentiam eodem telo confici didicit, primùm suam & Sylvani vicem graviter ingemiscere cœpit: mox adhibitis in consilium Francis (*quorum eâ tempestate*, ut Marcellinus hæc scribit, *in palatio multitudo florebat*) erectiùs loqui, tumultuari, ac palàm exclamare, structis perfidorum insidijs suum ac Sylvani caput peti. Polliceri ultrò, velle se Sylvanum coram sistere, ut hanc iniquissimam calumniam purgaret, ac loco sui tantis per absentis, Malobaudum Tribunum, gente itidem Francum, obsidem relinquere. Quibus Malarichus effecit, ut Constantius Imp. denuò accuratiùs causam Sylvani discuti juberet; datumque id negotium Florentino magistro Officiorum. Atque is postquam ex inductis priorum literarum lituris deprehendit rem longè aliter esse, quàm Sylvanus scripserat ad amicos, innocentiam Sylvani Cæsari exposuit; raptusque ad tormenta Dynamius fallaciarum artifex, fassus est scelus suum; quamvis perfido homini vita mox condonata sit. Jam Sylvanus licet falsi criminis absolutus esset, veritus tamen, ne propter mollem & mutabilem

An. Christi 355. Franci Gallias infestant, Constantio Cæsare.

Marcellin. lib. 15. Sylvanus affectati imperij; falsò accusatur.

Franci frequentes in aula cæsarum.

Con-

Constantij Imp. animum, æmulorumque in aulâ potentiam, aut absens damnaretur, aut novo crimini per fallaciam subjiceretur, diu multumq; anceps hæsit, quò se verteret, raperetne insignia augustalia, & Cæsarem se diceret, an Constantio se permitteret. Quæ desperata consilia postquam cum Francis suis popularibus communicavit Agrippinæ, dissuasit Lanogaisus, Tribunus Francicæ, ut diximus, gentis. Id enim facinus inquiebat, si aggrederetur, fore ut ab ipsis interficeretur: simulque rogavit, ne hanc nomini suo perfidiæ ac rebellionis labem insidere vellet. Non acquievit his Sylvanus: Francorum alios multis promissis, alios magnâ mercede conductos in partes suas traxit, ac desperatione magis, quàm affectatione regni, Coloniæ Agrippinæ purpuram sumpsit, alterumque se post Magnentium ex Francicâ gente Cæsarem dixit, experturus fortunam, cui tot ante se viri bellicosi alij prospere, alij improspere commisissent. Quæ ubi Mediolanum perscripta sunt ad Constantium Imp. magnoperè Constantium totamque aulam perplexa habuere; convocatoque concilio, id in præsens visum, ut Sylvanus, scriptis ad eum literis, Mediolanum vocaretur, accepto Ursicino successore, & cum potestate integrâ rediret ad Imperatorem: ratus enim Constantius, nondum Sylvanum rescire potuisse, quæ de ipso scripta erant. Et Ursicinus licet magnâ festinatione Agrippinam advolârit, famam tamen præcessisse advertit. Itaque cùm nihil palàm tentaret, comiter à Sylvano exceptus est: postridie verò Bracati & Cornuti (militarium hæc ordinum nomina erant) clam ab Ursicino sollicitati, primâ luce in regiam irrumpunt, *cæsisque custodibus Sylvanum extractum ædiculâ, quò exanimatus profugerat, ad conventiculum Christiani ritûs, densis gladiorum ictibus trucidant.* Hic Sylvani Cæsaris, & tam brevis intra XXVIII. dies imperij exitus fuit. Fueritne Christianis ritibus imbutus, qui tam gnarus Christianorum asyli & cœtus, perfugium apud eos quæsiverit, incompertum traditur. Celebres præterea multique per id tempus Franci in Romanâ militiâ, præterque Gaisonem, Malarichum, Lanogaisum nominat Ammianus Marcellinus, Bapponem promotorum ductorem, Teutomerem protectorem domesticorum, Banobaudem Scutariorum Tribunum, Seniaucum turmæ equestris præpositum. Ingens interim incesserat ob hæc Romæ metus, ne Sylvani Francorumque conspiratio universam gentem ad se traheret in præsens Reip. exitium. Reperti adeò nummi, quibus jam inscriptum erat: DN. FL. SYLVANO P. F. AUG. Quin antequam hæc agerentur, cæsusque esset Sylvanus, jam Romæ populus in circo repentè exclamavit: *Sylvanus devictus est*, tanquam summo metu Francorum Respubl. liberata esset. Post cædem Sylvani, in socios conjurationis animadversum est, quâ pœnâ etiam Pœmenius Trevericæ civitatis defensor, superiore bello adversus Decentium Cæsarem comprehensus

Sylvanus Coloniæ Cæsarem se dicit.

Sylvanus Coloniæ ex Christianorũ æde sacra extractus trucidatur.

Franci celebres in militia Cæsaris.

henſus eſt. Ita quidem ignis hic in fomite compreſſus eſt, qui tamen haud multò pòſt in funeſtiorem flammam erupit. Juvat hoc loco, quia tempus admonet, ea quæ D. Hieronymus de alio nobili Franco memorat, paucis narrationi interponere: *Francus Candidatus* is erat in aulâ & palatio Conſtantij Imp. quales è ſcholarium numero ob corporis proceritatem & elegantiam eligebantur primi ſcutarij, haſtati ac protectores principis. *Rutilus coma, et candore corporis indicans provinciam; inter Saxones quippe et Alemannos gens ejus non tam lata quàm valida, apud hiſtoricos Germania, nunc verò Francia vocatur; ab antiquo hoc eſt, ab infantiâ poſſeſſus à Dæmone, qui noctibus eum ululare, ingemiſcere, fremere dentibus compellebat, ſecretò ab imperatore evectionem petiit, cauſam ei ſimpliciter indicans. Et acceptis ad conſularem quoque Palæſtinum literis cum ingenti honore et comitatu Gazam deductus eſt. Qui cùm à Decurionibus illius loci quæſiſſet, ubi habitaret Hilarion monachus, territi Gazenſes, et putantes eum ab Imperatore miſſum, ad monaſterium adduxerunt, ut et honorem commendato exhiberent, et ſi quid ex præteritis injuriis in Hilarionem eſſet offenſi, novo officio delceretur. Deambulabat tunc ſenex in arenis mollibus, et ſecum de pſalmis neſcio quid ſubmurmurabat, videnſque turbam venientem ſubſtitit, et reſalutatis omnibus manuque eis benedicens, poſt horam cæteros abire præcepit, illum verò cum ſervis et apparitoribus remanere: ex oculis enim ejus et vultu cur veniſſet agnovit: Statim ergo ad interrogationem ſuſpenſus homo, vix terram pedibus tangens, et immane rugiens, Syro, quo interrogatus fuerat, ſermone reſpondit. Videres de ore barbaro, et qui Francam tantum et Latinam linguam noverat, Syra ad purum verba reſonare: ut non ſtridor, non aſpiratio, non idioma aliquod Palæſtini deeſſet eloquio. Confeſſus itaque Dæmon, quo in eum intraſſet ordine, et ut interpretes ejus intelligerent, qui Græcam tantùm et Latinam linguam noverant, Græcè quoque eum interrogavit, qui ſimiliter et in verba eadem reſpondit.* At D. Hilarion tam importunum hoſpitem brevi è corpore ejecit, Francumque abs ſe dimiſit. Tum & Franci linguam Latinam callebant, & Chriſtianam doctrinam ſectabantur, in quibus Sunia & Frebella commendantur ab eodem Hieronymo. *Quis hoc crederet* inquit, *ut barbara Getharum lingua Hebraicam quæreret veritatem, et dormitantibus, imò contendentibus Græcis, ipſa Germania Spiritus ſancti eloquia ſcrutaretur? Dudum calloſæ tenendo capulum manus, et digiti tractandis ſagittis aptiores, ad ſtylum calamumque molleſcunt, et bellico ſa pectora vertuntur in manſuetudinem Chriſtianam.* Quales haud dubiè multi inter Francos, ex quo aut in Conſtantini M. & filiorum caſtris militaverunt, aut in aulam palatiumque Chriſtianorum principum ſunt recepti. Et per id tempus Chriſtiana religio mirè floreſcebat per utramque Germaniam citeriorem, & utramque Belgicam; celebresque per id tempus doctrinâ & ſanctitate viri D. Maximinus & Paulinus Trevirenſes, D. Servatius Tungrorum, Maternus Colonienſium,

D. Maxi-

Hieronymo in vitâ Hilarionis.

Procopius lib. 3. Lindeb. in obſerv ad l. 25. Marcell.

Francus Candidatus à Dæmone obſeſſus liberatur ope D. Hilarionis.

D. Hieronymus in epiſt. ad Suniam & Frebellam.

Franci per hoc tempus quam plurimi Chriſtiani.

Religio Chriſtiana per Germani-

D. Maximus Moguntinensium, D. Victor Mediomatricorum Episcopi. Quin D. Athanasius vel ex solâ Galliâ triginta quatuor fulgentissimos Episcopos ad Sardicense concilium venisse memorat. Clerus ubique floridus, cœtus Christianorum indies in immensum excrescentes. At licet trans Rhenum in ipsa Francia inter Barbaros nulla Christianæ religionis vestigia adhuc reperiantur; qui tamen inter ipsos Christiani sedes fixerant, aut in præsidijs castrisque versabantur, magno numero, ut ex Procopio referemus, ad Christianorum ritus sacraque transiêre,

am & Belgium florens.

Conturbat hanc Christianorum felicitatem unus Constantius Cæsar, quàm acer Arianæ hæresis propugnator, tam infestus Catholicorum hostis. Interque Episcopos Catholicos, quos toto prope Imperio ejecit è sedibus suis, hoc ipso anno Liberium quoque Romanum Pontificem relegavit in Thraciam; cúmque quingentos illi aureos offerret viatici specie, respuit illos magno animo Pontifex, ac renuntiari jussit, daret eos assentatoribus suis, qui eum depravassent, & à sanctissimis Constantini patris vestigijs abduxissent. Ejus in locum obtrusus Felix Catholicus quidem, sed schismati addictus. Mira ac deploranda rerum conversio; vix gentilium furor desierat, abjecto dæmonum cultu; cùm Ariana hæresis à dæmone invehitur in orbem, omni tyrannorum malo nocentior. Vix dum clauserat idolorum fana Constantinus M. cùm templa Catholicorum claudit Constantini filius; & quos Episcopos Ethnici toleraverant, Christianus Cæsar sedibus suis ejicit. Hîc ego dum gentilium tyrannos compono cum Constantio & hæreticis Cæsaribus, video eandem barbarorum irruptionem ab ultrice numinis manu invectam in Imperium Romanum, graviusque affligi hæreticorum quàm tyrannorum sceleribus. Nam quòd concussum tantùm fuit inter gentilium Cæsarum vexationes in Christianos Imperium, id demum convulsum fuit, datumque in prædam barbaris: postquam rupta inter Christianos religione, tunicâ videlicet illâ Christi, cœperunt hæretici ipsis Ethnicis atrociores sævire in Catholicos. Ejus mali excidijque Imperij Romani hoc ipso anno magna, & funesta initia cumprimis à Germanis barbarisque trans Rhenum populis. Dum enim Constantius Cæsar Mediolani trans Alpes in Italia agit, ac totum Imperium, oppresso jam Sylvano, ab omni interno externóque hoste liberum sese pacatumque habêre est ratus; conspiravêre tres Germani suprà infraque trans Rhenum populi Alemanni, Franci, Saxones; tantâque hominum multitudine repentè effusi per Rhenum penetravêre in citeriorem Germaniam, & Galliam, ut, ducibus cum milite Romano obstupefactis, omnia ad libidinem barbarorum permittenda fuerint: tanquam gentium quædam eluvio, perrupto Rheni aggere, totam Galliam inundatura esset, avulsuraque ab Imperio. Eâ fatali irruptione, uti

Constantius Cæsar Arianus magno Imperij exitio sævit in Catholicos.

Zosimus l. 3. Marcell. lib. 15.

Alemanni, Franci, Saxones, facta irruptione Germaniam citeriorem & Belgium vastant.

Zosimus l. 3. ne, ut Zosimus est auctor, quadraginta ad Rhenum sitæ civitates à barbaris sunt expugnatæ, cædibusque & spolijs ac flammis exhaustæ: convecta ingens præda, intercepti trucidatique Romani milites, abducti infinito numero cives & incolæ à feroci natione: intercepta ad Rhenum oppida, municipia, & castella propè omnia (inter quæ à Marcellino recensentur Moguntiacum, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratum barbaricis cladibus nota) excisum Bingium, Antennacum, Bonna, ceteraque ad Rhenum oppida: capta castra Herculis, Tricesimæ, Quadriburgum, Novesium: demum *Agrippinam, nobilem et amplitum nominis Germaniæ secundæ civitatem aggressi, quam diuturnâ ac pertinaci obsidione tandem reseratam delevêre* Franci & Saxones. Tum totus ager à fontibus Rheni per ccc. stadia in longitudine à barbaris infestus. Barbatio, qui Ursicino successerat in præfectura Galliæ, cunctator, nec par barbaris undique incurrentibus. *Hæc illa fœda*, ut Eutropius memorat, *vastitas, qua barbari multa oppida expugnârunt, quædam obsederunt: quâque Imperium dubiâ jam calamitate nutabat.* Hæc illa Mamertini oratoris, & Romani consulis querimonia ad Julianum Cæsarem: *florentissimas quondam antiquissimasque urbes barbari possidebant: Gallorum illa celebrata nobilitas aut ferro occiderat, aut immitibus addicta dominis serviebat.* Accesserat jam ante hanc irruptionem barbarorum alia mali species, & harum calamitatum causa, ab ipsis provinciarum præfectis: Exhaustæ nimirum erant provinciæ, non minus exitialibus, quàm pudendis præsidentium rapinis; *Vrbes, quas à vastitate barbarica terrarum intervalla distulerant, Judicum nominâ nefariis latronibns obtinebantur. Ingenua indignis cruciatibus corpora: nemo ab injuria liber, nemo intactus à contumeliâ, nisi qui crudelitatem prædonis pretio mitigasset, ut jam barbari desiderarentur, ut præoptaretur à miseris fortuna captorum.* Tam durum tamque invisum erat Ariano illo Imperatore imperium præfectorum, ministrorumque avaritia & sævitia, ut mitius ferrent Barbarorum, quàm Romanorum jugum incolæ. Insidebant citeriorem Germaniam Alemanni; Franci verò ac Saxones utramque Belgicam: ac nihil propiùs erat, quàm ut cis Rhenum provinciæ ac populi conspirarent cum barbaris, & Romanorum servitute se exuerent. Quare nec Constanti? Cæsar ausus fuit, câ quâ per Italiam, Hispaniam & Orientem sævitiâ ejiciebat Episcopos Catholicorum, id pertentare in Galliâ & Belgicâ, veritus ne omnes hæ provinciæ auxilijs Barbarorum rebellarent. Jam enim Franci, jam Saxones in his cis Rhenum provincijs sedem figere cœptârant. Hoc calamitoso rerum statu, cùm assidui nuntij exagitarent Constantium, quibus deploratæ Galliæ, & ad internecionem propè à Barbaris excisæ ferebantur, conturbatus hæsit imperator: eòque magis, quòd simul nuntiaretur Quados & Sarmatas grassari per Pannoniam ac Mysiam, Persas verò resumptis armis imminere Orienti.

Amm. Marcel.

Eutropius. Mamertinus in Paneg. ad Julianum.

Causa excidij præfectorum avaritiæ & sævitiæ adscripta. Mamertinus in Paneg. ad Julianum.

Baronius ad ann. 355.

Marcell. lib. 15.

In

In his rerum angustijs cùm tantæ moli bellorum & Barbarorum impar esset unus Constantius, actum de consorte imperij adsciscendo. At nihil hoc ipso Constantio erat molestiùs, quòd ex dominandi libidine consanguineos suspectos haberet, & ceteris non fideret. Intervenit Eusebia conjunx, Arianâ hæresi marito pestilentior, persuasitque Imperatori, ut Julianum, qui solus in familiâ imperatoriâ Constantij patruelis supereſſet, Cæsarem & consortem imperij diceret. Igitur Julianus è philosophiæ scholis Athenis evocatus ad Martis castra, purpurâ à Constantio induitur, interq; mirificos militum plausus Cæsar renuntiatur: data simul in matrimonium Helena Constantij soror; cui & Galliæ Germaniæque administratio imposita. Ardua tum vel maximè hæc provincia erat ob barbaras Germaniæ trans Rhenum gentes, quemadmodum id ipse Julianus in oratione ad Constantium exponit: *Aderant unà et affinitatis nomine promptissimi sociorum Franci et Saxones, qui ultra Rhenum atque Occidentis mare habitabant, nationes omnium bellicosissimæ; urbs porrò omnis, et vicina Rheno castella præsidiis destituta, barbaris exposita relinquebantur.* Luculentum atque evidens ipsius Cæsaris testimonium ejus, quam toties movimus hactenus controversiæ, Franciam scilicet veterem non alibi quàm trans Rhenum in Westfalia requirendam: quod ipsum ad hæc Cæsaris verba in animadversionibus suis nos commonefecit Petavius eruditissimus Gallorum scriptor, docebuntque cetera Juliani bella multò planiùs, quæ continuis ad Rhenum expeditionibus, magnáque armorum contentione in sextum usque annum gessit.

Julianus Eusebiæ hortatu Cæsar assumitur à Constantio.

Zosimus l. 3.

Julianus oratione ad Constantium.

Franci inter Barbaras bellicosissimæ gentes.

Petavius in notis.

Suscepta Galliarum præfecturâ, Julianus nihil festinatiùs habuit, quàm ut Mediolano in Galliam se conferret, Rhenique limitem reciperet. Nec dum sævâ hyeme Alpes emensus erat, cùm tristi & acerbo nuntio percellitur, captæ deletæque à Barbaris Agrippinæ. Franci hi barbari erant, Saxonesque permixti. Territus his adeo adventantium malorum auspicijs Julianus, ut dixerit, *nihil se plus assecutum, quàm ut occupatior interiret.* Cúmque anno sequenti Viennam advenisset, ingenti cum honore & lætitiâ ab omnibus est exceptus. Tum & anus quædam capta oculis cùm percontando, qui nam ingressus esset, Julianum Cæsarem comperisset, exclamavit: *Hunc Deorum templa reparaturum.* At bello sat acer ac felix. Quippe cùm Germani Augustodunum inter ceteras vastitates invasissent, torpente ad defensionem milite, Julianus sub initium veris Viennâ ex hibernis progressus, oppidum per veteranos recepit: ipse VIII. Kal. Julias cum exercitu in Germanos movit. Sed in ipso limite belli cunctabundus perplexusque obhæsit, quâ viâ incederet. Adeò cuncta pervaserant Franci & Alemanni, insidebantque omnem illum *citeriorem Rheni tractum, non ut hospites et inquilini, sed ut cives et hæredes terrarum incolæ, oppidis duntaxat firmioribus, ut feræ, quæ circumdatæ retibus lustra declinant.*

Ammian. Marcell. l. 15.

An. Christi 356. Julianus in Galliam profectus præfecturam adit.

Gregor. Nazian. Orat. in Jul.

Prima Juliani expeditio.

evita-

evitatis: Casæ enim ac mapalia in quibus cum uxoribus,& liberis habitabant,structa ab his erant in circumpositis agris ritu gentis,ut fons, ut nemus,ut campus placuit. Nec enim Barbari jus in urbibus sed viribus habebant: ut direptis neglectisq; urbibus patentes campos more priscorum Germanorum habitasse videas. Jam Argentoratum,Brotomagum, Tabernas, Salisona, Nemetas, Vangiones & Moguntiacum civitates in prima Germania ab Alemannis oppressas intelligit: non alia in secunda Germania facies malorum erat. Igitur vis belli primùm in Alemannos versa, ad superiorem Rheni ripam expugnandam; profectusq; per Tricassinos & Rhemos, Vesontione exercitum convenire jussit,ducibus Marcello & Ursicino. Cúmq; per decem pagos in Alemannos nubilo cœlo moveret,parum abfuit,quin omnem exercitum in discrimen adduceret. Quippe hostes à tergo duas Juliani legiones adorti prope delevissent, ni socij auxilio venissent. Inde Brotomagum oppidum infra Argentoratum receptum;ad quod liberandum cùm Germani occurrerent,conserto acri prælio, Germani in fugam versi sunt. Ceterùm hæc illa expeditio belli,in quâ S. Martinus missionem petijt a Juliano apud Vangiones,quòd jam Christo dudum militare decreverat,retentus hactenus à Tribuno suo Christiano, cui eadem mens divinitus injecta erat. At postquam Alemanni fracti Romanorum armis,ultrò se dedidêre,& in pacem facilè recepti sunt, uti Severus hæc scribit. Ductus inde est exercitus ad Coloniam Agrippinam recuperandam, per Treviros & circuitus itinerum, vitatâ Rheni ripâ,& castellis, quæ barbari Bingij, Antennaci & Bonnæ insidebant: delatusque per vasta loca, Eifliæ videlicet horridæ,in queis nec civitas ulla visa, nec castellum,præter Rigodulum ad confluentes Mosellæ & Rheni, præterque unam turrim propè ipsam Coloniam Agrippinam. Franci ubi validissimum exercitum in se ferri compererunt, direptâ desertâque Agrippinâ, sese ad tutiora trans Rhenum in suam Franciam recepêre. Igitur Julianus *Agrippinam ingressus, non antè motus est exinde,quàm Francorum regibus furore mitescente perterritis, pacem Reip. firmaret interim profuturam,et urbem reciperet munitissimam.* Et quæ nam hæc alia Francia,quàm Westfalia Agrippinæ objecta,è quâ reges bellum moverant? His peractis, Julianus per Treviros ad Sennonum oppidum in hiberna discessit. At lacessiti magis, quàm victi Germani. Cùm enim ex profugis didicissent, nec scutarios, nec gentiles suos adesse in castris,ausi sunt Franci Julianum in Sennonum oppido aggredi,& in tricesimum diem oppugnare, Juliano se strenuè defendente, dum inedià tristes, ac spe frustratos ab obsidio barbaros retraheret. Desertus etiam in hoc discrimine Julianus à suis; Nam cùm Marcellus supremus magister equitum in proximis stationibus excubaret,neque Cæsari,neque periclitanti civitati subvenit. Ea vel Marcelli privata in Julianum invidia erat,vel Constantij Imp. ex compo-

Ammianus lib. 16.

S. Martinus Juliano militans missionem petit.

Sulpitius Severus in vita D. Martini.

Marcell. lib. 16.

sito,

sito æmulatio. Dimissus ob hæc Marcellus, ac Severus in ejus locum à Constantio datus Juliano militiæ dux. Nec Constantio per id tempus quies à Barbaris. Jam enim Suevi Rhætias, Quadi Valeriam, Sarmatæ Mœsiam & Pannoniam irruperant. Ita verò dum Catholicos dirè exagitat Arianus Imperator, multò diriùs vexatur à Barbaris; adversus quos Româ ex triumpho abstractus in Illyrium cum exercitu movit. Constantius Arianus Cæsar à varijs Barbaris afflictus.

At Julianus exacta apud Sennonas hyeme, lætus exercitum à Severo regi, submissumque sibi Barbationem, qui in locum Sylvani & Ursicini supremus magister peditum jam ante delectus accesserat ex Italia cum xxv. millibus armatorum, Rauracum, (ex cujus ruderibus Basileam emersisse volunt) majori quàm anteà mole bellum sumpsit. Hoc apparatu decretum duplici exercitu aggredi Germanos, quorum infestissimi hostium Alemanni & Franci erant. Primùm cum Alemannis variâ fortunâ decertatum est. Læta primùm Germanis initia: nam ausi sunt per medios exercitus transgredi, & Lugdunum invadere; cúmque clausis portis ingressus prohiberetur, vastatis suburbanis, ad suos redière. Haud multò pòst Barbatio cum exercitu, quam ex Italia adduxerat, profligatus est à Germanis, & Rauracum usque in fugam actus. Ad quam cladem Barbatio raptis Sarcinis, jumentis & calonum turbâ, reliquum militem ad hiberna reduxit: profectusque est ad Constantium, confícto crimine Julianum accusaturus. Quâ re cognita Alemannorum reges Chonodomarius & Vestralphus, alijque, quorum universim septem memorantur, (duces interpretor, aut temporaneos flagrante bello reges) collatis in unum belli corpus viribus apud Argentoratum consedêre. Triduum consumptum, dum copias Rheno transmitterent. Ea tum Germanorum multitudo & insolentia erat, ut Julianum Galliæ agris excedere juberent, quos virtute & jure belli à se acquisitos asserebant. Julianus ac Severus his interriti, omne robur exercitus contrahunt; consertaque est ad Rheni ripam cum hoste pugna, prœliumque ad eum diem atrocissimum, ingenti victoriâ & equorum strage. Ad sexaginta enim Germanorum millia cæsa profligataque tradit Zosimus immodicus scriptor, cùm Marcellinus nonnisi triginta quinque millia barbarorum ex varijs nationibus convenisse referat, ex queis sex milliâ prostrati in campo, cæteri in fuga cæsi aut submersi, aut per Rhenum elapsi. Superbè Aurelius Victor: *Stabant acervi montium similes: fluebat cruor fluminum modo: captus Rex nobilis Chonodomarius; fusi omnes optimates: redditus limes Romanæ possessionis.* Hæc illa clades tot scriptoribus memorata, & à Marcellino tam turgidè scripta, acceptaque ad Argentoratum oppidum. Julianus tam illustri prœlio victor cadavera promiscuè humari jussit, captivos ac prædam Mediomatricum abduci. Milites Romani, qui è prœlio profugerant,

Marcellin. l. 16.

An. Christi 357.

Memorabile Juliani prœliũ ad Argentoratum, cæsis Germanis.

Zosimus l. 3. Marc. l. c. Eutropius in Constant. Marcell. l. cit. Aurel. Vict. Cassiod. in Chron. Ausonius in Mosellæ Edyllio

rant, novo pœnæ genere castigati, indutique muliebri vestitu, & per castra circumducti: ratus enim Cæsar, milites, qui viri essent, hoc pœnæ genus ipso mortis supplicio gravius accepturos. Inde Julianus cum exercitu Moguntiacum descendit, ac milite licet primùm refragante, pontem tamen Rheno insternit, & hostiles terras ingreditur. Barbari, qui haud alij in his locis quàm Catti, Germaniq; Francorum etiam nomine aut belli societate clari, repentino Romanorum transitu perterrefacti, ne Alemannorum clade & ipsi notarentur, misêre legatos cum verbis compositis; quibus amicitiam & fœdus offerrent. Mox ut se collegêre in arma, mutato consilio ac voluntate, acerrimum denuntiant bellum, ni finibus suis excederent Romani. Quibus acceptis, Julianus Cæsar fortiùs instat, octingentosque præterea milites navibus impositos immittit in hostilem regionem, cum mandato, ut obvia quævis ferro flammaque vastent. Germani, qui in silvas & abrupta montium juga profugerant, ubi ex incendijs villarum ingentes fumorum globos attolli conspexêre, raptis per festinationem agminibus per Mœnum se effundunt cæteris suorum in subsidium; implicatosque istic Romanos milites inter silvarum anfractus, & obseptas injectu cæsarum arborum vias tenent. Neque aliud Juliano in præsens consilium fuit, quàm ut munimentum à Trajano quondam constructum, dirutumq; à Germanis repararet, annonáque & præsidiario milite præmuniret. Quo comperto, tres Alemannorum reges, qui victis apud Argentoratum auxilia miserant, conceptis ritu patrio verbis juravêre, se munimentum intactum relicturos; & cùm fœdus simul peterent, per decem menses obtinuerunt. Inde Julianus Cæsar fatigatum militem ad hiberna reduxit. At Severus magister equitum cùm Remos per Agrippinam & Juliacum peteret, reperit Francorum exercitum in sexaginta cuneos distributum vacua præsidijs loca Romanorum adventu deseruisse, & duobus se inclusisse validioribus munimentis, in quibus castellum & oppidum erat Mosæ flumini adsitum. Quod ubi Juliano compertum, jussit per mensem Decembrem & Januarium arctissimè obsideri; ac ne nocte per conglaciatum amnem elaberentur, mandavit quotidie à sole in vesperam lusorijs navibus glaciem diffringi. Ita Franci inediâ, vigilijs & desperatione rerum in deditionem compulsi, Juliano se permisêre. Advenerat intereâ ingens Francorum multitudo obsessis opem latura. Hi ubi suos jam captos asportatosque didicerunt, regressi sunt. Adeò jam Belgicam pervaserant occupârantque Franci, ut Mosæ ripam sibi retinendam sumerent. Præludia hæc ejus belli erant, quo haud multo pòst Pharamundus & Clodio Francorum reges firmum tandem in his provincijs imperium capessivere. Hisce eo anno patratis, Julianus Cæsar Parisios revertit, hyemem exacturus. At vereor, ne dum Marcellinum

Julianus Victor Moguntiam descendit.

Marcell. lib. 17. Severus Magister equitum Francos ejicit à Mosa in sedes suas.

cellinum hic sequimur, Velleium aliquem audiamus, ut quantum hic Tiberij, tantum iste Juliani Cæsaris gloriam immodicè exaggeret, depressis Alemannorum Francorumque rebus gestis. Ausus interim Marcellinus hæc Germanorum Francorumque bella cùm priscis Teutonicorum bellis comparare. Idem certè populus, eademque invicta gens inter Rhenum & Visurgim, quæ jam superato Rheni limite imperium intra Romanorum provincias protulerat. Quo loco operæ pretium erit ex eodem Marcellino recognoscere, Germaniam citeriorem in primam & secundam olim divisam; ac primæ quidem Moguntiam, secundæ verò Agrippinam ac Tungros metropoles fuisse. Belgicam pariter in primam & secundam partitam, hujus caput Ambianum, illius Treviros extitisse.

Exactis in Gallia hibernis, Julianus ex novo belli apparatu, magnisque armorum curis incertus, quos primùm aggrederetur Alemannos an Francos? Jam enim Juthungi Alemannorum gens, Rhætiam irruperant: ac licet Barbatio Romanæ militiæ dux eos compressisset, ceteri tamen Alemanni clade ad Argentoratum acceptâ, tanquam belluæ cruento vulnere ferociores in arma & vindictam exstimulabantur, quæ frequentibus nuntijs ferebantur ad Julianum Cæsarem. Sed cùm Constantius Imperator Persarum in Oriente, & Barbarorum simul bellis urgeretur in Illyrio, Arctoas primùm provincias muniendas censuit. Bellum igitur hoc anno, qui Christi 358. erat, movit Julianus contra Salios & Chamavos Francos; tum adversus Quados & Saxones, uti hæc ab Ammiano, Zosimo, atque ipso Juliano perscripta sunt, quamvis dissonè & perturbatè satis. Rem ita paucis exponam. Postquam Barbari omnes eorum locorum felicibus Juliani successibus territi spem omnem propè abjecerant, ausi sunt *Saxones*, ut Zosimus memorat, *omnium, eas regiones incolentium barbarorum, animi et corporum viribus et laborum in præliis tolerantia fortissimi, Quados nationis suæ partem emittere in solum Romanum*: sive ij Chauci, sive Chamavi, sive Quadi, diversa ab his gens fuerint. Hi ut ad Rhenum pervenirent, petiêre transitum, à Francis per finitimas eorum regiones: abnuunt id Franci, ne justam Juliano Cæsari causam darent, se, ut anno superiore fecerat, invadendi. Igitur navibus ædificatis prætervecti regionem imperio Francorum parentem, delati classe suâ sunt in Bataviæ insulam, è qua Francos Salios, qui eam à Saxonibus pulsi hactenus occupârant, vi atque armis ejecerunt; quemadmodum ipsi Salij ex hac insulâ antea expulerant Romanos. His compulsi Salij, novas sedes quæsivêre digressique in continentem ad Mosam & Scaldim, apud Toxiandriam domicilia fixêre. Horum successu provocati Chamavi Franci, *Nebrogaste* rege suo ac ductore, cum novâ Francorum multitudine Rhenum transeunt, ac sedes inter Mosam & Rhenum capiunt, homines eâ tempestate

An. Christi 358. *Marcell. l. 17.*

Bellum Juliani contra Francos Salios & Chamavos.

haud aliter nati, educatique, quàm silvestres feræ, quæ ex uno nemore & regione, uti fames aut impetus rapit, in aliam transmigrant. *Salii* Franci, quorum hic primus meminit Ammianus Marcellinus, non istic in Batavia, aut Belgicæ secundæ regionibus nati, sed ut cæteri mediterranei Franci origine trans Rhenani populi, atque ex Frisijs, Chaucis, Chamavis & Tubantibus, ijsque gentibus collecti, quæ ostia Visurgis, Amasis & littora maris extremasque Westfaliæ oras ad Isalam fluvium incoluerunt, terrâ marique eâ tempestate celebres; quiq; cum Saxonibus intra Albis & Visurgis ostia confidentibus unam belli maritimi societatem inierunt, piratica simul Oceanum orasque Galliæ & Britanniæ infestando. Hi illi Franci, quos Carausius sibi conjunxit, quique Constantio Cæsare ex Bataviæ finibus ejecti rursum in eas regiones se immisêre, ideoque à Juliano Cæsare oppugnati, ut mox referemus; quorum ob id frequens mentio apud Julianum ipsum in oratione, & Libanium. Quin liber, dignitatum & provinciarum notitia, inscriptus, *Salios Seniores, et Juniores tradit*; eo cognomento *Seniores* dicti, quòd primi in militiam adscripti, militaverint Romanis: quemadmodum hæc erudite à Valesio observata sunt; sive nunc *Saliorum* nomen ab Isala fluvio, quem prisci Salam dixere: sive à Saliendo & velocitate pedum, quâ gentes illæ præcellebant, invaluerit, non magnoperè contendam. Ammiano satis fuit consuetudini tum receptæ adscripsisse nomen. Certè Sidonio Apollinari.

Salij Franci quinam?

Valesius lib. 1. rerum Francic.

Sauromates clypeo, Salius pede, falce Gelonus,

Tum cognitus fuit. Salijs Francis conjungit Ammianus *Ansivarios Francos*, gentem vicinam ijs in locis, quibuscum Juliano mox transito Rheno bellum fuit. *Ansivarii* hi, seu Ambsivarij creduntur Amasis ripas incolentes, à quo flumine illis pariter nomen adhæserit, ut à Sala Salijs. Hæc extrema & Septentrionalis, quam littoralem vocant, est Francia; ut vel inde Zosimus rectè dixerit, *Saliorum nationem à parte Francorum profectum*, haud secus quàm hi Saxones, è suis sedibus in Bataviam projectata gens. Mediterranea verò Francia inter Rhenum & Visurgim, ceteras ejus regionis bellicosas gentes complexa, ab ortu Albi & Salâ amnibus, & qui præterea hic terminus fuerit inter Cattos & Hermunduros; à Meridie Alemannorum finibus claudebatur: atque ævo hoc Juliani, quantum ex Marcellino collegeris, Alemanni & Franci Lonâ flumine disjungebantur. Cæterùm Julianus Cæsar postquàm intellexit Parisijs, ubi hiberna agebat, Bataviam à Quadis Saxonibusque, Toxiandriam à Francis Salijs, regiones cis Rhenum à Chamavis occupari, *primos omnium Francos petiit, quos consuetudo Salios appellavit, ausos olim in Romano solo apud Toxiandriam locum habitacula sibi figere.* Quo comperto, Salij legatos obviam mittunt, hac lege pacem postulantes, ne se quiescentes lacessere vellet; & quos occupârant

Lib. 3. Franci Littorales & Mediterranei. *Cluverius lib. 3. c. 4. & cap. 20.*

Ammian. lib. 17.

cupârant agros, securi habitarent. Offendit Julianum Barbarorum superbia, quam cùm judicaret castigandam, legatos cum ambiguo & perplexo responso ad suos redire, jussit, missoque Severo duce, per ripam Francos subitò adortus, cunctos adeò perculit, ut deditionem repentè facerent. Tum ausos similia Chamavos aggressus, eâdem celeritate partim cecidit, partim acriter repugnantes cepit, & in vincula abripuit; alios in fugam conjectos in suas sedes abire permisit. Ea clade Nebiogastus regis filius in Juliani manus venit, patre cum ceteris per Rhenum elabente in sedes suas. Julianus reparatis tribus ad Mosæ ripam munimentis, quæ tum Franci subverterant, inde ut Rhenum quoque præmuniret, & annonæ subvectionem ex Britannia securam redderet, classem 600. navium, (quam Zosimus ducentarum scribit) ex arboribus ad Rhenum natis fabricavit; hac Cæsar secundo flumine profectus, aliquamdiu annonæ inopiâ laborari cœpit; quippe annonæ partem, quam humeris militum deportari jusserat, in munimentis ad Mosam reparatis reliquerat: ratus posse id detrimentum ex Chamavorum Francorumq; segetibus resarciri; quod ubi secus accidit, frugibus per id anni tempus nondum maturescentibus, miles inedia exacerbatus, Julianum probris incessere, & palàm Asianum, Græculum fallacem, & specie sapientiæ stolidum, compellare ausus. Sed eo tumultu brevi composito, Julianus exercitum duxit trans Rhenum in Chamavos & Salios. Adeò jam constat Francos trans Rhenum habuisse sedes suas, quando *Chamavi*, qui Francorum nomine continentur, Rheni ripam obsedisse, & ad Luppiam coluisse agros suos memorantur: unde *Bructeris* oppidi Camen & *Cham*, quod nunc *Ham* dicimus, nominum vestigia deduci volunt. Quid verò hac expeditione sit actum, ipse Julianus in oratione perscribit: *Vastati Chamavi, Salii in deditionem accepti, et innumera armentorum, mulierum, et puerorum multitudo in potestatem venit: ita omnes exterriti, tantusque incursionibus meis injectus est metus, ut statim obsides dederint, et annonæ subvectionem tutam redderent.* Hic, cùm Nebiogastes *Chamavorum* Rex, à Juliano juberetur filium obsidem dare, altum ingemuit, & quem, inquit filium obsidem dabo, cùm is bello paulò ante interfectus sit? simul in lachrimas solutus, ultrà præ dolore loqui non potuit. Ad quæ cùm ipse Julianus lachrymas non cohiberet, filium produxit, à se regio cultu habitum, patriquereddidit; matrem tamen filij loco obsidem expetijt. His in Francia confectis, uti hæc præter cæteros multis tradidit Ennapius, Cæsar adversus Quados, & qui cum ijs Rhenum transierant Saxones, exercitum classi impositum ducit in Bataviam. Ac Saxones Quadi, cùm nullo justo exercitu prodirent, tantumque ex insidijs infestarent incolas (latronum ferarumque in modum noctu è silvis prorumpendo ad spolia & cædes; illucescente verò die rursum se in latibula silvarum abdendo)

Juliani expeditio ad Rhenum adversus Francos.

Nebiogastes Chamavorum Rex.

Julianus in Quados ac Saxones movet.

abdendo) ad hos expugnandos pari arte usus est Julianus. Transfugerat à Germanis ad Romanos Carietto, homo vasto corpore, & intrepidâ mente; diuque Treviris versatus, populares suos per excursiones & hujusmodi latrocinia afflixerat: huic Julianus negotium dat & Imperium extinguendi Quados. Additi sunt Franci Salij, homines agiles & expediti. Cessit res pro consilio: nam per latrocinia Carietonis Quadi Saxones noctu diuque intercepti, ita magnam partem trucidantur, dum postremùm Belgicæ regiones insulamque Bataviæ Romanis vacuam relinquerent. At qui nam hi Quadi, quam Zosimus partem Saxonum scribit? nulla ejus nominis gens ad Cimbricam Chersonesum, aut Saxonum veterum confinia; hinc Chaucos alij tradunt fuisse, erraseque Zosimum; Sanè *Quadi* tot scriptoribus celebres inter Bojohæmum & Poloniam incoluere, quam regionem modò Silesij insident; aut certè ad Danubij ripam, procul à Saxonibus collocandi cum Ptolemæo. Tacitus verò; *juxta Hermunduros Narisci ac deinde Marcomanni et Quadi agunt:* eaque Germaniæ velut frons est, quatenus Danubio prætexitur, nisi Saxones ij ob latrocinia barbariemque tractandi incolas patrio vocabulo *Quadi* quod est, maligni tum appellati sint.

Marc. l. 17. Zosimus l. 3. Julianus transito Rheno in Alemannos ducit exercitũ.

Julianus inter hæc, priusquàm in hiberna discederet, in superiorem Germaniam cum exercitu movit, contextoque ad Moguntiam ponte navali Rhenum transijt, improbante licet Severo equitum magistro, ne in discrimen se daret. Inde in Alemannorum fines est digressus quòd eò se porrigerent horum regiones ad Francorum confinia: ac mox ad terrorem Romani exercitus Suomarum Alemannorum regem sibi obviam habuit, pacem supplici ritu petentem; quæ non aliter concessa, quam ut captivos dimitteret, & annonam, si usus esset, Romanis præberet. Motum subinde in Hortarium alterum Alemannorum regem: exusti pagi ejus, direpta pecora, capti obtruncatique incolæ; quibus & ille pacem petere, & captivos reddere coactus est. Quorum paucos cùm remitteret, indignatus Julianus Cæsar, quatuor ejus comites obsidum loco retinuit, dum & ipse supplex veniret ad Cæsarem, omnesque, quos habebat captivos Romanorum, secum deduceret. *Ita reges illi tumentes*, ut superbè Marcellinus scribit, *quondam immaniter, rapinisque ditescere assueti, Romanæ potentiæ juga subdidere colla jam domita, et velut inter tributarios nati et educati, obsecundabant imperio.* His gestis Julianus milites per Stationes, & præsidia comprimis ad Rheni limitem conservandum adversus Francos & Alemannos dispertijt. Quo simul tempore multi è Salijs Francis, Quadis, Saxonibus, Chamavis, alijsque Barbaris partim captis, partim mercede conductis in militiam Romanam adscripti: quorum ordines, dum hæc Zosimus scriberet, adhuc dum persistebant.

Suomar° & Hortarius Alemannorũ Reges Juliano supplices.

Cæsar

Cæsar post illa Parisios ad hiberna digressus : quantumque sibi applaudebat ob res præclarè gestas, tantùm in aula Constantij Augusti famæ ejus obtrectatum est : palámque per dicteria hirsutam capellam, purpuratam simiam, & litterionem Græcum appellavêre. Non ferebat per invidiam Constantius surgentem Julianum ; nec Julianus Constantio fidebat, à quo jam frater ejus Gallus interemptus erat. Sed uterque impius Cæsar, & probrum Christiani nominis. Julianus larvâ suâ adhuc tectus, Constantius palàm in Catholicos sævire non desistebat. Vel eò Sapor Persarum Rex, ultore Deo, bellum Constantio denuntiabat, Armeniam & Mesopotamiam repetendo ; simul Sarmatæ ac Barbari Illyricum perturbabant, perrupto Danubio imperij limite. Ac tanquam hæc superùm monita satis non essent, horribili terræ motu Pontus & Asia concussa, subversa Nicomedia, urbesque complures : tanquam terram scindi oporteret, dum sacrilegæ hæreses lacerant Ecclesiam per impios principes. Exactâ hyeme, Julianus Cæsar maturè summâque celeritate exercitum in Germaniam secundam ad Rhenum, inferiorem deduxit : non alio magis opportuno ad bella proferenda consilio, quàm ut civitates, superiore Francorum irruptione in Gallias, quam suprà memoravimus, excisas, receptasque communiret. Utrumque spe citiùs confectum : nam è quibusdam Francos ejecit, quasdam desertas instauravit. Septem hasce recenset Marcellinus, *Castra Herculis, Quadriburgum, Triceſimas*, seu Castra Ulpia Trajana, *Novesium, Bonnam, Antennacum, et Bingium*, quòd hæ civitates ex adversâ Rheni ripâ Francis objacerent, quorum reges ac populi ex icto fœdere metúque Cæsaris quiescebant. Reparata multis in locis diruta mœnia, firmata præsidijs, importata annona ; quæ partim à Florentio præfecto invecta ex Gallijs, partim ab ipsis Franciæ regibus carpentis subministrata, unà cum lignis & trabibus ad reparanda ædificia : quanquam metu imperioque Cæsaris magis, quàm obsequendi studio.

An. Christi 359. *Marc. l. 17.* Æmulatio inter Constantium Cæsarem & Julianum.

Marcell. lib. 18. Juliani expeditio ad Rhenũ inferiorẽ, qua Urbes à Francis Vastatæ reparantur.

Miserat interea Julianus Cæsar Hariobaudem tribunum, barbari sermonis gnarum, quòd & ipse Germanus & Francus esset, specie quidem legationis ad Hortarium Alemannorum regem, re autem, ut exploraret, quæ Alemanni trans Rhenum molirentur. Quo reverso, postquam omnia, quæ scire cupierat, Cæsar est edoctus, Moguntiam cum exercitu movit, hortantibus Florentio & Lupicino supremis militiæ ducibus, qui auctores fuere Juliano, ut per ea loca pontem Rheno imponeret, per quem in Germaniam traduceretur exercitus. Improbabat hæc Cæsar, quòd diceret Alemannorum reges jam quiescere, & bellicosam gentem tanto cum periculo provocari, quanto repellantur ex Imperio. Quæ cùm in se parari adverterent Alemanni, præmonuêre minacius etiam Suomarum regem, ut Romanos transitu prohiberet : agi enim tam de ejus pagis, quos

Julianus Moguntiæ ponte Rheno imposito, Alemannorum regiones vastat.

quos trans Rhenum istic haberet, quàm de ipsorum terris vastandis. Et cùm Suomarus responderet, non esse suarum virium Romanos arcere, omnis barbarica multitudo ad Rheni ripam, quæ Moguntiaci o bjacet, armata advolavit, prohibitura fluminis transitum, & pontis opus. Hic cùm Cæsari difficillimum esset pugnacissimam gentem ab ripâ depellere, pontemque perficere, imperatum est Lupicino duci, ac tribunis, ut quadraginta speculatoriæ naves, (quas lusorias dixêre) ad manum paratæ consisterent. Quibus postquam milites sudibus armisque instructi fuére impositi, tacito per flumen cursu, inobservatique à Germanis in adversam ripam evasere, & Hortarium Alemannorum regem inopinantem à tergo sunt aggressi (hic eâ nocte pro more gentis cum regalibus primoribusque suis convivium in tertiam usque vigiliam agitabat) nec tamen ita illi inter pocula obruti, quin strepitu adventantis hostis exciti se fugâ subtraxerint, adjuti noctis & saltuum beneficio. Id ubi ceteris quoque Germanis compertum, Romanos jam Rhenum transijsse, repentè & ipsi solutis castris retro in saltus & silvas recessere. Tum verò pons ad Moguntiacum à Juliano securè Rheno impositus, traductusque exercitus. Strata & vastata obvia, incensi vici, capti trucidatique incolæ, & miserabili strage circum omnia fœdata; donec perventum ad regionem cui Capellatium aut Palas nomen, fortè à Palis Germanis & terminis regionum, unde Marchionum postea munus & nomen fluxit. Nam istic, ut Marcellinus memorat, reperti terminales lapides, quibus Alemannorum & Burgundionum confinia discludebantur. Non ultrà istic Germania à Juliano intrata. Ibi castra posita, ibi Macrianus & Hariobaudus Reges & Germani fratres, ibi Vadomarius Rex primùm prosè, tum pro Urio, Urficino, & Versalpo Regibus pacem sollicitantes auditi. Pax omnibus eâ lege data, ut captivi omnes, quos varijs irruptionibus abduxerant, redderentur. Lætus Cæsar tam felici, secus quàm sperârat, successu, Alemannos ad pacem compositos esse; quamvis fluxam Barbarorum fidem simul vereretur, ne stragem hanc illatam per opportuna belli tempora ulciscerentur. Alemannis Germanisque ad pacem denuo compositis Cæsar Parisios ad hiberna redijt, milite per præsidia distributo. De his suis expeditionibus ipse Julianus magnificè in oratione ad S. P. Q. Athenienſem: *Longum est singula percensere, quæ quatuor annis à me gesta: horum summa hæc est. Ter cùm adhuc Cæsar essem Rhenum trajeci, viginti captivorum millia à trans Rhenanis barbaris repetij, ex duobus præliis, et unâ obsidione mille homines in potestatem accepi, nec eos ætate confectos, sed juvenes, quatuor lectissimorum peditum numeros, tres nihilo inferiorum equitum, scholas duas honoratissimas ad Constantium misi; oppida cœpi nunc quidem omnia, tum verò paulò minus quadraginta potitus fueram.* Cladesne major illata Alemannis & Francis, quam accepta à Romanis, æstimabit quis

Marcell. lib. 18. Vopiscus in vita Bonosi. Vegetius lib. 4. c. ult. Novella. Theodosij XXXI.

Palherrē.

Pax cum Alemannorum Regibus inita.

quis facilè ex captivorum numero. Cæsar mille abduxit, & viginti millia recepit à Germanis reddita.

Anno consequente, qui à Christo nato erat trecentesimus sexagesimus, bellum adversus Francos mediterraneos apparat Julianus Cæsar. Quo in apparatu turbatus est à Constantio Imp. Nam dum Sapor Persarum Rex formidabili cum exercitu intra Orientis imperium irruperat, Constantius misso Decentio tribuno ad Julianum mandat, ut Batavos, Herulos, & fortissimos Germanorum, Francorumque milites, quibus hactenus Gallia servata à Barbaris, sibi submittat. Quod eo indigniùs Julianus accepit, quo magis id urgere Constantium ad gloriam suam imminuendam intelligeret. Concessit id Julianus, simul tamen per litteras ad Constantium scriptas dissimulare non potuit, ægre se ferre eos sibi milites abstrahi, qui hoc pacto se in Romanam militiam ultro dederant, ne trans Alpes ducerentur. Et hi postquam Parisios transiêre, ubi Julianus adhuc versabatur, palàm expostulare, & tumultuari, & facto impetu in palatium ferri; ac propè aberat, quin in ipsum Julianum strictis mucronibus involarent. Quibus per omnem verborum lenitatem compositis, jussit domos suas repetere, factum se excusaturum apud Constantium pollicitus, ne à genitali solo abducerentur in alienas terras. Quâ re tantum sui amorem apud ceteros peperit, ut à toto exercitu Augustus sit salutatus, coactusque insignia Augustalia sumere. Quibus erectus Julianus, cœpit palàm agitare consilia de imperio adversus Constantium firmando. Sed primùm duo bella restabant, alterum adversus Scotos Pictosque Britanniam incursantes; ad quos componendos missus est Lupicinus magister equitum: alterum contra Francos, idque periculosissimum, ut ipse literis ad Constantium perscripsit. Quod Julianus ipse hoc anno suscepit; tanquam ijs postremum devictis, Francici simul, & Alemannici Cæsaris nomen, Augustique majestatem jam delatam acceptatamque illustriori merito & gloriâ exornaturus. Jam enim palàm eruperat discordia inter Constantium Imp. & Julianum, quem Constantius Cæsaris nomine contentum esse voluit. Cumque à milite Augustum proclamatum inaudisset, dubius hæsit, primúmne bellum in Julianum verteret hostem Reip. an in Persarum Regem Mesopotamiam rapientem. Sed dum Constantius in Persas movet, Julianus omne belli robur contraxit ex Gallia, & in limitem Germaniæ secundæ est digressus. Referam hæc Marcellini verbis: *Omni apparatu, quem flagitabat instans negotium, communitus, obtricensi Mosæ oppido* (quod nunc Trajectum est) *propinquabat. Rheno inde transmisso, regionem subitò pervasit Francorum, quos Atthuarios vocant, inquietorum hominum, licentiùs etiam tum percursantium extima Galliarum. Quos adortus subitò nihil metuentes hostile, nimiumque securos, quòd scruposâ viarum difficultate arcente, nullum*

An. Christi 360. *Marcell. lib. 20.*

Dissidiũ inter Cõstantium & Julianũ increscit.

Marcell. lib. 20.

Juliani expeditio adversus Francos Attuarios.

lum ad suos pagos introisse meminerant principem, superavit negotio levi: captisque plurimis et occisis, orantibus alijs, qui superfuêre, pacem ex arbitrio dedit. At quâ parte inferiorem Rhenum transierit Julianus Cæsar cum exercitu, utrumne Coloniæ Agrippinæ per Constantini M. pontem, an Novesij, Marcellinus non prodidit. Id denuò constat Franciæ regionem in ipsâ Westfalia assignari. Ibi enim Attuarij populi, quos præter Marcellinum tradidit Velleius, Sulpitius Alexander, Gregorius Turonensis, & vetusta Regum Francorum diplomata, Caroli ac Ludovici: perinde ut in Lotharij Imp. donatione Atthuarius pagus commendatur. * Perplexa interim nominis ratio, & obscura gentis sedes, dum alij Chattuarios esse volunt, quos ex Strabone constat esse Chattos, Cattosve; id scruposæ viæ indicare videntur. Horum opinationi si accedas, Catti inter veterem etiam Franciam continentur, ut sanè ad Luppiam usque se antiquitus, & in Diœcesin Paderbornensem porrexêre. Alij in vetustis Marcellini exemplaribus legunt *Antuarios*, *Ansuarios*, & *Ansivarios*, quos alij auctores dixêre *Ansibarios* & *Ampsivarios*; tanquam circa Amasis ripam accolas, aut intra Rhenum & Amasim incolas. Quocirca à plerisque sedes illis assignatur in Monasterienssi & Paderbornensi diœcesi: quò Gregorius Turonensis respexisse visus, dum Atthuarios hosce inter Bructeros, Chamavos & Chattos collocat, ut gens jam diversa sit Atthuariorum à Chattis Hassisve nostris. Sanè dum Velleius intratâ Germaniâ docet à Tiberio Caninefates in Bataviæ insulâ, dehinc Attuarios & Bructeros subactos, receptosque Cheruscos, satis indicat Attuarios in his, quas diximus, regionibus sedem suam alicubi habuisse. Neque Julianus hac expeditione trans Visurgim progressus est: id enim Marcellinus tantus Juliani præco & militiæ comes inter memoranda Cæsaris sui facinora retulisset. Verùm eam Westfaliæ regionem hoc prædatorio tantummodò bello est pervagatus, quæ inter Rhenum & Amasim ultraque Luppiam continetur, ad terrorem barbaris his gentibus injiciendum: ne Rhenum, uti hactenus licenter fecerant transgressæ, extima Galliarum incursarent. Jam ante Salios Francos idem in perrumpendo inferioris Rheni limite ausos castigaverat, rejeceratque à Mosâ flumine ad Bataviæ oras. Quippe Juliani consilium, & omnis belli labor erat non in ipsâ Francia aut Alemanniæ trans Rhenum Imperij limites proferre, sed Rheni tantummodo limitem firmare. *Unde pari celeritate*, ut Marcellinus perhibet, *reversus per flumen, præsidiaque limitis explorans diligenter et corrigens, ad Rauracos usque*, ubi Basilea nunc conspicitur, *pervenit: locisque recuperatis, quæ olim barbari intercepta retinebant ut propria, iisdemque pleniore curâ firmatis, per Besantionem Viennam hyematurus abscessit.*

Marcell. lib. 20. Velleius l. 2. Greg. Turon. l. 2. c. 9. Gerhardus Vossius in notis ad Velleium. B. Rhenan°. Cluverius lib. 3. c. 16. Lindebrockius in observ. ad lib. 20. Marcell.

* Franci Atthuarij quinam à Marcellino designentur.

An. Christi 361. Postrema hæc Juliani in Francos expeditio fuit. Bellum dehinc exar-

exarsit civile intestinumque inter Julianum & Constantium Imperatorem; cœpitque Julianus per affectationem regni palàm se hostem ferre Constantio, & pacatâ Galliâ Germaniâque Illyricum & Italiam sibi vendicare, Constantio bellis Persicis occupatissimo. Quâ novarum rerum machinatione, quo sibi militum ac populi favorem conciliaret, homo mortalium fallaciſſimus, apertiùs etiam quàm unquam antè se Christianum simulavit, & mense Januario, quo Christiani Epiphaniam celebrant, progressus in Ecclesiam solenni ritu cum Christianis Deum adoravit: cùm interim paucis suorum conscijs clàm inanes Deos à juventute coleret. Sed in ipso perduellionis scelere repentè bellum à Germanis ortum illatumque. Quippe Alemanni ex Vadomarij Alemannorum regis provincia conciti irrupêre in Rhætiam, latè agros perpopulando. Julianus hac inopinâ incursatione exacerbatus, mittit cum copijs Libinonem Comitem ad reprimendos Alemannos. Sed is fœdâ suorum strage cæsus ab Alemannis, novam belli sollicitudinem injecit Juliano: cumprimis quòd id bellum ab ipso Constantio Imperatore sollicitatum inter Barbaros intelligeret, quo se fatigatum in Gallia retineret. Interceptæ enim ipsius Vadomarij Alemannorum Regis literæ à Juliano, quibus Constantio omnem operam pollicitus. Itaq; aperto Marte nihil attentare ausus adversus Vadomarium Julianus, ad fraudis consilia versus, Vadomarium cis Rhenum ad epulas invitat; quò dum Rex incautus accedit, dolo capitur, & in Hispaniam ablegatur, procul à suis. Ipse deinde Julianꝰ cum exercitu Rhenum transgressus Alemannos obruit, & novo pacis fœdere ad quietem componit. Jam omnium securus Julianus, convocato in concionem exercitu exponit merita sua in rempub., nullo vero facinore glorioſior, quàm *quòd arbitrio Dei cœlestis ipsis inter ipsa juventæ rudimenta permixtus irruptiones Alemannorum assiduas et Francorum, populandique jugem licentiam fregerit, Rhenumq; quoties libuerit pervium fecerit Romanis.* Oratione finitâ, quæ oraculi instar excepta est, militum scutis sublatus Augustus salutatur, acceptoque fidei sacramento in Illyrium properat, hanc Imperij partem primò detracturus Constantio Imperatori. Gallia interim Germaniaque Salustio præfecto commissa, homini Ethnico; additus Germanus, alijque militiæ rectores. His summa cura imposita Rheni limitem adversus Alemannos & Francos tuendi; oppidis etiam castellisq; ad Rhenum præfecti rerum militarium periti sunt impositi. Ita verò Juliani discessu respirâvêre trans Rhenani populi, dum alia se opportunitas ad vindicias, & perumpendum Rheni limitem offerret.

Dissidium inter Constantium & Julianum in apertum bellũ erumpit.

Marcell. lib. 21.

Juliano in Illyricum ex Gallijs progresso rebellant Alemanni.

Marcell. lib. 21.

Zosimus l 3.

Intervenit mox alia rerum mutatio, quâ totum Imperium concussum: Constantius enim adversus Persas bello improspere gesto, dum

Constantij Cæsaris mors.

dum retro in Ciliciam cum exercitu tendit, febri correptus extinguitur, III. Non. Octobris, anno ætatis XLV, Imperij XXV. Non aliud magis sub extremum deplorare auditus, quàm quòd Julianum Cæsarem dixisset, & religionem Christianam tot hæresum dissidijs aluisset. Damnavit vel hoc ipsum facinus Marcellinus Ethnicus scriptor, palamque fassus est, *Christianam religionem, absolutam et simplicem anili superstitione ab illo confusam, et dissidiis multis implicatam fuisse.* Acerbè Hieronymus: *Moritur bestia, et redit tranquillitas.* Hic Ariani illius Cæsaris exitus fuit, quocum tota illa Flavia familia extincta. Omnes ille consanguineos, patruos videlicet & binos patrueles Delmatium & Gallum Cæsares sustulerat præter Julianum, ut regnaret in filijs, quos nullos reliquit, præter unam ex fausta conjuge filiam posthumam Constantiam. Tam breve & improsperum Constantini M. Imperium in filijs, & tam inanes fallacesque Cæsarum ac regum cogitationes in familiam cum sceptris propagandam, dum Christi familiam aut turbant, aut prodigunt.

Marcell. lib. 21. sub finem. Hieronymo lib. adversus Luciferia.

An. Christi 362. Julianus ab obitu Constantij Imperium rapit.

Igitur Julianus successor, & nullo vetante Imperator, qui jam vivo Constantio perduellionis Imperium rapuerat. Interque prima consilia nihil funestius agitabat cum animo, quàm Christianæ religionis exitium, modò à Barbaris primùm pacatum possideret Imperium. Tum verò larvam illam Christiani hominis exuere, templa Idolorum aperire, sacrificare ritu gentilium, & tot cæsorum animalium victimas dijs mactare, ut Christiani milites per jocum & risum dicere sint auditi, brevi carnium annonam in castris timendam: prohibere deinde publico edicto, ne Christiani Grammaticam vel Rhetoricam, aut docerent, aut discerent. Veritus ne hæc arma literaria in expugnandos inanes deos verterent. Callido subinde politicorum consilio evocati in palatium Christianorum Antistites, Catholici juxta & Ariani unà cum primoribus populi, quibus una religionis libertas data; & cùm ferali inter se odio pugnare sciret, maluit dissidentes habere quàm concordes: ratus dum inter se pugnarent singuli, tutiorem se ab omnibus fore. Ubi verò confirmatiorem se in Imperio conspexit, sensim sævire in Christianos, Christum per contumeliam appellare Galilæum, expellere ex palatio, & militiæ præfecturis spoliare, quotquot Christi fidem abjurare nollent; ex quibus alij ultrò baltheum militare abjecêre. Hos inter Jovianus & Valentinianus, clari pòst Julianum Cæsares. Demum & Judæi in societatem perfidiæ adjuncti, quibus dum Hierosolymis templum instaurat, erupêre è terrâ flammarum globi, operas & fundamenta evertentium. Per biennium Imperij hæc agitabantur, & Barbari, ut Marcellinus memorat, adhuc quiescebant, Sarmatæ, Gothi, Scythæ, Alemanni, Franci, Persæ, fatales illæ gentes. Donec ultrò Persis bellum ingenti apparatu inferret. Jamque in procinctu stabat, cum Sallustij

Julianus perfidia.

Julianus politicorum magister.

An. Christi 363.

Marcell. lib. 23.

Gallia-

Galliarum præfecti adferuntur literæ, orantis atque extremum obsecrantis, ne intempestivè bellum Persicum susciperet: coactis enim nubibus novam ab Rheno tempestatem imminêre Galliæ, quam præsidio militari nudaverat. Eò enim ferociores Alemanni & Franci se commovere visi, quò longiùs Cæsar abscesserat. At frustrà fuere Sallustij monita & preces: processit Julianus in Persas, & Rege Persarum totius regni viribus prodeunte in campum, fortiter primum impetum excepit. Postridie verò cùm à tergo, à fronte simul & à lateribus incumberent Persæ, Julianus, ut laborantibus succurreret, inermis accurrit. Ibi telo (incertum quis jecerit) est vulneratus, *hiante latiùs suffossi lateris vulnere*, ut Marcellinus addit, *epotâ gelidâ aquâ, quam petit medio noctis horrore, vitâ facilius est absolutus, anno ætatis altero et trigesimo.* Socrates à dæmone, Nazianzenus Angelorum ministerio, Damascenus à Mercurio Martyre transfixum scribit. Relatum præterea à Theodoreto alijsque, simul ac plagam accêpit, manante ubertim sanguine impleviſſe manum, eoq; in aërem projecto, exclamasse: *Vicisti Galilæe, Vicisti!* seu ut Nizephorus retulit: *saturare Nazarene!* Inter has sacrilegas voces ejecta est anima. Postridie statim, quòd res urgebat, à morte Juliani convenêre duces exercitus, & Jovianum domesticorum ordinis primum sibi Imperatorem deligunt, gente Pannonicum & religione Catholicum, Nicænique concilij defensorem. Abnuit ille primùm Imperium, quòd diceret nolle se gentilibus imperare. Ubi verò milites omnes exclamârunt se Christianos esse. Augustalibus sese vestibus indui passus est. Erat tum in intimam Persidem abductus Juliani imprudentiâ exercitus, unde nec regredi nec progredi fas erat. Itaque indecora pax per necessitatem cum Persis in xxx. annos inita, permissæq; Persarum Regi quinque provinciæ & magna pars Mesopotamiæ. Inter tres obsides tribunos Mellobaudes Francus Sapori Regi Persarum relictus. Maluit nimirum Cæsar jacturam provinciarum quàm exercitûs facere. Sed tantò utilior Catholicis, quibus post clausa rursum idolorum templa pax reddita. Inter primas has curas Imperij Illyrium & Gallia, Rhenique limes illi fuêre, ne quid Alemanni & Franci turbarent, Quarè ipsum Malarichum, gente Francum, & gentilium sub Constantio veteranum ductorem, submoto Jovino, quem Julianus Rheni limiti custodiendo imposuerat, subrogari jussit. Hic verò nescio quo mentis furore actus præfecturam detrectavit, atque ex Italia Remos profugit, multa per impetum turbando. Ob quæ Jovinus, cùm Gallicanus miles ei se parêre velle ostenderet, præfecturam retinere jussus. Sed breve Joviani Imperium, nec ultra octavum mensem, cùm odore prunarum in cubiculo calce recens illito, manè extinctum reperêre XIII. Kal. Martij ætatis anno XXXIII.

Marcellin. lib. 25.

Jovianus Imp. delectus ab exercitu sublato Juliano.

Marcell. lib. 25. Aurel. Vict. in Joviano.

An. Christi 364. Valentinian° Imp. Joviano subrogatus ab exercitu.

Septimo dehinc die ab excessu Joviani apud Nicæam militiæ rectores Valentinianum absentem magnâ consensione delegêre Imperatorem, gente itidem Pannonium, scholæ scutariorum præfectum, religione Catholicum. Is ubi ad castra accessit, coronâ & Imperatorio cultu decoratus, clypeoque militari circumlatus Augustus appellatur: jussus haud multo pòst consortem Imperij adsciscere. Quâ super re dum hæret perplexus, Dagalaiphus equestris militiæ rector, *si tuos*, inquit, *amas Imperator, habes fratrem: si Rempubl. quære quem vestigas.* Salubre monitum. Quod cùm offensus abnueret, delegit Valentem fratrem, hominem Arianæ sectæ, vexatoremque Catholicorum. Cessit illi Valentinianus totum Orientem, & cum eo oves lupo. Inde Valens Constantinopolim, Valentinianus Mediolanum profectus ad res Galliæ Germaniæque moderandas. *Eo enim tempore*, ut Marcellinus memorat, *per universum orbem Romanum bellicum canentibus buccinis, excîtæ gentes sævissimæ, limites sibi proximos persultabant. Gallias Rhætiasque simul Alemanni populantur: Sarmatæ et Quadi Pannonias: Picti, Saxones, et Scoti, et Attacotti Britannos ærumnis vexavêre continuis: Austoriani, Maricæque aliæ gentes Africam solito acriùs incursabant; Thracias diripiebant prædatorij globi Gothorum.* Nec Francitum quieti, qui inferiorem Rheni limitem infestabant, ob quæ Germanus præfectus prætorio in locum Jovini à Valentiniano Imp. Galliæ impositus.

Marcell. lib. 26.

Valentiniano Imp. omnes prope Barbari in Romanum Imp. commoti.

An. Christi 365. *Zosimus l 4.* Germani Valentiniano Imp. trâsito Rheno, Gallias infestant.

At proximo anno, qui Christi erat CCCLXV. gravissimum ab Alemannis bellum illatum. Universim de hoc bello Zosimus comes: *Trans Rhenani Barbari, qui quamdiu Julianus superstes erat, nomen Romanum metuebant, et sat habebant, si nemo quid eis in solo suo quiescentibus exhiberet molestiæ; morte Juliani nunciata, suis continuò sedibus egressi, ad gerendum contra Romanos bellum sese parabant. Quo animadverso, Valentinianus copias et pedestres et equestres, et levis armaturæ, ut par erat, disponebat; sitaque ad Rhenum oppida necessario præsidio muniebat.* Quod Zosimus universim transRhenanis adscribit, id Marcellinus Alemannis tribuit. Hactenus quidem illi partim armis Juliani oppressi, partim muneribus placati quieverant: Ubi verò novus Imperator Valentinianus renunciatus fuit, tota Germanorum natio exstimulata injurijs, quibus à Juliano tractata erat, ad arma convolavit. Accessit novum exacerbatis vulnus: Nam postquam eorum legati venêre ad comitatum Augusti, viliora quàm hactenus munera accepêre. Id illi contumeliam gentis suæ reputantes, aspernando munera ad donantium pedes abjecêre. Tantus legatorum illorum erat fastus, tantaque Romanorum contemptio. Tractati ad hæc asperius ab Ursatio officiorum magistro domum regrediuntur, factumque apud suos exaggerando haud ægre universam gentem ad arma concitârunt. *Barbari* nimirum inquit Marcellinus, *quibus omne jus in viribus erat.*

Marcell. lib. 26.

erat. Quo comperto, Valentinianus Dagalaiphum magistrum peditum præmisit cum valida militum manu. Mox ipse ex Italia in Gallias transijt cum Imperatorio comitatu. Interim Alemanni Rhenum transmissi, postquam proxima quæque loca vastassent, cum præda ad suos redierunt. Valentinianus ut propior esset moderandis rebus, Rhemos est transgressus. Non eâ præsentiâ territæ transRhenanæ gentes, mense Januario Rhenum glacie adstrictum transvolant, effusique per vicinas Rheno provincias, omnia terroribus complent. Ingens ac formidabilis erat Barbarorum multitudo, ad quam profligandam missus est Carietto per utramque Germaniam citeriorem comes. Additus illi Severianus comes, homo senex, & ætate invalidus, qui apud Calidonam (alij Coloniam Agrippinam corrigunt: alij oppidum malunt in finibus Ubiorum. Divitienses verò Tuitienses esse volunt) Divitiensibus & Tungricanis præsidebat. Hi postquam in unum contraxêre copias, primùm levibus telis sagittisque, post cominùs consertâ acie sunt congressi. Sed is Alemannorum fuit impetus, quo Romani in fugam abjecti. Severianus equo deturbatus, missilique telo os transfossum; Carietto cum objecto corpore profugos frustra in pugnam retraheret, & ipse lethali telo confixus interijt. Hac victoriâ elati transRhenani populi Treviros transgressi in Gallias penetravêre. Ad hanc cladem perculsus Valentinianus Imperator, omnem è Gallia exercitum coëgit, datumque Imperium militare Jovino duci. Acer is miles erat: speculatusque Alemannos in tres cuneos divisos securiùs agere quàm periculum poscebat, aliud post aliud agmen palabundum aggressus, ad internecionem propè delevit. Inde per calcata cæsorum corpora Parisios reversus obviam habuit Valentinianum Imperatorem de victoriâ gratulantem. Ac Valentinianus Imperator, ut securitati ac militiæ Romanæ consuleret, maximam juventutis multitudinem ex Barbaris Rheni accolis conscripsit, & bellicis rebus exercitam conformavit in usum Romanorum. Franci hi potissimum fuerunt, quorum tanta copia castra repleverat.

Germani Rhenum glacie cõstrictum transeunt. An. Christi 366. *Marcell. lib. 27.*

Romani cæduntur à Germanis, & hi à Jovino Valentiniani præfecto.

Anno insequenti Valentinianus Parisijs Ambianum digressus, adeò gravi morbo in periculum vitæ deprimi cœpit, ut de successore apud exercitum eligendo agitaretur, Quòd ubi Imperator ex morbo recreatus comperit, Gratianum præcelsæ indolis filium ac nondum puberem, re cum exercitu constitutâ, non modò Cæsarem, sed Augustum pari secum dignitate creavit, productumque ad milites allocutus: En habes, inquit, Gratiane Augustalia ornamenta: accingere pro rerum magnitudine, ut patris, patruique collega: assuesce militiæ laboribus & periculis, stare in acie inter Primos, vulnera pati, sanguinem pro Republ. fundere, Rhenum Danubiumque mediâ etiam hyeme conglaciatum inter peditum agmina transire, Alemanos

An. Christi 367. Valentinianus Gratianũ filiũ Cæsarem creat, hortaturq; ad bella contra Germanos & Francos.

Marcell. lib. 27. nos & Francos, quos fortissimas ac ferocissimas habes gentes prælis superare. His apud Ambianos feliciter administratis Treviros concessit, cùm duplex illi bellum renunciatum; alterum à Britannis, à quibus barbarâ conspiratione Nectaridius maritimi tractus comes occisus, & Bulchobaudes dux hostilibus insidijs circumventus tenebatur; cujus rebellionis auctores Picti, Scotti, & Attacotti.

Marcell. lib. 27. Alterum à Francis & Saxonibus, *qui Gallicanos tractus invaserant, et quò quisque erumpere potuit, terrâ marive prædis acerbis, incendiisque, et captivorum funeribus hominum violabant provincias.* Ad Britannos subigendos missus primùm Severianus domesticorum comes; dein Jovinus Alemannorum victor. Hi cùm magnitudine belli deterriti frustrà rebelles attentassent; datum postremò Theodosio, belli imperium. Is, quâ erat bellicâ fortitudine dux eâ tempestate celebris, brevi devictis rebellibus totam Britanniam redegit ad obsequium & quietem. Inde mare remensus arma in Francos & Saxones convertit, ac pari fœlicitate armorum Saxones ex Oceani littoribus pepulit in sedes suas. Id tametsi à Marcellino non sit proditum, auctor tamen est Latinus Pacatus in Panegyrico Theodosij Imp. quem Rhenus & Vahalis vidit de Barbaris triumphantem: quo pedestribus prælijs attrita est Batavia, Saxo consumptus bellis navalibus, redactus ad paludes suas Scotus. Facilè mihi persuaserim Francos ad hunc annum etiam Bataviæ insulam tenuisse; utcunque etiam Quadis expulsis receptam memorârit Zosimus, serò illam posteà Theodosius repetijt, ut vicinis tantùm locis ejecti fuerint per Julianum Quadi Saxones. Utramque hanc Theodosij victoriam de Britannis & Saxonibus relatam extulit Claudianus:

Theodosius Francos & Saxones ab Oceani littore depellit.

> *Terribilis Mauro, debellatorque Britanni*
> *Littoris, ac pariter Boreæ vastator et Austri.*
> *Quid rigor æternus, quid cœli sidera prosunt,*
> *Ignotumque fretum, maduerunt Saxone fuso*
> *Orcades, incaluit Pictorum sanguine Thule.*

An. Christi 368. Profligatis igitur à Theodosio Saxonibus & Francis, altero mox anno Valentinianus Imp. expeditionem, satis ut ipse ratus, cautè suscepit adversus Barbaros. Utrúmne ad superiorem, an inferiorem Rheni ripam ad proterendos Francos (quod verisimile habeo) Marcellinus non expressit. Per hunc Imperatoris discessum cum exercitu, Rando Alemannorum Regulus trajecto cum peditum cohortibus Rheno, Moguntiacum præsidijs nudatum clam accessit, urbeque per insidias interceptâ, barbarorum in modum tractavit incolas. Fortè tum solennis ritus erat dies, quo Christiani magnâ frequentiâ convenerant in templum. (satis hæc indicant per id tempus Moguntiam Christianis fuisse plenam, & libere suos cœtus ex sacra peregisse)

Rando dux Alemannorum, occupata Moguntia, sævit in Christianos & incolas.

Qua

Quâ super re certior factus Rando, furore Barbarico incitatus irruit in ædem sacram, & imbellem hominum multitudinem, viros, conjuges, liberos à patrio complexu attrahit per Rhenum in servitutem. Provocatus hac atroci injuriâ Christianus Imperator, toti genti bellum decernit; ac licet haud multò post Vithicabius Vadomarij regis filius auctor hujus irruptionis pari dolo interemptus sit à Romanis, Alemannique supplices facinus deprecati sint; Veritus tamen Imperator, ne ad eandem perfidiam gens relaberetur, contractis ex Illyrico, Italiâ, & Galliâ legionibus, totam belli molem in Barbaros vertit. Ac Valentinianus ipse cum Gratiano filio, vere jam maturo, Rhenum transgressus, exploratisque per locorum scientes itineribus, sensim ad interiora Barbarorum agmine quadrato processit. Cùmq; nullus se in conspectum hostis offerret, ultra ad Solicinum, quem locum Herciniæ silvæ confinem tradunt, progressus est: ibi hostes non longè collectos in arma reperit. At hi Romanorum adventu territi, montem occupant excelsum admodum, atque ex omni parte abruptum, unò tantùm ad Septentrionem accessu per declivia patente, quem Sebastianum comitem Illyricarum copiarum obsidere jussit. Ipse dum ad radices montis explorandas cum paucis procedit, in hostium insidias & paludes delatus est; ex queis incitati equi beneficio emersit ad legionum stationes, galeâ, quam auro gemmisq; distinctam ferebat cubicularius, in hoc vitæ periculo cum ipso capitis tegmine hosti in spolium relictâ. Insultantibus per hæc Barbaris, Romani dato pugnæ signo per horrida dumis loca objectasque rupes in montis jugum evadunt. Tum verò atrox prælium coortum, quo Barbari ad extremum loco pulsi obtritique; qui superstites fuêre, dispersi per invia rupium ac nemorum latebris se texére. Nec ultra Valentinianus prosecutus hostes, Treviros ad hiberna recessit. Aderat itineris hujus Comes Ausonius poëta Gratiani magister, eò Mosellam iterque hoc eleganter descripsit, primos hos simul Valentiniani & Gratiani triumphos memorando.

Valentinianus Imp. ob cædem & prædam Christianis illatâ bellum Alemannis infert.

Alemanni à Valentiniano Imp. cæduntur, fugantur-que.

Quiescentibus de hinc anno proximo Alemannis & Francis, Valentinianus, ut aditum incursionibus ferocium gentium præstrueret, omnem Rheni limitem ab Alpibus atque Rhætiarum exordijs in Oceanum, quantus Germaniam perlabitur, magnis præmunire operum molibus est adortus. Itaque alibi oppida & castella vetera reparavit, alibi nova exstruxit, aliquot etiam in locis trans flumen intra Alemannorum & Francorum fines turres, burgosque, quibus Barbarorum accessum perstringeret, ædificari jussit. Opus magno animo cœptum, & utili labore per otia pacis absolutum; perinde ut à Druso inchoatum, à cæteris deinde Cæsaribus, ac postremò à Juliano continuatum fuerat. Sed in ipso opere, dum ad Nicrum fluvium aliud munimentum prosperè Imp. restaurat (Man-

An. Christi 369. *Marcell. lib. 28.*

Valentinianus Imp. limitem Rheni castellis & oppidis præmunit. *Amm. Marcell. lib. 28.*

(a) *Freher9. Gruterus. Cluverius.* Romani ab Alemannis cæduntur.

heim volunt ad confluentes Nicri ac Rheni) aliud verò ad montem Piri (quæ Heildelberga creditur) molitur, barbara hostium manus ex abdito colle prorumpit, operasque ac milites Romanos trucidat: quos inter duo præclari duces occubuêre. Franciam, quæ Rheno inferiori objacet, intactam adhuc reliquit: tantùm aberat, ut de Alisonis munimento, aut proferendo ad Visurgim Imperio, consilia susciperet Valentinianus Imperator. Præclara interim per id tempus memoria apud Marcellinum Vadomarij Alemannorum Regis, & Alisonis tribuni, quos Valenti Imperatori in Oriente militasse celebrat. Seu is Aliso ex Paderbornensi solo traductus, seu nomen id aliunde fortissimo tribuno adhæserit. Id satis constat, utriusque Imperatoris exercitum, Valentiniani ac Valentis Francis haud secùs, quàm Batavis militibus nobilitatum fuisse. Inter hæc Saxones, ut Marcellinus tradit, prædis & latrocinijs Galliam divexârunt; *nec quisquam adventum eorum cavere poterat inopinum, non destinata, sed varia petentium et longinqua, et quoquò ventus duxerat, irrumpentium: quam ob causam præ cæteris hostibus Saxones timentur ut repentini.* Interceptus tum ab his Constantinus tribunus stabuli, interfectus Corealis Valentiniani affinis, & Justinæ Imperatricis germanus. Verùm dum Saxones exuvijs prædisque onusti reditum parant ad suos, intercepti sunt à Romanis, trucidatique: nec pueris, imbellique ætati parcitum, ne in parentum audaciam, prædasque adolescerent. Valentinianus contrà ut sese ad Rheni limitem firmaret, selectam juvenum multitudinem ex accolis Francorum & Alemannorum transcripsit in Romanam militiam, quos ita bellicis artibus exercuit, ut per aliquot inde annos Rheni limitem defensum teneret, tanquam Germani per nullos firmius arcerentur, vincerenturque quàm per Germanos.

Saxones Galliam incursant, cædunturque in reditu cum prædis. *Amm. Marcell. lib. 28.*

An. Christi 370. *Amm. Marcell. lib. 28.* Saxones cædem suorum ulturi Galliam infestant. Saxones profligati à Valentiniano Imp. & juventus eorum adscripta in militiam Romanã.

Anno insequenti, ab ortu Christi CCCLXX, multò atrocius, tanquam in vindictam suorum, à Saxonibus bellum est illatum Galliæ; quanquam Cassiodorus ad annum 373. referat. Quippe cùm gens illa, quæ Oceani littora incolebat, infesta esset Romanis, & navigandi artibus piraticâque cæteros Germaniæ populos multùm præstaret, superatis Oceani difficultatibus in Galliam penetravit. Nannienus tum ijs regionibus Comes præfectus erat. Is adversus Saxones progressus, haud ægre primam belli procellam sustinuit; pòst autem infelici prælio edito, & vulnere gravi accepto, cùm invalidum adversus tantam multitudinem adverteret Valentinianus, Severum Magistrum peditum misit, qui ingenti militum manu adductâ, tantum terrorem hostibus intulit, ut in conspectum se dare non ausi, ex templo venerint, pacemque poposcerint. Diu consultatum inter duces, inducias ne darent? Convenit tandem ut delectos juventutis Romanæ militiæ adscriberent, ceteri Saxonum domum incolumes redi-

redirent. Cùm autem per eadem loca, quibus venerant, iter securi relegerent, Romani ex insidijs repentè coorti Saxones invadunt. Restitêre diu fortiter pugnando, quantum casus sinebat; mox cataphractorum equitum globis obruti, contra pactam fidem ad internecionem cæduntur. Quòd cùm à multis religione ductis improbaretur, fuêre tamen, qui exitialem hanc gentem id promeritam censuerint; tanquam paciſci liceat, & per fraudes pacta retractare, violato gentium jure. Hæc interim ea, ut opinor, victoria ab Orosio celebrata: *Valentinianus Saxones, gentem in Oceani littoribus et paludibus inviis sitam, virtute atque agilitate terribilem, periculosam Romanis finibus, eruptionem magnâ mole meditantem, in ipsis Francorum finibus oppressit.* Ut jam Rhenum inferiorem transituri refugium inter ipsos Francos veteres bellorum socios quæsisse viderentur.

Orosius lib. 7. c. 32. Paulus Diaconus lib. 11. in Valentin.

Obtritis Saxonibus, Valentinianus ad Alemannorum gentem, haud minus inquietam, arma vertit. Ac ne periculo sui exercitûs id faceret, Burgundiones trans Rhenanos, ut suprà diximus, populos Cattis finitimos, in societatē belli trahere conatus, missis furtim nuncijs, cū eorum regib⁹ pepigit, ut ipsi constitutà die ex altera parte Alemannos invaderent, se verò transmisso Rheno ab alterâ aggressurū pollicitus. Burgundiones, quòd & cum Alemannis perpetuè de Salinis contenderent, & se Romanā progeniem jactarent, quæ à Druso & Tiberio in castellis antiquitus burgisq; imposita esset, ex quâ in tantam gentem jam excreverant, obsecuti Valentiniano, cum legionib⁹ militum, quæ LXXX. millium feruntur, ad Rhenum constitutâ die constitêre. Territus hac multitudine Valentinianus, cùm neque ad condictum diem munimentis exstruendis impeditus advenisset, nec promissa præstaret; Burgundiones cum indignatione ad sedes suas sunt regressi. Evocatus ob hæc pòst Theodosius Magister equitum, Alemannos metu Burgundionum desertos, & in Rhætiam prorumpentes felicibus prælijs stravit. Hæc illa pacati acclamatio: *Ipse Saxonicus, ipse Alemannicus, ipse Sarmaticus.* Illud verò laudabilius, memoriáque dignum, quod memorat Orosius: *Burgundiones providentiâ Dei omnes tum Christianos factos, Catholicâ fide, nostrisque clericis, quibus obedirent, receptis, blandè, mansuetè, innocenterque vixisse, non quasi cum subjectis Gallis, sed verè cum fratribus Christianis.* Quamvis cum Paulo Diacono malim id aliquanto pòst factum esse, quòd Marcellinus tum videatur gentilium eorum ritus referre, quorum maximus sacerdos Sinistus diceretur, regum more exemptus ab omnibus. Interim quantum ex Orosio æstimes, etiam per hæc tempora Christi religio transgressa Rhenum Barbaras Germanorum gentes in complexum Ecclesiæ attraxit. Ac verosimile reputat Browerus, eruditus scriptor, primos genti huic sacerdotes doctores Christianæ religionis à Moguntinensium & Trevirensium Episcopis submissos esse: utcunque etiam nomina

Amm. Marcell. lib. 28. Burgundiones Trans-Rhenani à Valentiniano in auxilium evocantur cōtra Alemannos.

Alemanni à Theodosio cæduntur. *Orosius lib. 7. c. 32.* Burgundiones Christiani trans Rhenum populi. *Paulus Diaconus lib 11. de Valentin.*

mina horum Apostolicorum virorum, factaque ex annalium memoriâ exciderint; qualia multa ab ipsis primis religionis exordijs ubiq; desiderantur. Biennio abhinc quies Imperatori à trans Rhenanis gentibus, Treviri ad omnia intento, cùm aliud rursùm bellum excitatum ab Alemannis, aliud à Saxonibus. Alemannorum concitor Macrinus Rex eorum. Is quia gentes vicinas adultis jam viribus ad arma rapiebat, constituit Valentinianus aut vivum capere, aut insidijs tollere. Quam in rem instrato super Rhenum ponte Severum cum pedestribus copijs præmisit; qui cùm Barbarorum multitudini se imparem conspiceret, obhæsit; dum Valentinianus cum toto exercitu transiret, & junctis viribus procederetur in hostem versus Mattiacas aquas. Quo comperto, Alemanni Regem suum carpento imponunt, & per anfractus collium angustiasque locorum in tutum se retrahunt. Imperator spe suâ delusus, ad septuaginta millia passuum regionem ferro flammáque vastavit. *Bucinobantibus*, quæ è regione Moguntiaci gens erat, & à faginis silvis *Buchoniæ* incolæ putantur, Regem *Fraomarium* fidum Romanis imposuit: *Bitheridus* & *Hortarius* Reges translati in militiam Romanam, tribunique cohortium gentilium dati. Hortarius post fraudis & perfidiæ compertus, à Florentio militiæ duce apud Moguntiacum vivus conjectus in ignem.

An. Christi 373. Valentinianus Imp. in Alemannos movet.

Bucinobantes è regione Moguntiæ populi.

Bellum verò Saxonicum, Valentiniano & Valente IV. Coss. ubi gestum sit, nemo explicatè tradidit. Tantùm D. Hieronymus & Cassiodorus magnam Saxonum cladem ad hunc annum in fastis suis consignârunt *Deusone*, loco, qui corruptè *de Usone* scriptus est, in terra Francorum. At quis locus ille Deuso sit, haud minus obscurum reliquêre; dum alij *Duitium* è regione Agrippinæ; alij *Doisburgum* ad Isalam interpretantur. Et quid vetat Disburgum ad Ruram in similem conjecturam vocare? Hic enim prima Francorum Regum sedes in finibus Sicambrorum & Saxonum, uti ab Hieronymo & Cassiodoro designatur. Quicunque tandem ex his tribus ille locus, certè in terrâ Francorum fuit; ut jam Francia trans Rhenum vel ex hoc etiam in ipsa Westfalia commonstretur. Reperti etiam veteres nummi, in quorum aversâ parte Herculis templum cum effigie ipsius dei sculptum, inscriptumque, *Herculi Deusonienſi.*

Sirmondus in Sidonij epist. 11. l. 8. Brovverus ad hunc annum.

Deuso locus ad quem Saxones cæsi.

An. Christi 374. 75.

Concesserat per hæc Treviros ad hiberna Valentinianus; & quia per id tempus Sarmatæ, Quadi, Gothi, cæteræque efferatæ gentes perrupto Imperij limite per Danubium irruperant in Pannoniam, & Mœsiam, multisque damnis Romanorum provincias affecerant, penetraturi etiam ad interiora Imperij, ni Theodosius juvenis, etiam pòst Imperator, multis cladibus repressisset. Valentinianus majori hac ad Danubium bellorum mole pressus, constituit eò cum exercitu proficisci, & coram administrare bella: Utque Rheni limitem interea tutum retineret, Macrianum Alemannorum Regem propè

Marcell. lib. 30.

Mogun-

Moguntiacum evocavit ad colloquium. Qui cùm veniſſet, uterq; eorum firmo militum præſidio ſtipatus in ripis Rheni conſedit. Pax colloquio conſtituta eſt, fœdus ictum. Adeo precariò magis quàm armis quievere ad tempus transRhenanæ gentes. Macrianus autem poſtea in Francia dum eam vaſtando perrumpit, undique Mellobaudis bellicoſi Regis inſidijs circumventus oppetijt. Jam antè Franci per hæc pacis fœdera pacati erant; quam in rem multum juvit ea Francorum procerum & nobilium multitudo, quæ Valentiniano & Gratiano cæſari militabat. Et Gratianus Auguſtus adeò captus Francorum indole, & fidâ bellorum operâ, virtutéque militari, ut illorum habitum, ad invidiam etiam aliorum procerum & militum ſumpſerit. Ineunte igitur Vere Valentinianus adverſus Sarmatas moturus, Gratianum filium Auguſtum Treviris reliquit ad Rheni limitem adverſus barbaros cuſtodiendum. Ipſe cum *Merobaude* Franco, quem ſupremum militiæ ducem præfecit, & Sebaſtiano comite, ſupremis militiæ præfectis in Pannoniam diſceſſit: traductóque per Danubium exercitu, Merobaudi & Sebaſtiani auſpicijs, Sarmatæ ac Quadi proſperis bellorum initijs profligati ſunt. Abrupit hæc brevi Valentiniani mors, ex iracundia, cujus impatiens erat, illata. Nam, ut Socrates refert, poſtquam Sarmatarum legati acceſſerant vili & ſordido gentis veſtitu, rogavit, num Sarmatæ omnes tam ſordidi eſſent? Cúmq; reſpondiſſent ſe gentis ſuæ ornatiſſimos eſſe, nec alio cultu nobiliſſimos quosque apud ſe reperiri: indignatus, ſibi cum tam abjectâ gente bellum eſſe, quæ fines ſuos egreſſa auderet Imperium turbare, duodecimo Imperij anno, ætatis LX. extinctus eſt. Propè mihi hæc in memoriam revocant noſtra tempora: tam enim abjecta gens Sueci habita, quàm olim Sarmatæ, Hunni, Gotiq;, quibus pòſt Imperium ceſſit in ſpolium; ut enim luxus caſtigetur Chriſtianorum, peregrinæ, famelicæ, ſqualidæque gentes introducuntur flagella vitiorum.

Gratianus Cæſar Francorũ habitum ſumit, gẽtis amore. *Zoſimus l. 4.*

Obitus Valentiniani Imp.

Ab exceſſu Valentiniani Imperatoris in Illyrico Valentinianus junior Gratiani frater, decennisque puer, qui cum matre Juſtina haud adeò procul in villa morabatur, optimatum & militum ſtudio mox Auguſtus appellatus. Ægre ad id conſilium Merobaudes Francus, penès quem ſumma in exercitu erat auctoritas, ſe vocari paſſus, ne Gratianum offenderet, ob id ſe ſubduxit, finxitque ſe literis Gratiani revocatum in Gallias ad Rheni ripam defendendam: ac Sebaſtianum Imperatoris mortem adhuc ignorantem longiùs amandavit. Pòſt ubi Gratianus ipſe electionem fratris ratam habuit, ceſſitque illi Illyricum, Italiam, & Africam; Merobaudes quoq; Valentiniani junioris electionem probavit. Ita jam duo per Occidentem Cæſares. Valens autem per Orientem Imperator, hactenus Valentiniani fratris auctoritate ac monitis multum retentus, nunc omni metu ſolutus,

An. Chriſti 376. Gratianꝰ, & Valentinianus Junior Cæſares. *Marcell. lib. 30. Zoſimus lib. 4.*

Valens à morte fratris

Valentiniani sævit in Catholicos.

tus, atrocius per Orientem sævire cœpit in Episcopos & Catholicos; visusque alter Constantius Arianus Imperator ab inferis resuscitatus, furialia religionis bella revocare. Sed vindice Deo, quòd sæpius ante tentârant, Gothi, Alani & Hunni, perrupto limite in Imperium Orientale & Occidentale penetrârunt. *Jacebat per id tempus*, ut Pacatus in Panegyri dixit, *innumerabilibus malis ægra, vel ut potiùs dixerim, exanimata respublica barbaris nationibus, Romano nomini velut quodam diluvio superfusis.* Inde fatales illæ barbarorum calamitates, & malorum Jliades initium duxere; annusque hic CCCLXXVI. orbi funestissimus efferarum gentium rabie consignatur in fastis: tanquam vindex Deus Barbarorum incursionibus tantò gravius puniret hæreticos Cæsares sævientes in Catholicos, quantò illi magis impiè & sacrilegè præ Ethnicorum Imperatoribus lacerabant Ecclesiam. Enim verò quæ Christianæ Religionis concordia semper increverat gentilium tyrannorum sævitiâ, hæc Christianorum Cæsarum & hæreticorum illorum principum rupta est perfidia; ferrumque Augustalis potentiæ, quod distringendum erat in Barbaros, & hostes surgentis Ecclesiæ, id illi in viscera Christianorum detorserunt. Quemadmodum sapienter hanc in rem dixit D. Augustinus: *mitiùs tulit Evangelium Christi tyrannorum flammas, quàm hæreticorum linguas: quòd illis sævientibus staret concordia*, quæ hæreticorum dissidijs bellisque sacrilegis discerperetur in partes, eò fœdiùs, quòd principum uxores & Arianæ mulieres sibi Imperium in viros, judicium in Ecclesiam, & potestatem in sanctissimos Episcopos & Sacerdotes divexandos vendicarent. Jam in tantum populi odium adductus erat Valens, ut vulgus præsagij in modum palàm Antiochiæ inclamaret, *vivus ardeat Valens.*

An. Christi 377. Merobaudes Francus Romanus Consul.

Anno interim consequente Gratianus IV. & *Merobaudes* Francus consulatum iniere; alter hic quem post Gaisonem Franci Romanum consulem habuere. Christianusne fuerit haud facile dixerim, quando per id tempus Christiani & gentiles adhuc permixti senatum tenuêre: ausique etiam haud multò pòst aram Victoriæ, & publicum idolorum cultum expetere: Consulem tamen ut tum Roma gentilem ferret, illo cumprimis Christianorum Cæsarum dominatu, & Gratiano collegâ, haud facilè creditu. At Valens Orientis Imperator tot Barbarorum bellis obrutus, Gratianum rogat, ut auxilia sibi ex Gallia & Germania submittat. Obsecutus ille patrui precibus, Treviris Frigeridum Alemannum, & Richomerem Francum, præstantissimos militiæ præfectos cum legionibus submittit. Ægre id tulit Merobaudes Francus supremus militiæ præfectus, vir sapiens & bello acer: veritus ne, Galliâ nudatâ milite, Barbari perrupto Rheni limite provincias incursarent. Nec vanus is metus fuit: vix dum legiones excessisse per proditores renunciatum fuit, cùm Alemanni & Franci superato Rheno cum XL. millibus armatorum

Valens Imp. oppressus à Barbaris auxilia petit à Gratiano.

Alemanni & Franci irrumpunt in Gallias,

rum in Gallias irrumpunt, barbarum in modum obvia omnia depopulando. Ob quæ Gratianus Imperator exercitum ex Gallia contrahit, & memorabili illo apud Argentoratum prælio Barbaros fudit. Juvat hæc ipsius Ammiani Marcellini narratione referre, à quo momentum victoriæ Merobaudi fortissimo duci adscribitur: *Quæ ubi Gratianus*, inquit ille, *cum formidine magnâ comperit, revocatis cohortibus, quas præmiserat in Pannonias, convocatisque aliis, quas in Galliis retinuerat dispositio prudens, Nannieno negotium dedit virtutis sobriæ duci: eique Melobaudem junxit pari potestate collegam, domesticorum comitem, Regemq; Francorum, virum bellicosum et fortem. Nannieno igitur pensante fortunarum versabiles casus, ideoque cunctandum esse censente, Melobaudes autem pugnandi cupiditate raptatus, ut consueverat ire in hostem, differendi impatiens angebatur. Proinde horrifico adversum fragore terrente, primùm apud Argentariam signo per cornicines dato, concurri est cœptum: sagittarum verutorumque missilium pulsibus crebiores hinc indéque sternebantur. Sed in ipso prœliorum ardore infinitâ hostium multitudine milites visâ, vitantesque aperta discrimina, per calles consitos arboribus et angustos, ut quisque potuit dispersi, paulò pòst stetêre fidentiùs, et splendore consimili, proculque nitore fulgentes armorum, Imperatorii adventus injecêre barbaris metum. Qui repentè versi in terga, resistentesque interdum, ne quid ultimæ rationis omitterent, ita sunt cæsi, ut ex prædicto numero* XL. millium, *non plus quàm quinque millia, ut æstimabatur, evaderent, densitate nemorum tecti. Inter complures alios audaces et fortes rege quoque Priario interfecto, exitialium concitore pugnarum.* Quo successu erectus Gratianus, Rhenum infra transijt, & Barbaros sedibus suis expulsos, per abrupta montium & invia silvarum disjecit. Unum hoc loco monere necesse est. Qui barbarorum Rex *Priarius* scribitur, is, ut eruditi in sincerioribus Marcellini scriptis legunt, *Priamus* Francorum Rex fuit, quem & Prosper hoc ipso Gratiani tempore vixisse memorat, ut hoc bellum Francis & Alemannis sociale videri debeat. Is deinde Priamus originem fabulæ dederit ijs, qui Francos à Trojanis deduxêre. Gratianus Imperator, rebus ac licuit cum barbaris gentiqus compositis, victor cum exercitu in Pannoniam, ac transito Danubio, in Thraciam maturavit, Valenti Imperatori auxilia adversus Gothos apportaturus. At Valens, licet per Richomerem à se præmissum à Gratiano certior factus esset de propinquitate adventus sui; ille tamen non exspectato Gratiani exercitu, ne eum consortem victoriæ haberet, cum Gothis conflixit: prælium diu sustentatum, Batavorum etiam & Richomeri fortitudine: postremùm cæsus sauciusque Valens profugit ad rusticanam casam: insecuti mox Gothi; cùmque postibus domum obseratam reperissent, congestis stipularum & lignorum fascibus, igneque subjecto cum satellitibus Valentem concremaverunt. Hic nimirum exitus Ariani Imperatoris, vexatoris-

sed à Gratiano cæduntur ad Argentoratum. An. Christi 378. *Marcell. lib. 31.*

Marcus Velserus in tabul. Lindebrochius in notis in Amm. Pontanus de origine Franc. lib. 4. c. 7. Cluverius. Marcell. lib. 31.

Valens Imp. Arianus cæsus à Gothis, vivus in casa rustica cana exuritur.

An. Christi 379. Theodosius Orientis Imperator à Gratiano dictus. *Marcell. lib. 31. Zosimus.*

torisque Catholicorum fuit. Gratianus ut ruentes Imperij res fulciret, Theodosium fortissimum eâ tempestate militem ex Hispania & patrio solo evocat, fratreque Valentiniano, cujus imbellis adhuc erat ætas, & hæresi Arianæ obnoxia, præterito, collegam Imperij & Orientis Imperatorem dicit. Columen is postea fuit adversus Gothos barbarasque gentes; nec minus Arianæ hæresis domitor, Catholicam religionem erexit. His peractis, Gratianus cùm Alemannos & Francos per absentiam suam comperisset Rhenum denuò transijsse, & prædabundos in Galliam incurrisse, summâ celeritate & ipse in Galliam se Treviros recepit, Rheni limitem tutaturus. Quod egregiè sanè præstitit: quanquam rei gestæ memoria incomperta, Marcellino historiam suam in his rebus gestis abrumpente. Altero mox anno, cùm Theodosius gravi morbo Thessalonicæ depressus jaceret, & Thraciæ periculum adversus grassantes Gothos, Hunnos, & Alanos auxilia poscceret, Gratianus *Baudonem* & *Arbogastem* Theodosio submisit. *Erant ambo*, ut Zosimus retulit, *genere Franci, amicissimis in Romanos animis, ab avaritiâ* cæterorum præfectorum & magistratuum *prorsus immunes, in bellicis rebus prudentiâ pariter ac robore præstantes*: quorum operâ & fortitudine Gothi ex Macedonia & Thessalia cum ingenti clade depulsi sunt.

An. Christi 380. &c. *Zosimus l. 4.* Baudo & Arbogastes Franci Gothos ex Macedonia depellunt.

Longiùs quidem ab instituto hæc trahi à nobis videri possunt; sed non aliena adeò, dum Francorum bellatorum res gestas in Gratiano prosequimur: qui Francorum militum operâ, & Ducum fortitudine, res quasque summas & bello arduas gessit, imò per Francos, quos aut bello deditos, aut ex gente conscriptos habuit in castris & aulâ, ipsos Francos debellavit: perinde ut nostrâ memoriâ Succi per Germanos ipsam Germaniam, magnam sui partem subegêre. Quod Ausonium Poëtam, quem Gratianus moderatorem juventutis habuit, referre videmus:

Ausonius in descript. Mosellæ.

Accedent vires, quas Francia, quasque Chamavi,
Germanique tremant.

Freherus in notis. Francorũ multitudo in aulâ & militiâ Romanâ. *Vopiscus in Probo.*

Ingens eâ tempestate Francorum erat multitudo, bellum etiam ultro petentium, adscriptorumque in militiam Romanam à Probo usque Cæsare; quemadmodum id à Vopisco scriptum est: *Omnes jam barbari non modò arant et serviunt vobis, sed et contra interiores gentes militant.* Invaluit id quàm maximè Constantino M. Imperatore, quo ad invidiam & æmulationem aula & militia repleta est Francis, sæpiusq; Julianus id improbare auditus in Constantino. Auctus hic Francorum numerus à Constantini filijs, quorum indolem virtutemque bellicam, etiam dum adversus Francos bella gererent, in sua militia præ cæteris Barbaris probabant. Inde ex his Francis tot in palatio candidati è *Scholarium* numero, ut vocabant, Scutarij, Armigeri, Protecto-

rectoresque Principis delecti ob procerum elegantemque corporis habitum. Ex his deinde Comites domesticorum, aliaque Palatinorum honorum munia : in militiâ præterea Centuriones, Tribuni, Magistri equitum, & supremi exercitus duces; demum ad summum magistratum evecti Franci, ac Consules etiam ex Francis Romani conspecti, Gaiso & Merobaudes, Ricimer & Bauto. De posteriorum consulatu suis temporibus à nobis memorabitur. Et Gratianus quam Francorum multitudinem à Valentiniano patre acceperat, in castris & aulâ in intimam familiaritatem & militiæ usum recepit. Rursus Ausonium Poëtam & Consulem audire lubeat :

Quà Francia mista Suëvis
Certat ad obsequium, Latiis ut militet armis.

Marcell. lib. 31. Zosimo l. 4. Sozomenus lib. 7. Pacatus in Paneg. Theodosij. Hieronymo de Gratiano. Ambrosius.

Captus adeò gentis Francicæ moribus Gratianus (quemadmodum suprà etiam à nobis relatum est) ut eorum vestitum habitumque corporis subinde sumeret, contra superiorum Cæsarum morem, quibus, cùm *præclaræ indolis adolescens, facundus et moderatus et bellicosus et clemens ad æmulationem lectorum principum*, uti Marcellinus eum describit, nimiùm indulgeret, remissiusque subinde Reip. curam inter venationum oblectamenta sumeret, tum verò ceteri Romani milites se præ Francis & Barbaris despici perperam suspicati, sensim ex aversis animis in conspirationem & rebellionem devoluti, Maximum tyrannum, quem in Britannia milites sibi Cæsarem delegerant, evocavêre. Ille olim commilito Theodosij, ex eâdem Hispanorum gente, ubi Theodosium à Gratiano ad Imperatoriam dignitatem provectum jam acceperat, seu cupiditate regnandi incensus, seu renisus coactusq; à militibus (ut alij referunt) purpuram sumpsit, Christianus & bonus militiâ, dignusq; etiam eâ Cæsaris dignitate; si non per rebellionem inisset, & turpiùs per tyrannidem corrupisset. Igitur postquam Maximus ex Britanniæ ad Galliæ quoque Imperium novâ militum rebellione se evocari accepit, classem conscendens, alios militum in Galliæ oris exposuit, alios per ostia Rheni invectos traduxit in Belgicam, rectàq; Treviros ad Gratianum Imperatorem armatus contendit. Quo comperto, Gratianus Treviris se Parisios recepit. Insecutus citato agmine Maximus : collocatisque per quinque dies castris, levibus aliquot prælijs decertatum est. Ubi verò Gratianus se à suis deseri, & urbibus Galliarum excludi sensit, profugus cum trecentis militibus Lugdunum pervenit : nec multò pòst dolo interceptus ab Andragathio, Maximi jussu barbarum in modum VII. Kal. Septemb. trucidatur: juvenis omnibus naturæ virtutumque ornamentis florentissimus, qui annum ætatis XXIV. aut certé, ut alijs rectiùs visum, XXVIII. non excesserat. Morte ejus totum Imperium funestatum; nec doloris sensus ad alios magis gravis, quàm ad Ambrosium

An. Christi 383. Maximus Tyrannus Cæsar per rebellionem militum.

Gratiani Cæsaris funesta cædes. *Paulus Diacon. in Grat. Ruffin. lib. 2. c. 14. Zosimus l. 4. Socrat. l. 5. Hieron. epist. 3.*

sium & Catholicos omnes pervenit. Frustra Francorum militum fides fuit, & manus ad obsequia parata, quam ipsa Romanorum militum perfidia & multitudo obruit. Vel inde Maximus tyrannus, cùm in omnes Gratiani amicos fidosque milites postea sæviret, tum inter alios in Merobaudem gente Francum, & hujus anni Romanum Consulem minas furoremque convertit; quibus ille per intentata supplicia ad ultroneam mortem adactus. Nimirum ut Pacatus in panegyrico ad Theodosium Imperatorem: *Vallio triumphalis, et trabeate Merobaudes recordetur interitum: quorum alter post amplissimos magistratus, et purpuras consulares, et contractum intra unam domum quendam honorum senatum, vitâ sese abdicare compulsus est: alteri manibus satellitum Britannorum gula domi fracta, et inustæ fœminæ mortis infamia; ut scilicet vir ferri amantissimus videretur laqueo perire quàm gladio. Sed in illos fortasse speciales putaretur habuisse odiorum causas tyrannus: steterat enim uterque in acie Gratiani, et Gratianus utrumque dilexerat,* ut jam Prosper erroris compertus, à quo Merobaudes proditionis insimulatur. Sanè quâ fide & constantiâ Merobaudes Francorum dux in prælio stetit, eâdem & ceteros Francos Gratiano hæsisse dixerim. Turbidum inde Imperium per civilia bella, dum Maximus tyrannus Treviris in palatio Imperatorem se tulit, & fulminis instar post Britanniam sibi devinctam, Galliam & citeriorem Germaniam dominandi rapacitate perstrinxit. Adhæc, ut res suas stabiliret, Victorem filium Cæsarem dixit: Vallionem & Merobaudem Francum tot prælijs celebres, qui supremi apud Gratianum militiæ præfecti erant, in potestatem suam adductos, insontesque per summam, ut diximus, perfidiam interfecit. Territus his Valentinianus adolescens, & per Italiam Imperator, cùm viribus suis diffideret, misso D. Ambrosio legato pacem sollicitat; atque ut belli speciem averteret ab animo Maximi tyranni, Hunnos & Alanos, quos jam antè Gratianus in subsidium evocârat contra Maximum, per Bautonem Francum in Alemannos Rhætiam infestantes abducit. Ejus deinde viri operâ, & Hunnorum Alanorumque socialibus armis Alemanni repressi, rejectiq; in sedes suas. Utrumne tum Hunni barbara gens à Mæotide palude excita, prolectaque in Germaniam, Coloniam usque descenderit, & D. Ursulam, cœtumque illum undecim millium virginum trucidârit, hoc loco inquirunt scriptores: id enim altera quam supra attulimus sententia contendit. Auctorem hi comprimis sequuntur Gaufridum Arturum Asaphensem in Anglia Episcopum, quòd is in rebus Britannicis memoret Maximum tyrannum Imperatoremque per id tempus creatum, Armoricos Galliæ populos sedibus suis ejecisse, deductis in eas novis militum Britannorum Colonijs; à quibus cùm uxores desiderarentur ad propagandam sobolem, Maximum tyrannum, missâ ad Cornubiæ Regem legatione, expetijsse virgines ad connubia

S. Ursula cum cœtu Virginum sub Maximo Cæsare interempta refertur, & refellitur.

nubia Britannorum colonorum : ad cujus postulata Cornubiæ Rex undecim millia virginum Londini collecta, navibus imposuerit transmittenda in Gallias : quæ postquam tempestate in Germanicum littus, ac simul in potestatem Gauni Hunnorum piratæ sunt delatæ, nec Barbarorum libidini se permitterent, omnes uno impetu trucidatas esse, palmamque illam pudicitiæ tot scriptoribus exinde memoratam retulisse. Dux harum virginum Ursula, quæ Conano primùm regulo per id tempus Maximo tyranno militanti desponsa erat. Hanc Gaufredi narrationem amplexi Aventinus, Velserus, Baronius & Bucherius, ac nemo contentiùs quàm Miræus, disceptatione etiam hac super re Parisijs editâ; quæ tamen opinatio minimè alijs probatur. Nam quinam illi Hunni in Oceano Germanico à quibus virgines illæ trucidatæ ? Francos ac Saxones potiùs dixeris, piraticâ ex mari illo noti. Ad hæc omnia antiquitatum monumenta omnisque majorum fides, Coloniam Agrippinam, non littus maris Germanici locum Martyrij consignant. Id tamen ut componant, ajunt virgines illas ex mari delatas in Rhenum, atq; inde Coloniam perveniisse, ut sponsos suos Treviri convenirent, ubi Maximus tyrannus aulam & sedem regiam habebat : sed Coloniæ occupatas ab Hunnis, quos Valentinianus Imperator evocârat adversus Maximum tyrannum, ibique contrucidatas esse. At Hunni illi licet ad ulciscendam Gratiani necem Alemanniam adierint, mox tamen revocati, uti Ambrosius scribit, ne Maximus eorum adventu irritaretur ; nec ad inferiorem Germaniam penetrasse, quisquam scriptorum meminit. Præterquam quòd Gaufredus, qui hæc primùm scripsit, totus fabulis obnoxius convincatur à Neubrigensi alijsque Angliæ scriptoribus ; nec Armorici unquam à Maximo tyranno pulsi sint, quos auctor vitæ S. Germani, & Rutillus Claudius diu post hæc tempora ex priscis suis sedibus incolas memorant. Ut jam tertia demum sententia relinquatur vero propior, quæ anno 451. ab Attila Hunnorum rege Coloniæ Ursulam cum suo virginum cœtu trucidatam tradit.

Anno deinde Christiani nominis trecentesimo octuagesimo quarto, *Ricimer* Francus, bellis haud minus quàm Merobaudes clarus, Valentiniano & Gratiano Cæsare, Romanæ militiæ dux, unà cum Clearcho Consul Romanus renunciatus. Satis erit hoc ad Ricimeris laudem Marcellini testimonium, asserentis, *eum jam multò antè indicia dignitatis hujus et natalium dedisse.* Qui sanè natales haud alij, quàm quòd ex nobili Francorum sanguine ortus, gentis suæ gloriam præclaris, ut ceteri Francorum, rebus gestis exornârit. Simulatâ per hæc concordiâ inter Maximum tyrannum, & Valentinianum Imperatorem fluctuabant adhuc Imperij res. Cumque denuò Ambrosius mitteretur legatus ad Gratiani corpus impetrandum, multa questus est Maximus de injurijs à Valentiniano & Bautonē

An. Christi 384. *Cassiod. in Chron. Sigon. de occid. Imp.* Ricimer gente Francus Consul Romanus. Valentinianus Imp. per

Francum, supremũ militiæ ducem, barbaros ejicit. *Ambrosius Epist. 27.*

Bautone Franco, quem Valentinianus supremum militiæ ducem habebat, sibi irrogatis; quemadmodum D. Ambrosius in legatione suâ exponit, utrumque purgando. *In quo te*, inquit, *fefellit Bauto, qui devotionem Imperatori suo exhibuit? An quia principem suum non prodidit, quos immisit barbaros Bauto Comes? Et quid mirum si hoc Bauto fecisset trans Rhenanus genere? vide autem, quid interfit inter tuas minitationes et Valentiniani Augusti pueri mansuetudinem. Tu id flagitabas quòd barbarorum stipatus agminibus Italiæ te infunderes, Valentinianus Hunnos ac Alanos appropinquantes Galliæ per Alemanniæ terras reflexit. Quid habet invidiæ, si Bauto barbaros cum barbaris fecit decernere? In medio Romani Imperij sinu Juthungi populabantur Rhætias, et ideo adversus Luthungum Hunnus accitus est. Idem tamen quia de finitimo proterebat Alemanniam, et jam vicini mali urgebat Gallias, coactus est suos triumphos deserere, ne tu timeres. Confer utriusque factum, tu fecisti incursari Rhætias, Valentinianus suo tibi auro pacem redemit.* Interim Maximus misso in Hispaniam exercitu, id regnum levi quoque negotio Imperio suo adjecit: audivitque subinde D. Martinum Turonensem Episcopum monentem, qui per id tempus Treviri Maximo familiaris erat, & ob vitæ sanctitatem ac miracula conjugem Maximi, probissimam fœminam, summâ admiratione ac veneratione sui tenebat.

An. Christi 385. Arcadius & Bauto Francus Consules Romani. *Aug. lib. 3. contra Petil c. 25. Et lib. 6. confess. c. 6. Baronius ad hunc annum.*

Rebus in hunc modum pendentibus, anno proximo Arcadius Theodosij filius, quem jam pater Orientis Cæsarem dixerat, & *Bauto* trans Rhenanus Francus, supremus apud Valentinianum juvenem militiæ dux, Consules Romani renunciati. Quartus hîc post *Gaisonem*, *Merobaudem*, & *Ricimerem* continuo magistratu ex Francorum gente Consul, paremque cum Imperatoris filio dignitatem consecutus. Versabatur tum Bauto Mediolani in palatio Valentiniani Imp. Vel eò illustrior ejus consulatus, quòd à D. Augustino Panegyri exornatus, quam Rhetorices professor inter meditamenta Christianæ religionis, in consessu procerum Valentiniano Imperatori dixit. Ità enim de se Augustinus ipse: *Cùm ego Mediolanum amante Bautonem Consulem venerim, eique Consuli Kalendis Januarij laudem in tanto conventu conspectuque hominum pro mea tunc Rhetoricâ professione recitarem.*

An. Christi 386. *Latinus Pacatus in Paneg. Theodosij.*

Quievêre per hæc Barbari adhuc, Alemanni juxta ac Franci, ne Rheni limitem transcenderent, incerti quò apparatus bellicus Maximi tyranni spectaret. Nam quantum ministri ejus pecuniam ex tributis, exactionibus, & spolijs Galliæ colligebant, tantum homo inflatus regnandi cupiditate ferebatur in Italiam, ad deturbandum Valentinianum juvenem ex Imperio. Nimirum quemadmodum Gildas sapiens scripsit: *Thronum statuit apud Treviros, ut duos legitimos Imperatores unum Româ, alterum vitâ expelleret.* Jam Alpes cum omnibus copijs superaverat Maximus, cùm Theodosius Imp. sollicitatus à Valentiniano & Justinâ matre ad se profugis, Maximum in Pannonia

Maximus Tyrann9 per Galliã dominatu arrepto Italiam affectat. *Gildas in excidio Britan.* Theodosius Orientis Imp.

nia consecutus duobus prælijs fundit; profugum dein Aquileiæ includit, obsidetque, donec à militibus Theodosio traditus, & capitis supplicio rebellionis scelus persolvit. Ita Valentiniano Italia & totius Occidentis Imperium, quod Gratiano fratri eripuerat tyrannus, assertum. Majus etiam à Theodosio beneficium præstitum, ex quo Valentinianum Arianâ hæresi corruptum à matre, fideliori Ecclesiæ Catholicæ matri reddidit.

Maximũ profligat, captumq; necat.

Inter hæc dum Aquileiæ incinctus tenetur Maximus, & Gallia milite nudata Barbarorum incursionibus opportuna fuit, Franci barbari cum ingenti armatorum multitudine Rhenum transgressi in Gallias se effundunt. Rem omnem Sulpitius Alexander priscus scriptor, & ex eo Gregorius Turonensis perscripsit. Ac ne quid fidei scriptorum detraham, horum verbis referre necesse habeo: *Dum enim Maximus omni sic Imperio amisso intra Aquileiam quasi amens residet, Franci Genobaldo, Marcomere, et Sunnone ducibus, in Germaniam prorupêre, ac pluribus mortalium limite irrupto cæsis, fertiles maximè pagos depopulati, Agrippinensi etiam Coloniæ metum incussêre. Quod ubi Treviros perlatum est, Nanninus et Quintinus militares magistri, quibus infantiam filij et defensionem Galliarum Maximus commiserat, collecto exercitu apud Agrippinam convenêre. Sed onusti prædâ hostes, provinciarum opima depopulati; Rhenum transiêre, pluribus suorum in Romano solo relictis, ad repetendam depopulationem paratis, cum quibus congressus Romanis accommodus fuit, multis Francorum apud Carbonariam ferro peremptis. Cúmque consultaretur de successu, an in Franciam transire deberent, Nanninus abnuit, quia non imparatos et in locis suis indubiè fortiores futuros sciebat. Quod cùm Quintino et reliquis viris militaribus displicuisset, Nannino Moguntiacum reverso, Quintinus cum exercitu circa * Nivisium castellum Rhenum transgressus, secundis à fluvio castris, casas habitatoribus vacuas, atque ingentes vicos destitutos offendit. Franci enim simulato metu se in remotiores saltus receperant, concidibus per extrema silvarum procuratis. Itaque universis domibus exustis, in quas sævire stoliditas ignava, victoriæ consumationem reponebat, noctem sollicitam milites sub armorum onere duxerant. Ac primo diluculo, Quintino prælii duce ingressi saltus, in medium ferè diem implicantes se erroribus viarum, toto pervagati sunt: tandem cùm ingentibus septis omnia à solido clausa offendissent, in palustres campos, qui silvis jungebantur, prorumpere molientibus, hostium rari apparuêre: qui conjunctis arborum truncis vel concidibus superstantes, veluti è fastigiis turrium sagittas tormentorum ritu effudêre, illitas herbarum venenis, ut summæ cutis, neque letalibus inflicta locis vulnera, haud dubiæ mortes sequerentur. Dehinc majori multitudine hostium circumfusus exercitus, in aperta eamporum, quæ libera Franci reliquerant, avidè effusus est: ac primi equites voraginibus immersi, permixtis hominum jumentorumque corporibus, ruina invicem suorum oppressi sunt. Pedites etiam quos nulla onera equorum cal-*

Franci barbari Rhenum transgressi Galliam depopulantur.

Sulpitius Alexander. lib. 3. hist. Gregorio Turonensis lib. 2. c. 9.

Silvam Carbonariam plerique in Eburonum seu Leodiensium provincia statuunt.

**Novesium hodie*

Quintini & Romanorũ clades à Francis accepta trãs Rhenum in Francia.

caverant, implicati limo ægrè explicantes gressum, rursum se, qui paulò antè vix emerserant, silvis trepidantes occulebant. Perturbatis igitur ordinibus cæsæ legionis, Heraclio Jovinianorum tribuno, ac penè omnibus, qui militibus præerant, extinctis, paucis effugium tutum nox et latibula silvarum præstitêre. Illustris hæc Francorum victoria, sed multò illustrius horum scriptorum testimonium, ex quibus recognoscas Franciam antiquam non alibi quàm transRhenum, uti hactenus tot auctorum indicijs & Cæsarum vestigijs ostendimus, in Westfalia requirendam esse. Quare ex hac Sulpitij & Turonensis narratione clarè quoque evinci censuit Browerus, Francorum sedes istic transRhenum monstrari, ubi antiquitus Ubij, Tencteri, Usipij, Bructeri, ceterique inter Rhenum & Visurgim populi incoluere: quæ non alia regio, quàm nostra modò Westfalia est. Quanquam inter ipsos Francos, quod nomen omnibus incolis commune fuit, adhuc Bructeri, Chamavi, Ansibarij, Chatti, alijque subinde proprijs suæ gentis vocabulis ab alijs scriptoribus memorentur. Ceterùm Theodosius Imperator, ut Galliam quoque integram ac liberam assereret Valentiniano affini suo, Arbogasten gente Francum, virum ex militiæ suæ præfectis acrem, cum copijs præmisit in Germaniam cum mandato, ut Victorem Maximi filium jam ab ipso parente Cæsarem appellatum è medio tolleret. Is prælio cum Victore commisso adolescentem cepit, & interemit. Valentinianus subinde Galliam cum imperio ingressus, magistratus à Maximo creatos exauctoravit, & horum in locum Nanninum & Quintinum, Cariettonem & Syrum tutando Rheni limiti adversus Francos imposuit.

Lib. 4. ann. Treviren. ad hunc annum.

An. Christi 389. *Gregorius Turon. l. 2. c. 11. Paulinus in vita Ambr. de Arbogaste.*

Anno ab his proximo, quo Theodosius cum Valentiniano Imperatore Romam triumphans est ingressus, renunciatur Francos superioris annivictoriâ elatos Rhenum transisse, & pro effreni gentis libertate, denuo ingentes pecorum hominumque prædas revexisse in sedes suas. Quod ubi Arbogastes audijt, Valentiniano auctor est, meritas à Francis pœnas exigendas, nisi omnia, etiam quæ superiore anno cæsis legionibus diripuissent, subitò restituerent, auctoresq; belli traderent, in quibus violatæ pacis perfidia plecteretur. Approbato consilio Arbogastes cum copijs militaribus in Francos digressus est, collatisque signis haud levi clade Francos profligavit. Non ita multò pòst Valentinianus Imp. cum exercitu ad Rhenum proficiscitur, & cum Marcomere & Sunnone Francorum Regalibus colloquutus, repetito pacis fœdere, imperatisque de more obsidibus, Francos in Germaniam remittit, ipse cum Arbogaste Treviros ad hiberna recedit. Marcomerem verò & Sunnonem, quia Sulpitius Alexander regulos scribit, addubitat ipse Turonensis, regesne fuerint, an regis vices tenuerint. Sed cùm ipse Sulpitius suprà duces referat, quales Germani prisco more exercitui præficiebant, qui cum bello

Franci denuo Rhenũ trànsgressi Gallias depopulantur.

Francorum Reges quinã per id tempus? *Tacitus de mor. Germ.*

bello munus ponerent, haud mirum modò duces ac regulos, modò reges appellari à scriptoribus: perinde ut Marcellinus Mellobaudem Francorum regem appellat. Proximi ab his Regales & Satrapæ, ceteriquebellorum præfecti. Nec enim ante Pharamundum certi Francorum reges. Utcunq; demum cum Alemannis se habeat, quorum tot reges hac tempestate memorantur: libera ad hunc diem Francorum gens, quæ verosimilius pro veteri Germanorum instituto, Aristocratiæ potiùs ac Democratiæ, quàm Monarchiæ formam retinuerit. Neque ullius regiæ sedis præter *Dispargum* ad Ruram mentio, quam Pharamundus & Clodio primi Francorum reges insederunt. Auditi interim per id tempus Longobardi trans Albim populi, qui, uti Prosper est auctor, primùm sibi regem *Agelmundum* Ajovis filium per id tempus creavêre. Continuit exinde Francos Valentiniani præsentia ex Trevirensi palatio, & Arbogastis Comitis ac supremi ducis auctoritas. Vir hic longo bellorum usu clarus, atque acer in omnes hostes; eòque tum opportunior, quòd & ipse Francus, ut diximus, modò ex fœdere Francorum proceres, modò severitate & ostentatione armorum gentem ipsam territam ad quietem repressérit: donec ab ipso Arbogaste mox civile rursus bellum conflatum, quo totum Imperium concussum fluctuare cœpit. Ejus initia statim ab hoc anno CCCLXXXXI. Quippe Valentinianus dum versus Alpes cum exercitu profectionem instituit, Barbaros qui Italiæ imminebant depulsurus, Arbogastem reluctantem habuit. Magnus hujus Franci ducis fastus increverat, ex quo à Gratiano Imperatore Comitis locum, & secundum à Bautone Franco, ob belli peritiam & præclara facinora adeptus erat; auxeratque fastum suum in Theodosij castris. Bautone deinde extincto, primas sibi injussu Valentiniani vendicavit, militum favore, virum ob fortitudinem bellicam, & pecuniæ contemptum largitatemque æstimantium. Et jam eò progressus erat arrogantiæ, ut libertatem sibi in Valentinianum vendicaret, eaque, quæ Imperator decerneret, etsi recta essent, sin minus sibi probarentur, omnino fieri prohiberet. Valentinianus, etsi juvenis, hæc ab sene milite Imperaror indignè ferebat; visusque aliquando eductum ensem in Arbogastis caput stringere, ni militum manus avertissent ictum. Inde acerbis semper hominem verbis objurgavit; ac in solio aliquando considens, cùm Arbogastes accessisset, torvis primùm oculis intuitus, post libellum ei porrexit, quo omnem illi potestatem abrogabat: eo perlecto Arbogastes accensus, *Nec potestatem mihi*, inquit, *dedisti, nec eripies.* Prorupêre hæc tandem in capitales inimicitias, quibus Arbogastes abreptus Imperatorem Viennæ in palatio, propè in privati modum redactum, ac obsidis instar clausum habuit. submoti ministri regij, & Francorum Imp. Satellitio circumdatus: Francis quoque rei militaris cura commissa. In his rerum angustijs Valen-

Prosper in Chron. Orosius l. 7.

An. Christi 391.

Zosimus l. 4.

Arbogastis fastus & rebellionis facinora.

An. Christi 392.

Valentinianus Imp. dolo & perfidiâ Arbogastis interimitur. *Prosp. in Chron. Zosimus l. 4. Socrat. lib. 5. c. 24. Sozom. lib. 7. c. 22. Ambr. in fun. Valent. Epiph. de mensu. & pond. Paulus Diacon. in Theodos.*

Valentinianus Theodosij opem implorat, & Ambrosij, sperans ejus adventu & facundiâ orationis, sapientiâq; Arbogastem placandum. Lætus iter ingressus Ambrosius, eò vel maximè, ut Valentinianum ad fontem Baptismi simul perduceret. Sed hæc omnia prævertit Arbogastis perfidia: quippe qui per corruptos Valentiniani eunuchos ipsum illisis faucibus strangulârat, atque ut ipse sibi necem intulisse videretur Imperator, sublimem è trabe suspenderat. Quanquam, ut Rufinus inquit, fuêre nonnulli sacerdotes, qui susceptâ post legatione sceleris immunem Arbogastem à nece Valentiniani apud Theodosium affirmârint. Parem Gratiano hic fratris interitus luctum peperit inter omnes, obstupescente Ambrosio, multisque sapientibus viris ad fatales hosce mortalium casus, & recondita numinis judicia. Ceterùm cùm perpetrato scelere Arbogastes ob barbariem & invidiam imperium sibi arrogare non auderet, ad Eugenium illud, quem consiliorum participem habuerat, callidè transtulit. Fuerat is primùm oratoriæ facultatis professor, inde scriba & quæstor factus: ita homo paganus palatinos honores consecutus erat. Vir ingenio ad civilia negotia, & militares artes haud incongruo: ubi purpuram sibi indui passus, animo etiam elatior. Per hunc Arbogastes tanquam per speciosam machinam alienâ manu versatilem omnia gerere, subministrare pecuniam, scribere milites, cogere exercitum, & Galliam in deditionem subigere: opportunè si scena procederet, Eugenio larvam dempturus, Imperiumque ad se tracturus. Fine interim anni *Arbogastes Sunnonem et Marcomerem regulos Francorum gentilibus odijs insectans, Agrippinam rigente maximè hyeme petiit: ratus tutò omnes Franciæ recessus penetrandos urendosque, cùm decussis foliis nudæ atque arentes silvæ insidiantes occulere non possent. Collecto ergo exercitu, transgressus Rhenum, Bructeros ripæ proximos, pagum Aetiam, quem Chamavi incolunt, depopulatus est, nullo unquam occurrante, nisi quòd pauci ex Ampsivariis et Chattis Marcomere duce in ulterioribus collium jugis apparuêre.* Hic quantum conjecturæ locus, Arbogastes secundum Luppiæ ripas per Marchiam in diœcesin Paderbornensem progressus: ubi postremò *Ampsivarii*, quos *Ansivarios*, & *Atthuarios*, diximus, & Chatti se in Teutonicis montibus objecêre: Horum dux Marcomeres superioribus etiam bellis clarus. Id certè hac Sulpitij & Turonensis testificatione certum, Franciam adhuc veterem trans Rhenum intra silvarum recessus commonstrari, ubi *Bructeri*, ubi *Chamavi*, ubi *Ampsivarii*, ubi *Chatti* incolebant, noti harum regionum ad Luppiam & Amasim populi. Ultima hæc à C. Julio Cæsare, Romanorum Cæsarum & ducum per Arbogastem expeditio facta est trans Rhenum in Franciam & Germaniam inferiorem, ut rectè à Valesio observatum; inde sibi relicti Franci ad perrumpendum Rheni limitem Galliasque per ruentis Imperij fata occupandas.

Arbogastes transito Rheno in Frãciam irruit. *Sulpitius Alexander lib. 3. Gregorius Turon. lib. 2. c. 9.*

Cete-

Ceterum Arbogastes cum copijs ex Franciâ ad hiberna regressus in Galliam, omni mole cum Eugenio tyranno bellum apparabat, propterea quòd utriusq; consilio decretum erat Italiam petere, & in theatro orbis imperium stabilire. Accendebat animos Flavianus urbis præfectus, qui ex Ariolorum prædictionibus omnia prospera pollicitus. At priusquam in Italiam moverent cum exercitu, Eugenius & Arbogastes priùs sibi Francos & Alemannos fœderibus colligandos putârunt; ne se ex Gallijs discedentibus, hostiliter per Rheni limitem effusi à tergo Gallias incursarent. Quamobrem uti hæc Sulpitius Alexander memorat, *Eugenius tyrannus susceptò expeditionis procinctu, Rheni limitem petit, ut cum Alemannorum et Francorum regibus vetustis fœderibus ex more initis, immensum eâ tempestate exercitum gentibus feris ostentaret.* Atque ita populi illi ad redintegranda fœdera pellecti etiam conquievêre, dum ex eventu belli alia aspiraret opportunitas. Tum verò Arbogastes in convivio, quo gentiles suos exceperat, rogatus à Regibus Francis, num Episcopum Ambrosium nosset? *novi*, inquit, *atque ei carus sum.* Cui illi: *in hoc profectò vincis omnes, quòd ab illo viro diligeris, qui dicit Soli, sta, et stat.* Tanta inter Francos æstimatio Ambrosij erat, captos viri eloquentiâ & sanctitate. Tanquam per hujus præsagi viri auctoritatem Theodosij arma vaticinarentur Eugenio & Arbogasti fatalia. Germaniâ pacatâ, Eugenius cum Arbogaste in Italiam cum immenso illo exercitu transgressus: cùmque Mediolano unà cum Arbogaste & Flaviano urbis Romanæ præfecto exiret, jure jurando affirmavit se, partâ victoriâ, stabulum equorum in Basilica Mediolanensi facturum, & sub armis Clericos probaturum. Quod ubi Ambrosius intellexit, qui antè profugerat, Mediolanum revertit, caput suum omnibus his minis Eugenio eâdem constantiâ, quâ Maximo tyranno, objecturus. Inde Aquileiam profecti Eugenius & Arbogastes castra ad fluvium frigidum in campo ponunt, Theodosio iter occlusuri ad angustias Juliarum Alpium. Jam enim Theodosius Imp. ex quo hæc Eugenij & Arbogastis machinamenta didicit, ingentem quoque exercitum Constantinopoli contraxerat. Excitique Gothi, Hunni, & Alani, barbaræ illæ nationes, in subsidium: qui traducti pòst in Italiam, degustavêre Occidentis Imperij, quod pòst discerpsêre, delicias & opes. Toti verò exercitui Richomerem Francum, quem suprà Romanum consulem diximus, præficere cœpit, & Francum hunc præstantissimum ducem Arbogasti Franco opponere. Sed morte præreptus Richomer. Igitur Romanis copijs Timasum, & Stiliconem hominem Vandalum: Barbaris verò Gainerum, Saulem, & Barcanum præposuit; interque Gothos, qui ordines duxêre, insignis militiâ Alaricus fuit, à quo pòst Roma capta. Ita tum Barbaris monstrata via ad prædas Italiæ, Galliæ & Hispaniæ. Rufinus interea, qui filio-

An. Christi 393.

Eugenius & Arbogastes Rheni limitem firmant, Francis ad fœdus compositis.

Paulinus in vitâ Ambrosij.

An. Christi 394.

Bellum Theodosij adversus Eugenium & Arbogasten.

Zosimus l. 4. Rufinus. Socrates. Sozomenus. Orosius.

filiorum Arcadij & Honorij juventutem moderaretur, in urbe relictus. Instructo exercitu, Theodosius primùm jejunijs & vigilijs perfunctus, cum sacerdotibus & populo templa omnia supplicabundus obivit, atque ante Martyrum & Apostolorum sepulchra cilicio indutus procubuit. Inde cum exercitu peragratâ Pannoniâ, ad Julias Alpes provectus, per fauces montium, quas Eugenius & Arbogastes obsepserant, ejecto præsidio, occisoque Flaviano prosperè penetravit. Ubi in campum cum exercitu emersit, extemplò copiam pugnæ fecit. Stetêre mox utrinque acies prælij avidæ. Ante Theodosij exercitum signum, & labarum crucis, ante Eugenij vexillum Herculis prælatum. Collatis signis, ala Theodosij, in qua Barbari pugnabant, in fugam versa. Tum verò Theodosius protinus ante aciem progressus, & in terram provolutus supplex: *Adesto mihi Domine*, exclamavit, *ne quando dicant gentes, ubi est Theodosij Deus.* Mox ventus sævissimus coortus, tantoque est impetu incussus in ora hostium, ut & tela hostium in ipsos reflecterentur. Inde turbati ordines; alteraque ala, in quâ Romani pugnabant, hostiles copias in castra rejecit. Altero die redintegratum prælium, iterumque victor Theodosius, ope D. Joannis & Philippi Apostolorum, qui se ante prælium in albis equis conspicuos ostendêre. Inter captivos Eugenius tyrannus adducitur ad Theodosium, cui mox caput demeti jussit, & hastæ præfixum circumferri per castra. Ita homo stolidus ex ludo litterario, ludum fortunæ fecit. Arbogastes rebus omnibus abscissis, cùm se in montes asperrimos recepisset, seque ad necem conquiri sentiret, postquam biduum oberrasset, sibi ultrò mortem consciv it. Celebratum hoc victoriæ miraculum non modò ab historicis eorum temporum, sed & ipso D. Augustino: *Contra hujus tyranni*, inquit, *robustissimum exercitum magis orando, quàm feriendo pugnavit, uti milites, qui nobis aderant, id retulêre.* Celebrata hæc cœlestis beneficij victoria vel à Claudiano Poëta, licet Ethnico:

Pugna Theodosii cum Eugenio & Arbogaste.

August. lib. 5. de civit. Dei.

Zosimus l. 4.

Claudianus in Honorij Panegyri

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies, revolutaque tela
Vertit in auctores, et turbine reppulit hastas.
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti!

At nullum hoc ancipiti bello magis veritus est Imperator Theodosius, quàm Arbogasten, virum usu armorum, solertiâ consiliorum, & bellicâ fortitudine præcellentem, cujus auctoritate omnes Francorum Gallorumque vires, uti Orosius scribit, trahebantur per Alpes in Italiam. Antea ille Maximum tyrannum bello ceperat, cum Theodosio militaret: nunc ipse cum Eugenio tyranno victus à Theodosio, simi-

Orosius l. 7. c. 35.

simile se fortunæ ludibrium, vindictæque spectaculum præbuit. Vir quem barbaro patre natum barbarum, potentiáque nimium sanguinarium & simulacrorum cultorem, diversi nobis scriptores tradunt. Alter hic Francorum ducum, qui ex Romana militia post Sylvanum perduellis ad Imperium aspiravit, & Francico nomini perfidiæ labem inussit. Nec tamen ejus facinore tam invisum Francorum nomen Romanis, quin horum filijs, qui post prælium desperatâ salute ad Christianorum Ecclesias, & aras sacerdotum supplices profugerant, D. Ambrosij precibus vitæ condonationem impetrârint; & Franci etiam in militia Romana aucti honoribus retinerentur: ne unius perfidia ceterorum fidem & bellicam fortitudinem obscurare crederetur. Hoc præter Paulinum in vita D. Ambrosij testatus est D. Augustinus: *Theodosius*, inquit ille, *inimicorum suorum filios, quos non ipsius jussus, sed belli abstulerat impetus, etiam nondum Christianos ad Ecclesiam confugientes, Christianos hac occasione fieri voluit, et Christianâ charitate dilexit, nec privavit rebus, sed auxit honoribus: in neminem post Victoriam privatas inimicitias valere permisit.*

Paulinus in vitâ D. Ambrosij.

Augustinus lib. 5. de civit. Dei c. 26.

Haud multum à victoria superstes Theodosius, anno proximo XVII. Kal. Feb. excessit è vita, anno ætatis * LX. imperij XVI. quo post Constantinum M. ad eam usque ætatem religione, & virtute bellicâ, nemo adhuc Imperatorum spectatus major. Quo judicio Marcellinus comes scripsit: *Theodosius vir admodum religiosus fuit, Catholicæ Ecclesiæ propagator, planéque omnibus, ante se principibus Orientalibus anteponendus: Alanos, Hunnos, Gothos, Scythas multis magnisq; præliis vicit.* Imperium, ut testamento orbis Monarcha scripserat, divisum inter duos filios: Arcadio Oriens, Honorio Occidens cessit. Et quia imbecillis utriusque principio ætas erat, Arcadio novendecim annos nato Rufinus; Honorio decem annorum puero Stilico datus tutor rectorque armorum. Primùm hoc labentis Imperii malum: accessit mox alterum multò pestilentius. Duo enim hi rectores Rufinus & Stilico, captatâ puerorum occasione, certatim animum ad invadendum Imperium per omne scelus perfidiæ contulerunt. *Cùm alius sibi, alius filio suo affectans regale fastigium. gentes barbaras Rufinus immisit, et Stilico fovit.* Rufinus natione Gallus, Stilico Vandalus & Germanus, sed bellicâ fortitudine Rufino multò præstantior, atque armis etiam felicior: quin eâ tempestate dux incomparabilis, ni, ut Arbogastes, gloriam bellicam perfidiâ demum corrupisset. Accessêre his malis Barbari, qui prioribus annis in auxilium evocati, & in militiam Romanam adscripti, honoribus militaribus exornati, non jam servire, sed dominari & Imperium affectare didicerant. Serò tandem Synesius Cyrenensium Episcopus oratione illâ celebri Arcadium Imperatorem de periculo excidioque monuit, seriòque cohortatus est, ne perspectis Romanis militiam exteris nationibus compleret; fore enim,

An. Christi 395. Mors Theodosij M. Imp. Arcadius Orientis, Honorius Occidentis Imp.

* *al. L. Marcell. in Chron. Prosper. in Chron. Socrat lib 5. Orosius l. 7. Ruffin. l. 2. Paulin. in vitâ Amb.*

Imperium inter duos Theodosij filios divisum. Arcadij tutor Rufinus Honorij Stilico.

Orosius lib. 7. c. 37.

enim, ut quos socios belli evocaret, raptores Imperij experiretur. Sanè verò, ex quo Imperium ab Augusto Cæsare conditum stetit, post Gallienum Cæsarem, neque frequentiores Barbarorum incursiones, neque Romanum Imperium magis discerptum ad angustias potentiæ devenit, quàm Arcadio & Honorio Imperatoribus. Videas enim ab his temporibus usque ad Carolum M. Occidentis Imperium perpetuis calamitatibus ita attritum, & regnorum spolijs imminutum, donec cum Italia totum ferè exteris nationibus in prædam cederet. Seu his Deus Christianorum vitia & delicta, qualia Salvianus descripsit, castigare; seu Christianos, quorum religio jam à Constantino M. ad Theodosium adoleverat, his adversis agitari probarique voluerit; seu alia simul Numinis consilia fuerint, mortalibus abdita, qualia Orosius retulit: ut nimirum Barbaræ hæ gentes extractæ, permixtæq; Christianis, religionem Christianam edocerentur, quam in sedibus suis relictæ nunquam invenissent. Fuêre autem hi Barbari ex Scytharum populis Gothi, Alani, Hunni potissimùm, quos vicina gentium colluvies secuta in prædam. Nam qui ex Scandia Gothos producunt cum Jornando, ij & ab Isidoro in Chronico, & vetustis verisque scriptoribus multùm abeunt. Ex Germania Franci, Vandali, Longobardi, Saxones, Suevi, Burgundi, Alemanni, Quadi, Marcomanni, & quidquid trans Visurgim atque Albim ex recessu & sinu Germaniæ excitum, modò in hanc, modò in aliam belli societatem fatalis turbinis instar confluxit. Postquam igitur Honorius Occidentis Imperium adijt, primis statim annis procella Barbarorum incubuit. Quippe Alaricus Gothorum Rex à Rufino pellectus, cum ingenti armatorum multitudine irrupit in Thraciam: Inde per Macedoniam, Thessaliam & Græciam nullo prohibente grassatus, neq; oppidis, neq; Ecclesijs, neq; hominibus pepercit. Quibus malis cùm Oriens percelleretur, haud minus Occidenti periculum imminebat à Germanis. Hi enim ubi Theodosium, cujus arma hactenus veriti fuerant, morte sublatum didicerant, factâ communi gentis suæ conspiratione, Rheni limites pervadere, & in Galliam irrumpere sunt aggressi. Venêre in hanc belli conspirationem tres validissimi populi, Alemanni, Suevi & Franci. Alemanni superiorem Rheni ripam sumpsêre perrumpendam, mediam Suevi Cattique, inferiorem Franci. Quæ ubi Honorio Imperatori sunt renunciata, nihil sollicitiùs habuit, quàm ut Stiliconem ex Italia cum exercitu mitteret in Galliam. Stilico per Rhætiam profectus, primùm Alemannos compressit; inde in Germaniam inferiorem cum exercitu descendens, primo suo adventu ita Francorum Reges perterruit, ut pacem ultrò postularent. Ex quibus Marcomerus Rex Francorum in exilium actus; Sunno autem frater ejus, cùm se Germanis vindicem ferret, in prælio est interfectus. Ita fœdus cum Francis percussum, in quo

per

Imperium Romanum ab excessu Theodosij sensim Barbaris in prædam cessit.

Orosius lib. 7. c. 41.

Eutropius.

Alemannos Francosque in Galliam irrumpentes Stilico profligat.

per aliquot annos quieti perstitêre. Terroréne ad id fœdus compulsi Franci, an auro illecti, incertum habeas. Non infrequens Romanis pacem pretio facere cum Germanis, etiam Claudiano probante:

Illi terribiles, quibus otia vendere semper
Mos erat, et fœdâ requiem mercede pacisci:

Mox se ad Stiliconis laudem per assentationem refert, tanquam Franci terrore ad pacem adacti: *Claudianus de IV. Honorij consulatu.*

Non classica Francis
Intulimus, jacuere tamen; non Marte Suëvos,
Contudimus, queis jura damus: quis credere posset?
Ante tubam nobis audax Germania servit.
Cedant Druse tui, cedant Trajane labores;
Vestra manus dubio quidquid discrimine gessit,
Transcurrens egit Stilico: totidemque diebus
Edomuit Rhenum, quod vos potuistis in annis.

Et quantus in Panegyrico de consulatu Honorij Imperatoris in laudem Stiliconis, & hanc expeditionem, qua Franci ceterique inferioris Germaniæ populi ad quietem compositi:

Hunc tamen in primis populos lenire feroces,
Et Rhenum pacare jubes: volat ille citatis
Vectus equis, nullâque latus stipante caterva,
Aspera nubiferas, quà Rhætia porrigit Alpes,
Pergit, et hostiles (tanta est fiducia) ripas
Incomitatus adit: totum properare per amnem
Attonitos reges humili cervice videres.
Ante ducem nostrum flavam sparsêre Sicambri
Cæsariem, pavidoque orantes murmure Franci
Procubuêre solo: juratur Honorius absens,
Imploratque tuum supplex Alemannia nomen.
Basternæ venêre truces, venit accola silvæ
Bructerus Hercyniæ, latisque paludibus exit
Cimber, et ingentes Albim liquêre Cherusci.
Nobilitant veteres Germanica fœdera Drusos
Marte sub ancipiti, sed multis cladibus empta.
Quis victum meminit solâ formidine Rhenum?
Quod longis alij bellis potuêre mereri,
Hoc tibi dat Stiliconis iter, post otia Rheni
Limitis, hortaris Grajas fulcire ruinas.

Luculentum poëtæ testimonium alterum Rheni limitem à Romanis, alterum à Germanis retentum; atque omnes, quos percensuit, populos trans Rhenum incoluisse. Quos inter Alemanni in superiori

ripâ, ceteri in media & inferiori, & quotquot cum Bructeris & Sicambris in unum Francicum nomen ex Westfaliæ regione coaluêre. Quarè hos omnes Gregorius Turonensis hac Stiliconis expeditione uno Francico nomine complexus : *Stilico*, inquit ille, *congregatis gentibus Francos proterit, Rhenum transit, Gallias pervagatur, et ad Pyrenæos usque perlabitur.* Utrumne Rhenum transierit, & in suis Francos sedibus aggressus fuerit, obscurum reliquêre auctores. Id magis in comperto est, utrumque Francorum ducem interceptum, ac dolis magis Stiliconis, quorum magnus artifex erat, quàm impressis armis superatum. Neque Poëta dissimulare visus :

Greg. Turon. l. 2. c. 9.

Acies jam non pulsare rebelles,
Sed vinclis punire licet sub judice nostro.
Regia Romanus disquirit crimina carcer :
Marcomerus Sunnoque docent, quorum alter Hetruscum
Pertulit exilium ; quum se promitteret alter
Exulis ultorem, jacuit mucrone suorum.
Res avidi concire novas, odioque furentes
Pacis et ingenio, scelerumque cupidine fratres.

Postquam celebres hi potentesque Francorum duces Marcomerus & Sunno, quos Aventinus ex ceteris suis fabulis Francones nobis obtrudit, à feroci gente suâ abstracti sunt, alijque impositi duces, Stilico omnem Rheni limitem decurrendo præsidijs firmat, atque dein in Galliam se refert. Inde Honorij Imperatoris jussu arma vertit in Illyricum ad Alaricum Gothorum regem profligandum. Quæ omnia primùm Rufini, Eutropij, Eunuchi, pòst Gainæ ducum perfidiâ, quorum consilijs Arcadius Imperator se circumduci permisit, interversa. Donec annus quadringentesimus Barbarorum irruptionibus fatalis, & innumeris exinde cladibus deploranda tempora accessêre, quibus Occidens potissimum exteris nationibus prædæ & ludibrio cessit. Paucis hæc consignavit Hieronymus, certus temporum eorum testis : *Viginti et eo amplius anni sunt, cùm inter Constantinopolim et Alpes Julias quotidie Romanus sanguis effunditur : Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessaliam, Aëtiam, Epiros, Dalmatiam, cunctasque Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni vastant, trahunt, rapiunt. Quot matronæ, quot virgines Dei, et ingenua nobiliaque corpora his belluis fuêre ludibrio ? Capti Episcopi, interfecti presbyteri, turbata diversorum officia Clericorum, subversæ Ecclesiæ, ad altaria Christi stabulati equi, martyrum effossæ reliquiæ : ubique luctus, ubique gemitus, et plurima mortis imago. Romanus orbis ruit ; et tamen cervix nostra non flectitur.*

An. Christi 400.

Hieronymo Epist. 3. ad Hel.

His per ea regna & regiones patratis, Alaricum incessit cupido invadendi Italiam, &, quod auditu insolens erat, diripiendi. Convocato

An. Christi 401. 2. 3. 4. 5.

cato exercitu, quem ex Gothis, Hunnis, & Alanis conflaverat, rem ferocis consilij aggressus, per inferiorem Pannoniam & Alpes Noricas Italiam pervolando obvia rapuit, & Romam terrore complevit: donec à Stilicone tribus prælijs ad Hastam, Pollentiam, & Veronam victus, retrò unde venerat, in fugam compulsus. Quieti interim Franci, etsi à Stilicone omne robur belli à limite Rheni in Italiam abstractum adversus Alaricum, uti Claudianus memorat:

Alaricus Gothorũ Rex Italiam affectando, à Stilicone iterato cæditur. *Marcellin. Orosius lib. 7. c. 37. Cassiodorus in Chron. Claudianus de bello Getico.*

Agmina quin etiam flavis objecta Sicambris,
Quæque domant Cattos, immansuetosque Cheruscos,
Huc omnes vertere minas: tantumque remotis
Excubiis Rhenum solo terrore relinquunt.
Ullane posteritas credat? Germania quondam
Illa ferox populis, quæ vix instantibus olim
Principibus tota poterat sub mole teneri,
Jam sese placidam præbet Stiliconis habenis.

Terror & fulmen hostium Stilico: quam tamen gloriam unâ suspicione perfidiæ mox defœdavit, quòd Alaricum ab exercitu Romano inclusum elabi permiserit, & pace transegerit, Aëtio etiam duce obside dato, cùm armis proterere Alaricum posset: aversò illigatoque per fœdus Alarico, Radagisus Rex paganus se ejus exercitui ducem dedit, pollicitus urbis Romanæ opes in prædam. Is non modò Gothos, & Sarmatas, sed & transRhenanos populos veteres Romanorum hostes, (Celtas & Germanos dixit Zosimus,) in spem prædæ & belli societatem attraxit. Itaq; cum exercitu ducentorum millium, quem Zosimus quadringentorum Barbarorum millium accessione duxit, per Alpes Julias Italiam ingressus, turbinis instar occurentia oppida & urbes expugnat; quem turgentem victoriâ ad Florentiam montibus & saltibus interceptum Stilico ad internecionem propè delevit: *Unoque die*, uti D. Augustinus memorat, *tantâ celeritate est victus Radagisus, ut nec uno quidem, ne dicam extincto, sed ne vulnerato Romanorum, multo amplius quàm centum millium prosterneretur exercitus, atque ipse cum filiis mox captus, pœna debita necaretur.* Ceteri qui superstites fuêre, capti, & tanquam pecudes venditi. Ob tam præclarum belli facinus Stiliconi à populo Romano statua ex ære & argento in rostris posita.

Radagisus à Stilicone victus & deletus. *Zosimus l. 5. August. lib. 3. de civit. Dei c. 23. & serm. 29. in Lucam. Orosius. Prosper. in Chron.*

* Vixdum hæc tempestas discussa erat, cùm tertia calamitosior coorta, primùm Galliam, deinde Hispaniam, postremò Africam barbararum gentium eluvione obruit. Nulla ætas Occidentali Imperio funestior, nec validior ad ruinam potentiæ Romanæ impetus fuit. Enimverò post Alaricum & Radagisum Barbarorum Reges, tertius Godegisilus Vandalorum Rex ceterorum exemplo provocatus, non Italiam, sed Galliam sibi invadendam constituit: ratus hanc eò faciliùs obtineri, quò remotior esset ab Honorij Imperatoris præsentiâ atque

* A. Christi 406. *Zosimus l. 5. Orosius l. 7. c. 40. Cassiodorus in Chron. Prosper. in Chron. Gregorius Turonensis lib. 2. c. 2. Procop. l. 1. de bello Vandal.* Wandalorum duce Godegisilo, irruptio in Gallias,

atque auxilio. Nam Imperator per id tempus non Treviri, sed aut Mediolani, aut Ravennæ considebat, ad Italiam à Gothorum irruptionibus custodiendam intentus. Itaque cum ingenti Vandalorum & Alanorum multitudine progressus, Quados ex Sarmatia, & Vandalos ex Pannonia olim istic à Constantino collocatos assumpsit. Inde superato Danubio, in Germaniam transijt, eamque peragrans, populos earum regionum sive metu direptionis perculsos, sive spe prædæ illectos attraxit; secumque in societatem belli rapuit Marcomannos, Herulos, Turcilingos, Suevos, Alemannos, Saxones & Burgundiones, ac totam propè concitam Germaniam ad arma commovit. Ita citatis agminibus, veterem Cimbrorum & Teutonum in modum, nemine obsistente, recto itinere ad Rhenum medium, quà recta in Gallias iter patebat, formidabilis omnibus processit. Nec ulla Germaniæ gens ausa se opponere, præter Francos: Sive hi jam partim citeriorem ripam occupârint, uti Browero visum, sive in ulteriori ripâ ac suis sedibus adhuc constiterint, quod Procopius dicere visus. Quippe ante Rheni rranſitum *in Germanos* irruisse asserit, in eos, *qui nunc Franci dicuntur:* & Franci, ubi Godegisilus cum exercitu suo se Rheno admovere cœpit, occurrere, ac transitu prohibere conati sunt: sive ut fœdus proximè cum Stilicone ictum servarent: sive ne tantam hostium multitudinem in eas Galliarum provincias immitterent, quas ipsi prædis suis & possessioni jam toties designârant. Verùm cùm Vandali multitudine superiores magnâ vi atque ferociâ incumberent, Franci ab Rheni limite depulsi sunt, & ut Orosius scribit, protritis hostibus transitum haud magno mo-
An. Christi 407. mento cesserunt. Ita Vandali sine ullo impedimento, nec Romanorum objectu, pridie Kal. Januarij, teste Prospero, transmisso Rheno in Germaniam citeriorem & Gallias penetravêre, & proximas Rheno provincias, Germaniam primam & Belgicam secundam ingressi, omnia miserabilem & barbarum in modum devastârunt. Uti inter alios cladem hanc fatalem tam verè, quàm eleganter nobis describit D. Hieronymus: *Innumerabiles*, inquit, *et ferocissimæ nationes universas Gallias occupârunt. Quidquid inter Alpes et Pyrenæum est, quod Oceano et Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, et, ô lugenda Respublica, hostes Pannoniæ vastarunt! Moguntiacum, nobilis quondam civitas capta, atque subversa est, et in Ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longâ obsidione deleti. Remorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebates, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemetes, Argentoratus translati in Germaniam. Aquitania, novemquè populorum, Lugdunensis et Narbonensis provinciæ, præter paucas urbes, populata sunt cuncta.... Ipsæ Hispaniæ jam jamque perituræ contremiscunt, Roma vitam auro redimit.* Trevirorum quoque urbem hoc belli turbine captam excisamque annalium eorum

Procopius l. 1. de bello Vandal.

Orosius l. 7.

Hieronymo Epist. 11. ad Acheruchiam viduam.

Francorum res

rum scriptores haud obscurè memorant. Utrúmne à Vandalis, an à Francis incertum fecit Browerus. Minor certè calamitatis sensus ad Agrippinensium urbem hac primâ Barbarorum irruptione pervenit: id quod Salvianus dicere visus: *Non hoc jam agitur Agrippinæ, sed quia hostibus plena*: Seu Franci eam ex fœdere amici in tutelam susceperint; seu ut hostes in eâdem procellâ, perruptoque Rheni limite, partem prædæ fecerint, mitiusque tractârint. Nam in illa Vandalorum, Suevorum, Alanorum, & Burgundionnm irruptione, Francos quoque nostros, gentem inter eos bellicosissimam, & toties Galliæ inhiantem transisse Rhenum, & in inferiorem Germaniam Belgicamque primam se effudisse, ex ijs, quæ referemus, compertum est. Accessit enim hoc anno nova Galliæ calamitas, & Occidentis Imperij turbatio. Romani, qui in Britannia erant, milites, seu metu Vandalorum perculsi, seu licentiâ militari abrepti, primò Marium, deinde Gratianum Cæsares creant: quibus interfectis, Constantinum quondam solo nominis præsagio deligunt, & purpura donant. Ille, ut ante eum Maximus tyrannus fecerat, contractâ Britanniæ juventute & robore exercitùs mare trajicit, & hostilem in Gallia impetum facit. Ad hujus novi tyranni irruptionem Limenius Galliarum præfectus, & Cariobaudes magistri militum consternati, cùm viribus suis diffiderent, in Italiam refugerunt. Ita non modò Gallia, sed Rheni limes omni præsidio Romano destitutus, Francis liberiorem transitum dedit. Quæ ubi Honorio Imperatori renunciata sunt, & Stilico in consilium vocatus est, Sarum ille ducem cum firmo exercitu misit in Galliam. Quo cognito, Constantinus Ebodichum natione Francum ad ulteriores Rheni partes ac populares suos misit, ut Francos & Alemannos in auxilium vocaret. Quo simul, ut Sozomenus docet, (à quo explicatè hæc traduntur;) constat Francos trans Rhenum eas, quas diximus, regiones incoluisse. Interim Sarus cum exercitu in Galliam progressus, Constantini tyranni copias primum profligat; ipse verò Constanstinus acceptâ clade intra Valentiam urbem se includit, instante Saro, & urbem dein obsidente. In his rerum angustijs postquam Ebodichum cum Francorum auxilijs appropinquare renunciatum fuit, ac simul Gerontius cum Britannicis copijs accederet, Sarus veritus utriusque ducis militarem experientiam ac fortitudinem, Valentiæ obsidionem septimo quo cœperat die solvit. Abscedentem insecuti Constantini duces cum Francis & Britannicis copijs, ad Alpes usque profugum rejecêre. Constantinus hac victoriâ confirmatus, primùm Alpium claustra, inde & Rheni limitem, præmunire constituit. Constans frater, quem ex monacho Cæsarem renunciaverat, ad Hispaniam missus, eam ad Constantini imperium adegit, relicto istic Gerontio præfecto. Tanta ubique & tam repentina rerum conversio, dum semel Vandali ac

gestæ bello Wandalico.

Zosimus l. 6.

Sozomen. l. 9. c. 13.

An. Christi 408.

Barbari intra viscera citerioris Germaniæ admissi, per omnes ad Rhenum urbes vicinasque provincias impunè grassantur. Constantinus ut Barbaros ex Galliâ submoveret, primùm id ostentatis armis, pòst, uti Orosius est auctor, incertis fœderibus, quibus semper illusus est, pertentavit. Franci eadem, qua ceteri Barbari fortunâ usi, liberè Rhenum transgressi insultant. Nullum ab Honorio Imperatore mali hujus levamentum, neque spes ostendebatur. Jam enim Alaricus Gothorum Rex cum innumerâ bellatorum multitudine in Pannoniam & Noricum progressus rursum Italiæ imminebat. Jam & Arcadius Orientis Imperator fraterque excessisse nunciabatur, relicto Theodosio filio. Quæ Imperij servandi cura haud minus anxium habuit Honorium. Accedebat supremum malorum Stilico, Orientis Imperium pro Eucherio filio affectando, & proditionibus omnia miscendo: à quo non modò Alaricus in Italiam, sed & Vandali ceterique Barbari in Galliam prolecti scribuntur. Ut enim voti compos filium purpurâ indueret, regna & provincias sanguine humano implevit. Tanta nimirum regnandi libido est! etsi Honorium generum haberet, & cum alterâ ejus filiâ Thermantiâ novas in defunctæ locum nuptias adornaret Honorius. Interim Vandali ut sedem suam stabilirent in Germania & Belgica prima, gentem Francorum in societatem armorum concitant. Hi quòd ægre ferrent sibi præcerpi provincias, quas ipsi jam tot sæculis designârant in prædam & possessionem, non socij, sed hostes esse maluerunt. Primùmque palantes dispersosque aggressi atterunt: demum (ut Renatus Frigeridus est auctor, vetustus ante Turonensem scriptor) postquam Rispendialem Alemannorum Regem, Goare ad Romanos transgresso, agmen suum ab Rheno retulisse didicerunt, arma in Vandalos convertunt, prælioque atroci conserto in fugam compellunt. Interfectus hoc prælio Gondegisilus Vandalorum Rex, & viginti octo millia Wandalorum in acie prostrata. Nihilque tum propius erat, quàm ut tota Vandalorum gens ad internecionem deleretur, ni opportuna manus Alanorum tempori subvenisset, & in complexu armorum fugitivos excepisset. Clarum inde per hæc tempora Francorum nomen & formidabile. Miratur Turonensis Episcopus Vandalorum, Alemannorum ac ceterorum Reges memorari, nullum vero Francorum. Nempe ante Pharamundum nondum publicis populi comitijs ac ritibus renunciatus Rex inter Francos. Vandali, ceterique Barbarorum cùm parum tutos se apud Rhenum viderent, hærentibus à tergo & latere Francis, in Galliam interiorem, quod idonei scriptores tradunt, se immisere; & Francis Rheni limes est relictus. Haud inscius sum, hanc Francorum victoriam à Sigonio ad sequentem annum referri; sed is longè aliam nobis Francorum irruptionem aperiet. Interim hoc anno Stilico proditionis reus compertus, jussu Honorij Imperato-

Orosius l. 7. c. 40.

Wandali insigne clade cæduntur à Francis.

Gondegisilus Wãdalorum Rex à Francis cæsus occumbit.

Sigonius l. x. Brouverus lib. 5. ann. Trevir.

ratoris ad capitale supplicium cum Eucherio filio est abreptus; vir domi militiæque insignis, qui per viginti annos præturam in exercitu Augustali propemodum potestate gesserat, Francosque, ne Rhenum transirent, ex fœdere & famâ bellicæ virtutis continuerat: At mors ejus novum belli incendium. Eâ enim compertâ, Barbari, qui Romanis militabant, supra triginta millia ad Alaricum Gothorum Regem transiêre, auctoresque illi fuerunt Italiam ingrediendi. Quorum ille viribus auctus Italiam denuo cum innumerabili Gothorum multitudine intravit; annusque hic in vastatione Italiæ, & tractatione cum Alarico inter Senatum Romanum ac Honorium Imperatorem Ravennæ confidentem extractus est: Adeò omni Imperator Vel Galliæ subveniendi, Vel Rheni limitem tuendi facultate destituebatur. Vandali postquam Gundericum, Gondegisili filium, patri mortuo in regem subrogârunt, & Galliam depasti sunt, perruptis Pyrenæorum montium claustris, in Hispaniam penetrant, occupatamq;, magnâ ex parte sui juris, & novorum spoliorum sedem faciunt. Haud dubia hoc anno Barbarorum trajectio, quam Kalendis Octobris factam Prosper, Cassiodorus, Jornandes in annalibus suis consignârunt. Quippe per id conturbatum Imperij tempus Franci nudatam Galliam & utramque Belgicam nacti, conspicatique Constantinum tyrannum luxui & inertiæ deditum, nihil viro dignum ausurum, rursum per Rhenum totis agminibus effusi, Wandalorum cæde & transitu in Hispanias inflati, Germaniam inferiorem Belgicamque occupant, & firmum primo pedem figunt: Inde Treviros progressi, urbem intra Wandalorum ruinas adhuc jacentem intercipiunt, ac barbarum in modum vastant. Altera hæc Treviris eversio, quæ à Francis facta perhibetur. Quanquam nihil implicatius, quàm quatuor hujus urbis excidia ad certos annos revocare. Adeo dissident recentiores scriptorum. Continuata quidem ac quadruplex à Salviano urbis hujus eversio scribitur; sed nulla apud hunc temporum consignatio. Certè ingens terror Francorum hac irruptione longè latèque circumlatus, quem Zosimus nobis ex irruptione Francorum descripsit: *Trans Rhenani Barbari cuncta pro libitu invadentes, eo tum incolas Britanniæ, tum quosdam Celticas, nationes redegerunt, ut ab Imperio Romano deficerent, et Romanorum legibus non amplius obedientes arbitratu suo viverent. Itaque Britanni sumptis armis, et pro salute suâ periclitati, civitates suas à Barbaris imminentibus liberârunt. Itidem totus ille tractus Armoricus, ceteræque Gallorum provinciæ, Britannos imitatæ, consimili se modo liberârunt, ejectis Romanis præsidibus, et propriâ quadam Republicâ ex arbitratu suo constitutâ.* Nimirum cùm cernerent Francos expulsis Romanis provincias Germaniæ & Belgicæ utriusque in suam potestatem redigere, maluêre hi populi assertâ sibi libertate in propriam Rempublicam convenire, quàm aut in Romanorum Imperio per-

Stilico ab Honorio capitali supplicio affectus perfidiæ pœnas dat.

An. Christi 409. Wandali in Hispaniam perrumpunt.

An. Christi 410. Franci transito Rheno in Gallias irrumpunt. Treviris capta à Francis.

Zosimus l. 6

permanere, aut in Francorum potestatem venire. Interponam hîc, quæ de utrisque populis, Armoricis videlicet & Francis, Procopius memorat: *Erant namque* * *Armorici Romanorum tum milites, quos sibi Germani* (Franci) *cum obedientes et subditos facere vellent, ut qui finitimi essent; et pristinos vitæ mores penitus immutassent, eorum agros assiduò populari, et hos copiis universis invadere: Armorici verò cùm et virtutem præ se, et erga Romanos benevolentiam ferrent, viros fortes eo in bello se præstiterunt: cúmque his vim inferre Germani non possent, societatem ut secum saltem inirent, et mutua inter se facerent connubia, precabantur: quas non inviti conditiones Armorici accepere. Erant namque utrique Christianæ fidei sectatores. Sic itaque unum hi coëundo in populum ad maximam potentiam evasere. Romanorum interea milites alij, qui in Galliæ finibus erant, custodiæ gratiâ constituti, cùm neque Romam redire jam possent, nec ad hostes ut Arianos concedere* vellent, *se se cum signis ad hostem contulere, et locum insuper, quem pro Romanis servabant, Armoricis Germanisque prodidere.*

* al. Arborichi.

Procopius lib. 1. de bello Gothico.

Armorici & Franci societatẽ ineunt, uterque Christianus populus.

Quæ si ad tempora Honorij referre libet, uti Procopius hæc ad primum Gothorum in Italiam ingressum memorat, jam ante Clodovæi regis baptismum Franci Christianam religionem susceperè; ac Salios hosce Francos dixeris, qui jam dudum Bataviæ insulas insedere, & in eas Galliæ oras transgressi istic sedes habuere. Perinde ut Franci pòst per inferioris Rheni provincias primùm salutarem legem edocti in Christi religionem sub Christianis Francorum regibus transiêre. At Francos à quibus Trevirim usque impressio facta est, ex ipso Westfaliæ sinu prodijsse certius est. Hos tamen Sigonius opinatur post hanc expeditionem, quòd ex fœdere in Romanorum societate consisterent, trans Rhenum se recepisse. Verisimilius Miræus censuit eos sub Constantino tyranno defectionem à Romanis fecisse, ac pulsis Romanorum præsidijs, per hæc conturbata labentis Imperij tempora, fixam demum sedem collocasse cis Rhenum; quæ cùm ea, quæ supra ex Zosimo retulimus, tum is rerum status, qui consecutus est, satis comprobare poterunt. Fassusq; ingenuè Browerus, Francos jam longè ante annum XIII. hujus sæculi domicilia in Romano solo accepisse; perinde ut & Burgundi cum Alemannorum parte per id tempus ex illa Vandalorum irruptione in Gallijs sedes suas capessivere; eóque primùm omnes in has sedes à Romanis recepti, ut ipsis adversus Constantinum ceterosque Galliæ tyrannos & perduelles, quos Orosius magno numero percensèt, auxilio essent. At Franci, uti post Saxones in Britanniam evocati, ex socijs bellorum sese possessores Rheni limitis occupatorumque à se locorum tulere. Hac enim tempestate ita omnia permixta in Galliâ spolijs, incursionibus, perduellium armis, ut quantum quisque alius alio validior raperet, tantum sui juris faceret, nunc fœderati & amici, nunc socij, nunc hostes; uti fortunæ aura aut spes prædæ, aut belli impetus dedit;

Brovverus in annal. Trevir. ad an. 413.

tan-

tanquam omnia Reipublicæ haud secus quàm solutæ naturæ elementa inter se miscerentur; quando hoc eodem anno IX. Kal. Septemb. Roma capta ab Alarico Gothorum Rege. Hæc illa D. Hieronymi querela: *Capitur urbs, quæ totum cepit orbem, imò fame perit antequàm gladio, et vix pauci qui caperentur inventi sunt:*

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet?

Historia. Miscell. Baronius. Roma ab Alarico capta. Conturbatus Imperij status.

Urbe spoliatâ, Alaricus Latium, Campaniam, & totam propè Italiam peragravit. Tantis sceleribus haud multum superstes proximo anno extinguitur Alaricus, cui Gothi Ataulfum sublegêre Regem, Alarici fratrem. Is quia Honorij sororem Placidiam in matrimonio habebat, Honorio benignior fuit: Ita enim Placidia efferatum Regis animum mitigavit, ut rem Romanam, quam delere moliebatur, fulcire niteretur. Inde Honorius Imperator domesticis malis solutior, animum ad Galliam reparandam adjecit; & Constantium comitem, virum & genere illustrem, & virtute bellicâ præstantem, misit cum exercitu in Galliam ad Constantinum tyrannum opprimendum. Simul Gerontius cum valido exercitu ex Hispania in Constantinum tyrannum movit, Galliæ Imperium sibi asserturus. Quibus cognitis Constantinus Edobechum ducem, gente Francum, denuo misit trans Rhenum ad Francorum & Alemannorum auxilia accersenda. Gerontius primùm castra Viennæ admovet, quâ in urbe Constans, Constantini tyranni filius se firmaverat: sed ea haud magno momento potitus, Constantem interimit. Inde Arelatem exercitum traduxit, urbemque, in quâ Constantinus tyrannus se incluserat obsidet. Inter hæc Constantius comes ab Honorio missus advenit, castris quoque suis ad Arelatem positis. Quod ubi Gerontij milites cognovêre, protinus ad Honorij aquilas transiêre; eo comperto, Gerontius in Hispaniam sese fuga subduxit. Hîc dum Constantius Comes Arelatensi obsidioni adsidet, nunciatur Edobechum magnis cum Francorum & Alemannorum copijs adventare: ille verò, ut subita belli poscunt, consilium ex arena capit: divisoque exercitu, Ulphilam præfectum cum validâ manu præmittit obviam, ipse cum altera subsequi cœpit. Ulphilas, insidijs in itinere positis, Edobechum cum omnibus Francorum & Alemannorum copijs transire finit. Mox, ut compositum fuerat, ipse à tergo, Constantius à fronte adortus, cædunt in medio complexi hostem. Edobecho fugienti ab hospite caput abscissum, delatumque ad Constantium. At Constantinus tyrannus ubi, cæsis auxiliaribus copijs, arctius in quartum mensem inclusus fuit, in his angustijs templum ingressus, muniendi capitis sui causâ, presbyteri gradum accepit. At his nihil juvantibus, postremùm ab Arelatensibus Constantio deditus, missus est ad

Constantius Comes ab Honorio in Galliam missus res lapsas instaurat. Edobechus Francorum dux, & Franci sollicitati in auxilium à Constantino tyranno. Franci à Constantio comite ex insidijs intercepti ac cæsi.

Constantino Tyranno caput abscissum.

est ad Honorium Imperatorem, cujus jussu ad Mincium amnem caput tyranno à cervicibus resciſſum. Vix dum quartus hujus obsidionis mensis agebatur, cùm repente ex ulteriori Galliâ nuncij veniunt, Jovinum virum nobilitate insignem, novumque tyrannum, inter Avernos insignia Imperij sumpsisse, & Arelatem cum Burgundionibus, Alemannis, Francis, Alanis in formidabilem exercitum contractis advolare. Adeo Franci omnibus his bellis immixti Galliam pervaserant. At Jovinus tyrannus antequam se Ataulfo, qui relictâ Italiâ cum Gothorum exercitu in Galliam Narbonensem progressus erat, conjungeret, pari Constantij comitis virtute compulsus ad ultima, & oppressus est, diffluentibus Francis, Alemannis & Burgundionibus. Ita Gerontio, Maximo, Attalo cæterisque tyrannis cæsis, Constantius comes res Galliæ collapsas restituit. Nec tamen ita Constantio comiti in tantâ rerum mole Galliam perpurgare licuit, quin Gothis ex fœdere Narbonensis provincia permittenda: & Burgundionibus, qui cum Vandalis non transmigrârant in Hispanias, sedes ad Rhodanum danda fuerit. Nam cùm se ad resistendum infirmos circumspicerent, pacemque bello antehaberent, Constantius illos fœdere illigatos ad omnem spem, & belli sui usum in eâ provinciâ sepositi. Inde Burgundiones gente Germani, & cum Vandalis adventitij in Galliam, interque Sequanos sedem nacti, ac primi qui ex barbaris Germaniæ populis Christi religionem biennio post suscepêre; quemadmodum id à Socrate & Orosio scriptum, supráque à nobis relatum est. At ubi Franci cognoverunt Burgundionibus sedes in Galliâ dari, animo vehementissimè perturbati sunt, indignatique, gentem nimirum Burgundionum, nec genere hominum, nec robore juventutis, nec multitudine factisque parem in fertili Galliæ solo collocari hæredem; sibi verò post tot impressiones factas, & post tot belli decora nullas sedes auctoritate imperatoriâ attribui. Ergo seu Marcomere seu Pharamundo duce, evocatisque trans Rhenum auxiliaribus gentium copijs, repentè in validum exercitum collecti, in Belgicam primam ferocium belluarum instar denuo incurrêre; ac præter cætera oppida urbem Trevirorum, provinciæ ejus caput, ceperunt, captamque cùm diripuissent, subito incendio combusserunt. Nova hæc à Francis Trevirorum hoc bello barbarico vastatio fuit. Huc nimirum illud Frigeridi referunt: Trevirorum civitas à Francis direpta incensaque est secundâ irruptione, nimirum à Francis facta, cùm tertia sit post Wandalicam illata; idque factione Lucij consularis, cui cùm speciosa esset uxor, ut Armoricus est auctor, Avitus seu Jovinus Galliarum præfectus ejus amore captus, fœminæ stuprum intulit, virum etiam obscœno dicto illudens. Quibus Lucius senatoresque exacerbati, Francos invitârunt, ad tam miserabile urbis excidium, quod à Salviano

Sidonius Apoll. in Epist. & Pau. Orosius l. 7. c. 42. Frigeridus apud Turon.

Gothi in Gallia Narbonensi sedem figunt.

Franci in Gallias ab Rheno prorumpunt, & cum alijs Barbaris sedes postulant.

Novæ Francorũ Copiæ Jovino Tyranno se jungunt.

viano nobis est descriptum : *Excisâ ter continuatis eversionibus summâ urbe Gallorum, cùm omnis civitas bustum esset, mala et pòst excidia creverunt. Nam, quos hostis in excidio non occiderat, pòst excidium calamitas obruebat; ... alios enim impressa altius vulnera longis mortibus necabant; alios ambustos hostium flammis, etiam post flammas pœna torquebat. Alij interibant fame, alii nuditate, alii tabescentes, alii rigentes : ac sic in unum exitum mortis per diversa moriendi genera corruebant. Et quid plura? Excidio unius urbis affligebantur quoque aliæ civitates. Jacebant siquidem passim, quod ipse vidi, atque sustinui utriusque sexus cadavera, nuda, lacerata, urbis oculos incestantia, ab avibus canibusque laniata : lues erat viventium fœtor funereus mortuorum, mors de morte exhalabatur.* Quæ Treviris eversio licet à Browero ad annum 13, hujus sæculi referatur; à Bucherio tamen anno illa undecimo adscribitur, unde & hoc ea loco à nobis relata. Inulta interim hæc clades ferenda Constantio comiti Romanisque; quòd soli gentium transRhenum validissimi hostes Franci, hac tempestate aut non lacessendi, aut non oppugnandi viderentur, qui jam inferiorem Germaniam Belgicamque primam potentioribus armis præsidijsque, ex quo cæteri barbarorum Galliam, tenebant. Nec enim Sigonio assentior, qui Francos ab hac clade illatâ transRhenum reducit. Quin Prospero magis & Cassiodoro hæreo, quorum judicio Franci ad Aëtij usque clarissimi Romanorum ducis adventum, partem hanc Galliarum Rheno propinquam insedêre.

Salvianus l. 6. de Gubern. Dei.

Excidiũ Treviris à Francis illatum.

Constantius dehinc Comes ab Honorio Imp. Romam evocatus ad consulatum capessendum, bellum cum Francis affectum magis quàm confectum reliquit; seu quód Franci à pacis conditionibus alieni, & quas armis provincias acquisiverant, cedere detrectârint : seu quòd Gallia interior prius pacanda (quam Jovinus tyrannus & Ataulphus Gothorum Rex, desertâ Italiâ, ingressi turbabant) *Burgundionesque partem Galliæ Rheno conjunctam tenerent infestarentque.* Quibus hostibus aut compressis, aut pacatis, Constantius Ravennæ consul creatur, vir ut Olympiodorus describsit, *corporis habitu et virtute bellicâ dignus ipso Imperio.*

An. Christi 412, & 13. *Prosper. Cassiod.*

Constantio in præfectura Galliarum subrogatus ab Honorio Imp. Castinus domesticorum Comes. Bellum is à Constantio cœptum adversus Francos Galliarum periculosissimos hostes, resumpsit. Sed quæ ab eo sunt gesta, antiquitas prope abolevit, nisi quod ex Frigeridi monumentis referat Turonensis, eum expeditione in Francos susceptâ in Gallias missum. Nam quæ in fastis annalium Francorum referuntur, Castinum Francos protrivisse, Rhenum transisse, & postquam Gallias pervagatus esset, ad Pyrenæos usque montes pervenisse, his alij fidem abrogant. Quid enim Pyrenæi montes cum bello Francico? aut quæ tanta Castini victoria à nullo scriptorum

An. Christi 414. & 15. Castinus Comes Constantio in præfectura Galliæ subrogatur.

rum prodita? Auget interim ejus belli facinora Fredegarius, asseritq; Theodomerem Francorum Regem Ricimeris consulis filium, unà cum Ascila matre, furiosâ fœminâ, prœlio victum interemptumque esse. Quâ victoriâ elatus, Francos omnes ex inferiore Germaniâ ac Belgicâ transRhenum depulerit. Explodit hæc Valesius & Bucherius, ceterique scriptores: nec immeritò Fredegarium scholasticum perstringunt. Quippe cujus fides & peritia historiarum non ultra scholæ limites se porrigat. Satis enim jam constat ex Prospero, Cassiodoro & Jornande, Francos ad Aëtij tempora immotos constitisse in captis semel transRhenum provincijs; neque ab ipso Aëtio quidem transRhenum intra suas sedes rejectos esse referemus. Utrumq; se habeat cum Theodomere Rege, quem alij primum Francorum regem cisRhenum, ac Saliorum quidem Francorum opinantur, qui Armoricis, Belgis ac Saxonibus junctis, regnum in diversis illis oris molitus sit; nec verò absimile, à Romanis oppressum, antequam regijs viribus adolesceret. Sanè Turonensis post crinitos Francorum Reges, Theudomerem introduxit, nulla Pharamundi mentione factâ, ut ob id quidam Theudomerem haud alium quàm Pharamundum esse velint; sed hic Marcomiri, ille Ricimeris consulis filius, fortè desertus à transRhenanis Francis, qui Pharamundum jam sibi primum Francorum Regem destinabant, bello hoc Francico inter duces suos præfulgentem.

Lib. 14. c. 5.

Neq; Castini Comitis hac expeditione in Francos ullum præterea memorabile facinus proditum à priscis scriptoribus. Censet tamen Bucherius urbem Treviros, post tertiam eversionem, à Castino Comite per id tempus restauratam: veteremque illam Imperij sedem cœpisse muris instrui, civitatemque milite impleri, ut in ea armamentarium & propugnaculum adversus Francorum incursiones haberet Romanorum militia. Verùm, quòd hoc anno Ataulfus Gothorum Rex, rupto cum Romanis fœdere, novum bellum inferret Romanis, castraque ad oppidum Narbonense in Gallia admoveret, Castinum partem exercitus transmisisse Constantio Comiti, quem honorius Imperator unicum rerum suarum præsidium in Galliam cum exercitu adversus Ataulfum festinare jusserat. Castinus seu debellatum ratus cum Francis, seu ipse castra secutus Constantio se junxerit, urbem Trevirim citius corruptis moribus luxuque plenam, quàm munitionum operibus instructam habuit. Quam causam oblatam volunt Francis nostris jam antè exacerbatis in Romanos, ut novâ irruptione factâ in Romanum solum, quartam extremamque Augustæ Trevirorum urbi vastationem intulerint; quâ pòst urbis ruinâ factum, ut Honorius demum triennio ab hinc Gallicani Imperij solium sedemque Arelatem transtulerit, ac fines Imperij sensim in angustum contractos reliquerit. Jacuit exinde Treviris, ut Salvianus memorat,

Orosius lib. ult. Prosper. in Chron. Idacius in Chron. Olympiod. Sigonius l. 11. de occid Imp. Bucherius lib. 14 c. 6. Brouverus lib. 5. ann. Trevir. Baronius.

Iterata Treviris vastatio excidiumque à Francis.

rat, quadruplici eversione prostrata eversaque, primùm à Vandalis, tertium dehinc à Francis. Quas inter vastationes hæc postrema fatalis & decumana fuit, qnòd funditus tandem deleta perhibeatur, donec sensim ex ruderibus in speciem aliquam resurgeret contractæ urbis. Tanquam ab eversa principe Imperij Gallicani urbe & Imperatorum sede, jam tum fatali auspicio Francis nostris non modò totius Galliæ, sed & Romanæ potentiæ Imperium portenderetur. Nimirum cùm inde barbaræ Francorum gentes arma tractarent fortius, & virtutes vitamque colerent temperantius, Romanis, in scenas, luxum & otia dissolutis. *Vellem mihi*, inquit, Salvianus, *hoc loco ad exequendam rerum indignitatem parem negotio eloquentiam dari : scilicet ut tantùm virtutis esset in querimonia, quantùm doloris in causâ.* L. 6. de Gubern. Dei. *···· Circenses ludos desideratis Treviri ? et hoc vastati, hoc expugnati, post cladem, post sanguinem, post supplicia, post captivitatem, post tot eversæ urbis excidia. Quid lachrymabilius hac stultitia ? quid luctuosius hac amentia ? Fateor, miserrimos vos esse credidi, cùm excidia passi estis : sed miseriores vos video, cùm et spectacula postulastis. ··· Theatra quæritis, circum à principibus postulatis : Quæso, cui statui ? cui populo ? cui civitati ? urbi exustæ et perditæ, plebi captivæ et interemptæ. ···· Ludicra publica Trevir petit ; ubi quæso exercenda ? an super busta et cineres ? super ossa et sanguinem peremptorum ? Quæ enim urbis pars his malis omnibus vacat ? ubi non cruor fusus, non strata corpora, ubi non concisorum membra lacerata ? Ubique facies captæ urbis, ubique terror captivitatis, ubique imago mortis. Jacent reliquiæ infelicissimæ plebis super tumulos defunctorum suorum, et tu Circenses rogas ? Nigra est incendio civitas, et tu vultum festivitatis usurpas ? Lugent cuncta, tu lætus es ? insuper illecebris flagitiosissimis Deum provocas, et superstitionibus pessimis iram divinitatis irritas ? Non miror planè, non miror tibi evenisse mala, quæ consecuta sunt : Nam quia te tria excidia non correxerunt, quarto perire meruisti.* Et quæ non in expostulationem, & tragicam urbis à Francis excisæ speciem Salvianus temporum eorum inspector ac vates. At non hæc populi mala cladesque intra unam Trevirorum urbem stetêre : Testem denuo habemus Salvianum : *Quid*, inquit, *in aliâ non longè, sed prope ejusdem magnificentiæ civitate ? nonne eadem et rerum ruina pariter et morum ? Nam præter cætera, cùm duobus illis præcipuis et generalibus malis, avaritiâ et ebrietate, omnia concidissent, adhoc postremò, rabidâ vini aviditate, perventum est, ut principes urbis ipsius, ne tunc quidem de conviviis surgerent, cùm jam hostis urbem intraret : Adeo etiam Deus ipsis evidenter, ut credo, manifestare voluit, cur perirent ; cùm, per quam rem ad perditionem ultimam venerant, eam ipsam agerent, cùm perirent. Vidi ego illic res lachrymabiles ; Nihil scilicet inter pueros differre et senes ; una erat scurrilitas, una levitas ; simul omnia luxus, potationes, perditiones ; cuncta omnes pariter agebant : ludebant, ebriabantur, enecabantur, lasciviebant in conviviis, vetuli et honorati,* L. 6. de Gubern. Dei.

ad vivendum propè imbecilles, ad vinum prævalidissimi. Infirmi ad ambulandum, robusti ad bibendum: ad gressum nutabundi, ad saltandum expediti. .... Et miramur post omnia ista, si ruinam rerum suarum passi sunt, qui tanto ante mentibus corruerunt.... Dixi de urbibus præclarissimis: quid reliquæ in diversis Galliarum partibus civitates? nunquid non consimilibus habitatorum suorum vitiis conciderunt. Hæc Salvianus; sed de quâ urbe pòst Treviros excellentissimâ, aut quo tempore hæc facta scribat, controversum reliquit. Non desunt, qui Coloniam Agrippinam interpretentur, cujus nomini pepercerit, seu quòd illic ortus, seu quòd consanguineos in eâ habuerit, ut pòst referam. Sanè à Francis illatas hasce urbium & populorum strages, nemini prope dubitare fas erit. Hi enim per id tempus armis prævalidi latèq; dominantes grassabantur per hos Imperij fines, quos & Deus inter ceteros barbaros depravatæ ætatis vindices, & ruentis Imperij possessores ex veteri virtutum cultu parabat. Igitur Francis latèper inferiorem Germaniam ac Belgicam dominantibus, postquam neq; à Constantio Comite, neq; à Castino provincijs semel captis ejici poterant; censet Bucherius eos una cum Gothis ceterisque barbaris Galliam insidentibus ad communem pacem, quam anno proximo conditam accepimus, esse admissos; ac tunc, quod Prosper scribit, Francos eam Galliarū partem, quam ante Rheno propinquam possidendam acceperant novis fœderum pactis, obtinuisse. Quanta autem ea pars fuerit, utrumne tota ea regio, quæ Ripuaria pòst dicta est, & quàm latissimè sumpta Mosellâ, Mosâ ac Rheno circumscribitur, incertum reliquêre scriptores eorum temporum. Sanè duplices tum Franci, transRhenani videlicet & Salij, intra Romanum solum proruperant, utrisq; sua regio haud dubiè ex pactis permissa relictaq;. Utrumne etiam Agrippina (quod excisis toties Treviris pronum est æstimare) in transRhenanorum Françorum potestatem venerit, haud satis est proditum. Magna eorum temporum caligo, ut nonnisi per conjecturas lubricè sit eundum. Id exploratius, Constantium Comitem, confecto primo bello Gothico, pacem Galliæ dedisse: quam quatuor potissimum populi Romani, Burgundiones, Gothi & Franci inter se partitam tenebant. Constitutâ provincia, Constantius Comes Romam discessit, reducta Placidia ex Gothorum manibus, quæ ei ob res præclarè gestas ab Honorio Imp. in matrimonium data. Ex ea pòst susceptus Valentinianus III. ejus nominis Imp. Lætus quoq; Honorius ob Hispanias Galliasq; pacatas, Romam regressus, magno apparatu atque insigni pompa triumphum egit. Ubi & Constantius Collega Imperij ab Honorio dictus, Augustusq; est salutatus; quod cùm non probaret Theodosius Orientis Imperator, Constantius haud multò pòst mœrore consumptus obijt; tanquam sublato tam egregio bellatore & Galliæ fulcro Deus jam Francis novum Franciæ regnum acceleraret, quod cum Pharamundo fortissimo horum bellorum duce cœpit.

An. Christi 416.

Prosper. Jornandes. Sidonius. Rutilius in itinerario. Sigonius.

LIBER V.

WESTFALIA FRANCICA & SAXONICA.

Perruptus Rheni limes, & primi Reges Franci à Pharamundo, eorumque resgestæ memorantur.

ANnus Christiano nomini agebatur quadringentesimus vigesimus, Honorij per Occidentem Imperatoris xxvi, quo perrupto jam antè Rheni limite, Franci firmam in citeriore ripâ possessionem terrarum ceperant, etsi regno nondum constituto; id tamen ut auspicarentur, Pharamundum, pro more gentis inter posteros recepto, (a) clypeis impositum, & procerum succollantium humeris exceptum per castra circumtulere, primumque Francorum Regem creavere. Id biennio ante factum contendunt nonnulli. Sigebertus ad annum xix ejus sæculi, plerique ad xx, ut diximus, revocant. Ceteris silentibus, unus Prosper in fastis à Pithœo editis ad annum xxvi. Honorij Imp. hæc tantummodo habet: *Pharamundus regnat in Franciâ.* Hic autem Honorij imperantis annus Baronio est Christi 420. quem & plerique primum regnantis Pharamundi statuunt; sed utrum Prosper antiquissimus hac super re scriptor hoc anno Pharamundum regno primùm inauguratum velit, an jam antea etiam adijsse, incertum reliquit. Sigebertus interim, quia Pharamundum undecim annis regnasse asserit, obijsseque anno Christi 427. regni hujus initia retrahere videri potest ad annum 17. hujus sæculi: Quanquam & is scriptor duobus annis discordet à vulgari epocha; sed lis de paucis annis, nec tanti momenti. Locus, quo Pharamundus inauguratus, haud minus controversus. Quidam Treviri, alij Coloniæ, alij Dispargi in regia aula id factum volunt; quos inter novalis, sitne Dispargum trans Rhenum, an alius in citeriori ripâ locus, de quo in Clodione memorandum. Nihil ex priscis auctoribus hac super re certum, quæ majori sæpe involucro dubitationum diceptantur, quàm asseruntur. Trithemium tamen quis non explodat, dum Herbipoli inauguratum scribit? quam urbem Pharamundus fortè nunquam viderit tum adhuc conditam. Ex communi errore hæc nata, quasi ex Franconia prodierint Franci. Ad illa quis magis

An. Christi 420. &c. Pharamundus I. Francorũ Rex.

(a) *Tacitus l. 4. hist. de Brinione.*

hîc animum advertat, quanto labore & sanguine, quot Francorum bellis, per ducentos propemodum annos, decertatum sit, antequam solidum regni pedem cis Rhenum figerent. Atque ea jam inclinantis Imperij tempora accesserant; ut quæ à Theodosio M. rursum Imperio asserta erant, ab Honorio filio prope amissa deplorarentur. Jam pòst captam à Gothis Romam, Barbari florentissimum Occidentis Imperium discerpserant: Jam Italiam, Galliam & Hispaniam Gothi, Wandali, Burgundiones, Alani, Suevi, Alemanni, Turcelingi insederant, & Britannia deserta Romanorum auxilijs se ipsam in libertatem asserere coacta erat; jam Bataviam & Belgicæ secundæ provincias Saxones & Franci Salij magnam partem sui juris fecerant. Et quia plerique Barbari, hoc bellorum spoliorumque successu, sibi Reges creârant, ad regna per occupatas in Romano solo provincias stabilienda, Franci horum exemplo provocati, ut se per Gallias firmarent, bellaque exinde auspicatius gererent, Pharamundum ad regni solium provexêre; quem alij Sunonis, Bructerorum & Chamavorum Sicambrorumq; ducis filium, alij Marcomeri principis tradiderunt, Uterque Francorum dux, ut supra à nobis relatum, circumventus Romanorum dolis, & acerbius, quàm gentis libertas ferret, tractatus: Marcomerus, à Stilicone in Hetruscum carcerem detrusus: Sunno, ne ejus se ultorem ferret, gladio percussus. Non jam poterat à Francis deligi, aut ultor Romanorum incitatior, aut defensor libertatis securior quàm Pharamundus, vir cùm paternâ indole bellicosus, tum sapientia inter suos clarus, quod vel Salica abs se lege latâ testatus est.

Lib. 2. c. 9. Celebrem eâ quoque tempestate Theudomerem Francorum Regem introducit Gregorius Turonensis, quem ob id quidam Pharamundum ut diximus censuêre; sed cùm is Richemeris filius asseratur, diversus haud dubiè fuerit; ac fortè Saliorum Francorum Rex à suis delectus, qui unâ cum Armoricis eas Galliæ ad mare regiones infestârat, insederatque, ex quo Franci Salij Bataviæ insulas invaserant, unamque cum Batavis & earum insularum populis belli societatem adversus Romanos conflaverant; ob quæ à Castino duce Theudomerus unà cum Ascilâ matre obtruncatus fuerit, perinde ut hæc omnia à Turonensi perturbatè & abruptè narrantur, neque à priscis Franciæ scriptoribus expressa sunt. Magna enim per hæc tempora historiæ caligo: certiora haberentur si aut Sulpitij Alexandri, aut Rhenati Frigeridi scripta supereressent; nam quæ Turonensis, atque ex eo pòst alij tradiderunt, abrupta & perturbata, ac non nisi salebræ per fastigia rerum Francicarum. Nec Pharamundus quidem à Turonensi proditus, quem tamen Aimoinus Epitome rerum Francicarum, Ado Viennensis, Sigebertus & plerique Francorum Germanorumque scriptores primum Francorum Regem appellant, ac plerique Marcomiri filium tradunt. Auctor quidam vetustus à

Aimo. l. 1. hist. Franc. c. 4. Epit. an. Franc. c. 4. Ado Vienn. ad an. Chr. 375.

Frehero

Frehero editus in hunc modum scripsit : *Defuncto Sunone, Francipetierunt consilium à Marcomiro, ut regem unum haberent omnes, sicut et cæteræ gentes ; quibus ille consilium dedit, elegeruntque Pharamundum filium Marcomiri.* Eadem prorsus ex duobus manuscriptis Cameracensium & Moissiracensium producit Wendelinus. Ado paulùm diversus, *Franci* inquit, *egressi à Sicambriâ, pervenerunt in extremas partes Rheni fluminis in Germanorum oppida : ibiq; aliquot annos cum principibus suis Marcomiro et Sunnone resederunt : Ubi primum regem Pharamundum sibi post modum statuunt.* Quæ verò per initia regni à Pharamundo sunt gesta, nec hi Francici scriptores, nec cæteri tradiderunt. Unâ Salicâ lege ad posteritatem memorabilis Pharamundus. Antiquissima hæc ac celebris Francorum lex est ; & quia in Germania, & his interRhenum & Visurgim regionibus, ab ijsq; populis est condita, qui antiquitùs Westfaliam incoluêre, hoc mihi loco prætereunda non est. Multa de hac lege prisci scriptores, quotquot supra relati Pharamundum primum Francorum Regem tradidere. Mihi nemo omnium explicatius certiusque de hac lege scripsisse visus, quàm vetustus auctor, quem legis prologum habemus. Is ita præfatus : *Gens Francorum inclyta, auctore Deo condita, fortis in armis, profundaque in consilio, firma in pacis fœdere, corpore a nobilis in columna, candore et formâ egregia, audax, velox, et aspera, ad Catholicam fidem nuper conversa, immunis quidem ab omni hæresi, dum adhuc ritu teneretur barbarico, inspirante Deo inquirens scientiæ clavim, juxta morum suorum qualitatem desiderans justitiam, et custodiens pietatem, dictavit Salicam legem per proceres illius gentis, qui tunc temporis ejusdem aderant rectores. Electi de pluribus viris quatuor his nominibus : Wisogastus, Bodogastus, Salogastus et Widogastus, in locis cognominatis Salehaim, Bodohaim, Vidohaim : qui per tres mallos convenientes, omnes causarum origines sollicitè tractantes discutiendo de singulis, sicut ipsa lex declarat, judicium decreverunt hoc modo. At ubi Deo favente Rex Francorum Clodoveus florens, et pulcher, et inclytus, primus recepit Catholicum baptismum : et deinde Childebertus et Clotharius in culmen regale protegente Deo pervenêre, quidquid in pacto habebatur minus idoneum, per illos fuit lucidius emendatum, et sanctius decretum. Vivat qui Francos diligit. Christus eorum regnum custodiat. Rectores eorundem lumine suæ gratiæ repleat. Exercitum protegat. Fidei munimina tribuat. Pacis gaudia, et felicitatis tempora dominantium Domino Jesu Christo propitiante concedat. Hæc est enim gens, quæ parva dum esset numero, fortis robore et valida, durissimum Romanorum jugum de suis cervicibus excussit pugnando. Atque post agnitionem baptismi sanctorum Martyrum corpora, quæ Romani vel igne concremaverunt, vel ferro truncaverunt, vel bestiis laceranda projecerunt, Franci reperta auro et lapidibus pretiosis ornaverunt.* Præclarum gentis elogium. At scriptor hic, dum nuper Francos ad Christi fidem transisse memorat, satis & suam ætatem prodit, & legem à Francis, cùm bar-

Otto Frising. lib. 4. chron. c. 32.

Lex Salica sub Pharamundo I. lata.

Salicæ legis origo, auctores & locus.

Lib. 3. rerum Franc. barbarico adhuc ritu tenerentur, latam docet, eamque ad Marcomiri & Pharamundi tempora revocare videtur : in quo plerique conveniunt, tametsi id ægre sibi persuadeat Valesius. Ac magnopere assentior ijs, qui cum Gordono sentiunt legem hanc Salicam post mortem Marcomiri, antequam Pharamundus inauguraretur à primoribus gentis Germanico ac Francico idiomate conditam, ad cujus præscripta Rex à se deligendus populum gubernaret, Alter verò prologus in hunc modum habet : *Placuit atque convenit inter Francos, et eorum proceres, ut propter servandum inter se pacis studium, omnia incrementa veterum rixarum resecare deberent. Et quia ceteris gentibus juxta se positis fortitudinis brachio præeminebant, ita etiam legum auctoritate præcellerent; ut juxta qualitatem causarum, sumeret criminalis actio terminum. Extiterunt igitur inter eos electi de pluribus quatuor viri his nominibus, VVisogastus, Bodogastus, Salogastus, et VVidogastus, in villis quæ ultra Rhenum sunt, Salehaim, et Bodohaim, et Widohaim: qui per tres mallos convenientes, omnem causarum originem sollicitè discutiendo tractantes de singulis judicium decreverunt.* Ex his vetustis scriptoribus Sigebertus ceteriq; qui de origine legis scripsêre, sua transumpserunt. Quâ in re, cùm posterior hic prologus in villis, quæ transRhenum sunt, legem conditam asserat; quis non intelligat in ipsa Westfalia, quam veterum Francorum sedem toties docuimus, Salicæ legis natales commonstrari? ibiq; intra Rhenum & Visurgim non modò horum procerum toparchias ac principum sedes (qui ut Tacitus de priscis Germanis, *jura per pagos et vicos dixêre*) sed & villas, in quibus hosce conventus habuêre, requirendas esse? Ut vel inde exerrare dixeris eos, qui leges hasce, quòd Salicæ appellentur, ex similitudine nominis, aut ad Salam Thuringiæ fluvium natas volunt, cùm eo tempore Thuringia nondum in possessionem Francorum venerit : aut ad Saliam Mediomatricum amnem, qui haud procul Metis in Mosellam influit : aut alibi in Brabantiâ, ubi villarum quædam, quæ hîc memorantur, similitudo ex nominibus prætenditur, latas scribunt. Quibus certè conjecturis si niti liceat, rectius illi sentiunt, qui à Sala fluvio, qui nunc Isala dicitur, ortusque in Monasterienſi diœcesi Westfaliam perlabitur, Salicæ legis originem deducunt : Ibi enim Salandia : ibi veterum Saliorum sedes : Nec desunt, qui has villas in Westfalia per eadem nominum indicia monstrent : Quippe Windesheimium haud procul Daventria & in veteri Francia, & Wanheim prope Duisburgum Cliviæ oppidum, & Zelhaim ad Luppiam vicus. Præterquam quòd miro nominum flexu villæ hæ à scriptoribus consignentur, ut nihil prope certi ex his erui possit. Quare Wendelinus erudito in legem Salicam commentario legem Salicam à Salâ, quæ vox aulam apud Germanos & Francos sonat, nomen suum trahere censuit. Et si per hanc quoque conjecturam ire libet, cur non Salehaim, quæ prima villa-

villarum est, ipsius Marcomiri principis aula designatur? aut ab ipsâ regiâ aulâ, quam Dispurgi Pharamundus, & Clodio Pharamundi filius, habuêre ad Ruræ ostia ac Rheni ripam, Salicæ legis natales arcessunt? quando jam satis constat ex veteri prologo trans Rhenum hasce leges conditas esse. Quanquam illi verosimilius sentire visi, qui Salicam legem ab ipsis Salijs Francorum populis deducunt: eo enim cognomento tum vulgarius Franci dicebantur; uti ex Marcellino, Zosimo & Claudiano docuimus. Atque id nomen etsi parti Francorum, quæ ad inferiorem Rheni ripam considebat, attributum fuerit; cæteris tamen superiorem Rheni ripam incolentibus commune esse cœpit, adeoque in Alemanniam cum Francorum imperio transijt; ex qua Franconia Conradum ex duce suo Imperatorem cognomento Salicum dedit. Ob quæ Ottoni Frisingensi libuit nobilissimos Francorum appellare Salios; quemadmodum & D. Nortbertus Francus Salicus scribitur, quem tamen constat ad inferiorem Rheni ripam natum. Utcunque se habeat nominis origo, de quâ disceptare non libet in narrationis decursu; id satis est prodidisse, trans Rhenum conditam esse. Quæ communior certiorque scriptorum est consensio, eorum etiam, qui ad Marcomirum principem, antequam Pharamundus Rex inauguraretur, communi populi auctoritate legem Salicam conditam memorant, cùm nondum firmam cis Rhenum Franci possessionem cepissent: Ut hujus natales legis nusquam certius, quàm in veteri ac primaria Francorum sede trans Rhenum, quam Westfaliam diximus, requirendas putem; secus quàm Wendelinus, Chifletius & Belgæ quidam scriptores, à quibus natales legis trahuntur in Gallicum solum. Ceterum lex ipsa in LXXI. capita digesta est, rudi quidem opere, sed quæ magnam inter Barbaros sapientiam, veterumque Germanorum mores ac disciplinam referat. A Clodovæo primo Christianorum Rege in latinam linguam versa creditur. Inde à Childeberto & Clotario Francorum Rege suis additamentis aucta, accomodataque ad mores Christianorum, pecuniarijs etiam mulctis, quibus omnia fere delicta populi castigantur, severius ad capitales pœnas, ubi criminis magnitudo poscit, redactis. Carolo M. consilium fuit totam legem in aliam formam commutare. At dum Eginardus refert, *Francos duas habere leges, plurimis in locis valde diversas*, dubiam reliquit, quas leges designet: Salicam opinor & ripuariam; utraque enim Francorum est, nec præter has alia. Nam etsi id legis Salicæ exemplar, quod Heroldus primùm ex Fuldensi bibliotheca vulgavit, discrepet ab eo, quod Pithæus protulit; Unám tamen legem Salicam convenientius reputes. Nec Carolus M. aliud præstitit, quàm quòd *discrepantia quædam immutârit, et capita addiderit.* Tanti ad eam ætatem Salica Francorum lex fuit. Ac nihil fermè in eâ acrius disceptatum, quàm quô præscribitur,

Prolog. 2. in leg. Sal.
Ado Vienn. Chron. Moisciacense apud Wendelin.
Anonymus ex Chesneri edit.
Anonymus apud Freher.
Otto Frising. l. 4. c. 32
Vrsberg. in Chron.
Ivo Carnotensis.
Sigebertus.
Had. Junius. Conring. de orig. juris Germanor.

Tit. 62. § 6. An Salica lege mulieres â successione excludantur.

bitur, ne qua mulier succedat in Regno. Prisca lex sic habet. *De terrâ Salicâ nulla portio hæreditatis mulieri veniat: sed ad virilem Sexum tota terræ hæreditas perveniat.* At vim legis qui expenderunt, nihil in eâ de feudis, nihil de successione regni præscribi volunt, sed tantum de privatis & hæreditarijs bonis, quæ allodialia dixerunt. Quanquam postea publico bono multa hujusmodi in jura regia traducta sint, receptaque in publicam regni legem; quòd in terris bello partis noluerint regiæ stirpis fœminas potiores esse privatis. Sed in ipsis Salicis legibus, quas barbari adhuc ritus homines præscripsêre Franci, rationem haberi Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, ne qua injuria aut tractentur, aut occidantur; tum ne Ecclesiæ Deo sacratæ, in quibus sanctorum reliquiæ reconditæ fuerunt, altariaque spolijs aut incendijs violentur, quis in barbaro populo non suspiciat venerationem sacrorum præ hæreticis nostris? Nimirum aut Christiani tum erant inter hosce Francos, ut à Constantini M. ævo supra memoratum: aut gens Francorum præ ceteris barbaris multò semper æquius mitiusque tractavit Christianam religionem, ob quæ Deus quoque, qui æquus est omnium remunerator, Francos nostros præ ceteris barbaris nationibus fortunatiores esse voluit: nisi tamen hæc ipsa à Childeberto, aut alijs Christianis regibus inserta sint. Inde à Pharamundo nobilissimum illud Francorum Regnum emergere cœpit, quod cetera demum Barbarorum per Occidentem regna, armorum progressu, firmitudine Imperij, amplitudine provinciarum & rerum gestarum gloriâ & potentiâ superavit. Quippe Ostro-Gothi, Heruli, Germaniq; in Italiâ: Wandali in Hispania & Africa: Burgundiones & Visogothi in Galliâ: Alani, Wandali, Suevi in Hipania: Alemanni in Germania: Longobardi in cis Alpinâ Galliâ: Hunni ceterique Barbarorum per alias Imperij provincias, breves Regnorum suorum periodos habuêre, dum postremum omnia fere in unam Francicam Monarchiam Carolo M. cederent. Initium hujus felicitatis est à fortitudine gentis, incrementum firmamentumque à legibus ac justitia. Perinde ut de Romanis Procopius refert, Imperium eos, quod armis acquisiverant, legibus conservasse. Eò nunc gentium per Westfaliam, & popularium veterum gloria illustrior; quibus initia regni Francici à Pharamundo, Clodione, & Merovæo, ceterisque debentur. Ac nescio an id olim Vespasianum Imperatorem Gallorum Druidæ haud fallaci vaticinio præmonuerint, *finem aliquando Imperij Romani fore, ... et possessionem rerum humanarum transalpinis gentibus portenti.* Inter hæc ab anno 17. unde hæc exordia duximus, post Salicam legem, nihil de Pharamundo memorabile à scriptoribus proditum; nam quæ de bellis ejus gestis Trithemius, Fortaculus, Florus Gallicus, & quidam alij ex Hunibaldo adferunt, inter commenta reputantur; haud dubium

Titul. 58.

Francorum regnum ob gentis justitiam & fortitudinem ceteris constantius.

Procop. l. 1.

Tacitus l. 4. histor. c. 54.

bium tamen, quin novo Rege suo Franci validos belli lacertos exseruerint adversus Romanos, & Regni pedem solidius inter Rhenum & Mosellam firmârint; quod vel maximè Aëtij expeditio in Francos, de quâ in Clodione referam, patefacit. Nec belli invitamenta defuere bellicosæ genti ex Honorij Imperatoris obitu. Hunc enim quia anno Christi 423. mors sine prole sustulit, Joannes quidam Honorij scriba, fultus Castini & Aëtij favore, Imperium rapuit, & Occidentalem Cæsarem se tulit. Non passus id Theodosius II. Orientis Imperator, Valentinianum II. ex Placidiâ sorore consobrinum, quem illa ex Constantio Cæsare susceperat, Imperatorem dixit; submissoque Constantinopoli exercitu, obrutus est, trucidatusq; Joannes, Castinus in exilium actus, Aëtius receptus in gratiam, & militiæ per Galliam præfectus, ad Gothos Francosque ex Gallia depellendos; sed prius ille in Bonifacium Africæ præfectum, virum bello & Christianâ religione egregium, & ab ipso D. Augustino dilaudatum callido consilio atque armis cuncta convertit, ut gloriæ æmulum dejiceret; ob quæ Bonifacius Wandalos ex Hispania in Africam evocavit, hospites & tyrannos Christianorum, quos exinde longa vis bellorum expellere non potuit. Opportuna hæc intestina dissidia Francis erant, eóque vel maximè, quòd Occidentis Imperium penes Placidiam fœminam esset; ut Pharamundo Rege, quocum fundamenta Regni jecêre, sese per occupatas cis Rhenum provincias confirmarent; quanquam cum hujus rei certiores non adsint auctores, quàm Prosper & Cassiodorus, qui ad Aëtij adventum Francos adhuc in Gallia perstitisse memorant, plura hîc in medium proferre non licuit.

An. Christi 423. &c.

Pharamundus per undenos regni annos pace belloque clarus postquam excessit è vitâ, successit Clodio ejus filius, Francorum Rex secundus. Solus hîc Ivo turbat ordinem, & Pharamundo Didionem filium subrogat, à quo tertium Francorum regem introducit; ceterorum verò consensu Clodio secundus Francorum Rex assertus, '*Vir gentis suæ nobilissimus, et regno suo perutilis*, quod Turonensis elogium est. Bellicâ certè indole egregius, & ad vota popularium Francorum cupiditate proferendi regni accensus, patris gloriam exæquavit. Nomen regis vario flexu proditum. Alij Clodium, alij Clogionem vocant. Sidonius etiam Apollinaris Clojonem scripsit. Franci præterea scriptores Crinitum appellant. Sed jam ante Pharamundum & Clodionem Franci omnes prolixâ cæsarie conspicui; quanquam id regum ducumque maximè ornamentum fuisse à Claudiano accepimus:

An. Christi 427. Clodio II. Rex Francorum.. *Turon. l. 2. c. 9. Epit. gest. Francorum. Turon. l. 2. c. 9.* Franci Criniti Reges. *Ado Vienn. Aimoinus.*

Ingentia quondam
Nomina, crinigeri flaventes vertice reges.

Neq; rarum id, quando ævo illo Burgundionum, Saxonum, Gothorum, *Claud. l. 1. de laud. Stiliconis.*

rum, omniumque fere Barbarorum, is oris habitus cultusque traditur; Regibus autem tam decorus, ut quam à puero defluentem comam aluerant, fas non esset abradere.

Dispargũ regia sedes, & ubi illa?

Regia Clodionis sedes Dispargum fuit in Thuringorum finibus, ut Turonensis memorat; Ideóque, quod Petavius rari judicij & eruditionis scriptor advertit, longè alia fuerit Thuringia ab eâ, cui hoc nomen hodie tribuitur: Nam Dispargum oppidum fuit in Sicambris, aut ijs proximum, & quod omnes Franci scriptores agnoscunt, trans Rhenum. Et ubi explicatius? quàm ubi nunc Duisburgum ad Ruræ ostium & Rheni ripam in Westfalia, in quod plerique scriptores conveniunt. Quam interim hic litem movent Galli Belgæque scriptores? dum alij Dispargo designari contendunt Diestheimium medio situ inter Bruxellas & Lovanium: alij Heinsbergam Juliæ oppidum; quidam Desenbergam arcem haud procul Warburgo in Diœcesi Paderbornensi, eò quòd apud Adamum Bremensem Saxonum voce Dispargum legatur; vetus, fateor, munimentum à Carolo M. expugnatum, ut Regino tradidit: nonnulli etiam Duisburgum ad Isalam (quod tamen alij Drusiburgum appellari malunt à Druso conditore) Browerus demum Thietesburgum in Buchonia interpretatur à Mercurij fano, ipsumque Dispargum censuit. Omnes hi quantumvis discordes, Geregorio Turonensi innituntur; & quia primus hujus rei auctor Turonensis involutè hæc tradidit, alijs aliam sentiendi causam dedit. Verba nunc adscribam:

Chifletius. Wendelinus. Buscher. Gelenius in Hieroth. Ferd. in Monum.

Lib. 2. c. 9. *Tradunt multi Francos de Pannonia fuisse digressos; ac primùm quidem littora Rheni amnis incoluisse: dehinc transacto Rheno Thoringiam trans measse, ibique juxtà pagos vel civitates reges crinitos super se creasse.* *Ferunt etiam tunc Clogionem utilem ac nobilissimum in gente suâ regem Francorum fuisse, qui apud Dispargum castrum habitabat, quod est in termino Thoringorum*, seu ut alij codices habent, *in termino Tongrorum.* Is deinde Clodio, missis exploratoribus ad urbem Cameracum, cùm omnia tuta reperisset, in Belgicam secundam invasit, urbemque, oppressis Romanis, cepit: sanè verò, si Franci transacto transmissoque Rheno, cum exercitu moverint in Thoringiam, quam Tongriam & veterem Tungrorum regionem dicemus: si deinde Clodio secundus à Pharamundo Francorum Rege Dispargo trans Rhenum (uti ex Aimoino mox referam) exploratores misit Cameracum, atque his ad se reversis, ipse cum exercitu subsecutus est, Dispargum non alibi quàm in veteri trans Rhenum Francia, non Distheimij, aut in alio cis Rhenum castro, requirendum est; nam transmisso per Rhenum exercitu, occupatáque Belgicâ, primùm crinitos Reges suos circum pagos & civitates creârunt: ac inde Cameracum, ceterasque urbes, & castra expugnaverunt. Atqui Aimoinum hîc opponunt *Franci*, inquit ille ceterarum more *nationum*, *sibi eligentes Pharamundum*

Sigonius de Occid. Imp. lib. 12. ad an. Christi 428.

Aimoinus lib. 1. c. 4.

Mar-

Marchomiri filium, solio sublimant regio. Cui filius successit Clodio crinitus. ... Finitimos itaque bello lacessendo Thuringorum, qui Germaniam incolunt, fines depopulantes, castellum quoddam Disbargum nomine occupant, in quo Rex Clodio sedem regni sui constituit. Hoc illud adversariorum telum, quo confici volunt Dispargum cis Rhenum designari, tanquam transito flumine, & vastata Thoringia, castrum illud in Belgica occupatum sit à Clodio Rege. Sed hic auctor mox se reprimit & clarius exponit, *Rex autem Clodio, angustos fines regni dilatari cupiens, exploratores à Dispargo trans Rhenum dirigit: et ipse cum exercitu subsecutus, Cameracum civitatem obsidens expugnavit.* Quid planius? Dispargum hîc trans Rhenum collocari legis; inde exploratores missi, inde cum exercitu Rex movit; nisi in Dispargo ipsum sibi Aimoinum adversari dicere libeat. Addo alium ex priscis Francicis auctoribus, qui Epitomen rerum Francicarum conscripsit. *Clodio Rex*, inquit, *in Dispargo castello in finibus Thoringorum in Regione Germaniæ habitavit. Propterea omnes Regiones gentium, quæ ultra Rhenum fluvium sunt, hoc nomine nuncupantur Germaniæ; eò quòd immania corpora sint, immanesque nationes.* Viden'? ut auctor hic Dispargum trans Rehnum collocet, & Francos proceris corporibus inter Germanos simul interioris & trans Rhenanæ Germaniæ reponat. Eò nostrorum temporum scriptores cum Sigonio, Ortelio, Antonio Dominico, Petavio, Calvisio, Browero, Pontano, Turckio, alijsque Dispargum trans Rhenum adsignant, plerique ad Ruræ ostium & Rheni ripas.

Aimoinus l. 1. c. 5.

Epit. gest. Franc. c. 5.

Sigon. l. 12 de Occid. Imp. ad an. Christi 428.

Verùm magna hujus litis causa ex eo arrepta, quòd Turonensis, Aimoinus, ac ceteri Francorum annalium scriptores Dispargum in finibus Thoringorum collocent, & quænam illa Thoringia designetur, in obscuro relinquatur, utrumne trans Rhenana ad Saxonum fines, quæ modò Thoringiæ adhuc nomen obtinet? an alia cis Rhenana & Belgica provincia, quæ Ubios ceterosque ad Rhenum populos complexa est, quæ à Tungris priscis eorum locorum incolis Tongria & Thoringia dicta est? Et verò si Turonensem & priscos Franciæ scriptores consulas, hæc postrema, de quâ agimus, Thoringia designatur; ea enim veteri Franciæ Germaniæq; disjungente tantū Rheni flumine, contermina erat, in quàm Franci transito Rheno se intulerunt, creatis circum pagos & per civitates crinitis regibus suis, quæ urbes per id tempus nec in Thuringia Saxoniæ, nec in Germania erant, ne quidem Martelli, Pipini Regis, & Caroli M. ævo, in queis Bonifacius & Carolus M. Episcopos collocaret; Erfurtumque in Thuringia Bonifacij tempore, paganorum rusticorum tantummodo urbs erat. Igitur quod Wendelinus, Chifletius, Henschenius, alijque Belgarum scriptores tradunt, Thuringia hæc à Francis scriptoribus nominata Tongria fuit; quemadmodum Toringi & Thuringi ijdem, qui Tungri scribuntur, quod vel ipsi Belgæ scriptores agnoscunt,

Bonif. epist. ad Zach. Pont. Serrar. l. 3. Mog. Wend. ad leg. Sal. Chif. in Vindic. Hist. Henschen. in Diat.

scunt. Illi propius vero accedunt, qui apud Turonensem Tungrorum nomen pro Thoringorum nobis tradunt ab auctore scriptum. Sed, inquiunt quidam, omnis illa regio, quæ inter Rhenum, Visurgim & Albim intercipitur, Turonensis ævo olim Thoringia dicta fuit, & Francorum sedibus comprehensa; quò ex Desenberga fabricent Disbargum, & Thuringiam veteri Franciæ includant, crinitosque Francorum Reges in Thuringia Saxonica creatos persuadeant. Nova hæc ingeniorum commenta sunt, nullo veteris scriptoris indicio probata. Cattos scimus in societatem veterum Francorum recipi; nemo tamen veterem Franciam, & primas Regum Francorum sedes in Thuringiâ Saxoniæ requisivit: aut Clodionem (quem Sicambrum fuisse non minus quàm Clodovæum docuit nos D. Remigius) aut Sicambros ex Thuringia deduxit. Sanè verò, postquam Clotharius, Childebertus & Theodoricus Francorum Reges primùm Thuringis bella intulerunt, atque ceteri inde Francorum Reges Christianam religionem victis dedêre, Thuringia vetus suæ regionis nomen servavit, discretum ab Hassiæ ceterisque provincijs. Igitur eorum opinioni accedo, qui Thoringiam à Turonensi ac ceteris Francicis scriptoribus hîc nobis assertam, ipsam Tongriam esse volunt; in qua Tongria secunda post Agrippinam inferioris Germaniæ civitas, celebris eâ tempestate, quam Franci promoto ex Dispargi castro exercitu, trajectoque Rheni flumine, haud secus quàm Agrippinam subinde invaserunt; atque istic per vicos & civitates, quæ in trans Rhenana Germania tunc raræ erant, aut nullæ, crinitos suos reges, inspectantibus circum Romanis & Gallis, ausi sunt creare. Et quia error exscriptoris irrepsit in Turonensis codicem, Thoringiam pro Tongria obtrudentis, ceteros Francos scriptores idem error abduxit, ignaros maximè quantum Thuringia à Rheno distet. At verò cùm Dispargum transRhenum ab ipsis Francis scriptoribus collocetur, & Rheni ripæ adsitum sit, proximum Ubijs Tongrisque; quid vetat in finibus Tongrorum assignare? nisi & ipsum Tongriæ nomen ad Rhenum usque à Turonensi porrigatur. Haud dissimilis error in vita D. Suiberti. Ubi enim Marcellinus aut Tongriam, aut Thoringiam scripsit, alius Lotharingiam obtrusit, siquidem ævo illo Lotharingiæ nomen nondum invaluerat. Non his præcerpam melioribus aliorum judicijs. Mihi aliter de Dispargo, & primâ Regum Francorum sede, ex Francorum scriptoribus, qui hæc implicatius tradiderunt, sentire non licuit. Neque alius in veteri Franciâ locus, aut Romanis hactenus infestior, quàm intra Agrippinam, Novesium & castra Vetera; aut Francis opportunior, intra Ruram & Luppiam, ubi perpetuò de Rheni limite decertatum, Francis undique è meditullio Franciæ concurrentibus: circumque adsistentibus Sicambris, Chamavis, Bructeris, Ampsivarijs, ceterisque gentibus;

tibus; à quibus cùm primùm Quintinus Novesio digressus, ad internecionem cæsus; tum in ijsdem sedibus oppugnati ab Arbogaste Marcomirus & Sunno duces eorundem populorum, quos nemo ex finibus Thuringiæ, Saxoniæ, aut à Sala fluvio deduxit unquam. Ita deinde perrupto istic Rheni limite Gallias Franci irruperunt.

Ac Clodio quidem Marcomiri & Pharamundi patris exemplo eadem ausus; sed aspera regni initia expertus: Quippe Aëtius postquam Galliam cum exercitu ingressus, Theodoricum Gothorum Regem, prælio victum, ad pacem petendam adegerat, victricia arma à Ligeri ad Mosellam & Rhenum in Francos promovit, gentem ex Romano solò depulsurus. Certi hujus belli auctor Prosper vulgatus: *Pars*, inquit ille, *Galliarum propinqua Rheno, quam Franci possidendam occupaverant, Aetii comitis armis recepta est.* Consules etiam Prosper & Cassiodorus senator addunt Taurum & Felicem, quibus Franci cæsi, rejectique ex provincijs infestis. His convenienter Jornandes scripsit: *Aëtium Reipubl. Romanæ bono singulariter natum, ut qui superbiam Suevorum, Francorumque barbariem immensis cædibus servire Imperio Romano cöegerit.* Quàm hæc exaggeratè Jornandes, tam temperatè Idacius eorum temporum non incelebris scriptor, Aëtium memorat factâ expeditione in Francos, prælio eos superasse, & in pace susceptisse. Quæ cùm ille ad annum Christi 430. referat, bellum id longius productum fuerit; ac nonnisi pacificatione haud secus quàm cum Gothis transactum fuisse indicat; ut jam eorum opinioni accedere malim, qui censent Francos non omnibus cisRhenanis provincijs ab Aëtio exutos depulsosve ad veteres transRhenum sedes: Nam quò minus Aëtius Francos ad extrema urgeret, multis alijs bellis implicabatur. Ardebat Africa Wandalorum dominatu, Hispania Gothorum, Pannonia Barbarorum imperio vexabatur, obtritisque Romanis Gensericus Wandalorum Rex Hipponem obsidione premebat; quâ calamitate D. Augustinus eâ in urbe Episcopus excessit è vitâ. Galliam deinde civili motu & miserandâ factione turbabant Bagaudæ, populus nimirum ex rusticana & civili plebe excitus; convolantibus simul ad arma omnibus Armoricis, qui hactenus Saliorum Francorum societati eas oras insidentium innixi vixerant liberiores. Causa rebellionis erat inexplicabilis Romanorum præsidum ac magistratus superbia & avaritia; adeoque tributis, & exactionibus, injurijsque exanguis plebs vexabatur, ut qui adhuc Romano nomini parebant, attritis opibus, Barbarorum Francorumq; mallent quàm Romanorum imperia. Multis hæc exaggerat Salvianus: *Quibus enim rebus Bagaudæ facti sunt, nisi iniquitate nostrâ? nisi improbitate judicum? nisi eorum proscriptionibus et rapinis, qui exactionis publicæ nomen in quæstûs proprii emolumentum verterant; et indictiones tributarias prædas suas esse fecerunt? qui in similitudinem immanium bestiarum*

An. Christi 428. &c. Clodionis bellum cum Aëtio.

An. Christi 430. &c.

Cassiod. in Chron. Salvian. l. 6. de Provid. Prosper in Chron. Sigonius. Brouverus.

Bagaudæ innixi Francorum societati rebellant in Gallijs.

Salvian. lib. 6. de gubern.

rum

rum, non rexerunt traditos sibi sed devorârunt: nec spoliis tantùm hominum, ut plerique latrones solent, sed laceratione etiam, et ut ita dicam sanguine pascebantur? ac sic actum est, ut latrociniis judicum strangularentur homines, et necati inciperent esse barbari, quia non permittebantur esse Romani. Hic status per Galliam erat, cùm fœmina & puer regerent Imperium.

Salvian. l. 6. Inde *plerique honesti et nobiles, è quibus Romanus status summo splendore esse debuit et honore, ad hoc tamen Romanæ iniquitatis crudelitate compulsi sunt, ut nollent esse Romani*, sed ad vicinorum Barbarorum, comprimisque Francorum, imperia aspirarent; qui jam Salicâ lege majorem æquitatem præscripserant, & multò etiam mitius tractabant subjectos sibi populos. Quocirca Salvianus, *Franci hoc scelus nesciunt, nihil horum apud Wandalos et Gothos*; Inde una & consentiens plebis oratio, ut liceat sibi vitam, quam agunt, agere cum Barbaris. Eadem questus Isidorus, *melius esse cum Gothis pauperes vivere, quam inter Romanos potentes esse, et grave jugum tributi portare.* Aëtius ut hunc Galliæ motum comprimeret, Eucharium Alemannorum Regem in Armoricos pellexit. Tam afflicta tum erat populi res, ut Barbarorum auxilio opus esset ad Galliam continendam. Alemanni magno impetu rapti ad Bagaudas exscindendos; quibus D. Germanus, legatione functus, miseratusque, occurrit; frœnumque equi barbari Regis prehendens obsecrat, ne gentem, quòd jam Christiani essent, deleret. Flexus Rex barbarus præsulis oratione, miseris pepercit, simulque Aëtius iras ad pacis fœdera reprimi passus est.

Franci Romanis æquiores.

Isidorus in Chron.

Vita S. Germani.

Cassiodor. in Chron. Prosp. vulg. in Chron. Prosper Pithœanus.

Subinde bellum Burgundicum exarsit, Gundicario Burgundionum Rege. Is aut odio Romanorum, aut libidine prædandi accensus, Belgicam primam, & in hac Treviros, Mediomatricos, vicinasq; regiones barbarum in modum depopulatus est. Nec obscurè in hanc belli conspirationem cum ceteris à Sidonio introducuntur Franci, Panegyrico ad Avitum Galliæ præfectum & Aëtio militantem:

Burgundiones in Gallia rebellant.

Belgam, Burgundio quem trux
Presserat, absolvit junctus tibi vincitur ille
Cursu, Herulus, Chunnus jaculis, Francusque natatu,
Sauromata clypeo, Salius pede, falce Gelonus.

Permixtæ hæ gentes aliæ pro Romanis, aliæ pro Burgundionibus arma ad prædam sumpserant. Obtriti subinde ab Aëtio Burgundiones, & ad pacem petendam compulsi; quanquam post Gundicarius Rex, immissis ab Aëtio Hunnis, cum omni gente excisus sit. Uti hæc Prosper ad annum 438. adscripsit. Quâ tempestate ruptis fœderibus Theodoricus Visogothorum Rex novum bellum Galliæ intulit, tanquam omnia in excidium Galliæ conspirarent. Nec enim Aquitaniæ regno contentus Rex, uti Isidorus memorat, Narbonam obsidere ausus est. Submissus Galliæ à Valentiniano & Aëtio Littorius

Visigothi in Gallia rebelles.

rius belli præfectus, Theodoricum non sine clade ab obsidione depulit. Quibus Littorius inflatus, ut Aëtij gloriam æquaret, temere cum Gothis ad Tolosam congressus, fœdè cæditur; captusq; in vinculis contabuit. Dignam superbi atque impij Ducis pœnam agnoscit Salvianus; Quippe *inanibus Aruspicum responsis, et falsis dæmonum oraculis confisus prælium iniit*: Gothi verò, etsi Ariani, primum supplices per Catholicorum Episcopos ad pacem se obtulêre; à quâ rejecti, dum prælij tempus immineret, in preces ad Deum provoluti opem implorant. *Rex* eorum, uti Salvianus perhibet, *ad diem usque pugnæ stratus cilicio preces fudit, ante bellum in oratione jacuit, ab oratione ad bellum surrexit*, Barbari ceteri in discrimine positi opem à Deo postulârunt. Ita victores de Romanis triumphârunt. Nec aliam vulneri Aëtius medicinam reperit, quàm ut Gothos ad pacem & fœdus admitteret. Inde post tertiam irruptionem Galliæ superiori quies indulta. Sed brevis ejus pacis usura, quam mox Franci, Clodione Rege, perturbârunt, totam prope inferiorem Galliam ab Imperio Romano avellendo, feliciori quàm Gothi aut Burgundiones successu.

Prosper. Idacius. Sidonius.

Salvianus.

Enim vero ut à Mariano Scoto, qui ad annum Christi 438. hæc refert, relatum est: *Clodio Francorum Rex Batavos, Tungros, Menapios, Teravanos, Morinos, Ambiones, Cameracenses, Tornacenses, Atrebatenses, Beluacenses, et quidquid his regionibus interjacet, ultraque Sequanam et Ligerim Francorum regno adjecit.* Mariano accedit Sigebertus, qui etsi hanc Francorum irruptionem ad annum Christi 445. referat, Clodionis tamen res gestas ab anno 431. auspicatus, omnem illam expeditionem hoc temporum spatio complectitur. Res sanè ad posteritatem & Francorum nostrorum gloriam memorabilis, obstupescentibus Romanis juxta ac Christianis; quos inter multi in hanc dementiam prolapsi, ut turbato fatalium rerum ordine, nulla amplius Dei providentia Imperium Romanum regi crederent. Quod enim ex cultu Deorum ac Cæsarum primorum gubernatione acceperant florentissimum, id post receptam Christi religionem per Christianos Imperatores interire, & barbaris populis in prædam cedere criminabantur. Hinc illæ apud Salvianum voces: *Si Deus respicit res humanas, si curat, si diligit, si gubernat, cur Romanos omnibus gentibus inferiores, et miseriores esse permittit? cur vinci à Barbaris patitur? cur juri hostium subjugari?* Salvianus, ut his impiorum quærimonijs occurreret, præclaros illos de providentiâ & gubernatione Dei libros conscripsit; ruinamq; illam provinciarum & Imperij, non modò ad Romanorum præsidum sævitiam, magistratuumque inexplebilem avaritiam, sed vel maximè ad corruptos omnium Christianorum mores & flagitia reducit; palam etiam fassus, tantam vitiorum & scelerum ævo suo conspici licentiam, ut nisi justis pœnis & Barbarorum flagellis hæc castigaret Deus, negligens potius rerum humanarum reputari possit.

Clodio Francorũ Rex latè Gallias pervadit urbesque Romanis eripit.

Barbaris gentibus ob vitia & delicta Christianorum Imperiũ cessit in prædam.

Et quantus exinde Salvianus in præfectorum & Christianorum vitijs, si non immodicè etiam, exaggerandis? quibus non tam ipsis Barbaris pares, quàm flagitiosiores esse videbantur: *Vitam*, inquit, *Barbarorum, atq; nostrorum studia, mores et vitia comparemus: Injusti sunt barbari, et nos hoc sumus, impudici sunt barbari, et nos hoc sumus, avari sunt barbari, et nos hoc sumus, omnium deniq; improbitatum atque impuritatum pleni sunt barbari, et nos hoc sumus. Ergo si pares vitiositate sumus, cur non etiam viribus pares? Sed et hoc interest, quod etsi eadem agant barbari, quæ nos agimus, nos majori offensione peccamus, ... possunt enim nostra et Barbarorum vitia esse paria. Sed in his tamen vitijs necesse est peccata nostra esse graviora. Gens Saxonum fera est, Francorum infidelis, Gepidarum inhumana, Hunnorum impudica, omnium denique gentium barbarorum vita vitiosa. Sed nunquid eundem habent reatum illorum vitia quàm nostra? nunquid tam criminosa est Hunnorum impudicitia quàm nostra: nunquid tam accusabilis Francorum perfidia quàm nostra? aut tam reprehensibilis ebrietas Alemanni, quàm ebrietas Christiani? ... Si fallat Hunnus vel Gepida, quid mirum est? qui culpam penitus falsitatis ignorat. Si peieret Francus, quid novi faceret? qui perjurium ipsum sermonis genus putat esse, non criminis: et quid mirum si hoc barbari ita credunt, qui legem et Deum nesciunt?* Imo alibi se reprimit Salvianus à vitijs ad virtutes Barbarorum, quales ne in ipsis Romanis tum conspiciebantur. *Gothorum enim*, inquit, *gens perfida est, sed pudica: Alemannorum impudica, sed minus perfida: Franci mendaces, sed hospitales: Saxones crudelitate efferi, sed castitate mirandi.* Ita verò singulis sua adhærere vitia, & in singulis simul gentibus suas conspici virtutes, contendit Salvianus, quarum meritis, remunerante Deo, in partem possessionemque Imperij venerint. Prorsus sic compertum, ut quemadmodum Romani Imperij potentia Romanorum virtute increvit: Ita fortuna eorundem sceleribus retexi cœpit; tum vel maximè, cùm Christianorum peccata esse cœperunt, quæ Romanorum antè fuerant sine Christi lege viventium. Exaggeratius hæc disserit Salvianus: *In tantum nunc vitiosè vivitur ab omnibus, ut prope nullus sit Christianorum, qui non jugiter naufragare videatur. .... Evangelia legunt, et impudici sunt, Apostolos audiunt et inebriantur, Christum sequuntur et rapiunt, vitam improbam agunt, et probam legem se habere dicunt.* Non jam libet plura de eorum temporum corruptis moribus adducere, quæ tantâ contentione Salvianus octo libris, comprimisque epistola ad Salonium Episcopum perscripsit. Ad hæc tum omnia pacis securitas, otiumque & luxus ita in fatalem ruinam composuerant; ut nec armorum usus, nec urbium præsidia, nec castrorum munimenta, nec belli apparatus veterem militiæ disciplinam exhiberent. *Cunctos nimirum ita crimina præcesserant, ut nec metuerent periculum: ablatus erat à peccatoribus timor, ne posset esse cautela. Itaque Barbaris penè in conspectu omnium positis, nullus metus erat homini, non custodia civitatum,*

Lib. 4.

Lib. 5.

Lib. 6.

totum

totum incuria, totum negligentia et gula, totum ebrietas et somnolentia possidebant. Quanquam alio simul arcano Dei consilio, ac dispensatione rerum humanarum, hæc barbarorum in Imperium irruptio permissa: nimirum (quod alibi à nobis relatum est) ut Christianis permixti Barbari Christi lege & fide imbuerentur, quam nunquam Barbari in suis sedibus didicissent. Ita Franci in Gallia, Saxones in Britannia, Gothi Alaniq; in Hispania, Longobardi in Italia, aliæ barbaræ gentes alijs in provincijs condocefacti, traductique ad Christi religionem, haud multò post suos quoque Reges Christianos conspexerunt. Quâ benignitate Numinis Jornandes, Paulus Diaconus, alijque profitentur, se majoresq; suos ex Gothis à Barbaris ad Christianæ Religionis lumen perveniſſe.

Hoc interim depravato rerum statu, Clodio sagax Francorum Rex nactus Galliam, jam antè Romanorum bellis attritam, nudatamque militari præsidio, exploratores trans Rhenum è castro Dispargo Cameracum usque misit. Neque id ulli dubium, cùm uno id omnes ore Turonensis, Ado Viennensis, Aimoinus, Sigebertus ac Francici scriptores supra à nobis relati fateantur. Postea verò quum exploratores, perlustratis diligenter omnibus, reversi ad Regem suum renunciavere civitates & loca modicis Romanorum præsidijs teneri, populumque omni belli metu solutum, securè in otio ac luxu vitam agere, Rex convocato procerum consilio, opportunitatem rei gerendæ exponit. Approbato ab omnibus bello, ingentem Clodio ex Sicambris, Bructeris, Chamavis, Angrivarijs, Cattis, Marsis, ceterisque ferocibus inter Rhenum & Visurgim populis exercitum contraxit, Dispargoque movens, castra trans Rhenum provexit. Primo belli impetu cessit in potestatem Francorum, quidquid inter Rhenum, Mosellam ac Mosam nondum prioribus Pharamundi armis partum erat, receptumve ab Aëtio. Utrumne tum Colonia Agrippina in deditionem Francorum venerit, controversum fecerunt scriptores. Valesius id anno 441. factum asserit. At jam ante cessisse Francis Salvianus haud obscurè prodidit. Nam cùm ille libros suos circa annum 440. ut supra monui, conscripserit, & Agrippinam jam hostibus plenam asseveret, argumento est, Agrippinenses aut ultro se prius Francis dedidisse, aut eruptione hac expugnatos fuisse. Ac multum verosimile per Constantini M. pontem, qui ad eam ætatem constitit Rheno instratus, magnam exercitus Francorum partem traductam. Salvianum hîc denuo audiamus: Nam postquam is spectaculorum licentiam, & corruptos eorum temporum mores multis exagitasset, *Responderi*, inquit, *adhæc potest, non in omnibus hæc Romanorum urbibus agi. Verum est: ... non enim hoc agitur in Moguntinensium civitate; sed quia excisa et deleta est: Non agitur Agrippinæ, sed quia hostibus plena. Non agitur Trevirorum, urbe excellentissimâ, sed quia quadruplici* Lib. 6.

ever-

eversione est postrata. Haud multò post eodem libro suo Salvianus post descriptum Treviris excidium, *Quid,* inquit, *in alia non longè, sed prope ejusdem magnificentiæ civitate? Nonne eadem et rerum ruina pariter, et morum? Nam præter cætera cùm duobus illis et præcipuis malis, avaritiâ et ebrietate, omnia concidissent, adhoc postremò rabidâ vini aviditate perventum est, ut principes urbis ipsius ne tunc quidem de conviviis surgerent, cùm hostis urbem intraret: Ideo etiam Deus ipsis evidenter, ut credo, manifestare voluit, cur perirent, cùm per quam rem ad deditionem ultimam pervenerant, eam ipsam agerent, cùm perirent. Vidi ego illic res lachrymabiles, nihil inter pueros differre et senes; Una erat scurrilitas, una levitas, simul omnia luxus, potationes, perditiones, cuncta omnes pariter agebant.* Et quæ in hanc rem scriptor ille deplorando confert. Ac tametsi Browerus his Moguntiam nobis describi censeat; Bucherius tamen & Valesius Coloniam Agrippinam interpretantur. Et quæ hæc alia urbs præter Trevirorum? quam & se eodem transitu vidisse profitetur; in qua amicos & cognatos invisit (ut in epistola sua scribit) ubi & profugum ex hostium vinculis adolescentem Agrippinensem, propinquumque suum commendat religiosis viris: ac viduam adolescentis matrem deplorat, eò redactam inopiæ, ut mercenario opere Barbarorum uxoribus locatitias manus impendere necesse habeat. Igitur jam Agrippina in Francorum potestatem venerat, magnificentiâ post Treviros secunda, non Wandalicâ vastatione, ut Gelenius opinatur; de illa enim nihil Salvianus, cùm proximas clades percenseat. Quanquam non desint, qui Agrippinenses ultro ac maturè se Francis jam tum anno 407. dedidisse velint, ut contra Wandalos se præmunirent; atque inde à Castino & Aëtio ceterisq; Romanorum ducibus in societatem belli receptos; ideoque hoc Francorum bello plenam hostibus & barbaris Coloniam scribi, quæ mihi nec refellere nec affirmare est animus. Libet tamen vel inde accedere Valesio & Bucherio, quòd eo tempore Ripuariæ provinciæ nomen invaluerit, haud aliunde, quàm quòd utramque Rheni ripam jam Franci nostri tenerent, ac in eâ Agrippinam Ripuariæ Metropolim. Id exploratius, hac Clodionis irruptione Trevirorum urbem à Francis expugnatam, quod quartum ejus excidium extitit, à Salviano memoratum; secus quàm Browerus censuit, qui id Hunnorum, de quâ referam, vastationi adscribit: Nam calamitates ab his Barbaris illatas Salvianus haud visus attingere. Intercepta in hunc modum Agrippina, aut certè novo Francorum præsidio impleta, ne à tergo hostem relinquerent. Excisâ Trevirorum urbe, Clodio cum victore exercitu Germaniam secundam & Belgicam primam pervagatus, ac torrentis instar Carbonariam Hannoniæ silvam ingressus, Tornacum obruit. Quo capto, Cameracum properat cum exercitu. Tenebatur urbs illa validiore Romanorum præsidio, eò & labor istic obje-

objectus major: ceteris fere civitatibus ad primum impetum se dedentibus. At brevis obsidij mora: admota enim Francorum multitudine, & vi belli impressâ, Cameracum expugnatur. Cæsis Romanorum præsidiarijs, urbs hæc Regis Clodionis sedes delecta; uti hæc Ado Viennensis vicinus temporum scriptor tradidit. Tum verò Clodio, ut Turonensis est auctor, transmeando Thoringiam *de primâ et nobiliori Francorum familiâ Reges crinitos juxta pagos et civitates à se creatos constituit.* Quas verò hic alias civitates & pagos dixeris, quàm eorum populorum, qui supra à Mariano Scoto sunt memorati. His enim devictis, Clodio ex suâ gente urbium rectores & præfectos imposuit, haud alio opportuniore consilio factoque, quàm ut in fide & obsequio Francorum contineret. Eo nunc magis eorum error retegitur, qui crinitos hos regulos per Thuringiam Saxoniæ, aut in Thoringorum finibus à Clodione creatos nobis obtrudunt; quando post Tongriam transitam, hi demum Reges in hostico solo ac novâ Franciâ, non veteri creati sunt. Quos inter Merovæus nobilis Francus, Clodionis consanguineus, & in regno successor perhibetur, proximis ad Rhenum moderandis provincijs impositus. Tunc Agrippinæ suus regulus, ac dux datus, tum & Ripuaria provincia ex dominatu utriusque ripæ in suam appellationem venit.

An. Christi 445. Aëtius Francorum impetum cursumq; fortunæ sistit. Franci in nuptijs obruuntur.

Stitit hunc Francorum bellorumque procursum Aëtius. Nam postquam hæc ad Valentinianum Imperatorem relata sunt, Aëtius cum Majoriano juvene, quem postea Cæsarem vidit Imperium, cum exercitu occurrit, inflatumq; tot victorijs Francorum exercitum repressit. Fortè tum in patentibus Atrebatum campis Francus cum nobili Francâ nuptias agitabat, & miles nimium fortunæ suæ securos in compotationes & choreas pro gentis genio solutus diffluxerat; cùm repente Aëtius & Majorianus juvenis quadrato agmine ad vicum Helenam apparent; provectique in incautos haud levem cladem intulerunt. Intercepta nupta, abrepta in spolium plaustra essedaque cum falcatis curribus. Ac postquam tumultuaria magis pugna, quàm justo prælio decertatum, cessêre Franci, non provincijs, sed campo in præsens. Congressum hunc præliarem Sidonius Apollinaris in Panegyrico Majoriani descripsit, ex quo juvat ceterorum historicorum silentium explere. Nec pigebit versus adscribere, quando ijs simul Francorum veterum cultus habitusque exprimitur. Ita enim Aëtium & Majorianum alloquitur:

Post tempore parvo.

Pugnastis pariter Francis, quâ Clojo patentes
Attrebatum terras pervaserat; hic coëuntes
Claudebant angusta vias, arcuque subactum
Vicum Helenam, flumenque simul sub tramite longo
Arctus supposítis trabibus transmiserat agger.

Illic

Illic te posito, pugnabat ponte sub ipso
Majorianus eques : fors ripæ colle propinquo
Barbaricus resonabat hymen, Scythicisque Choreis
Nubebat flavo similis nova nupta marito.
Hos ergo, ut perhibent, stravit. Crepitabat ad ictus
Cassis, et oppositis hastarum verbera thorax
Arcebat squamis, donec conversa fugatus
Hostis terga dedit. Plaustris rutilare videres
Barbarici vaga festa tori, conjectaque passim
Fercula, captivasque dapes, cirroque madente
Ferre coronatos redolentia serta lebetas.
Ilicet increscit Mavors, thalamique refringit
Plus ardens Bellona faces. Rapit esseda victor
Nubentemque nurum.

Nuptias deinde pugnamque cum Francis Lapitharum & Centaurorum similem introducit, tanquam cum Gigantibus depugnatum; eo enim aspectu se obtulere tum Franci; ideo nec incongruum arbitror cultum corporis & bellicam fortitudinem ex Sidonio adscribere, quo simul Franci nostri, prisca Germanorum soboles, agnoscatur :

Habitus & cultus Francorum.

Hic quoq; monstra domat, rutili quibus arce cerebri
Ad frontem coma tracta jacet, nudataque cervix,
Setarum per damna nitet : tum lumine glauco
Albet aquosa acies, ac vultibus undique rasis.
Pro barba tenues perarantur pectine cristæ.
Strictius assutæ vestes procera coërcent
Membra virûm; patet iis altato tegmine poples,
Lætus et angustam suspendit baltheus alvum.

Hic cultus corporis, prorsus ut Sirmundus expressit, procera corpora, validi lacerti, rutili crines, cæsij oculi, pronæ in frontem tonso occipite comæ, tenues raso vultu barbæ, vestes strictæ, & ut Tacitus de antiquis Germanis, singulos artus exprimentes, nudi poplites, lati balthei. Nec arma Francorum, pugnandi modum, & infractos belli animos, uti à pueris insueverant, omisit Sidonius, præclarâ gentis nostræ laude :

Francorũ bellica à pueris indoles & fortitudo.

Excussisse citas vastum per inane bipennes,
Et plaga præscisse locum, clypeosque rotare
Ludus, et intortas præcedere saltibus hastas,
Inque hostem venisse prius puerilibus annis,
Est belli maturus amor, si fortè premantur
Seu numero, seu sorte loci mors obruit illos,
Non timor : invicti perstant, animoq; supersunt
Jam prope post animam.

Clade

Clade hac nuptiali acceptâ, repressus Clodionis impetus, prohibtique Franci, ne transito Somona flumine, in interiorem Galliam penetrarent; non oppressi exactive è provincijs, quas bello jam cœperant regni sui fundamenta. Nec Prosperi ac Cassiodori, dum Francos ad Aëtij tempora in cis Rhenanis vicis Rheno propinquis perstitisse memorant, alia mens fuit, quàm ab Aëtio Francorum irruptionem fractam retusamque esse. Ac satis habuit in præsens Aëtius Somona flumine Francorum arma cohibere & pacificatione bellum finire. Nam altero mox anno Aëtius revocatus à Valentiniano Imp. Romam, ad tertium consulatum ineundum, & Hunnorum impetum frangendum, à quibus longè majus periculum imminebat. Attila quippe ferociſſimus Hunnorum Rex, pervastatâ Thraciâ, Mœsia, & Illyrio, atroces adversus utrumque Imperatorem Theodosium & Valentinianm minas spirabat. Unicum Valentiniano Cæsari præsidium in Aëtio. Quare abrupto, ut diximus, cum Francis bello, Valentinianus pacem ab Aëtio cum Francis pactam ita probavit, ut ab omni vectigalium onere solutas, occupatasque Galliæ provincias Francis permitteret: Eâ tamen lege, ut adversus Hunnos, si res posceret, socialia arma conjungerent; quod deinde à Merovæo Clodionis successore præstitum. Ita verò postquam 200. annis pro Rheni limite depugnatum erat, novum Franciæ Regnum, quod Gallicanum dixêre, primo Clodionis & Merovæi fortitudine stabilitum; ut vel inde Clodio primus Francici regni conditor sit appellatus.

An. Christi 446.

Aëtius ex Gallia revocatus adversus Hunnos Francis Galliam relinquit. *Cassiod. Sigonius.*

Vix dum Aëtius ex Galliâ recesserat, cùm Britanni assiduis Pictorum & Scotorum incursionibus vexati, lamentabiles ad Aëtium dedêre literas, quibus rogabant ne se perditis prope rebus desereret, cùm rupto jam muro extremam Regni partem invasissent barbari hostes. Responsum ab Aëtio jam Hunnicis bellis implicato, suis ipsi rebus consulerent, deligerentque in gente suâ aut regem aut ducem, nihil à Romanis auxilij submitti posse. Quibus Britanni adacti imploraverunt trans mare Saxonum nostrorum opem. Interim Attila cum innumerabili Scytharum multitudine Istrum glacie adstrictum transgressus auro se ad tempus mitigari passus est, dum opportuniora perrumpendi Imperium consilia procuderet. Nec quieti Franci nostri, seu rupto fœdere, seu junioris Clodionis filij audaciâ exciti, Suessionem obsident, quam urbem dum natu major filiorum oppugnat, præmaturo fato abripitur; nec multò pòst & ipse Rex Clodio, morbone victus an dolore incertum, Cameraci excessit, postquam annos xx. ut plerique tradidere, Regnum à se conditum administrasset, militaris animi Princeps, ac Pharamundum etiam patrem belli gloriâ supergressus.

Britanni à Barbaris occupati, desertiq; à Romanis implorant Saxones.

An. Christi 447.

Successorem regni habuit Merovæum, quem etsi nonnulli Clodionis filium velint, plerique tamen Clodionis affinem, & tutorem

An. Christi 448. Merovæus III Frã-

corum Rex. *Ado Tur. Ep. c. 5. Aimoinus. Ursberg. Trithem. Guaguinus. Tilletius. Fauchetius. Sigonius. Bucherius. Prosper Pithœi. Sigebertus. Æmilius. Petavius. Valesius. Chesneus. Rivius.*

rem filiorum tradidêre. Virum hunc domo Sicambrum, ætate maturum, bellis probatum, gens Francorum, puerile in Clodionis filio regimen aversata, sibi Regem delegit. Ita Regni novi nondum satis confirmati explicatique poscebant exordia: nondum Salicâ etiam lege (si quid tamen de hac re præscriptum) robur obtinente, ne quis alius quàm ex propinquo demortui Regis sanguine succedat. Duo siquidem Clodionis filij præteriti, quos Priscus eorum temporum scriptor prodidit. Et hi cum ab excessu patris de regno contenderent, alter, isque natu major, ad Attilam Regem imploratum auxilia confugit; alter Romam se ad Valentinianum Imp. & Aëtium contulit; à quibus honorificè exceptus, admissusque in societatem populi Romani, cum muneribus remittitur ad Francos suos. Fassus ipse Priscus historicus, à se visum hunc adolescentem Romæ in legatione suâ nondum lanugine vestitum, flava coma, capillisque supra humerum defluentibus. Quibus autem fatis jactati sint regij juvenes, utrumne in paternâ trans Rhenum hereditate consederint, an ceteris bellis consumpti, parum sanè ex illâ sæculi caligine est compertum, præter ea, quæ de altero filiorum mox referemus; perinde ut non satis cognitum, quis ille Sigismerus per hæc tempora Francorum Regis filius ad Vahalim imperitans, cui, Sidonio scribente, Euricus Visogothorum Rex filiam suam nuptui dedit. Vidit eum Sidonius flavo capillo, ore rubicundo, corpore candido, coccino serico auroque cultum, insigni regulorum ac sociorum comitatu Burdigalam intrantem. Merovæus certè magno omnium procerum populique plausu exceptus, armis exinde Clodionis gloriam exæquavit, regno etiam in filium posterosque transmisso, qui exinde Merovingi ac primæ stirpis reges appellati.

Clodionis filij præteriti in successione incertâ fortunâ jactantur.

An. Christi 449. Saxones in Angliâ evocati novi istic regni auspicia capiunt.

Insequens annus ab ortu Christi quadragesimus nonus supra quadringentesimum Saxonum non minus quàm Francorum nomen celebre fecit. Nam, quo tempore Franci in Gallijs, Saxones in Britanniâ regni sui fundamenta jacere cœperunt, mira profectò Numinis providentia. Quas enim barbaras harum regionum gentes vindicta divina evocavit flagella Romanorum, has eadem post miseratio Numinis fecit Christianorum seminaria, & Christianæ religionis propugnacula. Certi hujus narrationis auctores Prosper, Sigebertus, Beda, Polydorus Virgilius, ceterique, quamvis in anno expeditionis dispares. Prosper ad annum Theodosij II. Imperatoris XVIII. qui Christi est CCCCXXV. *Britanniæ*, inquit, *usque ad hoc tempus variis cladibus eventibusque laceratæ in ditionem Saxonum rediguntur.* Sigebertus hanc Saxonum profectionem ad annum Christi CCCCXXXI adscribit, Marianus Scotus ad annum CCCCLIII. Bucherius ad annum 428. At Beda ceterique, præter Camdenum Anglicarum rerum scriptorem, hunc, quem ingredimur, annum nobis consignârunt,

runt, eóque Sigonius, Calvisius, Gordonus, Pontanus, Alfordus alijque se retulêre. Igitur cùm Britannia haud secus quàm Gallia per corruptos populi ac cleri mores, uti hæc Gildas sapiens, gente Britannus, haud secus quàm Salvianus de Gallis deplorat, ruinæ suæ prælusisset, jamque Pictorum Scotorumque incursionibus ac prævalentibus armis in extremum periculum venisset, Vertigernus Britannorum Rex, quòd nulla à Romanis auxilia sperari possent, ad Saxones Germaniæque populos confugit, barbaros adversus barbaros implorando. Jam à Diocletiano Cæsare hæc gens nota erat, ex quo Galliæ Britanniæque littora infestis toties classibus obsederat, & in utrumque etiam regnum penetrârat. Missi per mare legati, qui auxiliares copias peterent. Prompti ad ea Saxones Hengisto & Horso ducibus tribus longis navibus ac myoparonibus milite subsidiario impletis advolant; quos appulsos benignè excepit Vertigernus. Horum armis adjutus Vertigernus Pictos & Scotos aggreditur, & insigni victoria potitus è Britanniæ finibus eijcit. Victores inde Saxones Rex non modò liberali stipendio remuneratur, sed intra Regnum hospites recipit, assignatis in Cantia sedibus; haud alio consilio, quàm ut auxiliarem hanc manum adversus Pictos & Scotos expeditam haberet. Nec minus capti ubertate Regni Saxones, pedem & domicilia figunt. Mox & Hengistus consilia de stabiliendo regno inter suos habere cœpit; eò præmunire Cantium, animare populares, evocare ex Saxonia gentis suæ auxiliares copias. Atque illi ubi felicem belli successum, & soli fertilitatem accepêre, alij post alios sedecim navibus advecti, validum complevêre exercitum, non improbante Vertigerno; quanquam diverso Vertigernus et Hengistus consilio hæc agerent, ille ut se adversus Pictos & Scotos defenderet, hic ut regni sedem stabiliret. Transportata simul in Britanniam Rowena Hengisti filia, insigni pulchritudine virgo, quæ ubi Vertigerno oblata est, captus amore virginis Rex, eam in matrimonium assumpsit. Novum hoc vinculum erat ad Saxoniæ & Britanniæ gentem conjungendam. Hoc successu aucti animatique, ipsis Britannis se formidabiles objecêre. Inde erigere animos, causari stipendia non integrè persolvi, quærere alias ex alijs belli causas; ob quæ Rex ipse Vertigernus in odium suorum adductus. Postremò bellum internum pro externo exarsit, quo Horsus perijt. At victores Saxones ijsdem sensim armis, quibus Pictos & Scotos exegerant, ipsos Britannos subegêre. Nondum duo sæcula sese evolverant, cùm jam septem florentissima Britanniæ regna sui juris fecerant, implêrantque Germanicæ gentis suæ sobole: Adhæsere inde mores & lingua Saxonica ad Pipini usque regis tempora; quo à parentibus majoribusque hausto commercio, D. Willibrordus, Suibertus, ceterique Apostolici viri legem Christi populares suos postliminio docuerunt.

Origo trium populorum Saxonũ Anglorum & Vitarum inquisita.

Sed nunc gentium harum origines, à quibus Britannica hæc expeditio facta est, exploremus. Beda in tres populos distinxit: *Advenerant*, inquit, *de tribus Germaniæ populis fortioribus, id est, Saxonibus, Anglis et Vitis*, quos alij rectiùs Jutas scribunt. A Jutis Vitisve orti Cantuarij, qui & Vectæ insulam incoluerunt; à Saxonibus Orientales & Mediterranei Angli, Mercij videlicet & Northumbrij. Addit Beda veterem Anglorum provinciam in Germania sitam fuisse inter Vitas & Saxones, ubi & Ethelwerdus Saxo priscos Anglos collocat ad Sleswicum Holsatiæ oppidum; quanquam alij ad Albis superiores ripas protendant: ut jam Beda suo situs ordine singulos descripserit; primùm Saxones, quorum sedes ad Visurgis ostia: tum medios in Holsatiâ atque Albis ripis Anglos: postremùm Jutas in extrema Chersoneso Cimbriæ; in quorum societatem se vicini populi, ac comprimis Frisij ac maritimi conjunxerunt rei navalis peritissimi. Quanquam princeps & vulgatissimum nomen Saxonum; qui jam dudum antè Bataviam, Galliam & Britanniam classibus suis infestam infessamque habuêre. Nec desunt, qui Anglos, Jutas, & Warnos uno Saxonum nomine comprehendant. Crantzius, abductus similitudine nominis, Anglos hosce Angros & Angrivarios interpretatur; quanquam non abnuerim hosce populos se Saxonibus in hanc expeditionem junxisse; uti Hereferdiam Angliæ nonnulli ab Herefordia Angrivariæ nomen traxisse opinantur; quod & Vectæ insulæ attribuit Crantzius, tanquam à Vechta Embslandiæ oppido nomen sortita, cùm jam ante Vecta Britanniæ insula à Ptolomæo sit prodita; verùm cùm Hengisti & Horsi fratrum parens memoretur à Beda Vuetgistus, avus verò horum Vecta; haud levis Crantzij conjectura, potuisse hinc simile nomen importari in Britanniam; bellicosa enim per Embslandiam olim gens, monumenta ejus vel sola turris bellica in Vechtæ oppido, vetustum & grandi mole opus, gentilium manibus structum, monstrat: nihil spectabilius illa pars Westfaliæ exhibet inter antiquitatis vestigia; mensus aliquando muros, viginti pedum latitudinem deprehendi. Ac fortè hæc ipsa regio est, quam Beda ab hac expeditione incultam desertamque scripsit, postquam sterile Embslandiæ solum, degustata Britanniæ dulcedine, cum fertiliore solo commutare concessum fuit. Frisones certè in hanc transmarini belli societatem venisse, testis est Emmius, qui ex procopij libro 4 de bello Gothico hæc adducit: *Britanniam insulam tres numerosissimæ gentes incolunt, quarum unicuique suus Rex imperat: nominantur hæ gentes Angili, Frisones, et qui cum insula cognatum nomen habent, Britones.*

Lib. 3. Rer. Fris.

Hic ego non prætermiserim, quod multi requirunt, cur devicta Britannia non à Saxonibus sed Anglis nomen servet, ut Anglia dicatur? Princeps enim hujus expeditionis populus Saxones, ceteri velut adjuto-

adjutores & socij. Imo ob id Britannia supra trecentos annos transmarina Saxonia appellata fuit, seróque Angliæ nomen cum Egberto Rege post annum Christ 800. invaluit; seu id fortuitò factum, ut multa sunt hujusmodi; seu tum Anglorum arma prævaluerint, incertum habeo. Sœpe uterque populus pro uno habitus, quando à Beda nunc AngloSaxones, nunc Saxones Angli appellantur. Gilda verò, qui hæc ante Bedam tradidit, Saxones, Paulus Diaconus Anglorum sive Saxonum gentem vocat. Id exploratius, Ethelwerdi prisci scriptoris judicio, omnem illum tractum Septentrionis, qui ab Rheni, Amasis & Visurgis ostijs ad utramque Albis ripam in Daniam usque porrigitur, Saxonici populi ac nominis fuisse, adeoque Frisiorum, Marsorum, Tubantium, Chaucorum, Angrorum & Bructerorum nomen in Saxonicam societatem coaluisse. Quantum exinde Franci per Galliam novi regni fines protulerunt, tantum Saxones simul per Britanniam & inferiorem Germaniam sese diffudêre; progressique à maritimis locis ad mediterranea sensim provincias intra Albim, Visurgim & Rhenum in suam Rempul. & nomen traxere: & quæ vetus olim Francia fuit, cessit orienti Saxoniæ. Utrumque certè regnum, Francicum per Galliam, & Saxonicum atque Anglicum per Britanniam magno Christianæ religionis bono per hæc simul tempora assurgere cœpit, dum uterque populus, Franci in Gallia, & Saxones in Anglia Christi religionem reciperent, atque illi armis, hi submissis Apostolicis viris Chrsti fidem ac legem in Saxoniam & inferiorem Germaniam popularibus suis inferrent. Quo equidem arcano Numinis consilio nihil admirabilius, nihil dispensatione divina per hæc tempora salubrius actum recognosco, ut quam Christi religionem utraque gens primum acerbè presserat, eandem post Christianorum consuetudine susceptam acerrimè propugnaret; interque hos viri essent Apostolici, memores, ijs se primam religionis lucem debere, à quibus majores ipsorum vitæ luciscque usuram accepissent.

Paulus Diaconus l. 4.

* Hæc in Britannia novo Barbarorum motu agebantur, cùm ipsum Imperium Theodosij Orientis Imperatoris morte conturbatum, succedente Marciano, Cæsarum integerrimo. Quâ tempestate simul Attila Hunnorum Rex, furiosâ irruptione, totum Occidentis Imperium concussit. Innumerabilem ille post devastatam Thraciam, Mœsiam & Pannoniam trahebat barbarorum hominum ex Scythiâ multitudinem, cui se conjunxêre Ardaricus Gepidarum Rex, Valamirus, Theodomirus & Vindemirus, Ostrogothorum duces ac fratres; attractæque bellicosæ gentes Sarmatæ, Geloni, Neuri, Rugi, Bastarnæ. Stabat tota Germania ad hanc expeditionem arrecta. Præter superbum Regis animum invitârant Attilam, Genfericus Wandalorum Rex, & Clodionis filius natu major, ut Priscus

* Anno Christi 450. *Prosper Jornandes de rebus Gothicis. Paulus Diaconus. Sidonius car. 7. Greg. Tur. lib. 2. Idacius.* Attila Hunnorũ Rex cum ingenti barbarorum multitudine primò in Italiam, deinde in Germaniam irrumpit.

cus scriptor retulit, hic ut Regnum Franciæ sibi assereret ope Romanorum, à quo per Merovæum dejectus erat; ille ut adversus Theodoricum Visogothorum Regem sè præmuniret. Igitur Attila, relictâ Italiâ, per Germaniam rigente hyeme ad Rhenum castra promovit, haud alio simul consilio, quàm ut ex itinere Germaniæ populos ad arma raperet. Nec defuit successus consilio, alios spe opulentissimæ prædæ, alios odio Romani nominis accendit, pleroſque terrore attraxit, commemorando cladem Francorum, quam olim à Wandalis passi essent, dum frustra eos transitu prohibere ausi erant. Quibus haud ægre permoti, Quadi, Marcomanni, Heruli, Turcelingi, Burgundiones, Thuringi, Bructeri, ac demum etiam Saxones, ipsique trans Rhenum Franci, Attilæ sesè in societatem belli dedere. Barbaras hasce gentes percenset Sidonius:

Carm. 7. V. 319.

Subito cùm rupta tumultu
Barbaries totas in se transfuderat Arctos
Galliæ: Pugnacem Rugum, comitante Gelono,
Gepida trux sequitur. Scotum Burgundio cogit,
Chunum Bellonotus, Neurus, Bastarna, Thoringus,
Bructerus; ulvosa quem vel Nicer abluit unda,
Prorumpit Francus.

Non alij hi Franci ad Nicrum, quàm vel Catti, qui jam eò à Vandalorum irruptione penetrârant: vel quos Clodionis filius à Visurgi ad hæc loca attraxerat, Attilæ progressus obviam. Adeo hic Sidonij versus nihil juvat illos, qui ex eo nativas Francorum sedes in Franconiâ quærunt, quæ ne tum quidem regio ex hoc nomine cognita fuit.

An. Christi 451. Ceterum cum tam immani hominum turba (quam Jornandes & Sigebertus quingentorum, alij septingentorum millium, accessu videlicet Germanorum, censuerunt) perlatus est ad Rhenum Attila, lignis ex Herciniâ desectis comportatisque, quibus naves ad trajectum fluminis conficerent, ut Sidonius hæc cecinit:

Cecidit citò secta bipenni
Hercinia in lintres, et Rhenum texuit alno.
Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
In campos se Belga tuos.

Hunni transito Rheno fœdam vastitatē Germaniæ inferunt. Non uno in loco, sed diversis tanta Barbarorum multitudo trajecta. Attila creditus Moguntiæ transisse flumen: pars supra Moguntiam, pars infra etiam superasse Rhenum, perveniſseque Bonnam & Coloniam; quod ijs maximè visum, qui cum Sigeberto, Sigonio & Browero cædem Ursulanarum virginum ad hæc tempora referunt. Transito Rheno, vastatæ proximæ civitates, Argentoratum, Nemetes, Vangiones, Moguntia, Antenacum, Divodurum, Mediomatricum urbs, quæ ab Hunnis incensa; nec locus flammis intactus, præter ædem D. Stephani, mansit. Hìc verò, cùm nullus scriptorum veterum,

terum, quos tamen ætas illa multos habuit, ex hac Hunnicâ clade Agrippinæ meminerit (quam non dissimulassent in hac memorabili XI. millium virginum laniena) malunt hæc ad superiora tempora referri : nec Francos, qui tum armis pares Hunnis & formidabiles erant, verisimile est, hanc Barbarorum in suas provincias irruptionem pati voluisse. Trevirim interim ab Hunnis direptam volunt, quod quintum ejus excidium reputatur. Perlata deinde clades ad Tungros & Atrebates, quando fulminis instar, ut à Paulo Diacono relatum est, Attila Galliarum regiones pervagatus, Pannoniam ingressus est. Atque ultima hæc meta grassandi fuit, nec ultra Germaniam primam Belgicamque progressa Attilæ vastatio : intacta prope secunda Belgica Francorum metu, in qua Agrippina Metropolis semper habita fuit.

Aimoinus Sigebertus Ægidius aureæ vallis Mon.

In hac rerum perturbatione Aëtius columna Romani Imperij à Valentiniano missus in Gallias cum Italico exercitu. Is Romanum primò militem : tum Francos, Gothos, Burgundiones, Alanos, & quos populi Romani ex fœdere socios habebat, excivit in arma ad communem Galliæ hostem depellendum. Convenêre cum suo quisque exercitu Merovæus Francorum, Theodoricus Gothorum, Gundericus Burgundionum, Sangebanus Alanorum Reges. Evocati adhæc in auxilia Saxones, Litiani, Riparioli, Ripuarij nimirum intra Rhenum & Mosam, Ibriones, aliæque Celticæ ac Germanicæ gentes. Jamque par Attilæ objectus consistebat exercitus Aëtij; quo comperto, Attila desertâ Aureliâ in campos Catalaunicos secessit, ibi Aëtio copiam prælij facturus. Insequente Aëtio commissum est prælium, atq; ut verba Jornandis referam, *atrox, multiplex, immane, pertinax, cui simile nulla unquam memorat antiquitas.* Initium inter Francos & Gepidas factum, qui noctu ante congressionem publicam in se concurrêre, Franci ductore Merovæo, Gepidæ Ardarico Rege suo. Tam pertinaciter utrimque decertatum, ut eâ nocte XC. millia Gepidarum Francorumque mutuis vulneribus conciderint. Inde sub lucem decretoria cruentaque pugna est cœpta inter Aëtium & Attilam, qua CLXII. millia ex utraque acie cæsa. Occubuêre hoc prælio Theodoricus Gothorum, & Gundaricus Burgundionum Reges, Merovæo incolumi. Inclinatâ demum Hunnorum acie, victor Aëtius : Attila clade sua confusus in castra se recepit, tubis & strepitu armorum victoriam simulando. Ipse interim Attila, ceu furens leo venabulis pressus incluſusque, huc illuc discurrebat, nec prorumpere ausus, nec exitum reperiens, eò etiam desperationis adductus est, ut jam pyram ex sellis componeret, cui se vivus injiceret, flammis prius absumendus, quàm in hostium manus ludibriumque veniret. Poterat tum aut fame, aut ferro debellari Attila, ni Aëtius veritus esset, ne si Hunnos deleret, Gothi in Gallijs sustineri possent. Idem à Francis in

Aëtius jũctis sibi Francis Gothis & Burgundionibus movet in Attilam.

Jornandes de rebus Geticis.

Atrox prælium inter Aëtiũ & Attilam in Catalaunicis campis.

Attila cæsus, & Aëtij conniventia dimissus ad Rhenum se recipit.

cis in Galliâ dominantibus metus esse poterat; nam ipse etiam Ætius ad Hunnos se receperat, & Barbaros hosce impensius servabat, ut per eos, fires posceret, intra Imperium receptos, oppugnaret Romanos. Eò jam, perfidiâ ducum, Imperij res prociderant. Igitur dissoluto Romano exercitu, Attila securus ad Rhenum, unde venerat, se recepit, inde in Schytiam ad reparandas vires digressus; quem ceteræ quoque gentes per spolia Galliarum in suas quæque sedes consecutæ sunt. Quo recessu sub exitum anni, Ursulam cum cœtu Virginum, (si quid hac in re certi) trucidari oportuit, quando annua harum rerum memoria in Octobri agitur. Sed Gelenius & Crumbachius ex veterum monumentis nihil cladis Agrippinæ, præter eversam extra mœnia D. Ursulæ ædiculam docent, quod tam Francorum, quàm Hunnorum insolentiæ adscribi potest, ut vel inde confici velint, hanc virginum cædem antè factam esse, quibus per id tempus ædes sacra structa, consecrataque steterit. Interim magno numero auctores illam ad hunc annum referunt, præterque Sigebertum, Viterbiensis, Otto Frisingensis, Ursbergensis, Bonfinius, Haræus, Lippelous, Sabellicus, Sigonius, Rolevingus, Browerus, postremumque Alfordus multis id contendit. Ac cùm cetera omnia, quæcunque allata sunt, non multum supra conjecturas evincant; hæc tertia demum sententia pondere auctoritatis prævaluere visa est; serò enim hæc Anglorum peregrinatio sacra ad urbem Romanam invalescere visa, ac non nisi cum jam Christi religio libera fuit, & Britannia Christianorum multitudine & pietate abundaret. Eò Paulus Warnefridus: *His temporibus multi Anglorum gentis nobiles et ignobiles, viri et fœminæ, duces et primates divini amoris instinctu Romam venire consueverunt.* Id ille de Pipini ducis ævo retulit. Ac nihil in hac memorabili virginum cæde magis demirandum, quàm altum apud ceteros scriptores silentium.

D. Ursulæ cædes.

Quo exinde rerum eventu Clodionis filij transegerint, obscurum reliquit vetustas. Merovæus certè hac fidâ in Romanos ope victoriâque clarus magnopere sibi Aëtium & Valentinianum Imp. devinxit; quo consecutus est, ut non minus quàm Gothi & Burgundiones imperatoriâ auctoritate Regnum Francicum per occupatas provincias confirmaret: Quanquam ea post tempora inciderint, ut de amplificando magis Regno, quàm stabiliendo, Franci consilia inierint. Quippe Attila, qui flagellum Dei se ferebat, instaurato exercitu, altero post anno in Italiam irrupit, cepitque Aquilejam, propugnaculum Imperij: inde victor progressus, Veronam, Mantuam, Mediolanum, Ticinum, Cremonam, Brixiam, Bergomum, & quidquid inter Apenninum & Alpes interjectum, furialibus armis subegit: Aëtio nunc à tergo, nunc à latere hærente, nec ausо summam rei prælio experiri. Jamque Romæ imminebat expugnandæ, cùm

Merovæi Regnum Francicũ firmat. An. 452.

Attila reparatis Viribus irruit in Italiam.

Marcell. in Chron. Cassiod. in Chron. Auctor Missellæ hist. Prosper in Chron. Sirmondus in notis, Chron. Andreæ Dandali.

Leonis

Leonis Pontificis congressu placatus, territusque oblata interminantis senis specie ad Danubium se cum exercitu reflexit; nec multum superstes in suâ Scythia, victus vino in nuptiali convivio, sanguineque in fauces delapso, stertens animam evomuit. Quo momento simul Marciano Orientis Imperatori ostensus Attilæ arcus confractus. Regnum suum Attila Sexaginta filijs discerpendum reliquit. At non inde quies per Occidentis Imperium, quod internis dissidijs multò calamitosius fœdatum; submotisque Hunnis, Aëtius in suspicionem affectatæ Galliæ adductus, evocatur in palatium, & jubente Valentiniano Imperatore trucidatur. Subrogatus in ejus locum Ricimer patricius, homo Arianus, natus patre Suevo, matre Gotha, in exitium Imperij. Altero mox anno ipse Valentinianus Imp. in campo Martio ab Aëtij satellitibus confossus. Ab horum interitu Imperium simul raptum à potentioribus, simul discerptum à Barbaris. Neque ab eo tempore Imperij majestas ante Carolum M. reddita. Nam qui à Valentiniano consecuti sunt Cæsares ad Augustulum aut tyranni, aut umbræ Cæsarum fuêre; nec ultra Italiam multum vires porrexêre.

An. 453.

An. 454.

An. 455. Aetij cædes.

Valentiniani Imp. cædes, inde Imperij ũbra in reliquis.

Posteaquam Valentiniani Imp. cædes perlata in Germaniam, tres illico ferocissimi populi, Saxones, Franci & Alemanni, veluti fræno Aëtij & Cæsaris laxati, prorupêre in Gallias ad Regni illius spolium dividendum. Saxones qui Frisiam, Bataviam, atque eam, quæ post Hollandia est dicta, in provincias magnam partem insederant, totum illud Armoricæ & Occidentalis Galliæ latus occupaverunt. Hoc nimirum illud Sidonij:

Quin et Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle salum sulcare Britannum
Ludus, et assuto glaucum mare findere limbo:
Francus Germanum primum, Belgamque secundum
Sternebat; Rhenumque ferox Alemanne bibebas,
Romanis ripis, et utroque superbus in agro
Vel civis vel victor eras.

Saxones ab obitu Valentiniani occidentalis Galliæ latus occupant, Frãci Germaniam primam & Belgicam secundam. *Paneg. Avitu.*

Qui ex Francis primùm Germaniam incursabant Chatti erant, quibuscum pòst ab Avito pactum memorat Sidonius. Nam quo tempore Clodio cum Francis inferioribus, Sicambris, Bructeris, Chamavis, Marsis, Angrivarijs Galliam ingressus, Chatti Germaniam primam irrupêre. Quos autem Sidonius hac irruptione in Belgicam secundam se super infudisse perhibet, haud alij quàm Franci inferiores fuerint, quos Merovæus Aetij & Valentiniani metu solutus, inflammatusque cupidine proferendi regni traxit. Hic ille rupto cum Romanis fœdere, ex Germania secunda in inferiorem Galliam prorupit; tum ea, quæ à Clodione parta erant, in firmam possessionem venerunt. Quibus cognitis, Maximus Imperator, qui per vim Im-

perium simulque Eudoxiam Valentiniani Augustam adeptus erat, Avitum gente Avernum, ac paulò ante utriusque militiæ à se præfectum creatum misit in Gallias, adversus Barbarorum incursus retundendos. Ille cum tot hostibus se imparem conspiceret, ad pacis artes conversus, transegit cum Saxonibus & Alemannis; id quod ceteris scriptoribus silentibus Sidonius tradidit:

Legas qui veniam poscant Alemanne furori.
Saxonis incursus cessat; Chattumque palustri
Alligat Albis aqua: vix hoc ter menstrua totum
Luna videt.

Non in has pacis leges se Merovæus adduci passus, majora victor spirabat: hostem quàm amicum se ferre maluit Romanis. Inter hæc Avitus Treviros intravit, antè luxu fractus, quàm armis. Nam dum illic libidine grassatur, inter ceteras matronas à se corruptas, Lucij quoque Treverici senatoris eleganti forma conjugem, specie morbi ac solatij ad se allectam, stupro fœdavit. Lucius doloris & injuriæ impatiens, Francis circumpositis urbem prodit, unáque cum Treviri exactis Romanis jus Mosellæ Francis cessit. Magnopere id perculit Avitum; cui mox aliud accessit vulnus, ex nuncio ferente, urbem Romam à Genserico Wandalorum Rege, quem Eudoxia evocârat, captam: ac Maximum Imperatorem suum à Romanis civibus membratim discerptum perijsse. Sed ex casu Maximi assurrexit Avitus; Quippe Theodorici Gothorum Regis, & Galliarum procerum favore Arelate Augustus renunciatus. Compositisque Galliæ rebus, Ægidium hominem Romanum in tutelam Galliarum magistrum militiæ dicit adversus Francos. Inde in Italiam à Gothis & Gallico exercitu deductus est ad capessendum Imperium; Ubi cùm Ricimerem sibi adversum haberet, ejus perfidia ac vi coactus est se Imperio exuere; ac ne ex tanto gradu dejectus contemptui haberetur, Placentinus Episcopus consecrari voluit, securior sacra toga quàm militari sago futurus. Inter hos fluctus corruentis Imperij, Majoranus ingentis animi Princeps, Zenonis Orientis Imperatoris voluntate, Ravennæ imperium sumpsit. Romæ Ricimer dominatum sibi asserit, Ægidio Galliarum præfecturam retinente. Nihil per hæc turbamenta opportunius Francis ad regnum suum firmandum. Merovæo cumprimis fortissimo Regum, quem ob id nimis utilem Francis fuisse, memorant Francorum annales; Quippe qui amplificandi regni studio Galliæ Regnum in Franciæ convertit. Reperies enim auctores, qui urbes ad Rhenum positas, Moguntiam, Argentinam, Spiram & Wormatiam à Merovæo occupatas velint: Belgicam deinde secundam, in qua Atrebates, Cameracenses, Ambiani, Rhemenses & Catalauni, armis subactam, atque ipsam Lutetiam expugnatam urbem, primamque Regni sedem in eâ à Merovæo collo-

Avitus ex Imperatore Episcopus consecrari voluit. An. 456.

An. 457. *Jornandes de bel. Goth. Cassiodorus. Marcell. Idatius. Paulus Diaconus l. 16. Fasti apud Onuph. Sigebertus. Valesius. Petavius. Bucherius. Bussieres.*

collocatam (Quanquam alij id Childerico filio successori adscribant) Rex certè Merovæus non tam armis quàm justitia & mansuetudine clarus, qui miro temperamento Gallos & Francos in unum regni corpus composuit : barbarus licet gente, in Christianos tamen benignus, qui Genovefam virginem Parisijs versantem, & per id tempus sanctitate percelebrem non modò beneficijs, sed honoribus prosecutus est: Adeo Francorum barbaries consuetudine Christianorum & veneratione sacrorum præsulum mitescere cœpit. Quantum Ariani Wandali in Africâ, Gothi in Hispania sævierunt in Catholicos, tantum Franci remisêre in Gallia; quo constaret hæreticorum malignitatem omnem etiam barbariem superare. Merovæus anno demum regni octavo, vel ut alij veriùs maluerunt, decimo, excessit è vita.

Regnum paternum excepit Childericus filius, una omnium procerum acclamatione, ob præclara parentis merita & præclaram juvenis indolem, Rex salutatus. At novum Franciæ Regnum, quod hactenus tantâ bellorum mole assurrexerat, hoc Rege prope concidisset; Childericus enim postquam sceptro admotus Regnum in otio pacis obtinuit, cœpit totum se voluptatibus & impuris libidinibus dare; secus quàm majorum virtus, aut prisca Germanorum castitas, aut severa Francorum disciplina ferre posset. Ac postquam nullo discrimine matronarum virginumque & nobilium conjugum pudicitiam ausus palam prostituere, gentem in se suam concitavit, subitâ defectione oppressus, palatioque inclusus; Certum erat proceribus juveni necem inferre; At ceteris aulicis metu dilapsis, solus * Vidomarus Regi in paucis fidus, periculo exemit; is enim auctor illi fuit, ut mutato habitu in fugam se daret : & quia spem certam reditus dabat perse conficiendi, aureum quem manu tenebat nummum bifariam secans, partem Childerico dat, partem sibi retinet, signum reditus aliquando significandi. Ita Childericus dimisso Regno ad Bissinum Thuringiæ regem profugit, apud quem aliquot annis in exilio delituit.

An. 458. &c. Childericus IIII Francorũ Rex.

* al. Wiomadus.

Franci interea Ægidio, de quo supra relatum, Galliarum præfecto se submittunt, & Regis loco habent, capti viri æquitate & moderatione imperandi. Hoc duce se per novum fœdus Romanis permittunt, qui & Agrippinam ingressus fertur, seu ultro deditam à Francis, seu fiduciario beneficio Romanis adhuc parentem. Pòst ubi Ægidius cum Majoriano Imperatore bello Wandalico occupatus, securior Francis quies fuit. Ipsi interim Franci urbes & provincias, quas in solo Gallico tenebant, per duces & præfectos suos, veteri tantisper Reipubl. forma sine certo rege administrabant, donec per Ricimeris scelus, Majorianus Imp. occisus, & Ægidius mortem sui Imperatoris ulturus, civile bellum commovit. Ad id quia exhausto

An. Christi 462.

Aimoinus lib. 1. c. 7. Epit. Franc. 2. c. 11.

Galliarum ærario magnis impensis opus erat, Francis etiam tributum imposuit, præscriptis in singula capita primùm singulis, pòst ternis nummis. Grave id erat liberæ genti, quæ aut stipendia, aut tributa à Romanis exigere consuêrat. At nihil Vidomaro opportunius, jam dudum intento ad revocandum Childericum: Ille per eam occasionem inflammato Francorum odio in Romanos, gentis suæ libertatem exaggerare, tributariam servitutem exprobrare, & consilia revocandi Regis exponere; quibus facile adducti Franci Childericum repetunt. Is accepto à Vidomaro nummi symbolo se Francis reddidit. Ac postquam receptus in solium, nihil antiquius habuit, quàm Ægidium bello aggredi, quem mox *junctis cum Vidomaro viribus acie superatum regno decedere compulit.* Ægidius non una sed varijs cladibus attritus, Suessione urbe munita, quam hactenus sedem belli delegerat, se inclusit; quâ in urbe pòst, mucrone incertum an veneno, absumptus. Suppresso hoc fortissimo Romanorum per Galliam duce, Francis omnia per utramque Belgicam cessere in prædam, recepta Agrippina, eique Sigebertus, Cameraci ac Nervijs Ragnacharius Childerici consanguinei impositi sunt reguli; alia loca urbesque alij Francicæ gentis præfecti insederunt. Sunt auctores, qui hoc Rege provincias, quas posteritas, Brabantiam, Flandriam, Artesiam, Picardiam, Hannoniam, Namurcum, Luxenburgium, Juliam, Geldriam, & Lotharingiam dixit, unà cum Ubijs & Treviris in potestatem Francorum venisse scribant, ipsamque adeo Parisiensem urbem longâ & molestâ obsidione à Childerico expugnatam. Quid enim hac tempestate Gothorum & Francorum per Galliam spolijs non patuit? postquam Severus Cæsar Majoriani successor, ac mox etiam Anthemius Cæsar Ricimeris dolo periêre. Adeo trium Cæsarum parricidio Ricimer turbabat omnia per Italiam. Qui inde consecuti Cæsares Olybrius, Glycerius, Julius Nepos, aut paucorum mensium, aut annorum scenam egêre, donec in Augustulo, postremo Cæsarum, anno Christi 475. exspiraret Imperium. Ita Hesperium Romanæ gentis Imperium, ut Jornandes scripsit, quod *septingentesimo nono urbis conditæ anno primus Augustorum Octavianus Augustus tenere cœpit, cum hoc Augustulo periit*, totumque cessit Barbaris in spolium. Nam sub id tempus præter cæteras Barbaras gentes Odoacer Herulorum Rex, attractis in societatem belli Germanis gentibus, Attilæ in modum, transgressus Alpes Ticinum expugnat, Italiamque invadit. Primus is, qui ex Germanis se per Italiam Romanum Regem dixit, tenuitque in decimum septimum usque annum, ad Theodoricum Gothorum & Italiæ Regem: fato quodam præsago ac præludio, tanquam ab his Germanis populis demum ad Francos, postremùm ad Saxones Romanum aliquando Imperium devolvendum esset; nam ex eo tempore Occidentis Imperium in

Greg. Turõ. lib. 2. c. 12.

Aimoin. l. 1. Epit. Franc. 2. c. 11.

Idacius in Chron.

An. 464.

Ado Vienn. Bucherius. Labbæus.

Vita S. Genovefæ.

An. Christi 465 &c

Odoacer Germanus primo qui Italiæ se Regem dixit.

regnum

regnum Italiæ transijt, manſitque Imperij majeſtas penes Orientales, cetera per Occidentem à Barbaris rapta, & in ſua regna converſa, diviſaque per ſpolium. Quæ ſanè cùm Childericus Franciq; ſub idem tempus viderent, nihil quoque illis cupidius fuit, quàm ut per hæc inteſtina Imperij mala Galliam tot ſæculis affectatam ſubigerent. Poſtremùm inde Childerici bellum cum alio Odoacre diverſo ab Italiæ Rege. Dudum is dux claſſe piraticâ Galliæ littora impune infeſtârat, captiſque inſulis quibuſdam, majora auſus, adverſo Ligere invectus Andegavos capit, magnáque per oppidum cæde editâ, Galliæ quoque ſpolium ſibi haud ſecus quàm Gothi & Franci deſtinabat. Non tulit id Childericus Francorum Rex, ac poſtridie cum exercitu ſuperveniens cæſo Paulo comite, Saxonibus tributario, Odoacrum in fugam avertit, cæditque, non multò pòſt fœdera pactus cum Odoacre duce adverſus Alanos; quam gentem eadem rurſus rapiendi cupiditas trahebat in Galliæ ſpolium. Jam Alani partem Galliæ pervaſerant, quos Childericus Odoacris viribus adjutus Galliæ finibus exturbavit. Hunc in modum rebus Francorum mirificè auctis, Childericus feliciori imperandi exitu, quàm exordio clarus anno regni XXIV. deceſſit, quocum ſimul Sigonius Ægidium Sueſſione poſtremum Romanorum ducem humanis exemptum ſcribit.

An. Chriſti 477. *Turon. l. 2. c. 19. Fredegarius Aimoinus.*

An. Chriſti 478. *Sigebertus ad an. 481.*

An. Chriſti 482. *Sigonius. Petavius. Bucherius. Miraus. Buſſieres.*

Childerico ſucceſſit Clodovæus filius, Regni Francici heres, juvenis anno ætatis decimo quinto, ſed qui pòſt à rebus geſtis cognomento Magnus fuit. Nomen varium apud varios, à Jornande Luduin, à Caſſiodoro Luduinus, hinc ab alijs Ludovicus appellatus. Primos ille annos in demerendis Francis & formando Regno poſuit; inde quinto regni anno prorumpens in arma Syagrium Aegidij magiſtri militiæ filium aggreſſus, Sueſſione & provincijs, quas Romanorum nomine adhuc tenebat, armis ejecit, profugumque Tholoſam ad Alaricum Viſogothorum Regem repopoſcit; quem deditum occidit, & quicquid Romanis adhuc parebat, Franciæ Regno adjecit. Inde quinquennio pòſt Thuringis bellum intulit. Cauſa belli haud alia, quàm quòd Thuringi ſurgenti Francorum Monarchiæ infeſti, veterem intra Albim & Rhenum Franciam dirum in modum divexarent, procurrendo in Cattos & ad Luppiam uſque; quod ſanè argumento eſt veterem Franciam adhuc hæſiſſe, partem novi partique per Galliam Francici regni, quam idcirco ab injurijs Thuringorum vindicandam ſuſcepit Clodovæus. Hinc Rhenum cum exercitu tranſmittit, prælioque congreſſus Thuringorum agros pervaſtat, victiſque annuum tributum imperat. Ducta ſub id tempus à Clodovæo in matrimonium Crothildis, Chilperici Burgundionum Regis filia; quæ cùm præter egregiam formam ſapientiâ & Chriſtianâ religione exornatâ eſſet, ſenſim barbari Regis animum ad

Clodovæus V. Francorũ Rex.

An. Chriſti 486. *Greg. Tur. l. 2. c. 27. Sigebertus. Valeſius l. 5. Sigonius.*

Clodovæi bellũ cum Thuringis.

An. Chriſti 491. *Turon. l. 2. c. 27.*

Valeſius l. 5. Sigonius.

Chriſti

Christi religionem inflectere cœpit. Sed Martia indoles non nisi Martis periculo evicta. Bellum eâ tempestate grave atque anceps motum ab Alemannis : Hi cum Belgicam utramque, Germaniæq; magnam partem à Francis jam subactam cernerent, veriti ne ipsi in idem Francorum jus servitiumq; venirent, arma primum Sigeberto Agrippinensium Regulo intulêre, transmisso Rheno, licenter Ubiorum agros depopulati. Non id ferre poterat Clodovæus, interscindi sibi novam Franciam à veteri : comperta Alemannorum audacia, cum lectissimo exercitu advolat, evocato ad se Sigeberto Agrippensium Regulo ceterisque Francorum proceribus. Postquam ad Tolpiacum celebre in Ubijs oppidum perventum est, explicatâ utrinque acie pugna conseri cœpta : Decertatum acerrimè inter ferocissimas aliquamdiu gentes; cúmque flagrante certamine peditatum Francorum cedere, ac totam mox aciem suam inclinare cerneret Clodovæus, nec ejus sustinendæ ullam rationem iniret; tum verò oculis in cœlum sublatis, lachrymabundus, Christe, inquit, potentissime Deus, si tuo beneficio victoriam de Alemannis retulero, polliceor me sacra tua, quæ hactenus respui, suscepturum. Vix in hæc vota finierat verba, cùm repente Alemanni infesto quasi fulmine percussi terga dare visi : mox pugna in fugam, fuga in cædes desijt. Cæsus inter primos Alemannorum Rex occubuit : Sigeberto pes gravi vulnere sauciatus, ex quo per omnem vitam claudicavit. Clodovæus victor transito Rheno Alemanniam ingressus, omnes eorum provincias depopulatus ferro subegit, dum supplices se Francorum imperio permitterent, multis Alemannorum in Italiam ad Theodoricum Regem profugis; quâ gentis strage magna pars regionis exhausta, Francico subinde populo impleri cœpit. Victis demum pepercit Clodovæus, monitu Theodorici Italiæ Regis, ne totam Alemannorum gentem aut exscinderet, aut sedibus exueret. Pax eâ lege concessa, ut tributarios se Francorum agnoscerent. Ita imperio Francico per Rhenum prolato, Franconia ad Mœnum, nomen primùm, ut volunt, & jugum Francicum accepit. Inde Orientalis illa primùm Francia, Austrasiæ post regno inclusa, quod Theodorico Clodovæi filio in partitionem obvenit : Regni ejus sedes Metis sumpta. Tantum nunc errant, qui veterem Franciam in Franconiâ collocant, cùm ante id tempus ne Franconiæ quidem nomen uspiam auditum. Serò tandem post debellatos à Clodoveo Alemannos hæc regio Franconiæ & Francia Orientalis descripta in provinciam & Francorum tributa, ac tota Alemannia Germaniaque superior incredibili Regni Franciæ incremento in Francorum potestatem venerunt. Clodoveus post tam insignem victoriam memor divini beneficij, nihil religiosius habuit, quàm secundum vota ad Christi religionem transire. Ex itinere Tullum digressus D. Vedastum, post Atreba-

An. Christi 496 &c.

Prælium Clodovæi ad Tolpiacũ cum Alemannis.

Velserus l. 8. Vindel. Pontanus lib. 5. c. 7.

Franconiæ nomẽ unde & quando cœperit.

Clodovæus pòst victoriam divinitus concessã ex voto Christi religionẽ amplecti cœpit.

Atrebatensem Episcopum, convenit, à quo primum fidei rudimenta est edoctus. Parisios inde festinanti occurrit Clotildis regina cum D. Remigio; horum institutione cùm plenè Christi leges didicisset, omnes Rhemos sunt profecti: Ubi cùm Clodoveus stipatus optimatum turba magnificentius ac superbius, quàm Remigius probaret, ad lavacrum baptismi accederet, Regem hic affatus: *Mitis*, inquit, *depone colla Sicamber: adora quod incendisti, incende quod adorasti.* Ad ea posito fastu, Remigius Regem fonte baptismatis abluit. Auctores sunt Hincmarus, Aimoinus & Frodoardus, oleo etiam sacro inunctum Regem non sine novo prodigio; Nam cùm is, qui ampullam ferebat, turba hominum præclusus penetrare vix posset, columba cœlitus delapsa è manu sacerdotis phialam rostro ad antistitem detulit; quanquam non desint qui Pipinum inter Francorum Reges primum inunctum velint. Illud certiore fide traditum, unà cum Rege suo tria millia Francorum salutari baptismatis aqua ablutos Christo nomen dedisse, quos inter duæ Regis sorores memorantur Albeflodis & Lenthildis; idque hoc ipso anno factum tradunt Petavius, Miræus, Valesius & Bucherius, secus quàm qui Sigebertum secuti hæc ad annum 499. referunt. Incredibile verò quanto Ecclesiæ & harum regionum bono Clodoveus Francique primùm Christi religionem susceperint; tantò etiam gentis nostræ propiore gloria, quòd Sicamber, Merovei videlicet nepos & Childeberti filius, perhibeatur à Remigio; quando Sicambrorum gentem à primâ origine ad Luppiæ fontes, ac deinde extimas ad Rhenum Westfaliæ oras incoluisse constat. Bella exinde, quæ Clodoveus Christianus admirabili felicitate gessit, prisci juxta ac nostræ ætatis scriptores prosecuti sunt. Duo ex his celebriora, Burgundicum & Gothicum, utrumque adversus Reges Ariana hæresi infectos. Burgundicum se ultro obtulit, ex quo Gundobaldus & Gondegisilus reges fratresque hostiliter inter se collisi sunt. Gondegisilus Clodovei opem imploravit, felici belli eventu; cæsus enim à Francis eorum accessu Gundobaldus. Pretium belli Clodoveo fuit, Burgundum annuo sibi tributo obnoxium feciisse, ac parte etiam regni exuisse; nam per id tempus, ut Procopius retulit, Franci adeo hominum multitudine, & belli robore abundabant, ut finitimos omnes ultro etiam armis lacesserent. Bellum subinde Gothicum est susceptum, stimulo cum primis Catholicæ religionis: Auditus enim palam aliquando dicere Clodoveus in consilio, indignum esse, atque ægre se ferre, tam nobilem Galliæ partem adhuc ab Arianis possideri; eò incitatius magno apparatu ad arma prorupit. Exciti omnes fidi Francorum proceres, interque ceteros Chlodericus Sigeberti Agrippinensis reguli filius ab Rheno à patre expeditus adfuit; ac postquam totis viribus utriusq;

Greg. Tur. l. 2. c. 30. 31. Ado Vien. in Chron. Vales. lib. 6. Bussieres in hist. Franc. Sigonius. Baronius.

Tria millia Francorũ cum Clodovæo baptizati. *Baronius & Spondanus.*

An. Christi 500. Clodovæus ex quo Christianus duo statim bella suscepit adversus. Arianos hæreticos Reges, quorum primum Burgundicum, alterum Gothicũ. *Procopius.*

An. Christi 506. Bellum Gothicũ Clodovæi.

Turon. l. 2. c. 37. Valesius lib. 6. Sigonius. Tillius in Chron. Paulus Æmilius. Bucherius. Bussieres.

utriusque gentis concursum in Vogladensi campo decimo à Pictavorum urbe milliari, cæsus est Visogothorum exercitus; quo in prælio Alaricus Visogothorum Rex occubuit, Amalarico filio in Hispaniam profugo. Internecinum id prope bellum fuit Visogothis, ex quo victor Clodoveus quidquid trans Ligerim, & Rhodanum erat cum Tolosa Francico Regno adjecit, Narbonensi tantummodo provincia relicta Theodorico Italiæ, & Ostrogothorum Regi. Nam quod à Theodorico receptas Gallias scribat Cassiodorus, & triginta Francorum millia cæsa referat Jornandes, his ceteri scriptores silentio fidem abrogasse crediti fuêre. Quanquam unus tum Theodoricus Gothorum & Italiæ Rex, Francorum potentiæ formidabilis esse potuerit.

Rerum à Clodoveo gestarum fama in Orientem perlata, Anastasius Imperator Consulem & Patricium dixit, missâque per legatum aureâ coronâ Regem salutavit, tanquam suppresso Occidentis Imperio, regna deinceps ab Imperatore Orientis capienda significaret. Et Clodoveus coronam Romam ad Lateranense templum misit donum, quo testaretur Romanæ Ecclesiæ & Catholicæ religioni regnum Franciæ atque arma sua subservitura. At sede Regni Parisijs constituta, Regnoque Franciæ hunc in modum ampliato, supra quàm ab ullo Francorum Rege factum fuerat, Clodoveus ad stabiliendam filijs monarchiam, animum belli adhuc sanguine calentem, ferocius quàm à multis probatum est, adjecit. Nihil tum in illâ fœlicitate rerum ad monarchiæ cupiditatem obstabat, quàm Reguli Francorum, qui exemptorum Principum instar suo jure partiti provincias obtinebant. De his igitur è medio tollendis consilia inijt; nec consanguinitatis, aut meritorum ratio habita. Ex his primus Sigebertus fuit Agrippinæ Regulus, senex jam & pede captus. At Sigebertus filij sui Cloderici prius, quàm Clodovei manu perijt; Promiserat quippe Cloderico Regnum & amicitiam Clodoveus, si parens vita cederet; quibus juvenis incensus, Sigebertum patrem Coloniâ egressum, & Rheno trajecto per Buchoniam silvam fugientem ad Cattos Thuringosve, dum meridie in tentorio fessus recubat, immissis satellitibus interficit, ac mox Clodoveum de morte patris edocet, simulque patris thesauros Regi offert: missi ob id è vestigio ministri à Clodoveo, qui thesauros capiant; quos dum Clodericus corpore inclinatus monstrat, caput ei à cervice resecatur, dignâ parricidij pœnâ. Nec multò pòst Clodoveus Agrippinam advolat, ac scelerum horum sè insciam insontemque testatus, persuadet Agrippinensibus, ut ad se suumque patrocinium transeant; ac mox clypeis militum impositus, Agrippinensium Rex salutatur. Ita omnis Ripuaria regio, quantum tum intra Rhenum & Mosam, quantumque trans

Clodovei studium erga Romanam sedem.

An. Christi 509.

Clodoveo Monarchiam firmat regulis Frãciæ occisis.

Regnandi cupiditate filius occidit Patrem.

Clodoveo Coloniã Agrippinam sui juris facit.

Ripuaria Regio.

trans Rhenum per veterem Franciam se porrigebat, Clodovei imperio se permisit.

Hactenus junctis adhuc viribus, unáque bellorum & populorum consortione tam ulteriores quàm citeriores Franci arma adversus Romanos ceteroſque hostes gerebant; nec arborem abscindendam, & Franciam veterem à novâ sejungendam censebant; donec Saxonum armis inter Rhenum & Visurgim prævalentibus, magna pars populi, ex quo Franci Galli Christi religionem suscepêre, sunt avulsi. Qui tamen proximam Rheni ripam incoluêre, ulteriores que Ripuarij dicebantur, in potestate Francorum retenti; ut non alienam scribendi materiam sequamur, si hæc Francorum bella Westfaliæ simul adscribamus. Agrippina etsi in Francici regni corpus transierit, diu tamen pòst Italici adhuc juris urbs Justiniano Imp. appellata est; tanquam formam veteris Reipublicæ immunis à tributis servaret. Sublato Sigeberto, Clodoveus ceteros quoque Regulos aggressus, Chararicum & filium ejus sacris adscripsit; ac pater presbyter, filius Diaconus initiatus. Pòst ubi de injuria questi, ac filius vindictam etiam ostentare ausus, monstrasseque patri comam brevi instar strictæ arboris repullulaturam auditus, utrumque capite plecti jussit. Ambiani utrumque imperasse, sunt qui tradunt. Inde Clodoveus adversus Ragnacharium Cameraci Regulum poccssit, hominem libidine perditum: submissisque proditoribus, renunciare jubet, hostem adventare; quo dolo extractus in campum Ragnacharius, comprehensusque unà cum Richario fratre, jubente Clodoveo gladio percussus est. Accessit mox Ricimer tertius frater, Cenomannorum Regulus, tertia cædis victima. Hunc in modum in alios quoque Regulos, ad firmandam monarchiam, à quibus sibi metuere poterat, grassatus fertur, opibus ac thesauris in fiscum adactis; quâ recti factorumque ratione silet Turonensis, id unum adferens, Clodoveum integrâ mente id fecisse, ad regni stabilimentum: seu præterea conspirationi obnoxios, seu Christianæ religioni adversos deprehenderit, nemo satis prodidit. Quanqum Valesio & alijs non satis hæc probata. Magnis post hæc incrementis Christiana religio per Franciam propagata: redditi Episcopi suis sedibus, & per D. Remigium innumera Francorum multitudo fonte baptismatis abluta. Nec multum his superstes Clodoveus, anno regni xxx. mortalitatem implevit: fato satis præpropero; tanquam in pœnam tot cædium, vindicta etiam in posteros transmissa, quos exinde Francia toties de regno digladiantes vidit.

An. Christi 511. Clodovei mors. *Valesius l. 6.*

Hactenus à Pharamundo ad Clodovei monarchiam res Francicas aliquanto prolixius sumus prosecuti, quàm instituta narratio poscere visa. At si ipsis Francis, si Belgis, ceterisque, quorum regna & provincias Franci occupârunt, hæc non aliena sunt; tum verò

comprimis interest gloriæ Westfalorum (ex quorum regionibus & populis Francos prodijsse monstravimus) à quibus perrupto Rheni limite exacti Romani, subacta Germania utraque cum utrâque Belgica, debellata Gallia, & monarchia hæc condita est. Nunc pressius aliquanto Francicam historiam, quam innumeri scriptores dedêre, scribere est animus, & ad nostra propius narrationem reprimere. Nec enim Francicam historiam scribimus, sed Francos ex veteri Francia in novum Franciæ regnum abs se conditum introduximus, eóque etiam restringendæ narrationis, redeundique ad Rheni ripas, ac in Westfaliam nobis æqua magis causa est; quòd post susceptam à Francis nostris Christianm religionem, ceteri transRhenum Franci, Angrivarij, Marsi, Chamavi, Bructeri, Catti, Chauci, Tubantes, odio religionis & Christianorum Francorum, sensim à societate Francica ad Saxones transierint, & veteri forma sine rege suam Rempublicam coluerint, tam libertatis quàm superstitionis suæ amantes retinentesque, quam & tanta pertinacia ad Caroli M. usque imperium propugnârunt: mixtique eorum populorum connubijs, nativam quoque soli sui, diversamque belli sobolem procreârunt, ut ob hæc diversa quoque gens cultu religionis & indole, novi & veteres Franci esse cœperint, dum veteres demum Franci divulsi ab alijs in Saxonum nomen & belli societatem transierunt. Atq; hæc à Clodoveo primùm rege cœpta, postquam is totam Europam monarchiæ studio complexus, transmisso Rheno Thuringos primùm, deinde Alemannos bello victos Franciæ regno tributarios fecit, Regulis quoque gentis suæ sublatis; ut jam gentes intra Rhenum & Visurgim eundem à Francis quem à Romanis dominatum ac servitutem sibi metuerent.

Greg. Turõ. Agathias l. 1. hist.

Clodovei Regnum Franciæ quadripartitò in quatuor filios divisit.

Theodoricus I. Austrasiæ Rex.

Gallia universim post in Neustriã, & Austrasiam divisa.

Post excessum Clodovei Regnum Franciæ quadripartito in quatuor hæredes filios divisum est: Theodorico, quem ex concubina susceperat, Mediomatrices, Childeberto Lutetia Parisiorum, Clotario Suessio, Clodomiro Aurelia obvenêre, regesque omnes appellati sunt. Nec illa civitatum tantùm nomina, sed amplissimæ cum ijs provinciæ regnaque. Adeo jam monarchia illa cum quarto rege excreverat. Quanquam amplissimum inter filios Austrasiæ regnum obvenerit Theodorico, viro bellicoso, & multis ex prælijs Patri magis probato. Cæterum Franci universim pòst Galliam omnem à Clodoveo subactam bipartito secuêre, eamque partem, quæ Occasum Solis aspicit, Neustriam sive Westriam dixere; Occiduumque illud fuit regnum, quo regiones complexi sunt inter Scaldim, Sequanam & Ligerim. Ejus regni Metropolis Lutetia Parisiorum. Quæ verò Galliæ pars in Orientem vergebat secundum Rhenum fluvium, modò Austrasia, modò Austria, modò Ost Francia, modò Francia Orientalis dicta est. Austrasia hæc à meridie Burgundiæ,

ad

ad Septentrionem mari, ab Occasu Scaldi, ab Ortu Rheno contermina : ultraque ad Rhenum per veterem etiam Franciam & Westfaliam diffusa. Jam & Thuringia & Alemannia tributariæ, regnoq; illi accenseri cœperunt; tametsi, ut Browerus est auctor, qui Austrasiam nobis explicatè descripsit, variante temporum & successorum sorte Regni hujus limites jam angustius contracti, jam sparsi in lonquinqua fusius, exordio suo vacillârint. Quemadmodum & Aimoinus in designandâ Austrasiâ restrictior, illam inter Mosam & Rhenum statuit, quæ Ripuaria fuit, nobilissima Austrasiæ pars, & in alteram Rheni ripam protensa; perinde ut cœnobium Werthinense ad Ruram à D. Ludgero conditum vetustæ tabularum literæ in pago Ripuario situm memorant. *Lib. 5. ann. Trevir.*

Sedes Austrasiæ regni Metæ. Theodoricus igitur Austrasiæ Rex, ut ceteros exinde Galliarum reges, ac res Franciæ omittam, ac nostra propius consecter, ex regiâ sede, quàm Metis habuit in meditullio Austrasiæ, regnum suum auspicatus, nihil antiquius habuit, Pharamundi, patrisque exemplo, quàm subjectum sibi Francicum populum optimis primùm legibus, ac deinde militari disciplina, usuque armorum formare. Quam in rem multi hìc adducunt leges Ripuarias, Alemannicas & Bojarias, quas post devictas à Clodoveo patre has gentes Theodoricus ijsdem præscripsit; nec antiquior nobis, nec certior hac super re auctor est, quàm qui prologum ad Bojarias leges dedit, quem hìc recitare placuit : *Theodoricus Rex Francorum cùm esset Catalaunis, elegit viros sapientes, qui in regno suo legibus antiquis eruditi erant. Ipso autem dictante jussit conscribere legem Francorum et Alamannorum et Baiovariorum, unicuique genti, quæ in eius potestate erat, secundum consuetudinem suam. Addidit quæ addenda erant, et improvisa et incomposita resecavit, et quæ erant secundùm consuetudinem paganorum, mutavit secundùm legem Christianorum. Et quicquid Rex Theodoricus propter vetustissimam paganorum consuetudinem emendare non potuit, post hæc Childebertus Rex inchoavit, sed Clotarius Rex perfecit. Hæc omnia Dagobertus Rex glorioſissimus per viros illustres, Claudium, Chadum, Indomagum, et Agilulphum renovavit, et omnia vetera legum in melius transtulit, et unicuique genti scripta tradidit, quæ usque hodie perseverant.* Additur : *Hoc decretum est apud Regem et principes eius, et apud cunctum populum Christianum, qui infra regnum Merovvangorum consistunt.* Reperias qui hanc Ripuariam legem, quæ magnam partem ex Salicâ lege transcripta est, alteram illam Francorum legem statuant, de qua Eginardus : *Franci duas habent leges, plurimis in locis valde diversas.* Secus alijs visum, qui hanc incolis tantummodo Ripuarijs, intra Rhenum, Mosam & Mosellam, aut per Germaniam secundam præscriptam volunt. Quoquo modo ista se habeant, imperium penes Francos, provinciæ dominos, & Francorum administros fuit; Post Regem enim dux, isq; Agrippinen- Dux Agrippi-

Ripuaria lex Theodorico adscribitur. *Viterbiensis Conring. de orig. jur. Germ. c. 9. 10. & 11.*

nensis, sub duce Graviones seu Comites, Rachimburgi, Gogravij, Scabini.

sis, supremus Ripuariorum moderator : sub duce Graviones sive Graphiones, judices nimirum fiscales, qui pòst Comites sunt appellati. Horum munus, per pagos & districtus suos jus dicere. Additi comitibus Rachimburgi seu Ratimburgi, seu à consilio, seu vindicta, veteri Germanorum idiomate ita dicti, quos posterior ætas consiliarios, assessores ac judices certæ regionis dixit, Gogravijque hodie appellantur, alibi etiam Scabini vocitati, cumprimisque in castris & burgis regijs. Graviones majores delecti exinde, quos Centenarios & judices vicorum & oppidorum accepimus. Omnia hæc ad veterem quandam Germanorum formam instituta. Quemadmodum à Tacito relatum : *Eliguntur in conciliis et Principes, qui jura per pagos vicosque reddunt. Centeni singulis ex plebe comites, consilium simul et auctoritas, adsunt.* Conventus publici juris dicundi causa instituti, Malli seu Malla dicebantur prisca Germanorum Francorumque voce. Pleraque scelera & delicta ære mulctabantur, rara capitis supplicia constituta : tam parci sanguinis Franci, quem eò prodigi magis servabant Marti & prælijs. Hæc aliaque in ordinanda ad Rhenum Republica sapientissimè Theodoricus primus Austrasiorum Rex constituit, paternæ majorumque gloriæ inter fratres vel maximè æmulus; nec bello minus per omnem ætatem clarus. Anno quippe regni secundo, Dani, Chochilaichi Regis sui ductu, ab Oceano Balthico classe prædatoriâ in Belgicam secundam delati, factaque exscensione in pagum ditionis Theodorici regis, non modò agros vastant, sed eos etiam ad stabiliendas sedes invadunt. Comportata primùm ingens præda hominum bonorumque raptorum in naves; quibuscum pars in Daniam revecta, Rege Chochilaicho cum ceteris copijs in littore considente, spectanteque dum naves in altum proveherentur. Id ubi Theodorico renunciatum fuit, continuò Theodobertum filium eximiæ indolis juvenem cum valido exercitu adversus Danos emittit. Nec segniter ille patris jussa executus, rapta quæ ad manum erat classe, Danos terra marique aggreditur, factoque prospero navali prælio, priusquam hostis in naves se reciperet, Regem Chochilaichum intercipit, obtruncatque, ceteris pari clade obtritis; receptaque præda victor ad patrem redit. Tertio ab hinc anno externo Thuringorum bello implicatus est. Tres per id tempus fratres Thuringiam inter se partiti tenebant Reges, Baldericus, Hermenefredus & Bertarius. Hermenfredus, cui Amelberga Theodorici Italiæ Regis filia denupta erat, ab arrogante conjuge stimulatus primùm Baldericum fratrem dolo interficit; quo non contenta inflati spiritus fœmina ad alterum quoque fratrem tollendum maritum impellit, probro etiam usa; Quippe Hermenefredo ad prandium accubituro dimidiatam mensam insterni jussit, causamque percontante marito, respondit, dimidiato regi dimidiatam mensam

Tacit. de mor. Germ. c. 12. Lipsius in Tacit. Mallen loqui. Mal locutio. Mael colloquium.

An. Christi 513. *Sigebertus. Turon. l. 3. c. 3. Ado in Chron.*

Theodoricus Danos ex Belgica secunda reijcit.

An. Christi 516. *Greg. Tur. l. 3. c. 4. Paul. Æmil. l. 1. Sigon. l. 15. Brouverus l. 5. ann. Bussieres l. 1.*

Hermenefredus Thuringiæ Rex.

conve-

convenire. His Hermenefredus incensus, cum dolo nequiret, alterum bello fratrem exturbare aggressus est; ad quod facinus implo-ratus Theodoricus Austrasiorum Rex, promissa regni parte. Hac ille spe illectus Thuringiam cum exercitu ingressus Hermenefredo se junxit; collatisque cum Balderico signis, cùm acie superassent, victum obtruncarunt. Ita Hermenefredus per scelus integra Thuringia potitus. Sed fallax promissi, Theodorico partem Thuringiæ exigenti negavit. Quâ fraude exacerbatus Theodoricus capitali odio hominem insectari cœpit, quod haud multò post in cruentum bellum erupit; ac citius hanc Thuringi perfidiam ulturus fuisset, ni bellum Burgundicum interveniisset, quo fidam primo operam fratribus in subigenda Burgundia præstitit, eorum temporum Achilles Francicus, ex regia Sicambrorum stirpe. Nec multum dilata Thuringi ultio. Quadriennium interfluxerat à priori bello, cùm Theodoricus anno regni decimo in perjurum Hermenefredum Thuringorum Regem arma resumit, multisque commemorando veteres Thuringorum injurias, & sævitiam in majores Francorum exercitam exponit; nam & pueros Francorum trajecto per nervum femoris fune suspenderant ex arboribus, & puellas plus quàm ducentas cervicibus equorum illigatas per diversa raptaverant, alios super viarum orbitas protensos sudibusque defixos plaustris & equorum calcibus conterendos objecerant, alios contusos, confractisque ossibus canibus laniandos dederant. Quibus ad sumendam vindictam expositis (quanquam quo tempore hæc edita sint incertum reliquerit Turonensis) Franci ultro se ad bellum offerunt. Assumpto deinde Clotario fratre & Theodeberto filio, exercitum, transmisso Rheno, in Thuringos ducit. Nec copias minores contraxerat Hermenefredus dolo etiam instructas, ut subsisterent ante fossam, quam levi cespite subjecto rarius texerant, in quam multi Francorum primo impetu delati & præcipites acti; dum comperta fraude, per opportuna loca Thuringos adorti, cæsos in fugam avertunt, fugientesque ad * Onostrundam amnem compellunt. Ibi tanta Thuringorum strages facta, ut armis, equis virisque præcipitatis pontem instraverint cæsorum cadavera, per quem in alteram ripam transierunt Franci. Hac victoria universa Thuringia subacta. Celebris hic post Salam Thuringiæ fluvius apud scriptores, aliáque post Saxonum clade memorabilis ab Henrico IV Imp. accepta. Ceterum Hermenefredus ex clade primò profugus, deinde Theodorico supplex in fidem receptus. Post ubi novæ compertus fallaciæ, Tolpiacum ad sanciendum fœdus evocatur; dumque unà cum Theodorico colloquens in lorica muri deambulat, seu à rege, seu ab alio ministro in subjectam fossam præcipitatur, fractáque cervice, scelerum quoque pœnas exsolvit. Liberi regij eadem pœna involuti necati, præter Bertarium

Theodorici bellũ cum Thuringis.

An. Christi 521.

Turon. l. 3. c. 7.

Aimoin l. 2. c. 9.

Sigebertus Crantzius l. 1. Saxon. c. 26. 27. 28.

Procop. l. 1. de bell. Goth.

Thuringi ad Onstrudam cœsi à Francis.

**Widekindo Vstrode l. 1 ann. Vrspergensi Ollestrat. Sigefrido Vngestrad. Anonymo Vnstrardus. Aliis Vnstrod & Vnstruda, hodiedum Onstrut.*

Malè Bussieres non cõstare quis amnis ille fuerit.

Hermenefredus Thuringiæ Rex Tolpiaci ex muro præcipitatus.

Thuringia subacta, & regno Franciæ addita à Theoderico Rege.

Turon. l. 3. c. 7. 8. Venantius l. 6. Epist. 2. Cassiod. l. 4. var. lect. epist. 1.

Bertarium filium, & Radegundam filiam; quæ postquam captiva in potestatem Clotarij Regis venit, ab eo ob egregiam formam & mores in matrimonium est ducta, fratre interim Radegundæ per scelus interfecto. Ita excisâ omni regiâ Thuringorum stirpe, Thuringia, quæ ante tributaria fuerat, tota in potestatem Francorum venit.

Baron. ad an. DXXVII.

Saxones belli Thuringici socij implorati à Theodorico Rege.

Bello hoc Thuringico, uti Widekindus Corbejensis, ac nostrates scriptores tradiderunt, Saxones à Theodorico implorati, socijque fuerunt. Missi ab his novem duces in subsidium, singuli cum mille delectis militum, viri omnes corpore & animo præstantes, diffusâ per humeros cæsarie, militaribus sagis, oblongis lanceis & brevibus scutis armati, accinctique ad renes magnis cultris, à quibus Saxonum nomen genti adhæsisse diximus. Ob præstitam in bello operam Saxones parte Thuringiæ, quàm occupârant, donati, & amici socijque Francorum appellati sunt. Quanquam & ipsi Saxones sub idem tempus Francis tributarij esse cœperint, uti haud obscurè ex Turonensi æstimes. Nam pòst ab obitu Theodobaldi regis, Theodorici nepotis, rebellasse Saxones scribit; & Clotario subinde in Saxoniam cum exercitu moventi promisêre se tributa soluturos, quæ Theodorico & Theobaldo nepotibus Theodorici, Austrasiorum Regibus, pendere consueverant. Adeo torrentis instar tum Austrasiorum Regum potentia sese diffudit. Nec abs re Hassicæ historiæ scriptores hoc ipso Francorum bello, Hassia unà cum Thuringia in Francorum jus & Austrasiæ imperium concessisse, ac tunc Franckenbergam à Francis conditam perhibent. Quin Serrarius hoc Francorum per Thuringiam dominatu à Theodorico Rege primum Christianam religionem in has regiones introductam memorat; nec dubium quin subinde messis major, quàm operariorum eà tempestate copia fuerit. At postquam exuto Francico imperio Thuringi se Saxonibus junxêre, omnia rursum vel Idolorum cultu, vel pravis hæreticorum dogmatis, ut Willibaldus id retulit, tanquam religionis sentibus ac spinis obducta jacuere, donec veterem religionis culturam D. Bonifacius renovaret. Bellis inde interioris Galliæ evocatus ex Germaniâ Theodoricus, potentis semper ac glorioſi Regis nomine clarus (ut Cassiodorus eum celebrat) interque Reges fratres & virtute bellica, & Regni Austrasiæ amplitudine hostibus quàm maximè formidabilis. Sed Rheni cumprimis limiti custodiendo intentus, nunc Metis, nunc Agrippinæ ab Averno bello versabatur. Adhærebat lateri Regis in comitatu S. Gallus, postea Avernensis Episcopus, tum verò Diaconus, genere & doctrinâ, & vocis morumque suavitate percarus Regi. Hic, quo erat religionis fervore in Deum, conspicatus Agrippinæ fanum, Idolorum adhuc cultu frequens (Visi enim in eo Barbari gentili superstitione modò auri argentique dona, modo fercula ad potum vomitumque ebrij offerre: cultumq;

Dilich. ad an. 526.

Hassia per id tempus tributaria Francis.

Serrarius l. 3. Mogunt. rerum.

Religio Christiana in Thuringiam deducta.

Willib. in vita D. Bonif.

L. 11. Var. lett. epist. 1.

Greg. Tur. de vita SS. Pat. c. 3.

Fanum idolorum à S. Gallo Agrippinæ eversum.

quo

quo nihil insanius, istic simulacrum inanis Dei, cujus, ut quemque affecti membri dolor presserat, sculpebat in ligno effigiem, suspendebatque opitulaturo Idolo) arrepto clam igne ad illud se contulit, admotaque flamma totum incendit. Barbari ad fumum conflagrantis delubri exciti, in auctorem inquirunt, deprehensumque strictis gladijs ad palatium Regis, quo Gallus profugerat, insequuntur. Perijsset eo tumultu Gallus, ni Theodoricus Rex prodijsset, & blandis verbis furorem Barbarorum lenijsset. Fanum illud Agrippinense non tam civium, quàm præsidiariorum militum erat, quos ex Francis & Saxonibus & Thuringis magnò numerò in militiam adscripserant Franci, quibus cultus ille superstitionis tanquam amicis & bellorum socijs indulgendus erat. Magna postremùm voluebat animo Theodoricus Austrasiorum Rex, lacessitus ab Amalasuenda Gothorum Regina, quæ Italiam pro Athalarico puero administrabat, ingentis supra sexum animi prudentiæque fœmina, ausa etiam ultro bellum intentare Francis. Non tulit generosus Rex sibi vel à fœmina, vel à Gothis insultari; ingentemque mox exercitum contrahit ex Austrasiæ populis, Italiam irrupturus, cùm Metis in ipso belli apparatu extinguitur, annum regni ingressus vigesimum tertium.

Gelen. synt. 5. lib 5. Valesius l. 7. rer. Franc.

An. Christi 534.

Sigonius.

Regni per Austrasiam successor Theodobertus filius, qui cognito Patris exspiraturi morbo, Metas advolavit. Vir bellis paternis à juventute exercitus probatusque Austrasijs, lubricam primò inter juventutis vitia ætatem egit, sed post D. Nicetij Trevirensium Episcopi monitis ac studio in viam reductus, vitam Christiano Rege dignam exorsus est, miraque pietate ac liberalitate in sacerdotes, religiosos ac res sacras, omnibus se amabilem præstitit; quæ & rerum omnium felicitas secuta est. Nam cum patrui Clotarius & Childebertus Francorum Reges Austrasiæ Regno inhiarent, Theodobertus primùm muneribus utrumque placare aggressus est. Quæ cùm affectati Regni cupiditatem non explerent, exercitum cum præcelsâ animi fortitudine ostentare cœpit, confisus maximè Leodibus suis, ut Turonensis scripsit. Non illi Leodienses fuere, ut quidam male interpretatus est, sed Leudes fideleque Regis clientes, Leudis feudisque ad obsequium Principis adstricti, quos Vassos & Vasallos dixerunt. Crebra horum mentio apud Turonensem atque ejus ætatis scriptores. Quin apud nullam gentem id genus beneficiariorum hominum frequentius honoratiusque fuit, quàm apud Francos, ad militiam fidemque erga Reges firmandam, aut ad merita fidorum militum compensanda. Unde duplicis potissimum generis bona inter Francos, Alode & Allodialia, quæ paternæ familiæ erant ita à majoribus appellata, & Feudalia ob militiæ operam concessa; quibus tertium addunt genus, usui tantummodo datum commodatumque.

Theodobertus II. Rex Austrasiorũ.

Greg. Tur. l. 3. c. 23.

Bigonius in notis ad l. 1. Marculphi Cujacius initio feud. Lindebrogius in Glossario.

Leodes ac Leudi quinam.

Alode ab Aldeers. Feudum quasi Vecgot, vec enim bellum. Faida privata

Theodo-

inimicitia Germanice Feide. Leengoet, quasi usui datum, non donatum. Lege Sax. Longobard. Anglo Sax.

Theodobertus igitur clientum militum suorum, ac nobilium beneficiariorum fide ac fortitudine confirmatus in Austrasiæ Regno, Childebertum patruum Regem in suas partes attraxit, & quòd is sine prole esset, spem etiam heredis Theodoberto fecit. His Theodobertus erectus majora animo complecti cœpit, ejusque amicitia etiam ob potentiam virtutemque bellicam ab exteris regibus ambita. Cœptatum enim proximo anno celebre illud bellum Justiniani Imperatoris adversus Gothos Italiâ eijciendos, quod in decimum exinde octavum annum protractum. Africa enim jam recepta erat, debellatis per Belisarium Wandalis, unde Italiam recuperare aggressus Imperator. Quam in rem cùm multùm valeret Francicæ monarchiæ potentia, omnibus per Europam Regibus formidabilis, tam Justinianus Imp. quàm Gothi, Theodalo Rege suo, Theodobertum, Clotarium & Childebertum Francorum Reges in societatem belli literis ac muneribus sollicitârunt; quam Franci primùm Justiniano addixere, seu ab eo præventi, seu religionis studio, quam in Arianis Gothis detestabantur provocati. Pòst ubi Gothi, ereptâ Siciliâ, captâque Neapoli, Belisarium Romæ imminere didicerunt, missis per oratores viginti millibus aureorum, Galliam quam adhuc tenebant transalpinam offerunt. Franci, quòd jam Justiniano Imperatori auxilia addixerant, haud aliter se Gothis subvenire posse respondent, quàm ut clam alienigenarum auxilia submittant. Ita utramq; partem promissis sustinendo, collidi permittunt. Ad quæ Vitiges Gothorum Rex, revocato Martia præfecto, omnem Galliam transalpinam cessit Francis, & quidquid post Clodovei ad Tolpiacum victoriam supererat ex Alemania, Austrasiæ Regno adjungit. Pecunia inter tres Reges Francorum divisa est. Subinde Belisarius, captâ Româ, omnes Italiæ urbes & populos mira rerum felicitate subegit, ac Gothos ex Italia submovit, Vitige interim Gothorum Rege acriter repugnante, prælianteque inter alternos cum Belisario fortunæ casus. Tanta hæc belli acerbitas fuit, ut sexagies novies pugnatum inter Belisarium & Gothos. Demum fracti exactique Gothi Ravennam belli sedem delegerunt.

An. Christi 535. &c. *Procop. l. 1. de bel. Goth. Baronius. Petavius.*

An. Christi 538. *Procopius l. 1.*

*An. Christi 539. *alij ad* 540. *referunt. Procopius Turon. l. 3. c. 32. Aimoin. l. 2. c. 2. Valesius. Sigonius. Miræus. Agath. l. 1. Paulus Diaconus lib. 17.*

* Hunc in modum dum inter se confligunt, mutuisque se cladibus atterunt Belisarius & Gothi, Theodobertus Austrasiæ Rex erectus in spolium Italiæ ingentem exercitum contrahit, quem Procopius centum millium peditum retulit, Jordanes & Freculphus ducentorum millium recensent; Equites hastati perpauci, pedites omnes ensibus, clypeis ac securibus armati. His Theodobertus copijs quas maximam partem ex Francis & Germanis contraxerat, instructus, neglecto fœdere cum utrisque icto, ut fallaces semper Franci culpantur, Alpes transgreditur, transmisloque Pado incautos Gothos binis castris exuit, & ipsos Romanos profligat, relicto Ticini Bucelino

Theodobert° cum ingenti Germanorum & Francorũ exercitu Italiã ingressus, Regnum illud affectat.

lino militiæ præfecto, quin Ado simul Longobardos ab eo superatos memorat. Abrupit hunc fortunæ casum sæva lues, tertiam exercitus partem depasta: tum minaces Belisarij literæ, quibus evictus in Austrasiam redijt. Nondum Italiæ Regnum fatis Francicis maturum erat. Pòst ubi Vitiges Gothorum Rex tandem debellatus captusque à Belisario, Constantinopolim est adductus, novo ad Gelimerem spectaculo fortunæque ludibrio additus. Justinianus Imperator Belisarij victorijs insolens, superbo cum titulo se Gothorum, Alamannorum, Wandalorum, & Francorum triumphatorem scribere & jactare cœpit, qui tamen Francos nunquam bello lacessierat. Quibus Theodobertus Austrasiæ Rex indignatus, tanquam expeditionem suam Italicam ex infelici eventu sibi exprobraret, collecto ex robore Francorum ad Rhenum & Mosam exercitu, novam expeditionem in Italiam apparare cœpit. Tanta Regis hujus altitudo animi erat adversus Justinianum Imp. ut belli etiam in Thraciam transferendi, ipsumque caput Orientis Constantinopolim adoriendi agitasse consilia ferant; sed ut Patrem, ita ipsum grandia molientem, anno regni XIV. oppressit mors, invalescentis morbi vi, ut Turonensis est auctor, quam nulla medicorum ars sistere potuit. Regem hunc audacissimum & turbulentissimum Procopius unà cum gente fœdifragum fallacemque memorat; contra Franci magnis laudibus attollunt. Adeo inter scriptores nationum studia pugnant. Magnan mum certè Regem facinora commonstrant.

An. Christi 547. *Greg. Tur. l. 3. c. 36. Aimoin. l. 2. c. 25. Bucherius. Miræus. Valesius.*

Sceptra regni paterni per Austrasiam excepit Theodobaldus filius, ætate juvenili, quippe qui sub moderatorum cura adhuc versaret annos. Aimoinus virum Deo deditum commendat, sed qui, cùm servos Dei unicè diligeret, crudelior extiterit in alios. Juvenis licet Theodobaldus, sub initia tamen regni ejus Justinianus Imp. missò in Austrasiam Leontio orat, ut socius adversus Totilam Gothorum Regem, communemque religionis hostem conspiret, Italiæque loca à Patre occupata reddat. Ad quæ Theodebaldus, magnopere se vereri, ne Græci, qui Gothis fidem non servârant, Francis quoque non servent. Immerito quoque loca Italiæ repeti, quæ Pater jure belli acquisierit. Misêre & Gothi oratores ad Theodebaldum, qui belli societatem adversus Justinianum Romanosque sollicitârent, multis in hanc rem argumentis adductis; quorum illud palmare, ne Imperator Gothis ex Italia depulsis, Francos deinde aggrederetur, & è Gallia deturbatos, rursum trans Rhenum in veteres sedes reijceret. Theodebaldus nec Græcis nec Gothis fœdere accedens, Leutharem & Bucelinum, quos Pater militiæ præfectos reliquerat, gente Alemannos, Francorum Austrasiæque Regis rem agere jussit, quo pedem regni in Italia retinerent; quod illi strenuè præstitêre, & Fulcarem etiam cum exercitu Herulorum acie fusum ingenti clade affecere.

An. Christi 548. Theodebaldus III Austrasiæ Rex. *Procop. l. 3. Agath. l. 1.*

An. Christi 553. fecere. Ad ultimum mutato fortunæ cursu, res Francica in extremum discrimen adducta; ausi enim Franci ad Casalinum amnem cum Narsete prælio congredi, quo ad internecionem prope deletum robur exercitus Francici; quemadmodum hæc Agathias homo Græcus jactantius fortè quàm verius memorat.

At domesticum per id tempus bellum ad Rhenum distraxit Theodebaldum, quo minus Italiæ intenderet. Ejus hæc causa fuit. Duxerat in matrimonium Hermegisclus Varnorum Rex, amissa priore conjuge, Theodochilden, Theodoberti Regis Austrasiæ patrisque Theodebaldi sororem: Hanc Hermegisclus moriens jusserat ut Ratigerus, Novercam videlicet filius, ab obitu suo sibi matrimonio jungeret, dimissa priore sponsa Brittia Anglorum Regis filia, quò Regnum suum Francorum connubio ac societate firmaret. Fecit id Ratigerus optimatum consilio. Hac contumelia accensa Brittia, questa primùm cum Ratigero; & cùm nihil æqui responsi obtineret, fratrem Regem Anglorum appellat injuriæ vindicem. Ille fratrem suum unáque Brittiam sororem cum 400. navibus in continentem Varnorum regionem trajecit, factaque exscensione ad Rheni ostia cum paucis resedit Brittia, expedito fratre cum ceteris copijs in Varnos, qui haud procul ab Oceano & Rheni ostijs consederant. Fusus acie Ratigerus; sed ipse fuga elapsus. Quo cognito exclamat puella, nihil actum, nisi & Ratigerus in potestatem captus veniat. Igitur fortissimi Anglorum juvenum summa celeritate consecuti, vinctum sistunt Brittiæ sponsæ. Ratigerus cùm nihil quàm præsentem necem exspectaret, jussus est causam repudij dicere; quam cùm in patris supremam voluntatem & optimatum consilia referret, precesque pro vita interponeret, promptus etiam Brittiam recipere, vinculis solutus est, Brittiamque in matrimonium duxit, dimissa rursum Theodechilde; quæ ad Theodebaldum & Francos reversa, questaque muliebriter de injuria sua & regiæ familiæ, bellum novum Varnis conflavit, quod genti demum exitiale fuit. Quippe Franci Austrasij, postquam spretam Theodochildem, ejectamque toro regio accepêre. haud passi hanc contumeliam Regum suorum nomini inhærere, Theodebaldo Rege, ad arma convolant, illatoque bello Varnos victos obterunt. Belli pretium fuit, omnem earum regionem Austrasiæ Regno conjungere, quos deinde rebellantes Childebertus Rex ad internecionem prope delevit.

Valesius l. 7. ex Procopij posteriore editione.

Theodebaldi bellum cum Varnis Germaniæ inferioris populis.

Aimoin. l. 3. c. 83. Fredeg. c. 15.

Varni qui populi inferioris Germaniæ.

Quæ ut certa comperimus, ita multùm in obscuro reliquêre scriptores, quænam illa Varnorum gens fuerit, aut qua in parte inferioris Germaniæ sedes suas coluerit. Nomen gentis varium; modò enim Varni, Warni, Warnavi: modò Guarni & Varini & Werini & Werli à scriptoribus memorantur, credunturque ijdem Varini esse, quos Tacitus inter *Deuringos*, *Cavionesque et Anglos*, quosque Plinius inter

Tacit. de Germ. Plinius l. 4. c. 14.

ter *Vindilos* seu *Vandalos*, *Burgundiones*, *Carinos et Gottones* recensuit. Horum indicio Varni Septentrionales Germaniæ populi Herulis confines. Nam his sedes in Marchia, illis in Ducatu Megapolitano assignant, ubi Warne fluvius Rostochiam alluit, & gentis suæ vestigia ostendit. Gens deinde per Barbarorum in Imperium irruptiones clara & valida. Commonstrat id Theodorici Gothorum Regis epistola apud Cassiodorum, ad *Herulorum, Guarnorum et Thoringiorum* Reges scripta, qua eos hortatur, ut Clodoveum Francorum Regem à tergo distineant, ne in Alaricum Visogothorum Regem expeditionem promoveat. Ex hac quoque Warinorum gente Theodoricus Italiæ Rex Suevis in Gallecia & Lusitania Regem dedit. Bucherius postremùm Varnos ad ostia Rheni consedisse tradit; quemadmodum & Procopius Varnos ad Oceanum Septentrionalem ac Rhenum usque protendit. Et quia Ptolomæus Virunos, quos Varnos censent, inter Saxones, Suevos, & Teutonarios collocat, sunt qui unà cum Anglis & Jutis Saxonicâ gente comprehendant; fortè, quòd in eorum sedes post transitum in Britanniam immigrârint. Reperias etiam qui ex ipsâ Westfaliæ regione educant, quorum alij ad Teutonicos montes Varnorum sedes transferunt. Istic enim Warna seu Wahrna fluvius Herfurdiam & comitatum Ravensbergensem perlapsus in Visurgim se exonerat. Alij ad Luppiam collocant, quod istic Werne oppidum, ac prope Cappenberga vetus regulorum sedes. Censetque Valesius Varinos esse partem veteris Franciæ, habitasseque intra Rhenum & Visurgim. Sanè Theodovaldum Austrasiæ Regem à quo Varnos debellatos diximus, & Childebertum, qui totam post gentem prope delevit, cui verosimile transportasse exercitum trans Visurgim & Albim, Varnosque in suis sedibus ad Oceanum, aut ad Sinum Codanum obtrivisse? aut Anglos, qui hoc bello ad ostia Rheni exscensionem fecerunt eodem penetrasse? extant interim Anglorum & Werinorum haud secus quàm aliorum populorum leges, hoc est Thuringorum, ut inscriptio habet. Quibus verisimile conficitur, eos regno Francico aliquando comprehensos fuisse, propiore aliqua vel ad veterem Franciam, vel Thuringiam regione, quando imperium Francicum serò admodum trans Albim porrectum. At quoquo hæc vertas, res ex sæculi hujus caligine non adeo comperta, scriptorum Francicorum vitio, qui hæc Regum suorum bella non satis expresserunt.

Helmoldus in Chron. Sclav.
Bangertus in notis.
Bucher. l. 13. c. 1.
Cassiod. l. 3. Epist. 3.
Ptolomæus. Bucherius l. 13. & l. 19. c. 4.
Vales. l. 7. verum Franc.
Lindeb. in cod Antiq. legum.

Theodebaldus ab his non multùm superstes, & jam ætate adultus, anno regni septimo, seu ut Aimoinus, octavo, diuturno paralysis morbo consumptus excessit vita. Et quia nulla ei proles ex Waldrada Waconis Regis Longobardorum filia, Clotarium patruum Regem Suessionum, heredem & successorem regni Austrasiæ scripsit, non sine offensione Childeberti patrui Parisiorum Regis. Uterque

An. Christi 554. *Agath. l. 2. Turon. l. 4. c. 9. Aimoin. l. 2. c. 25.*

Clotarius IV. Rex Austrasiæ & Franciæ post Monarcha.

mox Austrasiam ingressus. Sed quod nec Childeberto proles esset, Clotario fratri cessit Austrasia.

Bellum I. Saxonicũ Clotario Rege.

Hoc Rege primum Saxonici belli initium, quod varia exinde fortuna à Francorum Regibus per ducentos & quinquaginta prope annos ad Carolum M. gestum. Nimirum quanto tempore Franci in superando Rheni limite & Galliâ debellandâ, tanto Saxones ejusdem regionis inter Rhenum, Visurgim & Albim populi pro libertate decertârunt, ne aut jugum Francicum, aut Christianam cum Francico imperio religionem susciperent. Gens eadem in veteri Francia; sed quæ jam Saxonum nomen induta, exinde adversus populares suos Francos pertinacissimè depugnavit.

An. Christi 555. *Greg. Tur. l. 4. c. 10. & 14. Aimoin. l. 2. c. 27. Sigebertus in Chron. Valesius l. 8.*

Postquam igitur Saxones Austrasios bellis Italicis absumptos, & Theodoualdum ex languido corpore languidius Regnum administrare didicerunt, per initia Clotarij adscitis in societatem belli Thuringis conspirant. Jam enim Saxonum gens in eam Reip. formam convenerat, quam post ad Carolum M. constantissimè tenuerunt, multisque incursionibus Francorum fines devastârunt. Diceres pristina Germanorum bella recruduisse, hac inter Rhenum & Visurgim per Westfaliam regione, & pari qua olim Romanos, modò Francos pertinacia bellicosam gentem fatigare. Clotarius ne quid per exordia regni sui peccaret, lecto celeriter per Austrasiam omnemque Franciam formidabili exercitu, per Rhenum haud dubiè ad Agrippinam transgressus, Saxoniam intravit. Saxones ad Regis adventum consternati retro abiêre; quos per cædes & spolia insecutus, dum ad Visurgim, quem Weseram Aimoinus hîc vocat, Clotarius perveniret, ubi Saxones se in arma collegerant. Quibus conspectis Clotarius signa inferri jubet, prælioque victos in fugam avertit: pars cæsa, pars in flumen præceps acta. Inde cum victore exercitu in Thuringos movit, agros eorum percursando depopulandoque. Qua pœna eos involuit, quòd bellorum socij Saxonibus auxilia submiserant. Nec ideo fracta est gentis Saxonicæ insolentia, & quamlibet anno superiore magna clade attriti, ausi tamen mox altero anno rebellare, & absente per hiberna Clotario non modò tributa abnuere, sed & incursionibus ad Duciam seu Divitiam usque Francorum fines infestare. Quem locum ex Turonensi Nuciam seu Novesium, alij verius Tuitium Agrippinæ oppositum legunt, censentque ab auctoribus designari. Rebellionis hujus inter Saxones concitor creditus fuit Childebertus, gloriæ fratris æmulus, qui ægre adhuc ferebat sibi Austrasiam præreptam. At Clotarius hanc Saxonum perfidiam ulturus, iteratam in illos expeditionem, majori etiam quàm ante belli apparatu, suscepit; ac Rheno propinquans tantam trepidationem injecit Saxonibus, ultro ut legatos ad Clotarium mitterent, pacem & superiorum veniam precando; paratosque se offerendo ad tributa solvenda,

Clotarius Saxones ad Visurgim usq; profligat.

An. Christi 556. &c.

Tom. 2. antiquar. Lect. apud Canisium pag. 690. Turon. l. 4. c. 16. Aimoin. l. 2. c. 27. Epit. gest. Franc. c. 51. & 52.

Saxones Francis tributarij.

solvenda, quæ fratri ejus Theodorico, quæque Theodoberto & Theodovaldo nepotibus ac regibus Austrasiæ pensitassent; infestatos quidem à se Francorum fines, sed de his appellare se clementiam Regis, ac polliceri inviolabilem fidem. Placebat Regi parcere supplicum precibus, nec tentandam aleam pugnæ. At contra duces ac proceres Francorum iteratam rebellionem contendebant ferro castigandam: gentem perfidam esse, quæ à clementia & condonatione resumat audaciam. His impulsus Rex bellum decernit, copiasque propius admoveri jubet. Quibus cognitis, Saxones iterato legatos mittunt ad Clotarium, qui supplices atque humi prostrati in pœnam criminis & pignus fidei offerant omnes opes, vestes, pecora & agrorum dimidiam partem, nihil sibi præter nuda corpora, uxores & liberos reservando. Ad quæ Clotarius fœdus admittendum exclamat, ne crudelitate ipsa Barbaros in desperationem, & superbia iram Dei provocare velint. Nihilo secius reluctanti Regi instant Francorum proceres, probris & convitijs incessunt, tentorium convellunt, & minis intentatis rapiunt ad pugnam; ac parum aberat, quin in ipsum Regem ferrum distringerent. Tum verò Clotarius inquit: Quando in eam me necessitatem compellitis, pugnam capessite, me etiam duce vestro, cui satius est inter hostium arma, quàm vestras manus cadere. Cœptum inde cruentissimum prælium, in quo dum Francos vindicta, Saxones desperatio in extrema animabat, cæsi sunt Franci. Magna utrinq; strages, ut Turonensis est auctor: quæ tamen, Aimoino teste, Francis ad internecionem prope fuit. Clotarius cum paucis fuga dilapsus pacem petijt à victoribus, & quod mirere, impetravit. Tanta, aut in Barbaris erga victos modestia fuit, aut metus etiam à victis, ne eladem hanc suam Franci ulturi irent. Nec vanus is fuit. Quippe, ut Aimoinus & Fredegarius perhibent, Clotarius qui hic senior appellatur, Clodovei filius, reparatis viribus denuo Saxones aggressus, prælio stravit, victisque quingentos boves in singulos annos, remisso cetero censu, tributi vice regiæ mensæ inferri imperavit, quos ob id *Inferendales vaccas* dixere. Id tributum postea Dagobertus Clotarij pronepos certis quibusdam conditionibus remisit. Ac perquam mirere id cum Saxonibus bellum à Widekindo & Crantzio præteritum; Scilicet veterum fabulis illi magis intenti, quàm ut certiora perquirant. At verò cùm id primum Francorum cum Saxonibus bellum memoretur, quo ad Visurgim cum exercitu per Westfaliam penetrârunt, fluviumque hunc nostræ diœcesis non minus quàm Romani suis armis celebrem fecerunt, res poscit ut monumentum posteritatis, eruditamq; carminis inscriptionem, qua Ferdinandus Princeps & Paderbornensium Episcopus Visurgim celebravit, hoc loco, ut in alijs præstitum est adscribam.

Clotarius ac Franci à Saxonibus prælio cæsi.

Rursum Saxones à Francis cæsi, & tributarij facti.

Vaccæ inferendales.

VISUR-

VISVRGIS
MEMORIÆ SACRUM

EXSERAT. AMISIUS. STERILES. CAPUT. INTER. ARENAS
ET. MIHI. SE. TUMIDIS. LUPPIA. JACTET. AQUIS
SOLUS. EGO. HAS. PATRIÆ. CLARISSIMUS. AMNIS. AD. ORAS
NAVIBUS. EXTERNAS. PORTO. VISURGIS. OPES
NEC. ME. BELLA. MINUS. CELEBRANT. ADVERSA. QUIRITUM
QUAM. QUÆ. PER. FRANCOS. GESTA. FUERE. DUCES
SED. QUOTA. PARS. RERUM. SUPERARET. ROMA. TUARUM
AUT. QUISNAM. ARMINII. NOSCERET. ARMA. MEI
NI. MIHI. QUAM. TACITUS. SCRIPTOR. DEDIT. INCLYTUS. ILLI
REDDITA. CORBEIÆ. MUNERE. VITA. FORET

FERDINANDVS. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA
EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADIUTOR
MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES.
PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO. DE
FURSTENBERG

IN. RIPA. VISURGIS. ROMANORUM. FRANCORUM. ET
SAXONUM. BELLIS. NOBILISSIMI. AMNIS. DIOECESIN
PADERBONENSEM. INTERFLUENTIS. E. REGIONE
HERISTALLI. SAXONICI

*Chramnº Clotarij filius rebellis in patrem Saxoniæ bella intervertit. An. Christi 560. Clotarius Rex Chramnum rebellem exurit in casa cum uxore & liberis. *Fortunatus Pictav. Epis. l. 10. carm. 9.*

Multa exinde Francorum non minus quàm Romanorum bella ad Visurgim tempori memoranda; fuitque hæc Westfaliæ regio inter Rhenum & Visurgim nova rursum & cruenta Francorum palestra, Martisque campus cum Saxonibus.* Ac Clorarius ne præsens bellum prosequeretur, ac pro votis gloriaque nominis sui conficeret, interturbavit Chramnus liberorum primus, ac rebellis in patrem filius. Is patrem conspicatus bello Saxonico senioque præfractum, facta cum Childeberto patruo & Parisiorum Rege conspiratione, arma convertit in patrem regno ejiciendum, quæ in aliquot annos ingenti Franciæ turbamento protracta. Interim Childebertus moritur, & tota Franciæ monarchia ad unum Clotarium hæreditate paterna recidit. Nec Clotarius Monarcha quicquam ad Regni quietem sollicitius habuit, quàm Chramnum rebellem filium opprimere, quem prælio victum & in rusticam casam compulsum, accensa casa unà cum uxore & liberis exussit. Per id tempus Clotarius unà cum liberis suis secundo Mosella ac Rheno descendens Antenacum adijt,

adijt, ubi in castello regio & palatio, quod ad eum diem supererat, Salmonum captura se oblectavit, ac Rheni limitem adversus Saxonum incursionem præmunijt.

Nec multum inde superstes Clotarius Rex fine anni Compendij in villa mortalem vitam exuit, anno regni Suessionum quinquagesimo primo, Austrasiæ octavo, Monarchiæ Francicæ secundo. Funus à quatuor Regis filijs, quos Clotarius ex Radegunda Thuringica sanctissima fœmina susceperat, deductum Suessionas. Ac postquam de Monarchiæ partitione disceptatum, convenit inter ipsos, ut Charibertus, sive Aribertus Parisijs, Chilpericus Suessione, Guntramus Aureliæ, Sigebertus Metis regnum capesserent, eâ prorsus sorte, qua Clodoveus Monarchiam in quatuor filios diviserat. Optimus pijssimusque fratrum habitus Sigebertus, cui Austrasiæ Regnum obtigit. Adhuc Reges Sicambri, quos à prima stirpe hæc Westfaliæ regio edidit, Clodovei nepotes memorantur. Clotarij filia & horum Regum soror Blitildis, Ansberto Franco, viro illustri denupta, ut Miræus est auctor, ex qua Arnulphus, D. Arnulphi Metensis Episcopi pater est susceptus, & stirps illa Caroli M. procreari cœpit.

An. Christi 561. *Turon. l. 4. c. 21. Aimoin. l. 2. c. 37.* Sigebert⁹ V. Austrasiæ Rex.

Clotarij filia Blitildis Ansberto Franco denupta, ex qua Carolina stirps.

Haud diu Sigeberto quieta regni initia per Austrasiam fuêre. Novi enim Barbarorum motus prorumpentium, non jam in Imperium Occidentale, quod interierat, sed Regnum Francicum Italiamque incursantium. Primi ex his Barbaris Hunni, qui & Avares à Rege suo dicti, iterum ex Pannoniæ sedibus egressi in Thuringiam, Austrasiamque Transrhenanam incurrere, & omnia prædis pervadere, & per majorum vestigia inhiare Galliæ. Hunnis miscuêre se Saxones rebelles & Thuringi, in Sigebertum veteri Francorum odio accensi; jamque funestum denuo imminebat bellum ab efferatis gentibus, cùm Sigebertus hostes prævertens cum universo Austrasiæ gentis robore obviam progreditur in Thuringiam, Hunnosque cum socijs ad Albim fluvium consecutus, insigni edita pugna, nobilem ab infestis hostibus victoriam reportavit; ut quantum pater Visurgim, tantum filius Albim Francorum armis nobilitârit. Et Hunni pacem cùm peterent, haud gravatè dedit; quòd per hanc belli absentiam Chilpericus frater Austrasiam invaserat, in quem arma convertens tam facilè ejecit victor, quàm ille intraverat. Pace in hunc modum domi forisque parta, Sigebertus duxit in matrimonium Brunechildem, Athanagildi Visogothorum per Hispaniam Regis filiam, quæ cùm simul Arianam hæresim ejuraret, & Catholicorum ritu chrismate inungeretur, Fortunatus poëta Regi Epithalamium cecinit, quo Sigebertum Victorem Saxonum & Thoringorum compellat, ab eo videlicet, de quo diximus, felici ad Albim prælio:

Sigeberte potens, generosis clare triumphis,
Hinc nova te virtus prædicat, inde genus.

An. Christi 564. *Turon. l. 4. c. 23. Paul. Diac. l. 2. c. 10. Sigebertus.* Bellum ab Hunnis, Thuringis, & Saxonib⁹ Sigeberto illatũ. Sigebert⁹ Rex Thuringos, Saxones, & Hunnos ad Albim prælio vincit. Brunechildis Sigeberto nupta Arianam hæresim ejurat. *Fortunat. l. 6. car. 3. Turon. l. 4. c. 23. & 27*

Cujus

Cujus rapta semel sumpsit victoria pennas,
Et tua vulgando prospera facta, volat.
Saxone Thuringi resonant, sua damna moventes,
Unius ad laudes tot cecidisse viros.
Quòd tunc ante aciem pedibus prior omnibus isti,
Hinc modò te reges unde sequantur habent.

Magni ea victoria momenti fuit ad Regis splendorem & venerationem, qua & Saxones, ne continuò rebellarent, & Chilpericum fratrem aliquamdiu continuit.

An. Christi 568. Longobardi in Italiam irrumpunt, & novi regni auspicia capiunt ope Saxonum.

At novo subinde bello, regnoque per Italiam parto, Germania Saxoniaq; clara. Annus jam Christi agebatur quingentesimus sexagesimus octavus, cùm Alboino duce Longobardi Italiam ingressi, novum istic regnum ope Saxonum, haud secus quàm Franci in Gallia, Anglo-Saxones in Britannia, felicibus armis condiderunt. Sed libet prius de gentis ejus origine, quando ad hæc tempora bellaque Longobardorum Monasterienses & Paderbornenses nostri suarum urbium primordia referunt, pauca memorare. Longobardos à primâ origine sua Paulus Diaconus, Sigebertus, alijque mediæ ætatis scriptores ex Scandinavia Oceani insula educunt; perinde si aut hæc insula, ut dicunt, sola populorum officina fuerit, aut non certius aliquid de Longobardis ab antiquioribus scriptoribus sit proditum.

Horum origo ac sedes.

Tacit. de Germ. mor.

Sanè Tacitus in ipsa eos Germania collocans, inter Semnones, Hermunduros, & Cheruscos ac Suevos ad Albis ripas, *Longobardos*, inquit, *paucitas nobilitat, quòd plurimis ac valentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed prælijs et periclitando tuti sunt.* Vel eò Italus Cheruscorum Rex secunda fortuna ad superbiam prolapsus pulsusque, ac rursus Longobardorum opibus refectus, uti à finitimis populis adjutus. Strabo, qui Tiberij ætate scripsit: *Maxima*, inquit, *est Suevorum natio: nam et à Rheno ad Albim usque pertingit, et trans Albim habitant pars eorum, ut Hermunduri et Longobardi.* Paterculus, Tiberij Cæsaris expeditione *Fracti Longobardi, gens Germanâ feritate ferocior.* Igitur indigenæ Longobardi, ut ceteræ Germanorum gentes, creduntque eas Regiones incoluisse, per quas post Marchia Brandenburgensis & Archiepiscopatus Magdeburgensis protensus; quin utramque Albis ripam insedisse. Id perinde certum ex Paulo Diacono, *Longobardos ab intactæ ferro barbæ longitudine appellatos*, perinde ut Cattis ac ceteris etiam Germanis mos fuit, Tacito auctore; *Ut primum adoleverunt crinem barbamque submittere, nec nisi hoste cæso exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum.* Vel inde convenientius Langobardi à Tacito, Strabone, Ptolomæo & Procopio, quàm Longobardi vocitantur; quanquam usu posterius nomen invaluerit; gens ut ceteri Germani bellicosa. Multos ejus duces ac reges, multaque eorum bella Paulus Diaconus ex tradita majorum fide magis, quàm certis

Strabo l. 7.

Paterc. lib. 2.

Lang. & Bart. Tacit. de Germ. Strabo λαγγοβάρδοι.

certis temporum fastis introducit. Ex his, quia cetera incongruum hoc loco referre, Audoinus nonus eorum Rex post devictos Wandalos Pannoniam invasit anno Christi 526. Pòst fœdere cum Romanis icto, eorum opibus adjuti, Gepidas multis prælijs attriverunt. Bello deinde Gothico Romanis subsidio adfuerunt; ususque eorumque opera Narses, cum primis in debellandis per Italiam Gothis; quorum & fidis armis, & bellicâ fortitudine Totila Gothorum Rex cæsus, exactiq; Italia Gothi. At cùm Longobardi belluarum ritu tota Italia grassarentur, ac ferro flammâque cuncta vastantes sacras ædes stupris polluerent, Narses quamprimum in Pannoniam remisit. Audoino interim Rege mortuo, subrogatus Alboinus, Audoini filius, Longobardorum Rex, vir bello strenuus & clarus bellicis tropæis, cui ob id Clotarius Rex Francorum Clotsuindam filiam in matrimonium dedit. Ita Francorum societate firmatus, & pace cum Hunnis facta, Gepidas aggressus fudit, regnumque mirificè auxit, ductâ etiam post mortem Clotsuindæ Francæ in uxorem Rosemundâ Cuniemundi Gepidarum Regis filiâ. Pòst ubi & Narses Justini Imp. per Italiam supremus militiæ præfectus apud Justinum in crimen adductus, Imperatricis Sophiæ contumeliosis literis, ad lanarum pensa, ut Eunuchum decebat, redire jussus esset, talem se illi telam ordiri respondit, quam ne ipsa, neque vir ejus unquam retexerent. Nec leviora dictis facta fuerunt; utque vindictam expleret, Longobardos in Italiam excivit. Hæc Paulus Diaconus; quæ etsi Baronius ex Corippo improbet, contendatque Narsetem tum Constantinopoli in magna gratia vixisse apud Imperatorem, Petavius tamen, Calvisius, alijque Pauli Diaconi narrationem tuentur, ostenduntque ex Procopio, duos, imo tres tum Narsetes fuisse, quorum alius, qui tum gratia apud Imperatorem valuit, alius, & hic ipse Spado, qui Longobardos evocavit in Italiam. Itaque consilio expedito, acceptisque à Narsete literis, Alboinus decimus Longobardorum Rex, quibus ad Italiæ regnum occupandum invitabatur, nihil antiquius habuit, quàm ut Saxones, gentem eâ tempestate validam & bellicosam in societatem belli prædæque evocaret. Saxones adhæc læti promptique plus quàm viginti millia virorum expediunt ad arma, unáque cum uxoribus ac liberis & parvulis emigrantes iter in Pannoniam atque ad Alboinum suscipiunt. Quibus ille confirmatus simul ex Longobardis & interioris Germaniæ populis innumeras copias contrahit, ac spe ingentium, quæ pollicebatur, præmiorum factâ, profectionis tempus ad diem pridie Kalendas Aprilis proximo anno indicit. Hunnis interim Longobardi desertas abs se Pannoniæ provincias committunt, si quæ fortè adversa fors redire in sedes compelleret. Rebus omnibus ad expeditionem comparatis, Kalendis Aprilis, quo die Pascha â Christianis agebatur, ingressus iter Alboinus Longobardorum Rex cum

Paul. Diac. lib. 2. c. 7. Procop. de bello Goth.

Petavius l. 7. Ration. c. 10. Calvisius ad ann. 567.

Saxones Longobardorũ expeditioni secum xx millibus associant.

innumerâ hominum multitudine ad primos Italiæ fines pervenit. Inde excelsum quendam montem, qui Regius inde dictus, conscendit; contemplatusque ex eo amœnos & fertiles Italiæ agros, consilij sui rationes exposuit; ac postquam alacres omnium animos accepit, promotis castris, Venetiarum proximam regionem nullo obnitente ingreditur, primumque regni pedem in foro Julij figit. Inde sequentibus annis Liguriam penè omnem expugnavit. Mediolanum ingressus, Ticinum triennio obsedit, quo demum potitus, deinceps reliquam pervagatus Italiam præter Romam ac Ravennam cuncta propemodum occupavit, atque ita Longobardorum regnum, quod in ducentesimum sextum annum ad Desiderium usque postremum Regem à Carolo M. captum exactumque stetit, à Germaniæ populis, feliciori quàm Odoacris aut Theodorici Gothorum Regis successu confirmatum est. Ac facilè hic interpretor, non tam Longobardos ad Græcorum præfectorum avaritiam & scelera castiganda in Italiam evocatos esse, quàm ut & ipsæ Germanorum gentes, quod post Agilulfo quarto eorum Rege cœptum, verâ Christi religione imbuerentur. Nulla per id tempus Italiæ civitas, in quâ non Arianus simul & Catholicus Episcopus esset, quemadmodum id Paulus Diaconus scripsit, frustra penè tot annis Catholicis laborantibus, ut ab hæresi populum revocarent ad Catholicam religionem; quam tamen Longobardi Germanique nostri tam proni cum suo Rege susceperunt. Adeo barbaris gentibus veritatis ostium præ hæreticis semper patuit, ut rectè dixerit Augustinus, Judæos relinqui ad comparationem pulchritudinis, hæreticos ad excitationem torporis, gentes in materiam operationis. Nam illæ hæc aurea massa sunt, ex quâ Christiani formantur, hæreses opprobrij atque iræ divinæ vasa, quæ franguntur, ut projiciantur extra Ecclesiæ domum.

Alboinus Longobardorũ Rex ex alto monte Italiam conspicatus, militi fertiles agros promittit.

Sigon. l. 1. in Agilulfo.

An. Christi 570. *Paul. Diac. lib. 2. c. 6. Sigebertus. Meibom. in notis ad Widekindum. Gobel. in Cosmod. 6. ætat. c. 29. Auctor. spec. Saxon. Turon. l. 4. c. 29 Aimoinus lib. 3. c. 11. Sigebertus. Epist. Franc c. 30.*

At postquam ex hac Longobardorum expeditione, ut Paulus Warnefredus est auctor, Clotario & Sigeberto Austrasiæ Regi renunciatum, Saxones, ut supra diximus, vacuas habitationis sedes reliquisse, Sigebertus ad Rhenum profectus, Saxoniam intravit, & Suevos vicinasque gentes in eorum sedes reposuit. Suevos autem post hæc tempora incoluisse Halberstadiensem diœcesin vicinasque circum provincias complures sunt auctores. Ut hæc loca ab illis, alia trans Visurgim ab alijs gentibus, repleta à Sigeberto videri possint, quæ tamen à reditu suo ex Italiâ Saxones postea, ut dicemus, recuperârunt, conditâ abs se Mimigardiâ & Paderbornâ.

Hunni ex Pannonia in Austrasiã effusi.

Sub id tempus, quo Saxonia nudata incolis suis, Hunni ex Pannonia duce suo Cagano Austrasiam irrupêre, jamque fines Regni cum palantibus copijs ingressi, obvia vastare, & Rheni urbibus imminere cœperant; cùm Sigebertus Rex, evocato delectorum virorum exercitu, subitò Hunnis occurrit, certus confligere, ni Barbari magi-

magicis artibus instructi, delusissent Sigeberti conatus: Objectis quippe hecatæis strigum spectris ac terriculamentis, equi & milites effusè in fugam abjecti: Captus Rex ipse; at donis atque artibus ingenij se expediens Hunnum etiam ad pacem adduxit; in quam Sigebertus eò pronius concessit, quòd Chilpericus frater ambitione, & turbido ingenio impulsus per absentiam suam Austrasiam à tergo invasisset, Remisque occupatis, homo ferox sibi totum Regnum Austrasiæ destinaret. Igitur conversis armis Sigebertus Suessionem Regni ejus caput ac sedem expugnat, captoque Theodoberto Chilperici filio, patrem pro pace & filio supplicem in gratiam recepit. Adeo justis semper bellis Deus adest. Poterat dudum Saxonia subigi, nisi ipsi Francorum Reges ac fratres civilibus se armis, ferocius quàm ipsi Barbari discerpsissent; quorum nullam aliam habuere causam, quàm ambitionem & invidiam. Jam Monarchia illa, qua Barbaros vincere & Christianæ religioni submittere oportebat, sibi ipsi intestinis dissidijs erat prægravis. Quæ cùm Saxones aspicerent, ausi sunt identidem rebellare; quò & novum illud Saxonicum bellum referunt, quod cæteris silentibus uni Fortunato Poëtæ, ut volunt, annalium memoria debet. Vix dum ab Hunnis quieverat Austrasia, cùm Saxones denuo tumultuantes Rheno imminent, in quos ubi Sigebertus movit, armorum congressu obtrivit. Post Regem summum victoriæ decus apud Condonem, virum per omnes honoris & militiæ gradus sub quinque Francorum Regibus provectum, postremo domesticum & Majorem domus, Sigeberto Rege, per Austrasiam. Duos quidem ille filios hoc prælio Saxonum amisit; sed eo gloriosior senex strage hostium & triumpho Francorum. Inde hæc Fortunati acclamatio:

Sigebertus Rex Austrasiæ ab Hunnis captus

An. Christi 572.

II. Bellum Saxonicum Sigeberto Rege.

Quæ fuerit virtus, tristis Saxonia cantat,
Laus est arma truci non timuisse seni.
Pro patriæ votis, et magno regis amore,
Quo duo natorum funera cara jacent.
Nec graviter doleas cecidisse viriliter ambos,
Nam pro laude mori, vivere semper erit.

Fortunatus lib. 7. Carm. 16. ad condonem.

Tertius Condonis filius, cui Lupus nomen erat, ad novum cum Saxonibus prælium servatus. Nam postquam titulo ducis ornatus fuit, provincijs ad Rhenum moderandis imponitur. Saxones etsi fracti viribus, bellum tamen Danorum viribus adjuti redintegrant. Nec segnior Lupus adscitis Suevorum auxilijs Saxones & Danos cum parte exercitus aggressus prosperè devicit fugavitque. Victoria ab eodem Poëtâ celebrata:

Quæ tibi sit virtus cum prosperitate superna,
Saxonis et Dani, gens citò victa probat.

Fortunatus lib. 7. car. 7. ad Lupum.

Bordaa qua fluvius sinuoso gurgite currit,
Hic adversa acies te duce cæsa ruit.
Ferratæ tunicæ sudasti pondere victor,
Et sub pulvereanube coruscus eras.
Tamque diu, pugnas acie fugiente secutus,
Laugona dum vitreis terminus esset aquis.

Saxones quibuscum hoc bellum fuit, haud alios dixerim, quàm Angrivarios, eosque qui inter Rhenum & Visurgim populi post Westfali sunt appellati, imperiumque ad Logonam usque fluvium protulerunt. Vestigium ejus in Angario vico haud procul à Logona ex adversa confluentium Rheni & Mosellæ amnium ripa. Ac præter insitam prædandi libidinem non alia fortè belli causa, quàm quòd ante triennium Suevorum Coloniæ in Saxoniam introductæ.

An. Christi 573. &c. *Turon. l. 4. c. 49. alijs c. 44.*

Non destitit inter hæc Chilpericus frater turbulentissimi capitis, Parisiorum & Suessionum Rex, turbare Sigebertum, Austrasiamq; per Saxoniæ bella denuo infestare. Tam insatiabilis regnandi cupiditas erat, ut qui Chariberti morte Parisiorum Regnum adierat, etiam Austrasiæ inhiaret. Coactus his Sigebertus, pacem, ut licuit cum Saxonibus componit, quòd intestino fratris bello periculosius urgeretur, quàm Barbarorum; ipsosque adeo transrhenanos populos mercede conductos in auxilium adsciscit, quorum viribus cumprimis adjutus Chilpericum ex Austrasiæ Regno magna cum clade depellit. Opprimi poterat Chilpericus ac deleri; At quæ Sigeberti fuit moderatio, ultro pacem pro exitiali bello dedit, ratus amore certius quàm ferro animum fraternum expugnari posse. Non his flexus Chilpericus, mox à pace ad arma perfidus resilit, attractoque in societatem belli Guntramno fratre, Aurelianensium Rege, in Austrasiam irrumpit. Tum verò Sigebertus cum numeroso exercitu, quem ex Austrasijs, Alemannis, Suevis, Saxonibus ac transrhenanis gentibus contraxerat, Parisios usque in interiora regni progressus, cuncta subigit vastatque. At rursum pax inter fratres, rursum à Chilperico perfido bellum, quem postremò fractum, profugumque Tornaci cum uxoribus ac liberis includit Sigebertus. Ex eo omnis Francorum amor & studium in Sigebertum pro Chilperico Regem sibi deposcentium, quem & Parisijs exceptum, deinde ad Victoriacum Villam in Chilperici locum Regem salutant. Inde Sigebertus Tornacum cum exercitu digressus ad opprimendum Chilpericum. Ibi dum in castris versatur, submissi à Fredegunda Chilperici uxore Sicarij, à quibus per dolum & scelus transfossus occubuit, anno regni XIV. scelerata mulier! quæ postea ipsum maritum eodem facinore sustulit. Hic Sigeberti integerrimi Austrasiæ Regis exitus fuit. Hæc intestina Franciæ bella, quæ Turonensi per id tempus Turonum Episcopo tœdio fuit scribendo prosequi. Incertum verò an Franciæ magis

Turon. l. 4. c. 46. Aimoin. l. 3. c. 12. Sigebertus. Paulus Warnefredus.

noxia,

noxia, quàm opportuna ad rebellandum Saxoniæ, Sigeberto cum primis Rege Barbarorum terrore extincto.

Childebertus VI Austrasiæ Rex.

Unicum Sigebertus reliquerat filium Childebertum, nondum sceptris maturum. Hic cum matre Parisijs morabatur, quando de nece patris nuncius allatus est. Eò cum Chilpericus properaret, Gunebaldus rara in Principem Austrasiæ fide & caritate, puerum quinquennem per fenestram demissum, exceptumque sporta per fidum ministrum Metas deportari jubet, ubi mox summo procerum Austrasiorum studio Rex creatus, ac ipso natalis Christi die jura paterna adijt.

An. Christi 577. *Turon. l. 4. c. 37. Aimoin. l. 3. c. 7. Paul. Diac. l. 3. c. 6. Crantzius l. 1. Saxon. c. 29 & 30. Gobelin. in Cosmod. 6. ætat. c. 29. Paulus Aemilius in Childeb. Bussieres l. 2.*

Juvat hoc loco memorabilem Saxonum nostrorum ex Italia reditum, qui ad extremos Regis Sigeberti annos & exordia regni Childeberti, à Turonensi, Aimoino & Paulo Warnefredo refertur, una narratione complecti, eóque pronius, quod ad eum natales urbis Monasterienſis & Paderbornensis à nostratibus referantur.

Saxones ex Italia reduces in Galliam penetrant.

Saxones, quos supra diximus unà cum Longobardis in Italiam demigrasse, ad novas fertilioris soli colonias capiendas, postquam aliquot illic annis cum uxoribus & liberis vagi incertique sedium in Italia hæserant, primùm Longobardorum exemplo in Galliam irruptionem faciunt; seu novis prædis illecti, seu soli rursum mutandi causâ, ut tum vagus ille Barbarorum genius ferebat, quibus omne solum, fortuna & armis quæsitum, patria erat. Jamq; in Regense territorium penetrârant, castris apud Stablonem villam explicatis, è quibus, ut egestas & prædæ cupiditas suadebat, effundebantur per vicinos agros, cuncta circum locustarum instar depascendo vastandoque. Celebris eâ tempestate erat Eunius Mummulus Patricius, Guntramni Francorum & Burgundionum Regis supremus militiæ præfectus. Is qua fortitudine Longobardos jam alijs congressibus ejecerat ex Galliæ regionibus, eadem palantes Saxones, ducto per occulta itinerum exercitu, aggreditur, & multa clade ad vesperum usque grassando trucidat. Postridie Saxones comperta suorum strage castris egrediuntur, cæcoque impetu aciem instruendo ad pugnam se sistunt: nec ausus Mummulus furentes desperatæque fortunæ homines aggredi. Dum hîc sistitur, suspensis oculis & animis interveniunt pacis arbitri; conventumque in has leges: ut aut Saxones reddita præda & captivis in Italiam remeent: aut si per Galliam in suas sedes redire velint, jurent se in Francorum Regum potestate, & Regno, unde exierant, fore; hoc enim Turonensem hîc dicere arbitror. Ex quo haud obscurè æstimes, eam Saxoniæ Westfaliæque partem unde digressi fuerant, Austrasiæ tum paruisse. Igitur in præsens Saxones cum uxoribus & liberis & omni viatoria supellectile regressi sunt in Italiã, si quæ forte certa habitationis loca coloniasque à Longobardis impetrarent; quibus excluſi, altero mox anno ut Aimoinus scribit,

Saxones iterato redeunt in Galliam & per

Saxones

eam in antiquas trãs Rhenum sedes.

Saxones cum mutatoria illa familiæ & fortunarum scena in Gallias revertuntur, confisi à Sigeberto Austrasiorum Rege sibi in eâ regione, ex quâ exierant, sedes permittendas firmandasque. Nam Longobardi quicquid in Italia ceperant, sui juris, suæque gentis fecere; nec, qui periculorum bellorumque socij fuerant, Saxones passi sunt esse participes fortunæ; seu etiam, quod Warnefredus perhibet, Saxones detrectârint superba Longobardorum imperia, quæ mitiora sibi pollicebantur à Francis, olim popularibus suis. Insidebat adhuc animis pristinus gentis utriusque amor. Missis igitur legatis, à Sigeberto Rege liberum per Galliam transitum impetrant. Inde Saxones in duo agmina divisi Galliam intrant. Altera turma per maritimas Alpes Nicæam, altera per Cottias Ebrodunum tendit, jungendæ iterum in Burgundia & ad Rhodanum fluvium. Sed cùm adultus esset annus, nec segeti parcerent, nec direptionibus abstinerẽt, Mummulus in alteram ripam traducto milite negavit se viam daturum, nisi prius direpta restituerent, & pro consumptis aurum rependerent. Saxones circumventi, sollicitique pro imbelli suorum turba servanda, damna rependunt, quanquam non sine insigni fraude, tegulas videlicet miro artificio inauratas, sectasq; per laminas pro auro Francis obtrudendo. Nec fraus prius comperta, quàm Galliæ fines excesserant. Quamobrem multi mercatorum ad inopiam redacti. Inde per Sigeberti regiones itinere facto, Rhenoque transito antiquas sedes petunt, supra decimum annum à Suevis possessas. Ac Saxones cùm à Suevis sedes suas repeterent, obnixi contra Suevi, ac jus suum obtendentes, quòd auctoritate Sigeberti Austrasiorum Regis jam dudum in eas colonias traducti essent, possessione suâ se abituros negant. Quibus indignati Saxones arma, & vim intentant. Perculsi ad hæc Suevi, offerunt Saxonibus tertiam terræ partem. Ea enim regionis esse spatia, quæ utramque gentem capiant & consocient in unum Reipublicæ corpus. Non his acquiescunt Saxones, omnemque regionem, quæ sua sit, deposcunt. Suevi, ne res ad cruentum bellum veniret, quo se mutuo conficerent mediam se regionem cessuros spondent. Totam denuo repetunt Saxones. Suevi ne quam belli causam darent, etiam ad iniqua se dimittunt, offerendo omnia pecora Saxonibus, dummodo in tertiâ parte terræ sibi consistere liceat. Surdi immotique ad hæc Saxones, omni eos regione excedere jubent, ac, ni faciant, vi ac ferro se exacturos minitantur. His Suevi ad desperata coacti; sed qui virtute bellique artibus pares spiritus resumerent, extortum certamen ineunt, prælioque victores, viginti millia Saxonum trucidant. Cruenta clades, ex qua tria tantummodo millia Saxonum servata, ex Suevis non nisi sex millia, quadringenti & octoginta desiderati. Saxones etsi ex improvida rerum suarum fiducia ad internecionem cæsi, tria tamen illa virorum millia tantum iræ vindictæque spirârunt, ut pro

Greg. Turon. Aimoinus supra.

Saxones à Suevis cæduntur.

gentis

gentis more jurarent neque barbam se, neque capillos prius posituros, quàm Suevos ulti ope ceterorum Saxonum pœnas simul & sedes reposcerent. Factumne id sit, nemo scriptorum prodidit. Verosimile reputo, qui ex Saxonibus superstites fuere, dispersos per Westfaliam & Angrivariam inter gentiles suos consedisse, ac postquam nova sobole aliorumq; Saxonum viribus aucti, Suevos sedibus suis exturbasse. Inveteratum certè post illa inter utramq; gentem odium, quando constat Saxones lege sanxisse, si qua mulier suæ gentis Suevo denupsisset, ab omni hereditate paterna excideret. *Auctor Speculi Saxonici.*

Sed operæ magis pretium ad hunc Italicorum Saxonum reditum primordia urbis Monasterienſis & Paderbornenſis referre. Fasti ac Chronica Monasterienſium, quorum supra viginti vetusta exemplaria recensui, uno omnium scriptorum consensu perhibent ex majorum fide, urbis hujus initia à Longobardis esse posita. Non tam illi Longobardi fuerunt, quàm Saxones ex bello Longobardico reduces. Qui enim Longobardi per hæc tempora in Westfalia? quos Italia fertiliore solo & meliori fortuna retinuit; nec eos Saxones, à quibus expulsi discesserant, odio gentis in nativis suis sedibus passi, qui ne Suevos quidem tolerare poterant. Pars proinde redeuntium ex Italia Saxonum ad Alpham fluvium in inculto tum Monasterienſium agro; pars ad Luppiæ fontes in Paderbornenſi solo, unde fortè prius egressi fuerant, cum uxoribus & liberis resedit. Utrumq; locum singuli præmunire cœperunt, ad eum modum, quo in Italia castella & oppida conspexerant, ne quo repentino hostiũ incursũ obruerentur. Ac Mimigardia, cui Monasterium pòst nomen fuit, antequam in eam, qua nunc conspicitur, amplitudinem excresceret, principio castrum fuit horum Saxonum in colle ad subterlabentem fluvium amplo satis spatio, & in modum oppidi, exstructum, in quo Basilica cum collegio Canonicorum à Carolo M. posita. Ex adversa Alphæ fluvij ripa vicus, qui postea Christianorum cultu in amplam parochiam excrevit. Utrumq; locum prisco nomine, sed vario vocis flexu Mimigardam, & Mimegrodam, Minigardevordam, & Mimigardevordam, & Mimigernefordt, communius Mimigardevordam scripsêre. Inde primi à D. Ludgero ad Erponem Mimigardevordenses Episcopi. Nominis hujus origo, ut barbarum quid sonat, ex illa temporum vetustate, prorsus obscura & incerta; quamvis non desint qui velint expugnato Mediolano Saxones ad similitudinem ejus urbis condere cœpisse oppidum castrumve, quod Milangardefordam appellârint. Id verò oppidum ab agrestibus corruptâ voce Mimegardeforda dictum; & quia ex adversa fluvij ripa vicus erat, in quem ex castro trajectus patebat, Mimigardevordam dici cepisse. Vanæ fluxæque conjecturæ. Cur non potius Mimi aut Mini alicujus bellacis viri custodia castrumque? vox quæ Guardiam & gardiam sonat, ex Gallicâ Cisalpi-

An. Christi 584. *Chron. Monast.* *Gigas in descript. diac.* *Kersenbrochius c. 2.* *Histor. Anap.* *Et Episcop. Paderb.*

Cisalpina, unde Saxones redière cum præfecto loci, aut ipsis Saxonibus deportata. Nec desunt auctores, qui vocem Gard Sclavicam velint, tanquam sepimentum burgi & oppidum significet, à qua Neugard & Stargart oppida? alij etiam Longobardicam asserunt; sed à neutra gente primordia Mimigardevordæ. Quamobrem his alijsque ingenij commentis facilè supersedeo, quòd satis sit Mimegardevordam vetus Saxonum castrum accepisse certiori majorum fide, in quo nobilis illa & prædives fœmina à D. Suiberto cœlesti ope persanata domicilium habuit. Ac verosimile Saxones ex Cisalpina Gallia reduces semina quædam Christianæ religionis secum apportasse inter barbaros gentis suæ. Ob quæ D. Suiberto post tam facilis aditus hospitiumque istic patuerit ad Christi doctrinam libere tradendam. Locus exinde à celebri & illustri Canonicorum collegio, quæ antiquitus monasteria dicebantur, in Monasterij nomen transijt, ex quo urbs & Diæcesis nomen traxit; fallunturque, qui à Monasterio virginum, quod Hermannus Episcopus trans aquas condidit, id nomen deducunt.

Cluverius l. 1. c. 13.

Paderbornenses haud secus quàm Monasterienses ad hos, de quibus agimus, Saxones ex Italia reduces, urbis suæ primordia referunt; quos inter Gobelinus Persona haud vulgaris scriptor, & antiquitatum cognitor. Quamvis non alia nobis ad hanc rem monumenta suppetant, quam tradita majorum fides, ex qua pleræque vetustarum urbium suas origines cognitas habent. Jam tum ævo Caroli M. Paderborna celebris tot Francorum testimonijs; neque tum nata primùm, quæ jam antè condita & habitata invitavit Carolum M. ad tot Saxonum Francorumque conventus & populi comitia. Quin adeo quidam probârunt, hæc urbis initia, ut Paderæ nomen à Pado Italiæ flumine ab his Saxonibus importatum, primò inditum velint, à quo deinde ipsum oppidum Paderborna sit appellata; secus tamen alijs visum. Certè vetustus Poëta, qui & ipse gente Saxo Arnulpho Imp. scripsit, nihil de Paderæ nomine à Pado traducto, barbaricum ille potius vetustumque censet nomen à barbaris incolis & fontibus ex queis nascitur, impositum. Origo proinde nominis Paderæ, ut Mimigardevordæ, multùm incerta. Sed hæc vel ab ipso Principe Ferdinando in Monumentis Paderbornensibus, erudito; illo commentario satis superque sunt pertractata, cujus judicio nihil in hac re præcerpi velim. Paderæ profectò nullus Romanorum scriptorum meminit, quòd Luppiæ fontibus Luppiæque rivis intra breve spatium confluentibus complexi sint; ut vel inde Paderæ nomen ab ipsis post Saxonum incolis sit inditum, à quibus ipsa Paderborna civitas sua primordia habuit, quæ ad hunc Saxonum ex Italia & bello Longobardico reditum, posteritas ex majorum fide retulit, sæculo illo quingentesimo jam in annum octuagesimum quintum se provolvente.

Gobelinus in Cosmod. notis. Reineccius ad poëtam anonymum. Monumenta de Padera.

Sub

Sub id tempus Carolomannus, Hasbani filius, Pipini Landensis ac Ducis Agrippinensis pater, Tungris moderandis impositus, latè tum imperium per Austrasiam inferiorem, Rhenum inter & Mosam, latéque per Ripuariam atque alteram Rheni ripam complexus. Vir eminens bellica virtute & sapientia, qui inter ceteros Regni proceres juventutem quoque Childeberti Austrasiorum Regis moderabatur. Atque ut ad Caroli M. stirpem recognoscendam hæc verbo interseram, Pipini hujus Landensis filia, cui Beggæ nomen, denupta Ansigiso, ex quo matrimonio Pipinus Heristallus, Carolus Martellus, Pipinus Rex & Carolus M. suo se quisque ordine consecuti sunt. Adeo hujus familiæ progenitores gente Franci, per Austrasiam, & hic vel maximè ad Rhenum ab hoc Carolomanno Duce celebres. An. Christi 585. *Gordonus ad hunc annum. Myræus notitia Belg. c. 30. aliiq.*

Inter hæc dum Saxonia quiescit ab infestando Rheni limite, ac Suevi etiam Saxonesque mutuis se dissidijs armisque fatigant; Childebertus Austrasiæ Rex iterato exercitum in Italiam deportavit adversus Longobardos; tum quòd Franci à Longobardis primò lacessiti, tum quòd Mauritius Orientis Imp. missis ad Childebertum legatis Austrasios sollicitaret ad id bellum inferendum, ratus nullius ope Longobardos opportunius potentiusque Italia ejici posse, quàm Francorum Regum armis. In quam rem quinquaginta millia solidorum pactus obtulit, numeravitque quotannis. Quibus Childebertus juvenis eò facilius se perpelli passus, quòd & ipse Italiæ Regno inhiaret, ut expugnatum Austrasiæ conjungeret. Tertiùm inde cum valido exercitu Cisalpinam Galliam ingressus, irrito per clades semper eventu; uti hæc à Paulo Diacono explicatè memorantur. Postremò, quæ quarta ejus expeditio fuit, hoc anno nonagesimo supra quingentesimum, majori quàm ante delectu habito, florentissimum exercitum instauravit, quem viginti ducibus commissum traduxit in Italiam. Ad tantam potentiam consternati Longobardi urbibus & castris se inclusêre, dum exercitus Austrasiæ fame, morbis & injurijs cœli confectus in Franciam redire compulsus. Pace deinde cum Longobardis transactum, belloque finis datus, frustra Mauritio Imp. Francorum fidem aversante, & reposcente aurum; neque etiamnum Italiæ Regnum destinatum erat Francis. Felix interim annus, qui Gregorium M. Pontificem dedit, quemadmodum Beda eum compellat, qui sub initia Pontificatus sui Apostolicos viros in Angliam misit, de quibus mox referam. An. Christi 590. *Greg. Tur. lib. 10. c. 3. Aimoin. l. 3. c. 37. Sigonius l. 1. de Reg. Ital. Paulus Diac. l. 3.*

At Childebertus Austrasiæ Rex hæreditate paterna fortunatior quàm bellis: Quippe Guntramnus Burgundiæ Rex pietate & religione celebris, à quo jam antè hæres scriptus erat, è vivis excessit, adijtque Regnum illud sine armis Childebertus. Quæ etsi quidam ad superiorem annum, cæteri tamen ad hunc quingentesimum nonagesimum quartum retulere. Auctus novo Burgundiæ Regno Chil- An. Christi 594. *Bollandus v Kal. April. Petavius. Bucherius. Myræus. Brovverus.*

Childebertus, bellum Fredegundæ Reginæ intulit, ulturus patris necem, quem perfida mulier per sicarios interemerat. Nec segnior Fredegundis ad hostilem belli apparatum, & ipsa exercitum contrahit; quo obviam progressa, Clotariumque novennem puerum, quem Chilpericus unicum Regni Parisiorum heredem reliquerat, manu ducens, militem ad bellandum hortatur. Regij pueri aspectus militum animus atque impetus fuit. Inde fœmina dux belli unà cum Landrico supremo militiæ præfecto copias per inobservata silvarum loca nocte intempesta ad castra hostium rapit, obruitque ex improviso Childebertum. Ingens clades edita, qua supra viginti millia cæsa, cæteri in fugam aversi. Altero mox anno cum exercitu ad Rhenum progressus Childebertus Agrippinam intravit, ubi & additamenta Salicæ legis fecit, & Chrenecrudam legem abolevit, qua paganorum ritu expiatio homicidij fiebat, nec rei tantum, sed & propinqui possessionibus excidebant. Mox arma in Varinos, qui Fredegario Warni sunt, convertit. Gens ea ad Westfaliæ fines atque ostia Rheni, ut supra diximus, confederat, auctaq; viribus & animis ausa rebellionem machinari in Francos. Quod ubi Childeberto compertum, exercitum in eos ducit, inopinantesque tantâ strage obruit, ut vix gentis stirps remanserit. Quanquam ut supra relatum, nativæ gentis sedes prope incognitæ, nisi quod transRhenum incoluerint. Celebris tamen olim, uti ex legibus Werinorum & Anglorum constat. Sanè, quòd Francis rebelles scribantur, argumentum est imperio Francorum paruisse, à quibus & præscriptas has leges, haud secus, quàm Bojarij, Alemanni, Ripuarij, alijque subjecti populi acceperint; demigraruntque fortè Anglij hi & Varini ad Visurgis & Rheni ostia, diffusi per Frisiæ & Westfaliæ fines, diversi certè à Thuringis; etsi inscriptio id præferat, uti, id ab alijs observatum, & supra à nobis ex Cassiodoro assertum est.

Per id tempus Charibertus Tassilonem primum Bavariæ Regem instituit, haud alio necessitatis consilio, quàm ut Hunnis & Sclavis (quæ gentes per id tempus infestæ imminebant) objiceret. Et jam antè Sclavi gens Scythica Vistulam transgressa ad mare Balthicum atque Albim se diffuderant, latéque per interiorem Germaniam imperitando, terras à Wandalis, Longobardis & Saxonibus desertas occupaverant. Eò Saxones intra Albim, Visurgim & Rhenum magis restringi cœperunt. Varium multiplici genti nomen, ijdemque Heneti, Vinuti, Winithi, Venedi & Wendæ dicti, quos Crantzius cum Wandalis confundit. Nam hi Germana gens, illi Scythica; ab his Sclavis ac Venedis, Wiltzi, Sorabi alijque populi sequentibus sæculis perpetui Francorum, Thuringorum & Saxonum hostes.

Deletis ad Rhenum Varinis, haud multò pòst superstes Charibertus unà cum uxore extinguitur, non sine præbiti veneni suspicione, re-

Ftedegundis Regina novennem puerum producit hortando milites ad pugnam.

An. Christi 595. *Conring. in leg. Sal. c. 7. Wendeling in leg. Sal. Titulo 61. leg. Sal. Fredegar. c. 15. Aimoin. l. 3. c. 83.*

Warini à Childeberto victi, ac deleti. *Brouverus in ann. Trevir. ad hunc annum. Codex legũ ab Heroldo & Lindebrochio editus. Conring. de orig. jur. Germ. c. 13.*

An. Christi 596. *Paul. Diac. lib. 4. c. 7. Sigebertus ad ann. 595. Hist. Bavar Helmoldus hist. Sclavi. Bangertus in comment. Helm. Cluverius.*

Theodobertus II eo nomine

ne, regni quidem anno XXIII, sed qui ex flore ætatis annum XXV. tantum ageret. Paternum mox regnum duo inter se filij partiti: Theodobertus eo nomine II. & Theodoricus: Ille Austrasiam, hic Burgundiam sortitus. Ob teneram utriusque ætatem Brunechildis avia regni administrationem sibi sumpsit. Atque hic simul ille auspicatissimus annus est, quo Gregorius M. Pontifex Augustinum monasterij sui præfectum sanctissimum, Mellitum, aliosque cum eo sacerdotes ac monachos misit in Angliam, à quibus Saxones nostri abjecto Idolorum cultu Christi religionem sunt edocti. Centum jam & quinquaginta anni, uti Beda auctor est, à primo Saxonum in Britanniam adventu effluxerant, & vix sæculum exinde ab Augustini sociorumque adventu evolutum, cùm tota Saxonum & Anglorum gens abjecto Idolorum cultu ad Christi sacra transierat, tam fervida ad stuporem orbis in Christi religione, quàm ante fuerat superstitioni dedita. Ac nihil æquè mirum fuit, quàm ferocem illum populum potuisse tam citò in legem Christi mitescere. Ex hac deinde Saxonum gente D. Willebrordus, Suibertus, alijque Apostolici Viri submissi, qui Frisiam & Saxoniam nostram, Westfalos cumprimis & Angrivarios gentiles, veteres populares suos, Christi legem docuerunt. Ac priusquam Augustinus cum suis in Angliam descenderet, Gregorius M. Pontifex primum eos Childeberto regi, eoque intra hunc annum sublato, mox Theodoberto & Theodorico regibus per epistolas commendavit. Sanè Anglorum hanc gentem, quæ cum Saxonibus ex his Saxoniæ provincijs, ut diximus, in Britanniam demigrârat, divino quodam monitu adamare complectique visus Gregorius M. Nam postquam ab eo compertum est, ut Joannes Diaconus scribit Romæ adolescentes Anglos venum expositos esse, admiratus vultus elegantiam, & habitum oris & corporis, gentisque, ex qua orti essent, decorem honestatemque, Angelos eos compellavit, emptosque censuit, non ut alia mancipia, glebis tradendos, sed qui Angli erant, jussit inter Angelos collocari, atque in Monasterijs religiosa disciplina excoli; ut haberet ex ijs, quos genti suæ aliquando ex nativi sermonis commercio submitteret Christianæ religionis doctores. Quam in rem cùm didicisset postea ex captivis ejusmodi Anglos adolescentes etiam in Gallijs exponi venales, scripsit ad Candidum presbyterum, eique in mandatis dedit, emeret ex captivis ingenuos hosce Anglos adolescentes, & monasterijs committeret Christianis moribus erudiendos.

VII. Rex Austrasiæ. *Paul. Diac. lib. 3. c. 25. Beda lib. 1. c. 23. Joan. Diac. lib. 2. c. 34. In vita S. Gregor. Gregor. epistola ad Charibertum. Theodobertum & Theodoricũ Baron ad hunc annum 596.* Gregorio M. in Angliã mittit Augustinum Monachum cum alijs socijs, à quibus Saxones transmarini ad Christi fidem conversi. Gregorio M. adolescentes Anglos Romæ venales Angelos dixit, emptosq; in monasterijs educari jussit. *Lib. 5. Epist. 10.*

Nec minus Francicam gentem jam in Gallijs florentem dominantemque dilexit Gregorius M. æstimavitque præceteris nationibus, ob Catholicæ religionis fervorem defensionemque Romanæ Ecclesiæ. Quare primum ad Brunechildem Reginam Childeberti

Gregorius M. Anglos quoque adolescẽtes in Gallijs emi

jussit eodem fine. Gregorius M. Francicam gentem dilexit & æstimavit.

Lib. 5. epist. 5. Regis matrem inter cetera scripsit: *Non immerito contigit, ut cuncta gentium regna præcellat Francicum, quando Franci earundem gentium creatorem et purè colunt, et veraciter confitentur.* Deinde ad ipsum Childebertum Regem: *Quanto ceteros homines dignitate regia antecedit, tanto ceterarum gentium regna regni vestri profectò culmen excellit. Esse autem Regem, quia sunt et alii, mirum non est, sed esse Catholicum, quod alii non merentur, hoc satis est. Sicut enim magnæ lampadis splendor in terræ noctis obscuritate luminis sui claritate fulgescit, ita fidei vestræ claritas inter aliarum gentium obscuram perfidiam rutilat et corruscat.* Et quæ in hanc rem, & gentis encomium exponit Pontifex magnus; dedit autem hasce literas candido presbytero, quem in Gallijs habebat procuratorem patrimonij S. Petri, simulque munus transmisit Regi Christianissimo dignum, Claves videlicet S. Petri, in quibus de catenis S. Petri fragmentum inclusum erat, quod Rex è collo suspendit, antidotum & munimen adversus machinamenta hostis humani generis.

Lib. 5. epist. 6.

Claves S. Petri à Gregorio M. munus missæ ad Francorũ Regem. *Append. Turon. c. 17.*

Ceterum Theoberti initia regni turbida imperio duarum arrogantium mulierum, Brunechildis & Fredegundis, quæ Franciæ regnum impubere Regum ætate moderabantur. Fredegundis per hæc opportuna vindictæ tempora hostilem exercitum misit in Austrasiam, profligatisque Theoberti copijs, provincias ejus fœdum in modum afflixit, ultraque etiam processura, ni impiam & furiosam fœminam mors rapuisset.

An. Christi 598. &c. *Aimoinus lib. 3. c. 85. Paulus Diacon. l. 4. c. 12.* Hunni in Thuringiam irrumpunt.

Per hæc intestina Franciæ dissidia Hunni, quos & Avares passim dixêre, effusi in Thuringiam prorumpunt. Grave inde & diuturnum bellum exarsit inter Francos & Hunnos, magna Austrasiæ vastatione. Nec prius sopitum, quàm Brunechildis Hunnorum duces auro expugnaret, & pacem pecunia mercaretur; Qua accepta Hunni in Pannoniam ingressi. Tam infirma tum Austrasiæ res erat sub muliebri & imbelli adhuc regum imperio. Quibus Saxones provocati rebellionem machinari cœperunt, quæ haud multò post in apertum bellum erupit. Hostes illi perpetui exinde ac fatales Francorum Austrasiorum ad Carolum M. inter alternas bellantium fortunæque vices. Et qui vetera componit cum præsentibus, intelliget is tam pertinaciter Saxones, cumprimisque Westfalos, decertasse pro libertate & limite Rheni contra Francos, quàm olim ipsi Franci cum Romanis depugnârunt. Id quomodo processerit deinceps, uti cœptum, memorabitur, donec narrando ipsum Carrolum M. Saxonum domitorem contingamus.

LIBER

LIBER VI.

WESTFALIA FRANCICA & SAXONICA.

Aurora Christianæ religionis per Francorum Reges.

ANnum à Christo nascente sexcentesimum, ac novum ex eo sæculum ingredimur, quocum aurora Christianæ religionis tandem Westfaliæ Saxoniæque suboriri cœpit; eò deinceps nobis scribendi labor jucundior, nec dubium quin legenti etiam futurus sit; offerent enim sese post tot bella cum Barbaris gesta, & post longas superstitionum tenebras, quibus harum regionum populi ab ipsâ sui origine tot sæculis immersi hæserunt, fortunatissima Christianæ religionis auspicia enarranda. Serò quidem, ac non nisi sæculo à Christo septimo per Apostolicos Viros Christi religio cœpta importari transRhenum in Saxoniam, cùm jam tota prope Europa, atque ipsa etiam citerior Germania (quemadmodum id ab Irenæo etiam, ad Germaniæ Ecclesias appellante, inter ceteros hæc accepimus) magnam partem Christi doctrinam recepisset. Hujus rei causæ atque impedimenta facilè æstimabuntur, si quis conturbatum Barbarorum irruptionibus Imperij Romani statum: si intestina ac civilia Francorum bella, quibus cursus Evangelij multum retardatus est: si deinde Saxonum ferociam, & superstitionis pertinaciam, bellaque, quæ exæquo cum Francis Marte gessêre, secum reputaverit; quanquam in his divini magis Numinis providentia suspicienda, altiorque quædam sese pervestigatio rerum offerat, quare nimirum cum alijs gentibus citiùs, cum alijs seriùs Evangelij lumen communicatum sit. Abdita quidem hæc mortalibus consilia, quæ admiratione potius veneranda, quàm ingenij disceptationibus pervestiganda sint; quantum tamen per rimas divinæ lucis, quantumque ex sacris quibusdam vaticinijs, ac rerum eventu æstimare fas est, videtur ejusmodi ratio adferri posse; ut, quemadmodum Deus Solem hunc aspectabilem non uno simul ortu atque aspectu omnibus simul terræ incolis communicari voluit, sed transcursis ordine cœli terræque plagis primùm Orientis regiones, deinde quæ ad Meridiem, postremùm quæ ad Occidentem & Aquilonem vergunt collustrari; ita pror-

An. Christi 600.

prorsus sentire fas sit, voluisse Christum, Solem illum justitiæ ac lumen religionis, prius Palæstinam, in quâ ortus, atque Orientales regiones, Italiamque, in qua Ecclesiæ suæ principatum sub uno Pontifice constituit, Evangelij luce perfundi; *ab ortu enim Solis usque ad Occasum magnum est nomen* ejus *in gentibus*. Deinde ad Meridiem Gallia, Hispania, Anglia, & Belgica utraque Christi religione imbuta. Visus tum *ab Austro venire Deus*, quando ex ijs regnis venêre primum Apostolici Viri in Frisiam & Saxoniam, qui Barbaros hosce ad Occidentem & Septentrionem populos ab inanium Deorum superstitione ad veri Dei cultum perducere sunt aggressi: compertumque est illud Isaiæ vatis oraculum. *Ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni: da: et Austro: noli prohibere: Affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis terræ.* Jam adeo ipsi Franci, qui antè inter suos barbari erant, in Gallia, Longobardi in Italia, Gothi in Hispania, Saxones transmarini in Britannia cum Regibus suis ad Christi sacra transierant, relictâ adhuc superstitione in nativis sedibus suis, è quibus olim emigrârant; nec tamen ultra quàm Rheni flumine Franci hactenus & Saxones disjungebantur; poterantque fœdera & commercia Francorum tum pati Saxones, nulla religionis. Adeo pertinax superstitionis avitæ populus; licet jam Alemannia, Thuringia, Hassia & Frisia, ceteræq; trans Rhenum circumpositæ provinciæ sese Christi legibus submisissent. Sed priusquam ad hæc felicitatis tempora cœpta perveniat narratio, exponenda sunt prius cetera Francorum ac Saxonum inter se bella.

Malach. 1.

Isai. c. 43.
Thom. Boz. tom. 1. lib. 4. c. 6.

Aimoin. l. 3. c. 88.
Append. Greg. c. 19. & 20.

Theodebertus Austrasiæ Rex, quo cum supra narrata prosequimur, facta cum fratre Theodorico Burgundionum Rege conspiratione, primò funestum Clotario patrueli, & Parisiorum Regi bellum intulit; consertoque prælio, tanta utrinque cædes facta, qua Arvennæ fluvij alveus cadaveribus obstructus, fluxum aliò averterit. Victores fratres Clotarium profugum Parisios insecuti ad novam Regni partitionem compulerunt, quâ mirificè Austrasiæ Burgundiæq; Regnum utrique fratrum est amplificatum. Inde victoria elati Vasconiam intrant, subiguntque.

An. Christi 601. &c.
Aimoin. l. 3. c. 89.
Paul. Diac. lib. 4. c. 31.

Bellum Saxonicũ III.

Bellum subinde Saxonum exarsit, cruentum non minus quàm Francicum, seu à Theodeberto illatum ad domandam gentem, perinde ut cum Vasconia fecerat: seu Saxones ultro rebellârint, quod auctores Francici, ut nostra in plerisque neglexerunt, præterière. Id fassus Aimoinus & Paulus Warnefredus, magnâ utrimq; strage Francos inter & Saxones pugnatum esse. Nec dubium fecero, quin Theodebertus Rheno transmisso Saxones in suis sedibus aggressus sit, quo deinde consequentes Reges Clotarius & Dagobertus ad Visurgim usque Saxones sunt insecuti. Nec præsentis belli alius exitus apparet, quàm pacificatio inter Theodebertum & Saxones, quando haud

haud multò post Saxones socialia cum Austrasijs bella contra Burgundiones gessêre.

Qui hinc proximè consequuntur anni, capitalibus inter Theodebertum ac Theodoricum odijs ac seditionibus fraternisq; bellis turbidi, nihil memorabile adversus Saxones edidêre. Fax omnium malorum Brunechildis avia, primùm à Theodeberto expulsa ex aulâ, mox recepta, iterum rejecta, ac profuga ad Theodoricum Burgundię Regem, donec fatali bello nepotes Reges collideret. Anno igitur regni decimo septimo, Christi 612, ut Miræus, Bucherius ac Petavius alijque rectius consignant, ex magno belli apparatu furentes fratres apud Tullum oppidum cruenta signa conferunt. Victus acie Theodebertus Austrasiæ Rex cum lacero ac trepido agmine Coloniã confugit; quâ in urbe præter Ripuarios ex Saxonibus, Thuringis & transrhenanis gentibus validum instaurat exercitum; quiq; ante Theodeberti hostes fuerant Saxones, læta gens bello, ad signa Theodoberti convolant. Robore illo bellicosi populi confisus Rex, rursum procedit Theodorico obviam ad Tolpiacum oppidum, fatalem cladibus Alemannorum locum. Eodem Theodoricus Rex pugnæ avidus accelerat. Ibi distributo in ordines suos utrimq; exercitu, collatisq; signis atrocissimè ab hominum memoria decertatum est. Tanta pertinacia inter alternas cædes perstabat utraq; acies, ut nec mortuis collabendi in terram locus, nec vivis consistendi relinqueretur. Stabant mortui inter pugnantes, & equi quibus insidebant, unà cum viris, tanquam in versatili scena circumferebantur, donec postremũ Theodeberti phalanges inclinarent, & Rex ad miserandam suorum cædem stupefactus terga verteret. Tum verò, insequente Theodorico, fugientes ritu pecorum trucidati, & campi collesque cæsorum cadaveribus repleti ipsas prope vias interclusêre. Fuga hac se Theodebertus rursus Coloniam recipit. Inhæret à tergo Theodoricus, æstimans parum hoc prælio actum, nisi Theodebertum captivũ teneat. Eò cum victore exercitu ad Rhenum advolat, obsessurus Coloniam Agrippinam, quâ in urbe tanquam in Metropoli ac sede Austrasiæ Theodebertum se inclusisse acceperat; statimq; Ripuarios ad Rhenum accolas Ubiosq; ferro & flamma divastat, palam affirmans, nullum his finem fore, nisi Theodeberti caput, aut ipsum ad se vinctũ perducant. Quibus Ripuarij perterriti, regiam Coloniæ urbem ingrediuntur, ac Theodebertum adeuntes, denunciant, non prius Theodoricum ab urbe & finibus recessurum, quàm paterni thesauri tradantur. His temere creditis, dum Theodebertus comitante proditorum turba Gazophylacium subit, ab uno comitum gladio in caput adacto perimitur. Illico abscissum caput per urbis Agrippinæ muros circumlatum ostentatumque Theodorico; quo conspecto, territisq; civibus, ipsa etiam urbe potitur. Direptis deinde thesauris, urbi parcitum, tantumque

An. Christi 612. *Aimoin. l. 3. c. 98. Fredeg. c. 38. Paul. Diac. l. 4. c. 42. Sigebert. ad an. 617. Bucherius in Chron. Miræus in Chron. Petav. in ration temp. lib. 7.*

Prælių ad Tullum inter Theodebertũ & Theodoricum Reges ac fratres.

Theodebertus victus Coloniã fugit.

Prælium ad Tolpiacum inter eosdẽ fratres, victus denuo Theodebertꝰ Coloniã se recepit.

Append. seu Epit. c. 38. Aimoin. l. 3. c. 98. Fredeg. c. 38. Brovverus.

tumq; cives juramento in fidem accepti. In hunc modum Aimoinus, Turonensis, atq; Ado Theodeberti exitum narrant. At Fredegarius, ac plerique aliter, quod & ipse Aimoinus agnovit. Memorant illi Theodebertum ab infelici pugna, quòd Agrippinæ sibi non fideret, transmisso Rheno in Saxoniam profugisse, quem è vestigio ad jussa Theodorici insecutus Betharius Dux comprehenderit, captivumq; ad Theodoricum & Brunechildem retraxerit; qui postquam Coloniæ in conspectum horum adductus constitit, illico, res fœda dictu, regalibus ornamentis exuitur, ut simul Austrasiæ Regno exutus conspiceretur, & Brunechildis ut odium expleret, hortabatur Theodoricum, ut vinctũ Cabillonem transferret, & attonsum in ordinem cleri redigeret; quo mox consilio in sævius mutato obtruncatur, quod in ipso, quo confugerat, Gereonis asylo factum, ex vetustis monumentis perhibet Gelenius. Eò & vindex illa Numinis manus credita fuit monuisse Theodoricum. Nam dum Coloniæ in Basilica D. Gereonis jusjurandum à Magistratu & civibus exigit, visum sibi est latus gravi ictu percuti: dumque exclamando jubet occlusis foribus percussorem capi, inventus est nemo, qui id fecerat: veste interim à cubicularijs retecta, vulnus nullum præter purpuream cutis notam deprehensum est: Tanquam D. Gereon vindictam hanc violati juris humani sacrique intentârit. Nec tamen destitum à morte patris sævire in Theodeberti filios, quos Theodoricus, impellente Brunechilde, aut Coloniæ, ut quidam volunt, aut Metis, ut Aimoinus perhibet, enecari jussit. Hos inter Meroveus infans, à Brunechilde saxo illisus, cerebro insontis juvenis in terram profluente. Idem filiæ machinata: At ea cum ob pulchritudinem in sponsam placere cœpit Theodorico, subtracta neci. Reperio autores, qui ex hac laniena subductũ memorant unicum Sigebertum Theodeberti filium, quem alij natu majorem fuisse perhibent; ac cùm nullibi tuta latebra esset, trans-Rhenum in Thuringiam profugisse, ubi exul delituerit, donec an. 628. Dagobertus Austrasiæ Rex miseratus sortem consanguinei, Comitẽ Ducemve Alemanniæ in trans Rhenana provincia institueret. * Atq; hunc Sigebertum Austrasiæ Regis filium Habsburgensium Comitum & Austriacorum progenitorẽ conditoremq; esse volunt. Quæ si vera sint, stirps illa totius Europæ fulgentissima, & regnatrix domus à prima origine ad Merovingos & Sicambros nostros se refert. Horum certè auctorum, qui vel à Sigeberto exule, vel horum temporum Franciæ Regibus deducunt, post Trithemium, Stabium & Latzium magnus est numerus, quos adscripsi; quibus tamen vehementer se opponit Guillimannus in libris suis de origine domus Austriæ, quòd inter cæsos Theodeberti Regis filios nullus Sigebertus superstes fuisse prodatur, nisi quem Thrithemius forte ex Hunibaldo fabuloso scriptore tradidit. Neq; ego alium apud Francicos scriptores

hac

Theodorici in fratrem sævitia.

Brunechildis sævitia.

Theodorici ob cædem fratris divina Coloniæ monitio.

*Sigebertº an Theodeberti filius, & ex eo Comites Habspurgici, & Austriaci. *Trithem. de orig. Franc. Stabius & Latzius de Geneal. Austr. Eisingerus Theat. Princip. Pontus Heuterus lib. de orig. Austr. Joannes Rassius Gen. Aust. Joannes Engerdus synchariſt. Jacobus Keraſtlitus Chron. Apogr. Jodocº Coccius in Dagobert.*

hac procella temporum invenio Sigebertum, quàm Theodorici filium, unà cum Corbo fratre à Clotario interemptum. Quæ hic Trithemius visus est confundere, & Sigebertum Theodorici Regis filium pro Theodeberti filio supponere, cæteris in eundem errorem abductis. Nihil Fredegarius cæteriq; prisci rerum Francicarum scriptores de Sigeberto Theodeberti Regis filio memorant. Quanquam in istâ regiarum prolium multitudine facilè aliquis prætermitti potuerit; ac verosimile sit Theodebertum non minus quàm Theodericum filium suum avi sui Sigeberti Austrasiorum celeberrimi Regis nomine consignasse, qui ex illâ tempestate se subtraxerit. Res in utramque partem nondum satis explorata. Quamobrem ferunt Carolum V. solitum dicere, nolle se altius quàm à Rudolpho Habspurgico suæ stirpis originem inquiri, quòd ea, quæ supra afferantur, multùm fabulis sint obnoxia. *Aimoin. lib. 4. c. 1.*

At nos belli hujus exitum expediamus. Theodoricus, prostrato Theodeberto fratre, Austrasiæ Regnum adijt, Burgundiæque Regno suo conjunxit. Sed brevis ejus fortunæ potentiæque usura. Nam cùm bellum appararet in Clotarium Parisiorum Regem, totius Franciæ monarchiam ambiendo, alui profluvio Metis extinguitur, seu veneno per Brunechildem propinato, seu ut alij volunt, fulminis flamma ictus. Hoc rerum statu Brunechildis avia Austrasiæ Regnum assumpsit moderandum pro Theodorici liberis, quos ille quatuor ex concubina genitos reliquerat: Sigebertum, Corbum, Childebertum & Meroveum, ætate ad regnandum imbecillos. Simul intenta Brunechildis, ut Sigebertum natu maximum regno admoveret. Verùm Austrasiæ proceres, quorū Arnulphus & Pipinus Principes, pertæsi mulieris dominatum, facta conspiratione Clotarium advocant; atq; ille mox in Austrasiam tendit. Eo cognito, Brunechildis, quæ tum Wormatiæ agebat, mittit ad Clotarium, oratum, ne Sigeberto Theodorici filio jus regni præripere velit. Simul cum Warnario palatij magistro & Alboino Sigebertum mittit in Thuringiam ad transrhenanas ac Martias illas gentes sollicitandas in subsidiū; inter quàs Thuringi ac Saxones cumprimis celebrati à scriptoribus Francicis, nulla Chattorum Hassorúmve bellicosi semper populi, quod mireris, facta mentione. Sed hi tum Saxonum & Thuringorum comprehensi nominibus. Ex his igitur populis Austrasijsq; brevi sat validus conflatus exercitus. At ubi Warnarius eorum Dux, veritus necem ex Brunechildis insidijs, in campis Catalaunis prope Axonam fluvium cum parte militum ad Clotarium transire cœpit, ómnis ille Austrasiorum & Transrhenanorum exercitus defluxit. Clotarius, qui jam trigesimum annum Rex Neustriam gubernârat, omni Austrasia sine sanguine potitus est; eoq; regno auctus, totius Franciæ se Monarcham tulit. Dilapso milite, Brunechildis unà cum quatuor Theodo-

An. Christi 613. Theodoricus VIII Rex Austrasiæ. *Aimoin. l. 3. c. 100. Fredeg. c. 39 & 40. Jonas in vita Columb. Paul. Æmil. l. 1. Buffieres l. 3.*

Thuringi & Saxones sollicitati in auxilium à Brunechilde ad volant.

Clotarius IX Austrasiæ Rex.

rici liberis captiva in potestatem Clotarij venit, ex quibus duos, Sigebertum & Corbum sub oculos ipsius aviæ trucidari jussit. Meroveo, quòd eum è sacro fonte susceperat, donata vita: Childebertus fuga elapsus nuspiam exinde reperiri potuit, ita vivens & moriens se cum fama sui extra hominum oculos & memoriam abdidit. Instituta deinde publica accusatio in Brunechildem, quæ à proceribus, multa crimina, seu vera, seu ficta retexentibus, triduum supplicijs excruciata; cumque parricidiorum decem Regum, quos aut ferro, aut veneno sustulisset, rea pronunciaretur, primùm strigoso ad ludibrium camelo imposita, ductaq; per castra. Ad ultimum crinibus & nudatis brachijs caudæ indomiti & ferocis equi alligata, contusoq; ad primum impetum cerebro, discerpta est in partes. Hic tragicus ille duorum Austrasiorum Regum, liberorum & Brunechildis aviæ fuit exitus. Quanquam quæ de Brunechildis sævitiâ criminibusque traduntur, Paulus Æmilius atq; alij etiam magis ad eorum temporum commenta, quibus vulgi aures oblectarent scriptores, quàm ad certam historiæ fidem conscripta velint. Nam præterquam quòd à Gregorio M. ejus temporis æquali magnis decoretur laudibus, tum innumera sacrorum monumenta, templorum cumprimis fabricæ & donationes, ejus egregiam religionem testabantur. Proditum etiã vias militares, quæ à Romanis olim structæ defluxerant, ejusdem impensis per Austrasiam reparatas esse. Divo adhæc Martino colendo perquam dedita fuisse fertur. Mulier, quæ majora complexa animo, quàm aut invidia ferre, aut humana judicia temperare potuerint.

* Pacatũ & felix sub Clotario Monarcha Regnum Franciæ.

Pipinus Landensis præfectus inferioris Austrasiæ.

D. Cunibertꝰ Dagoberti Regis præceptor.

An. Christi 620. &c.

* Clotarius Monarchiæ Francicæ potens, ex longa & sæva civilium bellorum tempestate omnia demum ad tranquillitatem composuit, & quo provincias contineret in pace, novos provincijs præfectos dedit: Burgundiæ Warnarium, Austrasiæ superiori Radonem, inferiori Pipinum, cujus hic primum mentio in Historia Francica. Is quia Landis in oppido Brabantiæ consedit, cognomento Landensis est dictus, fortunatus per filiam Pipinorum & Caroli M. progenitor. Multi præclariq; eo tempore Franciæ proceres, & Ecclesiæ præsules, quorum sapientia & virtute Clotarius Regnum domi forisq; per quatuordecim annos non modò pacatum, sed & Christianâ religione, cultu pietatis, præstantium sanctorumq; Episcoporum numero florentissimum habuit; quos inter D. Cunibertus anno Christi 620, aut post aliquantum Colonienſiũ Archiepiscopus delectus, primúmq; ferventiore animo Saxoniam nostram complexus, Christi religionem primùm in has oras, ut post referam, introducere cœpit. Quam in rem Dagobertus illi obtigit, Clotarij filius, quem pater anno Christi 623. Regem Austrasiæ dixit, retenta sibi Neustriâ, & reliquis Francicæ monarchiæ provincijs. Additi Dagoberto moderatores juventutis ac Regni, Arnulphus Metensis Episcopus, & Pipinus

Crumbach. an. 620. Mersæus an. 624. alij 623. licet Baronius. Haræus seriꝰ Episcopi primordia referant.

Dagobertus eo nomine primus, Austrasiæ Rex X. An. Christi 623. &c.

Fred. c. 47. Aimoin. l. 4. c. 8. Miræus in Chron. Bolland. ad ann. 622.

Major

Major domus, viri æquitatis, sapientiæ & religionis in Deum laude clari. Ac mirum dictu, quàm universi Austrasiæ populi regno ejus læti. Neque eorum spem fefellit Dagobertus. Nam & Regnum primùm salutaribus legibus temperavit; religionis deinde proferendæ causa, magnifica templa, & amplissima religiosorum virorum cœnobia constituxit, dotavitq; opimis fundis & opibus; quemadmodum tot donationum tabulæ & diplomata ejus liberali manu consignata ex tot Ecclesiarum per Austrasiam tabularijs testantur.

Mira & alique certius ad hunc annum referunt.

Dagobert⁹ munificus Rex in Ecclesiã.

Turbârunt hæc felicia Dagoberti exordia Saxones, quod anno regni ejus quinto, Christi 627. verosimilius adscribunt. Nam Sigebertus, qui hæc ad annum 630. refert, more suo turbat Chronologiam. Igitur Saxones cumprimis, qui intra Rhenum & Visurgim incolebant, seu contempta Dagoberti juventute, seu insita rebellandi indole ac ferocia, plurimarum gentium copias contrahunt duce Berthoaldo, ultro bellum Dagoberto illaturi. Quo comperto, Dagobertus, ut Barbarorum conatus præverteret, haud segnius Austrasiorum exercitum ad signa vocat, quocum Rhenum trangressus recta in hostem tendit. Interritus ad hæc Berthoaldus Saxones in aciem componit; consertumque mox pertinax Saxones inter & Francos prælium, in quo, dum inter primos ordines Dagobertus pugnam ciet, valido ictu, quo galea diffissa, vulnus capiti Regis imprimitur, multusque simul crinis exscinditur. Ægre deinde Francis pugnã sustinentibus, militem in castra reducit; monitusque præsenti periculo non est ausus prius alteram prælij sortem experiri, quàm Clotarij patris opem imploraret. Ejus rei gratia per satellitem decisam hostili ferro comam pro epistola mittit. Qua visa Clotarius, qui tum fortè in Ardenna sylva venationi vacabat, efferbuit, iraque ac vindicta ad sanguinolentam filij comam accensus, cum expedito milite ad Rhenum accelerat, transitoque fluvio, castra filij ingreditur. Quibus deinde ad Visurgim fluvium promotis nocte eâ quieverunt. Læti pater & filius, omnisque Francorum exercitus. Manè, ubi nondum lætitia Francorum dissimulari potuit, audijt in altera Visurgis ripa Berthoaldus plausum Francorum, armorumq; strepitum, ac causam percontatus, didicit ab excubitoribus Clotarium Regem advenisse, brevi Saxonum insolentiam ulturum. Subrisit ad hæc Berthoaldus: Hunc scilicet, inquit, vana jactatione Clotarium adesse fingitis, quem nos certiori fama mortuum comperimus. Renunciata mox ea res Clotario, qui ascenso equo Visurgis ripæ obequitans, detractaque capiti galea caput insperstum canis Berthoaldo spectandum exhibuit. Ille Rege cognito ad convitia versus: Tune, inquit, muta bestia hic nobis ades? Rex altum comprimens iram, nulloque responso dignatus Saxonem, equum, quo vehebatur, subditis calcaribus in Visurgis undas egit, pondere licet ar-

Aimoin. l. 4. c. 18. Gest. Reg. Franc. c. 41. Sigeb. ad ann. Christi 630. Crantz. l. 1. Saxon. c. 31. Beat. Rhenan. l. 2. rer. Germ. Tilli⁹ Chrõ. Franc. Brouverus ad ann. Ch. 628. Petavius lib. 7. c. 14. Calvisius ad an. Ch. 630.

Dagoberti & Berthoaldi Saxonis pugna.

Dagobertus vulneratus à Saxonibus opem Clotarij Patris implorat.

Clotarius

castra ad Visurgim promovet.

morum gravis, & aqua in sagum & ocreas penetrante, inobservatus tamen in alteram ripam pervasit. Regem Franci (tantum est ducis exemplum) certatim ac intrepidè insecuti. Ad hanc conspectam audaciam Saxones terga vertunt. Inter postremos fugientium Bertho-

Berthoaldus à Clotario obtruncat⁹.

aldus identidem respectabat, modò convitijs incessendo Regem, modò supplicis specie servum se persequentis domini inclamando. Eò Rex incitatior ad callidi verba, dum pernicitate equi Berthoaldum consecutus, multa precantem ferro confodit; Utque opima ad suos spolia referret, caput ferro demetit, & ita triumphans redit ad filium. Applausêre omnes Regi, eò etiam lætiores, quòd longius ex oculis suorum progressum reciperent incolumem, quem amissum deplorare cœperant.

Saxonia inter Rhenum & Visurgim vastata & excisa: adulta ad bellum ætas.

Depulsis trans Visurgim attritisque Saxonibus, Clotarius & Dagobertus, omnem, quæ nunc Westfalorum est, regionem latè cum victore exercitu populando, urendo, sæviendoque in rebellium reliquias pervagati sunt; ac tanto furore exercita vindicta nullū ut virilis sexus hominem vivum relinquerent, qui spatæ ensisve, quem tum fortè manus gerebat, longitudinem excederet. Barbarum id erat, & Drusi Germanici; in easdē gentes repetita sævitia, eóq; pœna inclementior, quòd à Christianis exercita, atque in eos quidem populos, à quibus Francorum majores olim progeniti erant. Hoc tamen in præsens consecutus Clotarius, ne post excisos adultioris ætatis mares tam citò rebellarent Saxones. Nec tamen hi ita stirpitus deleti, quin relicta progenies brevi in vindictam & validam rursus gentem adoleverit, ac tot exinde pertinacibus bellis Francorū Reges, ipsumque Carolum M. fatigârit. Hòc præterea bello Saxonia vectigalis

Saxonia Francis vectigalis quingentos boves quotannis pēdit.

mansisse perhibetur, jussaque quotannis, ut hactenus fecerat, quingentos boves tributi loco pendere. Furmerius Berthoaldum hunc non Saxonem, sed Frisium fuisse contendit, quartumque ejus gentis Regem. Sed quibus hic auctor una cum Suffrido fabulis obnoxius sit, satis compertum est. Nec Gelenio facilè assentieris, ab hoc bello Machtildem, Saxoniæ Principis filiam, ac Bertoaldi consanguineā, Dagoberto matrimonio junctam, ad gentis utriusque animos conciliandos, cùm Machtildis in Gallia è cœnobio virginum ad hunc regalem torum sit abrepta. At Gelenio visus patrocinari auctor gestorum Francorum, à quo relatum, Dagobertum ex Regina Machtilde de genere Saxonum suscepisse duos filios, Sigebertum & Clodoveum. De Clodoveo consentiunt reliqui scriptores, verùm Sigebertum Ragentrude natum fatentur, adeo nec inter priscos convenit, imo quæ secunda Dagoberti conjux fuit Nantildis ex Parthenone sumpta, non Machtildis scribitur.

An. Christi 628. *Fredeg. c. 56.*

Clotario à trucidata Saxonum gente, quod facinus ei adscribunt, non diu prolata est vita, ex qua altero mox anno excessit IV. Kal. Oct. princi-

principatus 45. senex jam, ut auctor gestorum Francorum perhibet, quamlibet passim hunc ipsum annum ætatis simul & regni quadragesimum quintum tradant. Duos ex totidem uxoribus liberos reliquit, Dagobertum, & Charibertum. Ceterum ut auctor gestorũ Francorum retulit, Rex in bellis fortissimus, enutritor Francorum, severissimus in judicijs, Ecclesiarum largitor, qui & primus ex fisco regio censum sacerdotibus sacrisque pendere imperavit. Regnum patris in solidum adijt Dagobertus, frustra obnitente Chariberto, cui Dagobertus tandem maximam Aquitaniæ partem cessit; qua potitus Vasconiam sibi subegit, bello à civilibus armis in exteros verso.

Append. sive Auct. gest. Franc. c. 42. Aimoin. l. 4. c. 16. Peta l. 7. c. 14.

Eò Franciæ Regnum quietius, in quo à morte patris Dagobertus omnium præsulum & procerum consensu Rhemis totius Neustriæ Austrasiæque Monarcha inauguratus: Mox & celebris illa 40. Episcoporum synodus ad fulciendam Ecclesiæ disciplinam Rhemis habita, cui Arnulphus Metensis, Cunibertus Colonienſis, Modoaldus Trevirensis, & Lupoaldus Moguntinus evocati Episcopi interfuêre. Nec multò post D. Arnulphus, deserto Episcopatu Metensi, & aula Dagoberti Regis, in eremum secessit, soli Deo vitam consecraturus. Subrogatus illi in aulæ munere Cunibertus ex illustri Francorum procerum genere, Colonienſis Episcopus, magno Regis & Saxoniæ bono. Duo quippe tum viri, Cunibertus & Pipinus Major domus, juventutem Regis moderabantur, aulæ decora, & Regni Francici columnæ. Ac Cunibertus etiam, ut ex diplomatis regijs ejus manu subscriptis observavit Mallingrotius, supremi in aula sacellani atque Archicancellarij munere perfunctus est; qua ille dignitate, etsi temporaria tum adhuc fuerit, mirificè Ecclesiam suam exornavit. Sed multò laudabilior in Cuniberto religio ac fervor, qui primus inter Colonienſium antistites, quantum hactenus observare licuit, Saxoniam complexus, ut Christi religionem barbaras inter gentes Trans-Rhenum proferret. Invitabat ad hanc rem Cunibertum miseranda Saxonum clades superioribus annis accepta, qua gens intra Rhenum ac Visurgim prostrata Francorum potentiæ cesserat; ac jam antè etiã Rheno propinquiores populi intra ulteriorem Ripuariam comprehensi Austrasiæ Regno paruerant. Tùm Cunibertum accendebat ipsius Dagoberti Regis munificentia, qua ubique per Austrasiam Ecclesias dotabat ad religionis cultum amplificandum. Igitur cùm summa apud ferventissimum Regem polleret auctoritate & gratia, videretque sanctissimus præsul barbaras vicinasq; Saxonum gentes Rheno tantummodo disjunctas, in hunc usque diem aut neglectas, aut temporum, civiliumque bellorum injurijs impeditas, quo minus Evangelij præcones ad eos penetrare possent; auctor fuit Dagoberto Regi, post tam illustrem de Saxonibus reportatam victoriam, deletaq; rebellium capita, ut seminarium aliquod Christianæ religionis

An. Christi 629. Dagobertus ex Rege Austrasiæ Monarcha Franciæ.

An. Christi 630. & 31. &c. *Fredeg. c 58. Aimoin. l. 4. c. 19. Paul. Warnef. in Chrõ. de Episc. Metensibus. Gest. Franc. c. 42. Mallingrotius l. de cancell.* Cunibertus & Pipinus moderatores Dagoberti per Austrasiam.

D. Cunibert° primò Christianam religionẽ in Westfaliam introducere aggressus.

gionis traduceretur trans Rhenum in propinquos Saxoniæ populos, quo miseri tandem è detestabili Deorum inanium cultu, vesanisq; gentium ritibus Christi Ecclesiæ aggregarentur. Id cum Dagobertus magnopere probaret, donatum est ei Susatum Angariæ oppidum, tum vicus tantummodo, ac verius Saxonum castrum anno 627. hosti ereptum, præmunitumque à Francis: locus eò etiam opportunior, quòd olim ab Rheno militares viæ, vel à Romanis ad Alisonem, vel à Francis in Saxoniam eò ductæ, Coloniaque istic frequentari cœperit; ideoque quòd hominum incolarumque domicilijs excresceret Susatum in oppidi formam, quasi additamentum castris Zusatz appellatum. Utcunque loci nomen & origo habeat, id tradita majorum fide, id ex vetustis Colonienſium tabulis, id ex Chronici magni Belgij scriptore, alijsque quamplurimis certum est, Susatum vetustissimum Colonienſium patrimonium esse, à Dagoberto Rege D. Cuniberto Archiepiscopo donatum, quod vel unico D. Annonis testimonio satis superque assertum. Is enim in diplomate suo, Susatum celeberrimam Angariæ metropolim perhibet, *quam D. Petro Sanctus Cunibertus Archiepiscopus acquisivit.* Eò se referunt vetustæ ex tabulario Susatensis collegij literæ, quibus traditur, *quòd D. Cunibertus in prælio illo, quo Saxones à Dagoberto prostrati sunt, comitem se dederat, Susatum cum villa populosa in partem prædæ accepisse; quamvis eâ tempestate nondum civitas extiterit, sed fortis quædam munitio.* Quanquam perperam hic scriptor prælium nescio quod introducit, quo periclitanti Sigeberto subvenit Dagobertus; dicere nimirum voluit, quo Clotarius Dagoberto filio ad Visurgim succurrit. Utrumne bello illi interfuerit Cunibertus Dagoberto comes adjunctus à Clotario patre, Saxoniamque perlustrârit, incertum habeo, quòd Franci scriptores nihil hac super re prodant, etsi verosimile censeam; frequentes enim ab eâ ætate Episcopi & sacerdotes in castris Francorum. Et jam octavum Episcopatus annum ingressus erat Cunibertus, cùm id bellum ad Visurgim procederet, datusque jam antè erat tertius, præter Arnulphum & Pipinum, Dagoberti juventuti moderator, quemadmodum Gelenio placuit. Sanè postquam à Dagoberto Rege tam amplum patrimonium regio dono accepit, nihil ille antiquius habuit, quàm ut regiâ auctoritate sacra ædes ad Christianorum ritus peragendos erigeretur. Inde traducto sacerdotum & clericorum cœtu Barbaris primùm Christi lex & doctrina libere tradita, magno sanè fructu quoad Dagobertus vixit, & res Francorum prævaluêre; quo verò id successu exinde factum sit, inter alia ejusmodi ex annalium memoria intercidit; ac nisi nos fallat Marcellini historia de rebus gestis D. Suiberti, rursum Barbari Saxones Christianos Susato ejecêre, quòd altero post obitum D. Suiberti anno memorentur pagani incoluisse locum, nec ferre potuisse

Susatum Cuniberto datum à Dagoberto Rege primùm Colon. Eccl. patrimonium.

Gelen. lib 3. Sac. Synt. 4. Bolland. in append. ad tom. 2. Jan. ac diem 21. Chrõ. magn. Belg. in Cunib.

Gelen. in vita D. Engelb. Bollãd. supra citat.

Gelen. in Sacrario, Syntag. 4.

Lib. 3. Sacr. Syntag. 4.

Vita D. Suibertic. 30.

tuisse quæ Suederus Christianus de lege Christi & D. Suiberti miraculis prædicabat.

At non Susatum modò, quod ad hæc simul tempora referimus, sed & Trajectense castrum ad Rheni ripam, unà cum Ecclesia D. Thomæ donatum Cuniberto, quemadmodum ejus rei nobis certus testis est D. Bonifacius in epistola sua ad Stephanum Pontificem, qua Colonienſi Episcopo Trajectum castrum, unaque ædem D. Thomæ donatam memorat, eâ lege & conditione ut Frisonum exinde curam susciperet, gentemque illam à cultu Idolorum ad Christi fidem traduceret; quod cum ante Willibrordi adventum, quem gente Saxonem appellat, à Colonienſibus Episcopis non sit præstitum, haud immerito locum illum cessisse Willibrordo, & Sergij Pontificis auctoritate novam illic Episcopi sedem positam esse. Haud nescio reperiri, qui hanc castri Trajectensis donationem à Dagoberto II. factam velint, eò quòd Cunibertus in eâ epistola non memoretur. Verùm cùm ab antiquo Dagoberto id factum scribat Bonifacius, haud alius ille quam Dagobertus eo nomine primus. Hoc nimirum illud castrum Trajectense, *quod antiquitus Wiltenborg dicebatur, quodque ab eo tempore mansit in potestate Orientalium, Francorum, et Austrasiæ Regum, ex quo inclytus Dagobertus Rex Franciæ, Heraclio Cæsare construxit Ecclesiam D. Thomæ Apostolo, post à Frisiis subversam*, uti hæc pluribus referuntur in gestis D. Suiberti. Imo reperies, qui jam ante Dagoberti tempora hunc locum à Christianis cultum velint, ipsaque religionis Christianæ initia à Clotario & Theodeberto repetant, ut vel inde etiam Cunibertus eo loco donatus à Dagoberto videri possit, quo cœptam religionis culturam instauraret. At quoquo se modo id habeat, Cunibertus certè, quo fervore & magnitudine animi Saxoniam, eadem & Frisiam complexus, ad Evangelium Christi inter hos Barbaros disseminandum: magnusque ad hanc rem accessit hortator & adjutor Pipinus Landensis, pari qua Cunibertus religionis proferendæ ardore accensus; quanquam tum nondum utraque sementis Evangelij ad maturam messem pervenerit, turbantibus itentidem sacros labores Frisijs & Saxonibus barbaris. Duo quippe mala multum hunc felicem Evangelij cursum retardabant; Dagoberti Regis effrenes mulierum amores, tum Sclavinorum Hunnorumque irruptiones in Austrasiam. Rex etsi præclaris naturæ dotibus, munificentia in dotandis Ecclesiis, ac bellica etiam laude supra ceteros Franciæ Reges emineret; post tamen ubi fœdis libidinibus se dedit, primùm Gomatrudis conjux, sterilitatis specie, repudiata, ac contra fas & religionem Nantildis puella ex Partheno-ne virginum rapta in regium torum (quæ D. Arnulpho recedendi ex aula potissimum causa fuerat) Ac deinde prætextu sobolis tertiam induxit in thalamum Ragnetrudem, genere ignobilem, sed forma spe-

Bonif. epist. 97. Baron. ad an. 755.

Bollandus.

Vita D. Suiberti c. 7. Molanus. Orig. Traject. Eccles. Bucherius in notis.

Append. Turon. c 59. Aimoin. l. 4. c. 20. Vita Sigeb. Regis.

An. Christi 636. ma speciosam, ex qua hoc ipso eodemque anno suscepit Sigebertum filium, non sine prodigio ortum; nam dum eum D. Amandus sacra unda ablueret, nec casu præsto esset minister sacer, qui abluenti Præsuli responderet, infans ipse 40. dierum clara elatáque voce solennem ritus clausulam subjecit, Amen. Quanquam alij superiori anno, alij etiam 629. genitum velint Sigebertum. Nihilo his castior Rex, pellicum greges induxit in aulam. Quibus libidinibus primùm belli amor, & studium promovendi inter Saxones Frisiosque religionem remisit; deinde pristina fortuna multum refluxit; ac mox, quæ altera Regnorum infelicitas consequi solet, exciti barbari hostes in Regnum Franciæ, qui illud multis cladibus attrivere. Vinidi illi fuerunt, Sclavica, ut diximus, gens, & ut alij, ex Polonis Hunnisque conflati, qui tanquam novum flagellum post Gothos cetero-sque Barbaros latè Occidentis Regna pervasêre. Horum pars, quæ Germaniam jam invaserat, & in antiquis vacuisque Wandalorum ac Longobardorum provincijs consederat, Samonem sibi gente Frācum delegit Regem, cùm ad eos negotiandi causa venisset, probassetque bello meliorem se militem quàm mercatorem; plurimis ille annis feliciter Regnum Sclavorum administravit; ideo hoc Rege elati Vinidi, Austrasiamque ingressi, latè eam divexare cœperunt. Spoliati mercatores, vastati barbarum in modum agri, trucidatique incolæ. Quæ ubi ad Dagobertum Regem relata, misit Sciharum legatum, qui raptas merces repeteret, & ob illatas injurias satisfactionem poscceret. Samo, cùm puderet justas querelas audire, legatum ab accessu excludit. At ille Sclavicam gentis vestem indutus, arte hac inter alios penetravit ad Regem, ac libere prolocutus, expostulat de raptis mercibus & cædibus; ac ultra etiam quàm in mandatis habebat, objicit Regi Francicam originem: & quòd, cùm gente Francus sit, modò perfidus Barbarorum Dux Francicum Regnum infestet. Meminerint, inquit, terram, quam possideat, Dagoberti Regis esse, ipsosque servos Regis sui esse oportere. Bilem ea res movit Samoni, quam tamen moderatus respondit, se quidem & suos Dagoberto obnoxios fore, non servitutis jure, sed fœderis & amicitiæ, si quidem ita placeret Francis. Ad quæ superbè legatus, nullam Christianis & Dei famulis cum canibus amicitiam esse posse. *Ita est*, inquit *Samo Rex, vos Christi servi estis, nos canes. At canum est ulcisci morsibus ea, quæ servi prave agunt in herum suum*, atque his dictis jussit legatum ejici à conspectu suo. Dagobertus hac nova Samonis vilissimi olim mercatoris injuria provocatus, ingentem exercitum apparat, simulque Longobardos & Alemannos missis legatis in societatem belli trahit. Nec segnes illi cum duplici exercitu in Vinidos movent, tertium ipse Dagobertus ex Austrasijs & Burgundis adducit. Tanta belli mole credebatur gens Vinidorum exscindenda. Prospere res

Bucherius in Chron. Bolland. in vita Sigeb. Petav. l. 7. Ratiõ. c. 14.

Fredeg. c. 68 Aimoin. l. 4. c. 26.

Slavi seu Vinidi Francici regni provincias infestant.

Samo gente Frācus. Vinidorum & Sclavorũ dux eligitur.

Dagoberti ad Samonẽ legatio, & Samonis responsum.

re res primum gesta ab Alemannis, duce eorum Chrodeberto, cæsique ab his Vinidi : pari successu pugnatum à Longobardis, magnaque captivorum multitudo abducta. At quam ab his fortiter, tam ignavè actum ab Austrasijs. Quippe dum fortissimi Winidorum Vogastensi se castro includunt, Austrasij locum positis circum castris obsident, existimantes jam se hostem reti ineluctabili clausum tenere. Eò neglectius rem agunt. Contrà Winidi tanto contentius ac furiosius per triduum erumpunt, identidem clade Austrasiorum victores. Qua demum fracti Austrasij, desertis turpiter castris, omne præsidium in fuga quæsiverunt. Hujus rei successu inflati Winidi in Thuringiam cum infesto exercitu prorumpunt, & circumiacentes Francorum regiones, populationibus effusè factis, barbarum in modum pervastant. Quibus denuo irritatus Dagobertus, Metis procerum conventum indicit; alteroque mox anno evocat ad bellum duces & comites; coactoque ingenti exercitu, Moguntiam accelerat. Rex ipse supremus dux aderat, gnarus, quantum animis Regis præsentiâ accederet. Jamque ad Rheni transitum parabantur omnia, ac nemo non ultionem spirabat in Winidos; cùm Saxones, legatis obviam missis, Dagobertum adeunt, spondentq; se non modo Winidos à limitibus Regni prohibituros, sed justam vindictam sumpturos; nihil proinde opus fore tantis sumptibus & periculis exercitum trans Rhenum ad extimos regni fines deportare; nec aliud se in stipendium belli poscere asserebant, quam ut annuum tributum, quod quingentis vaccis à Clotario olim imperatum erat, sibi remittatur. Re in concilium adducta, placuit Francorum ducibus, eâ lege remittere vectigal, ut Saxones in posterum Francici Regni limites ab incursionibus Winidorum servarent intactos; acceptoque ad id more gentis super arma juramento, convenit inter partes. Ita Austrasiorum exercitus regressus in provincias. Novo tributi onere exsoluti Saxones, nihil minus præstitêre quàm ut Winidos aut bello adorirentur, aut finibus arcerent, ne, ut videtur, potentem in se nationem lacesserent, cujus auxilia ipsi adversus Francos sibi præsto esse malebant. Adeo tum gentis perfidia inoleverat, quam toties exinde Francorum Reges experti sunt. Nec Dagobertus eam ultus est, seu quod mulierum adhuc amoribus, seu Vasconum bellis implicitus teneretur.

Alemanni & Longobardi prosperè, Austrasij improspere cõtra Vinidos pugnant.

Vinidi in Thuringiam irrumpunt. An. Christi 637. *Fredeg. 74. Aimoin. lib. 4. c. 26.*

Saxones perfidè promittunt arma cõtra Vinidos.

Interim cùm Winidi perpetuis incursionibus Thuringiam, Hassiam, vicinasque Rheno provincias Austrasiorum divexarent, ac metus esset, ne conspiratione Saxonum Rheni limites perrumperent; Dagobertus quantum etiam in luxum resolutus, salutari consilio Austrasiam complexus, Sigebertum filium, licet ætate imbecillem, anno Monarchiæ II. regni Austrasiæ XVI. Metis in solenni procerum conventu inauguratum Austrasijs Regem dedit: inductus in hanc

An. Christi 638. Sigebertꝰ II. eo nomine XI. Austrasiæ Rex.

rem eorundem procerum flagitantium consilijs, quòd sibi sub auspicijs novi Regis pollicerentur Regnum adversus Saxones ac Winidos ceterosque Barbaros felicius defendendum. Additi Sigeberto adolescenti moderatores tutoresque Cunibertus Colonienſium Episcopus & Adalgisus Palatij magister (quibus Pipinum adjungunt alij, tertium Austrasiæ moderatorem) Viri eâ ætate sapientiæ & Religionis laude præstantes, quorum salutari in administrando Regno opera repulsi fortissimè Winidi, fœdissimum hominum genus, ut eos D. Bonifacius vocat; compressi & Saxones, retentæque in obsequio ac fide provinciæ. Neque si supra repetas annalium memoriam, facilè reperies fortunatius Austrasiæ Regnum. Ita tum pace, opibus, religione & prospero armorum successu floruit; accessitque ad hunc felicitatis cumulum Sigeberti Regis educatio, quem ijs moribus virtutibusque formavit Cunibertus, quibus post in Divorum etiam tabulas post Guntramnum inter Franciæ Reges est relatus.

Fredeg. c. 75. Aimoin. l. 4. c. 26. Vita Sigeberti apud Bollandum.

Vinidi à Sigeberto Rege per ejus duces ac moderatores exacti è Frãciæ provincijs.

Altero abhinc anno nascitur Dagoberto novus heres ex Nanthilde conjuge, cui Clodovei seu Ludovici nomen est inditum; cœptatumque mox agitari de Regni divisione, qua Austria Sigeberto, Neustria & Burgundia Clodoveo heredi puero attributa. Probantur omnia Dagoberto patri, in quem tantum amoris imperium habebat Nanthildis, quantum ipse in Regnum. Postremum quod gessit bellum, Vasconum fuit. Paucis hinc annis superstes Francorum Monarcha Dagobertus, ventris profluvio moritur, lubricus quidem plurimùm vita sua, sed qui syncera pœnitentia, & plus quam regia liberalitate in templa, cœnobia, & res sacras scelera expiavit. Multùm hujus Regis munificentiam illustravit Coccius in suo Dagoberto, Episcopatus Argentinensis conditore. Clodoveo pòst Bathildis è Saxonum gente in matrimonium data, virgo ab insigni pulchritudine, omniq; virtutum ornatu commendata. Neque mirum id esse poterit, si quæ de Nanthilde Clodovei matre supra retulimus vera sunt. Etenim si ipsa Saxonicæ gentis fuerit, pronum est suspicari, ex eadem gente filio dedisse conjugem. Neque dubium fecero, quin ut olim Francorum proceres Imperatoribus, ita Saxonum militasse Francorum Regibus, multisque ex his ad Christi Sacra transisse, qualia certè multa ex ista sæculi caligine desiderantur.

Fredeg. c. 76. Aimoin. lib. 4. c. 27.

An. Christi 639. &c.

An. Christi 644. Dagoberti Regis ac Monarchæ obitus.

Anct. gest. Franc. c. 43. Jod. Coccius in Dagobert.

Atque hactenus Francorum Reges memoravimus, qui bellicâ fortitudine clari transRhenum in Thuringiam, Hassiam, vicinasque regiones protulêre imperium, Saxonesque sub freno potentiæ tributarios habuerunt; ceteri inde umbræ Regum & simulacra, quòd aut pueri, aut imbelles per Majores domus regna administrarent; visiq; exinde Francorum Reges, quos populorum rectores esse oportebat, aut aliena pædagogi manu regi, aut turpi otio & ignavia considere domi; cum Dagoberto enim omnis & belli virtus, & Regum

gloria

gloria sensim occidit, donec extinctâ Merovingorum stirpe, alia renasceretur ex Pipino Carolina, novum Regni Francici decus & firmamentum. Magna interim pars felicitatis fuit, eos Majores domus gubernatores dari, qui & segnitiem desidum Regum fortitudine explerent, & labentis Regni molem egregiè fulcirent.

Dagobertum Regem haud multò pòst tristi funere consecutus est Pipinus Landensis, Major domus ac Regni moderator, additus Sigeberto Regi; Vir quàm belli pacisque artibus clarus, tam gratus omnibus ob amorem justitiæ, mansuetudinis & religionis. Is hactenus inferiorem Austrasiam rexerat, ad Frisonum usque fines, percupidus semper inter Barbaros hosce Christianam religionem proferendi trans Rheni ostia, ni Frisonum gens tam pertinaciter obstitisset, quam Saxones. Ac tempus erat, quo neutri irritandi erant, ob intestina Regni dissidia; quando ab excessu Pipini Grimoaldus Pipini filius, atque Otto quidam aulicis artibus potens de præfectura palatij digladiabantur. Pervicit tandem Pipini gloria, Otto ignominiosè projectus est ex aula Sigeberti Regis, & Grimoaldus in præfecturam patris, studio Cuniberti admissus. Nec his intestini mali flamma suppressa prius, quám Grimoaldus Ottonem persecutus in Alemannia cæderet.

An. Christi 646. *Aimoin. l. 4. c. 38.* Pipini Lãdensis obitus ac laus. *Fredeg. c. 85. & 86.* *Aimoin. l. 4. c. 38.*

His domesticis turbis Radulphus Thuringiæ dux atrociora ausus, rebellando bellum intulit Sigeberto Regi suo. Quibus renunciatis Sigebertus per universam Austrasiam suis arma imperat, coactoque numeroso exercitu Rhenum transit. Prospera belli fuere initia. Cæsus ad primum congressum Farus Radulphi Dux. Qua victoria elati Austrasiorum Duces, collatis dextris conjurant in extremam Thuringi perniciem. Is suorum clade perterritus, ad castrum, quod more gentis in edito monte ad Unstrodam Thuringiæ fluvium construxerat, ac trabibus resectisque arborum truncis præmunierat, se cum uxoribus, liberis, & fortissimis militum recipit, animos à desperatis resumpturus. Accedit per vestigia fugientium Sigebertus Rex cum robore exercitus ad castrum obsidendum. Vix dum consederant, cùm pleriq; Ducum uno victoriæ impetu arcem expugnandam exclamant. Contrà alij, in quibus Grimoaldus & Adalgisilus, fessum ex viâ militem antè recreandum, situmque arcis prius explorandum, quàm temere miles periculo objiciatur. Rege inter hæc dubio, suspensoque utris accederet, pars in castra pergunt, Regemque juvenem custodiunt, pars in arcis expugnationem ruunt: Horum Duces Bodo, Avernus & Enobatus ad portas usque castri cæco impetu militem rapiunt. Radulphus comperta re per proditores Austrasios (quos inter Moguntinenses referuntur) porta prorumpit, extremisque viribus, quas furor & desperatio accenderat, in hostem irruens, Austrasios per declivum montis depellit, atrocique pugna victos

An. Christi 647. *Fred. c. 87.* Radulph⁹ Thuringorum Dux rebellat. Clades Sigeberti & Austrasiorum à Thuringis accepta.

victos ferro delet; quos inter Bodo, Enobatus, & nobilium audaciſſimi obtruncati. Rex haud procul equo inſidens ſpectabat hanc miſerandam ſuorum cædem, nec alio ſuis adfuit ſubſidio, quàm ut lachrymis & inani queſtu proſequeretur; ſeu quòd reliquos in diſcrimen adducere veritus, ſeu quòd per temeritatem perire Bodonem, ceteris Ducibus non ingratum eſſet. Rex eâ nocte intra communita caſtra ſe in tentorijs continuit. Poſtridie actum de fœdere, quod ignominioſis Franco conditionibus admiſſum, ut ſalvum ſe ad Rhenum recipere liceret; ac Radulphus eodem jure, quo antea, Thuringiam retineret; ſpecie quidem vectigalis ac fiduciarius, re autem Thuringiæ dominus. Quâ in poſſeſſione, ut ſe tueretur, Thuringiamque ſui juris faceret, fœdus cum Winidis vicinisque gentibus, ut Fredegarius eſt auctor, inijt; quos inter haud dubie Saxones fuêre, læti novum ſibi belli ſocium adverſus Francorum potentiam offerri. Ac nihil tum Saxonibus Friſijsque opportunius, quàm per imbellem Regem, inteſtinaque Regni diſſidia Rempubl. ſuam firmare ad rebellandum.

Fœdâ à clade pactũ cum Thuringis.

Sigebertus Rex ab hac clade, omiſſis bellis, totum ſe dedidit templis cœnobijsque condendis; quorum duodena in Auſtraſiæ Regno ab ipſo erecta dotataque memorantur. In quam mentem eo promptus liberaliusque venit, quòd nullam ex Imnechilde prolem ſuſcipere, quam heredem faceret. Quâ ſimul opportunitate uſus Grimoaldus Major domus Sigeberto Regi perſuadet, ut filium ſuum Childebertum adoptione Regni Auſtraſiæ ſucceſſorem faceret; ita enim offenſionem naturæ, inquiebat, corrigi ſalubri providentia ad Regni ſecuritatem. Fecit hoc Sigebertus Rex; ſed haud multò poſt naſcitur Regi filius, quem Dagobertum ex patris nomine appellavit. Moritur ſubinde ipſe Rex Sigebertus (ſeu ut plerique quinquageſimo quarto quintove, ſeu etiam Sexageſimo ſecundo tertiove hujus ſæculi, ut ab Henſchenio eruditè aſſertum) poſt obitum ob inſignem pietatem & vitæ ſanctimoniam Divorum faſtis adſcriptus. Magnas ea Regis mors domi turbas dedit. Quippe Grimoaldus adoptionis artibus innixus, Childebertum filium ſuum Regem Auſtraſiæ renunciat, excluſo Dagoberto Sigeberti Regis filio, vero Regni hærede; ac ne qua huic ad Regnum via pateret, in monachum attondet. Pòſt etiam Dudoni Pictavenſium Epiſcopo peregrinanti in Scotiam, procul à conſpectu abducendum dedit, ubi aliquamdiu exul delituit. Hac perfidia offenſi Franci Grimoaldo bellum inferunt, quo cæſus Childebertus Regni prædo. Grimoaldus haud multò pòſt comprehenſus, adductusque ad Clodoveum Neuſtriæ Regem, cujus judicio per tormenta in carcere necari juſſus. Infelix hoc filij nepotisque exitu Pipinus Landenſis, felicior ex D. Gertrude filia, ac Begga Anſegiſo denupta, ex quo matrimonio Regum Pipinorum & Carolinorum genus.

Sigebertº totus in dotandis Eccleſijs & condẽdis cœnobijs.

An. Chriſti 651 &c.

An. Chriſti 654. &c.

Sigeberti mors.

Henſchen. lib. 2. c. 1.

nus. Inde Regno Austriæ à Clodoveo impositus Childericus filius. Tres enim ex Balthilde susceperat filios, Clotarium, Childericum & Theodoricum. Pijssima horum filiorum mater Balthildis Saxonica (seu ex transmarinis Britanniæ Saxonibus, seu ex transrhenanis illa fuerit) relataque ob vitæ sanctimoniam in Divorum fastos. Ejus Reginæ munificentia & pietate duo præclara cœnobia condita dotataque, Calense & Corbeia Francica, quorum alterum puellarum, cui se ipsam postea, abdicato sæculi fastu inclusit, alterum religiosorum virorum fuit. Ac Corbeia Francica, eò nobilior, quod ex hac Corbeia Saxonica ad Visurgim traducta Colonia. Nec dubitaverim ejus honori, si non meritis, adscribere hoc Saxoniæ seminarium, ex quo deinde prodiêre sanctissimi viri ac sacerdotes, per quos magna pars Saxoniæ ad Christi fidem traducta est. Ceterum Clodoveo mortuo, circa annum 660. ut Petavius censet, aut 662. uti à Sigeberto relatum, successor Regni Neustriæ fuit Clotarius filius; eóque post quadriennium extincto, quocum Balthildis rexerat, tertius fratrum Theodoricus acceptus in Regnum. Sed eum brevi pertæsi Francorum proceres unà cum Ebroino palatij præfecto detonsos in monasterium includunt, ac Childericum, qui Austrasijs imperitabat, universæ Franciæ Monarcham deligunt. Sed nec ille Francis in hoc fastigio ad ultimum gratus, factâ conspiratione à Bodone nobili Franco, quem ad stipitem alligatum virgis aliquando cædi jusserat, unà cum Regina uterum ferente interimitur. Tum verò Theodoricus, detracto monachi cucullo, è cœnobio ad solium revocatur. Facta horum Regum fratrumque tam obscura, quàm obscuri ipsi Reges. At longè implicatior chronotaxis, quo quisque anno cœperit, quove desierit regnare; quâ in re egregiam præstitere operam Bollandus & Henschenius. Hos geminos auctores, quorum interest, quisq; consulat, aut componat: nobis ad res Saxoniæ properantibus satis visum seriem Regum Austrasiorum dediisse, ac simul retulisse, hæc illa memorari à scriptoribus tempora, quibus Reges Franciæ soluti in luxum & inertiam à Merovingorum virtute bellica ac majorum gloria longius semper descivere; quòd solo fere nomine contenti, aut privati in regiâ domo, aut villis se continerent, nec nisi semel quotannis in conspectum populi, Calendis Maij, se darent, accipiendo dandoque vicissim munera; quod & in Græcorum annalibus perhibetur, non sine assuta in ludibrium fabula, qua commenti, Francorum Reges porcorum instar setosum tergum habuisse, quos ob id trichorochales dixêre. At nemo hanc Francorum Regum desidiam nobis certius explicatiusque descripsit quàm Eginardus, cujus testimonium in Pipino Rege dabimus. Sanè à Dagoberti excessu sensim summa rerum ad Majores domus transferri cœpit. His enim potestas, Imperatorum ac Regum legationes audire, reddere responsa, bellum indicere, pacem

Childericus XII. Austrasiæ Rex. *Fredeg. c. 91. 93. 94. Epit. Franc. c. 44. Sigebert. Simmond. in not. ad tom. 1 concil.*

Balthildis Regina, gente Saxonica, fama sanctitatis clara, à qua Corbeja Francica condita.

An. Christi 660. *Sigebert. in Chron.*

Theodoricus è Cœnobio ad Soliũ evocatur. *Bolland. in vita Sigeb. in feb. Henschen. in Dagob. Sigeb. in Chron. Paul. Æmil. Petavius. Theoph. ad an. 1. Leonis Misc. l. 22. Eginard. in vita Caroli ad initium.*

Francorũ Regũ desidia, & umbra Regni.

Suma rerũ penes Majores domus.

pacem sancire, promulgare leges, condonare crimina, ærarium publicum dispensare, ac omnia, quæ Regis sunt, munera sibi vendicare: Reges tum nonnisi simulacra & ligneæ machinæ, quæ manu rotantur.

Ebroinus Regni Francici turbo.

Eo rerum statu, ut ad Theodorici initia me referam, quem Fredegarius XIV. annis regnasse scribit, Ebroinus abjecto monachi cucullo, præfecturam palatij vi ablatam reposcit; quam consecutus, totam aulam dissidijs, regnum bellis miscet, totumq; se in adversariorum vindictam convertit, nullo discrimine in sacrorum præsides & profanos magistratus sæviendo, Rege stipitis instar ad hæc immoto.

Pipinus Heristall⁹ supremus Regni Austrasij præfect⁹.

Quietior Austrasia, quæ Wulfoaldum virum æqum & moderatum palatij præfectum sortita. Eo è vivis subtracto, Austrasij tam Regis ignaviam, quàm Ebroini tyrannidem detestati, à Rege ac Regno desciscunt, summamque rei administrandæ ad Pipinum Heristallum, & Martinum Clodulpho Duce natum deferunt. Ambo D. Arnulphi nepotes erant, ambo patrueles; ac Pipinus ex Begga matre, Pipini Landensis filia, & Ansegiso patre genitus, jam viam sternebat ad Regnum nepotibus. Martino superior Austrasia, Pipino inferior procerum auctoritate commissa. His ducibus Austrasij Theodorico Regi & Ebroino bellum inferunt. Nec segnior Ebroinus Francos suos ad signa vocat. Conserta per multas strages pugna: vincuntur Austrasij, ducibus in diversa profugis. Martinus ex Landuni claustro, quo se receperat, per fraudem extractus, contra fidem datam obtruncatur: Pipinum, qui in Austrasiam se subduxit ad instaurandum exercitum, fors melior servavit. Quàm hæc certa tradunt prisci scriptores, tam discordant in anno ceteri. Bucherius in annum hujus sæculi 74, Cordonus in 82, Sigebertus & Bollandus in 87 conjiciunt. Nihil adhuc dum per hæc intestina bella & temporum spatia Winidos, nihil Saxones, nihil Frisios movisse compertum habeo. Verùm quæ Chronologiæ, eadem rerum obscuritas; quòd non nisi per salebras hæc à Francicis scriptoribus sint relata.

Pipinus Heristall⁹ Coloniæ residet.

Ebroinus superiori victoria elatus, dum per insontum capita grassari non destitit, vindicem tandem scelerum suorum habuit Ermenfredum nobilem Francum, à quo per conjurationem procerum intempesta nocte interemptus est. Franci hac peste liberi, in locum Ebroini Warathonem palatij præfecturâ donant. Is quo se firmaret, pacem cum Pipino inijt. Hi exinde munere Reges, alter Neustriæ, alter Austrasiæ, Theodoricus umbra Regis. Pipinus totam jam Austrasiam in illa Regis desidia complexus, Coloniæ sedem capit, quò ad eum missus venit à Theodorico Rege Audoënus Rhotomagensis Episcopus ad pacem utriusque Regni contrahendam; qua feliciter firmata, animi ad concordiam, Regna ad quietem rediere.

An. Christi 678.

Tandem inter hæc propior lux Christianæ religionis Frisiæ Saxoniæ-

Saxoniæque suboriri cœpit. Enim vero anno Incarnationis Domini Sexcentesimo septuagesimo octavo, ut Beda refert, exortâ in D. Wilfridum Eboracensem seu Northumbrorum in Anglia Episcopum malevolorum procellâ, à suâ hic sede ejicitur, alio in ejus locum subrogato Episcopo. Quæ cùm injustè secum agi quereretur Wilfridus, nec à Rege æqua impetraret, Romam appellavit ad Pontificis judicium. Igitur *Romam iturus*, ut ipsius Bedæ verbis hæc adscribam, *et coram Apostolico Papa causam dicturus, ubi navem conscendit, flante Favonio, pulsus est in Frisiam, et honorificè susceptus à Barbaris ac Rege illorum Aldgisslo, prædicabat eis Christum, et multa eorum millia verbo veritatis instituens, à peccatorum suorum sordibus fonte Salvatoris abluit : et quod postmodum Wilbrordus reverendissimus Christi Pontifex in magnâ devotione complevit, ipse primus ibi opus Evangelicum cœpit. Ibi ergo hyemem cum novâ Dei plebe feliciter exigens, Romam veniendi iter repetiit.* Haud dubiè D. Wilfridus, ut vel ipsum nomen præfert ex gente Saxonum progenitus, qui tam expedito linguæ commercio Frisios docuerit, perinde ut Egbertus & Wigbertus primi illi Apostolici ante Willebrordum & Suibertum viri. Aldgislum, quem Furmerius Adgillum vocat, & Hamconius quintum Frisiæ Regem collocat, Radbodi Regis parens fuit, & Francorum Regum fiduciarius. Quanquam jam ante Wilfridum scriptores Frisij Viniochum quendam sacrorum præsidem à D. Cuniberto missum velint Trajectum, qui istic constructâ D. Thomæ æde Frisijs Christi doctrinam tradiderit, quem deinde Eligius consecutus sit, priusquam Wilfridus in eas regiones penetrârit. Sanè gentem hanc barbaram tam pronam fuisse ad Christi legem & baptismum accipiendum, argumento est, quòd aut commercio Francorum, aut celebritate Christiani nominis, aut sacerdotum doctrinæq; Christianæ fama emolliti accensique ferantur, maximè cum audirent gentis suæ homines ac populares, Salios videlicet Francos in Gallijs, & Saxones in Britannia tanto ardore Christi religionem amplexos esse, jamque Frisij, qui hactenus sæpe Saxonum genere & nomine comprehendebantur, in propriam Rempublicam coaluerant, regionum finibus determinati.

vel 79. ut Bollandus.

Beda lib. 5. hist. c 20. Baron ad ann. 678. Malmesbur. ex Beda & Hedio lib. 3. de gest. Pontif.

D. Wilfridus Episcopus primò Frisiæ Evangelj lucem intulit.

Hamconius in Adgillo. Furmer l. 3. an. Frisia.

Hyeme apud Frisios exactâ, D. Wilfridus iter suum Romam prosecutus in superiorem Austrasiam pervenit, ubi Dagobertum II. Regem Transrhenanorum Francorum convenit. Atque is non immemor qua hospitij charitate ejectum se ex Franciâ deportatumq; in Hiberniam suscepisset, Argentoratensem illi Episcopatum obtulit; quo recusato, uti hæc *Malmesburiensis scriptor retulit, Romam profectus absolutusque à Pontifice, Concilio Romano centum viginti quinque Episcoporum, quod ab Agathone Pontifice adversus Monothelitas convocatum erat, insigni nominis sui commendatione interfuit. Agathoni Pontifici exinde vel maximè ob egregiam erudi-

** Malmesbur. ex Hedio lib. 3. de gest. Pontif. Anglor. in vita Wilfridi Henschen. l. 2. de Dagob. c 2.* An. Christi 680. *Beda lib. 5. c. 20. Baron. ad an. 679. & 680.*

eruditionem & vitæ sanctimoniam percarus. Wilfridus reversus in Angliam, uti totus incubuit in Australes Saxones ab Idolorum cultu avocandos, quos & magnam partem Christo aggregavit; ita novo simul ardore Frisiam & Saxoniam nostram complexus, auctor hortatorque fuit sacerdotibus & Monachis, quibus Britannia & Scotia & Hibernia tum abundabat, cœptam à se prosperis initijs Evangelij sementem excolendi.

D. Egbertus Evangelij disseminandi causa in Frisiam parat proficisci. *Beda lib. 3. c. 27. Beda lib. 5. c. 10.*

Ex horum numero D. Egbertus pro voto, quod pridem conceperat, proficiscendi ad barbaras gentes, Evangelij causa accensus statuit transire mare, & quam Wilfridus cœperat culturam, prosequi, maximè quòd inaudierat, uti à Beda relatum est, superesse in Germania Frisones, Ruginos, Danos, Hunos, antiquos Saxones, Boruchtuarios, aliosque populos, qui inanium Deorum cultu dementati nondum verum Deum agnoscerent. Igitur conquisitis delectisque socijs, quos ad id munus præstandum doctrina & Zelo religionis idoneos nanciscì potuit, itineri se accinxit. Jamque apparatis omnibus navim conscenderat, transmissurus in Frisiam, cùm Dei monitu, & tempestate divinitus concitatâ jubetur redire ad monasterium Columbæ, ut in eo collapsam ejus loci disciplinam instauraret, quod aratra istic non rectè procederent. Adeo Deo magis curæ fuit religiosa disciplina, & domestica intra monasterij claustra sanctitas, quàm Apostolici muneris expeditio. Paruit monenti Deo Egbertus, redijtque intermissâ navigatione ad monasterij designati moderationem. Ex hoc tamen collecto sacerdotum cœtu unus Vietbertus, qui alijs Wigbertus nominatur, vir contemptione rerum humanarum, scientiâ sacrâ, & ardore lucrandarum animarum egregius navem conscendit, & cum duobus clericis & pueris per mare transvectus in Frisiam penetravit, ubi duos continuos annos in docendâ barbarâ gente consumpsit, ipsumque Radbodum gentis Principem, qui jam Adgislo patri successerat, libere adijt, ac salutarem Christi legem exposuit. Verùm cùm nec ferocis Radbodi animum inflectere fas esset, nec ullum in pertinaci gente laboris fructum experiretur, rebus in præsens desperatis, conscensâ navi redijt in Hiberniam ad privatam sanctamque in veteri solitudine vitam. Causam hujus cassi fructusque laboris haud aliam retulit Baronius, quàm quòd nulla Romani Pontificis auctoritate missus, publicum illud Evangelij docendi munus sibi sumpserit Wigbertus. Vel eò felicior Wilfridi Episcopi successus, qui in transitu per modum hospitis tot millia fonte Baptismatis abluit. Nec tamen destitit Egbertus à Frisiæ Saxoniæq; curâ, quin alios post in hanc Christi vineam excolendam, admirabili cum fructu & traductione gentium ad Christi fidem submiserit.

D. Wigbertus cũ clericis aliquot in Frisiam venit Evangelij causa.

Fruſtra Radbodum Frisiæ ducem convenit.

An. Christi 686.

Magnus in hanc rem adjutor promotorq; Pipinus Heristallus, ad quem Regni Austrasiæ totiusque Franciæ administratio devolui cœpit,

cœpit. Nam postquam Waratho vir illustris & Major domus Theodorici Regis fato raptus, suprema Regni præfectura pervenit ad Bertharium Warathonis generum; sed is cum pravitate indolis & dominandi libidine nobilium in se odia concitaret, plerique contracto fœdere cum Pipino conveniunt ad deturbandum hominem è clavo Reipubl. Tam enim hujus fastus, quàm Regis ignavia proceribus invisa. Igitur Pipinꝰ Dux Agrippinensis lecto exercitu irrumpit in Neustriam, & apud Veromanduos acri prælio congressus Theodoricum & Bertharium in fugam agit. Bertharius à clade profugus, ac latebras quæritans, à comitibus interimitur; quo sublato, Rex nullo negotio cum gaza Regni in potestatem Pipini venit. Tum verò Pipinus votorum compos, non Austrasiæ modò, sed totius Franciæ moderator, futuri Imperij fundamenta jecit: filijs etiam duobus, quos ex Plectrude susceperat, Drocho & Grimoaldo in spem principatus erectis. His, quòd ob ætatem nondum maturi, Nordebertus vicarius ac rector à Pipino præficitur.

Fredeg. c. 99. Epit. Franc. c. 48. Pipini summa potentia in Regno Franciæ. An. Christi 687. *Fred. c. 100. Epit Franc. c. 48. Sigeb. in Chron.*

At dum hæc interioris Franciæ bella abstrahunt Pipinum ab Rheno & Austrasia, Radbodus Frisonum Princeps (nec enim Regis, sed ducis nomine eum decorat Fredegarius) præter ferociam animi, odio incensus in Francos, adsitas Rheno inferiori provincias, quæ Francici juris erant, contractis undique vicinorum Saxonum copijs, invadit, effususque latè per citeriores Franciæ regiones, castellum Wiltenburgense & Trajecti oppidum expugnat. Tum, ut perhibent, ædes D. Thomæ, quam Dagobertus olim struxerat, eversa funditus; ejecti sacerdotes, qui à Cuniberto illic impositi erant: turbatus Christianorum cœtus; nec spolijs modo, sed & cædibus sævitum in Francos, inflammante Barbarorum animos Radbodo, homine ob superstitionem gentis & cultum Idolorum Christianis infensissimo.

Fred. c. 102. Epit. Franc. 49. Radbodꝰ Trajectũ usq; Francorum fines vastat, & sacra Christianorum turbat.

Quæ postquam ad Pipinum relata sunt, compositis in Neustria rebus, cum exercitu in Austrasiam inferiorem usque ad Rheni ostia advolat. Bellatum alternis cladibus, dum postremò ad Dorestatum castrum, quod vetus Batavodurum esse volunt, consecutus Radbodum prælio vincit, fugatq;, & per cæsorum strages in fugam abjicit. Inde victor in Suevos, aliasque gentes cum exercitu movit, quarum ne nomen quidem scriptorum incuria ad nos pervenit. Neque alias has gentes facilè dixerim quàm vicinos Saxones à Radbodo in societatem belli attractos. Sanè Paulus Diaconus inter cetera Pipini facinora memorat multa cum bella cum Saxonibus gessisse tum cùm Radbodum oppugnaret, tantæque audaciæ militem fuisse, qui uno satellite comitatus Rhenum transierit, & Barbarorum Ducem in cubiculo residentem cum suis obtruncârit. Debellato igitur Radbodo, Saxonum Regiones latè pervagatus castigatæ rebellionis pœnas atque ampla spolia retulit. Radbodus non modò ex occupatis

An. Chr. 688. &c. *Fred. c. cit. Anct. gest. Franc.* Pipinus Radbodum profligat. *Paulus Diaconus lib. 6. c. 37.* Radbodo Saxones se junxerunt, ideo à Pipino eorũ agri vastati. Pipini audacia bellica.

inter Rhenum & Mosam provincijs ejectus, sed & citeriori Frisia exutus; quique Medenblici in Hollandia sedem principatus tenebat, compulsus in Foteslandiam seu Fostam insulam se transferre, & clientelæ Francorum se suaque submittere. Per hanc Pipini victoriam terroremque Barbaris incussum novum atque magnum Evangelio demum apertum est ostium in Frisia & Saxonia : tanquam ad id Deus Pipinum bellicosum Principem tam felici successu fortunârit, qui per id tempus novos Evangelij præcones doctoresq; Frisonum & Saxonum ex Anglia ad iter accinxit.

Hadrian. Jun. in Batav. c. 14.

An. Christi 690. *Petavius.*

Intervenit interim excessus Theodorici Francorum Regis & Monarchæ, quem ignavia prius, quàm mors sepelierat. Multum Regni ejus anni controversi : Fredegarius annos XIV. Auctor gestorum Francicorum XIX. regnasse tradidit : quidam in vigesimum quartum annum regnum ejus extrahunt, uti quisq; fere exordia regni statuit. Exitum è vita in hunc annum 690. pleriq; conferunt, nonnemo triennio serius. Tetrica illa in narrationis decursu contentio. Duos ex Clotilde filios reliquit, Clodoveum & Childebertum. Ex his Clodoveus eo nomine III. curante Pipino Rex inauguratur, etiamnum puer; quo post quadriennium defuncto, Childebertus frater suffectus. Per hanc Regum pueritiam omnis regia auctoritas, regni administratio, ac bellorum moles penes Pipinum. Is tum Franciæ columen & Frisonum Saxonumq; terror erat, & quod palmare in viro decus, post tantam Regum ignaviam unus demum Princeps, qui religionis Christianæ inter Barbaros propagandæ curam impensè sumpsit.

Henschen. in Dagob.

Beda l. 5. c. 11. Sigebert.

Pipinus Dux Austrasiæ XII Apostolicos Viros ex Anglia appulsos Traiectũ suscipit in tutelam.

Unde hic annus Frisiæ, Saxoniæque longè fortunatissimus tandem ac saluberrimus illuxit. Nam quæ temporum in conversione gentium divina est dispensatio, quæque virorum Apostolicorum ad id opus Evangelij fuit evocatio, venêre ex Britannia devecti per mare in Frisiam, vitæ innocentia, & Christiana facundia zeloque animarum præstantes sacerdotes, per quos longè latéque pòst inter barbaros Frisonum Saxonumque populos exinde disseminatum est verbum Dei. Auctor impulsorque horum D. Egbertus, Abbas in Husensi insula, de quo supra relatum. *Is enim,* ut Bedæ verbis referam, *ubi vidit, quia nec ipse ad prædicandum gentibus venire permittebatur, retentus ob aliam sanctæ Ecclesiæ utilitatem, de qua oraculo fuerat præmonitus; Nec Witbertus illas deveniens in partes quicquam proficiebat, tentavit adhuc in opus verbi mittere viros sanctos et industrios, in quibus eximius Wilbrordus Presbyterii gradu et merito præfulgebat. Qui cum illò advenissent (erant autem numero duodecim) divertentes ad Pipinum Ducem Francorum, gratanter ab illo susceptì sunt : et quia nuper citeriorem Frisiam, expulso inde Radbodo Rege, ceperat, illò eos ad prædicandum misit. Ipse quoque imperiali auctoritate juvans, ne quis prædicantibus quicquam molestiæ inferret, multisque eos, qui fidem susciperè vellent, beneficiis attollens. Unde factum*

Beda l. 5. c. 11.

est, opi-

est, opitulante gratia Divina, ut multos in brevi ab Idololatria ad fidem converterent Christi. Willebrordo in hunc numerum adjungit Beda *Suibertum, virum modestum moribus, et mansuetum corde.* Magnis hic nos litibus expedijsset Beda, si ceterorum quoque ex hoc duodenario numero expressisset sacerdotum nomina. At Marcellinus (. siquidem incorruptus hic vitæ Suibertinæ auctor) id præstitit. *Fuerunt autem,* inquit ille, *hi missi: Willebrordus, Suibertus, Acca, VVigbertus, VVillibaldus, VVinibaldus, Lebvvinus, duo Evvaldi, VVerenfridus, et ego minimus omnium Marcellinus, qui hanc historiam, sicut et sancti VVillebrordi conscripsi. Omnes præfati Presbyteri et sacerdotes fuerunt, ac sanctissimus Adelbertus Levita, filius Regis Deirorum, qui pro Christo dimittens Regale Patrimonium cum prædictis electus à S. Egberto, amore Christi peregrinum non recusavit exilium. Et quoniam hi sancti Doctores propagati fuerunt in Anglia de stirpe Frisonica et Saxonica, ideo convenienter prædicare potuerunt Evangelium Christi in lingua Germanica.* Willebrordum certè ut supra relatum D. Bonifacius è gente transmarinorum Saxonum ortum fuisse perhibet; nec de ceteris facilè atq; ipso Bonifacio, & qui deinde consecuti sunt Apostolici viri, addubitare licet, majorum origine Saxones Frisiosq; fuisse, dummodo de ipsis viris constaret; quanta enim de Wunibaldo, Willibaldo, Lebuino, Acca atque ipsis etiam Ewaldis, quos ab hoc numero quidam excludunt, controversia? *Hi* deinde *duodecim egregii Doctores præparatis omnibus, quæ tantis viris necessaria videbantur, salutatis amicis et parentibus, accepta benedictione tam eximij Archiepiscopi, supernâ comitante clementiâ prospero vento celeriter in VViltenburg sive Trajectum advehuntur, anno scilicet ab Incarnatione Domini 690. Pontificante Romæ Apostolico viro S. Sergio Papa, anno suo tertio, imperante piissimo Imperatore Justiniano, ac regnante in Anglia Alfrido Rege Northumbrorum, qui Catholicæ Ecclesiæ regulas sequi semper et amare desiderabat: Episcopante in Ecclesiâ Colonienſi Aldevvino*; alij Abeluwinum, alij Baldwinum vocant. Sigebertus, qui Willebrordum cum duodecim socijs ex Angliâ advenisse scribit, hæc ad annum 692. retulit; sed is more suo plerumque tardior ex diversa æra in hunc ipsum annum conspirare reputatur. Wiltaburgum verò, quod Beda & Marcellinus Trajectum seu Ultrajectum designant, alij munimentum Francorum, duobus aut amplius passuum millibus supra Trajectum ad desiccatum Rheni alveum statuunt. At Beda Wiltenborg & Trajectum unum eundemque locum tradit. Eò igitur delati vitam inter se communem instituerunt, qualis initio nascentis Ecclesiæ Apostolorum fuit. Inde per citeriores Frisiæ provincias Radbodo ademptas (quæ nunc Hollandiæ Comitatu, Episcopatu Ultrajectino, Clivia, Geldria, Transisulania, confiniumque populorum agris continentur) Evangelium Christi tam libere, quàm latè promulgant. Ardua, ut solent, initia fuêre; fructum præpediente Frisiæ gentis ferociâ, &

Beda l. 5. c. 12.
Marcell. c. 6. in vita Suib.
Epist. ad Steph. Pap.
Marcell.
Hadr. Jun. Cluverius. Buchelius in notis ad præfat. Bedæ.

ciâ, & inolita superstitione, à quâ ægre ad Christi sacra se abduci sunt passi incolæ; quemadmodum hæc ex consequentium annorum narratione innotescent.

An. Christi 691. D. Willebrordus cum Apostolicis Viris Frisiam incipit convertere.

Anno igitur insequenti, Apostolici illi viri, confisi patrocinio Pipini, & Castellani Trajectensis, per citeriores Frisiæ circumjacentes regiones verbum Dei palam ac libere docere institerunt: obstupescentibus Barbaris ad novitatem doctrinæ ritusque sacrorum; majorque per initia labor erat, quàm fructus: donec sensim mollescerent fervore docentium, & miraculorum aspectu. Sunt, qui hoc anno velint Willebrordum primam profectionem suscepisse Romam ad Sergium pontificem; quo ex voluntate & auctoritate illius feliciùs susceptum opus cum socijs aggrederetur; idque Bedam significare volunt, dum primis temporibus adventus in Frisiam iter illud Willebrordum ingressum refert. At nihil de hac profectione hujus anni Alcuinus. Interim Wigbertus cum socijs quibusdam in Fostelandiæ insulam digressus, Evangelij doctrinam annunciare cæpit incolis, ausus etiam delubra Jovis & Fostæ inanis Dei, qui vesana istic præ ceteris superstitione colebatur, comminuere. Inde intrepidus ipsum Radbodum convenit, Christiq; legem Barbaro exponit. Excanduit Tyrannus, ex quòd Wigbertum & superiori in Frisiam ingressu nosset, jussit diris cruciatibus enecari: ceteri sacerdotes è vestigio proscripti ad Pipinum se retulêre, questi de Radbodi sævitia. Nec alius istic fructus, quàm quod tres homines Christo adjunxerint. Primus qui Frisiam fuso sanguine decoravit, Wigbertus. Quanquam Fostelandia in extremis Frisiæ finibus ad Albis Ostia inter Saxonicas magis Insulas reputetur: alijs Hilgerlandia est, antiquitus Fara dicta. Hanc & D. Willebrordus & Ludgerus postea disseminandi Evangelij causâ adierunt. Dicta ne Insula à Fossis priscis, an à fictitio Fosa Deo, disceptant auctores.

Joan. Velde in Chron. M. S.

Wigbertus cum Clericis in Fostelandiæ insulam digreditur.

Kemp. de Orig. Frisiæ Ubbo Emmius in Frisia. Brouver. in Vita S. Ludgeri ad c. 18. Molanus de Wigberto Pontanus l. 5. Rer. Dan. Buckelius.

Interceptâ in præsens spe interiorem Frisiam Saxoniamque lucrandi, ob Radbodi immane odium in Francos & Christianos, Suibertus ac ceteri Apostolici viri omnem laborem convertunt in citerioris Frisiæ provincias. Ac mirum dictu, postquam Pipini auctoritate docendi libertas facta est, quanta tum mutatione, quantaq; hominum ad Christi religionem accessione Evangelium Christi disseminatum sit. Tum primùm Suibertus sanctitatis & miraculorum patratorum fama inclarescere cœpit, ac ceteri sociorum animari ad spem uberioris fructus colligendi.

An. Christi 692. 3. 4.

Vita Willeb. apud Surium.

An. Christi 695.

Prima Synod. Trajecti, in qua actum de Episcopis è suo numero creandis.

At verò cum messis multa se offerret, operarij tamen ob sacerdotum inopiam in tam felici laboris successu admodum pauci reperirentur, eam in rem hoc anno nonagesimo quinto supra sexcentesimum Trajecti in primam synodum convenêre Apostolici sacerdotes, quorum Principes Willebrordus & Suibertus. Actum in ea concilio

cilio potissimum de Episcopis ex suo numero creandis; quod in illa gentium accessione ad Christi fidem, & populorum multitudine, qui tot locis fonte Baptismatis abluti erant, nondum inter se essent, qui sacerdotes inungerent, aut templa & altaria consecrarent. aliaque Episcopi munia, quæ consurgens ad Rhenum nova Christi Ecclesia poscebat, rite obirent. Omnium proinde tam primorum Apostolicorum virorum, quàm eorum, qui recens accesserant, suffragationibus delecti ad id munus Willebrordus & Suibertus, doctrina & sanctimonia vitæ eminentes. Simul, ut convenerat, cœpta supra rudera D. Thomæ ab Frisijs eversa ædes sacra, quam S. Crucis honori pòst dedicârunt, contento labore exstrui; in eaque nobilem Baptismatis fontem, in quo solennis fieret ablutio, perfecerunt. Soluto conventu, Willebrordus prius ad Pipinum Austrasiæ ducem se contulit, à quo retentus, aliquamdiu inter consilia suscepti operis nonnisi sequenti anno iter ingressus Romam pervenit. Expeditiore itinere Suibertus in Britanniam navigavit unà cum duobus Ewaldis, Acca, Marcellino, & neophytis quibusdam; ubi à Wilfrido Merciorum Episcopo festo D. Bartholomæi die consecratus Episcopus. Idem Beda retulit: *quo tempore fratres, qui erant in Frisia, verbi ministerio mancipati, elegerunt ex suo numero virum modestum moribus et mansueto corde Suidbertum, qui eis ordinaretur antistes: quem in Britanniam destinatum ad petitionem eorum ordinavit reverendissimus Wilfridus Episcopus.* Suidbert⁹ iter in Germaniam eodem adhuc anno relegit cum Marcellino: Acca retentus in Anglià & Lindisfarnensis Episcopus factus: Ewaldi Eboraco in Hyberniam digressi, serius quàm Suibertus rediere Trajectum. Ita quidem Marcellini habet narratio, quæ difficulter cum Beda & Sigeberto conciliatur. Ille horum martyrium ad prima adventus in Frisiam tempora, atque ante Willebrordi profectionem Romanam retulit; hic ad annum Christi 693. adscribit, quibus Baronius inhæsit.

Willebrordus Romam proficiscitur, Suibertus in Angliam, ut Episcopi consecrentur.

Beda lib. 5. c. 12.

Marcell. c. 10.

Beda lib. 5. c. 11.

Sigebert⁹ in Chron.

Annus jam Christi sexcentesimus nonagesimus sextus processerat, quo D. Willebrordus mirâ gratulatione acceptus Romæ à Sergio Pontifice, ipso die D. Cæciliæ in ejusdem virginis Basilicâ consecratus Ultrajectinorum Archiepiscopus, donatusque quàm amplissima potestate in Frisonum populum, quo Trajectenses, Hollandos, Transisulanos, Geldros & Clivios magnam partem complexus: data etiam facultas mittendi ad Saxones, Boructuarios, vicinasque trans Rhenum gentes Apostolicos viros ad Evangelij propagationem, quo haud multò post Suibertus, Ewaldi ceterique sacerdotes functi nova pro Christo legatione profecti sunt. Nam quomodo ritè docebunt, nisi cum ordinatissima potestate à Christi vicario communicata mittantur? Vel eò mihi persuasum habeo non prius Suibertum & Ewaldos profectos esse in Saxoniam, quàm Willebrordus Roma

An. Christi 696. *Beda l. 5. c. 12.* *Beka in Willebr.* *Heida de Episcop. Ultraject.* Willebrordus Romam advenit, & à Sergio Pontifice consecratur Episcopus.

Roma redierit Trajectum, aut altera, de qua exponam synodus habita fuerit. Interim per absentiam Willebrordi Suibertus Trajectum reversus, & Pontificali jam dignitate exornatus per annum atque ultra, citeriorem Frisiam, vicinumque Theisterbandiæ comitatum pedes Apostolico ritu percursat, admirabili sanè cum fructu & successu; quippe assiduis viri sancti concionibus & miraculis ab eo editis ingens per oppida, vicos & castella multitudo ad Christi sacra transijt; dejecta palam Idola, clausa fana, aut subversa, aut erecta nova templa, consecrataque à Suiberto, proscriptus superstitionis cultus. Haud alibi pronior populus, quàm per Theisterbandiam, quem omnem prope Christo adjecit. Is deinde mirificè confirmatus, auctusque postquam Splinterum adolescentem submersum aquâ extinctumque grandi miraculo revocavit ad vitam. Habeo auctores, qui hoc anno duos Ewaldos ex Britannia Trajectum redijsse volunt, unaque D. Bonifacium appulisse, quod in vetustis quibusdam monumentis sexaginta ejus anni peregrinationes legantur, quos si ab obitu relegas, hunc annum conficient; sed malo adventum ejus ad 704, cum Serrario rejicere.

Suibertus per absentiam Willebrordi mira patrat.

P. Grothusius.
P. Veldius.
Serrar. l. 3. not. 54.

Certior nobis V Willebrordi ex urbe reditus in Germaniam hoc ipso anno 697. perhibetur. Deflexit is peragratâ Austrasiâ superiore Treviros ad Basinum Episcopum, atque istic cum Horrense cœnobium virginum Divinâ ope adjutus peste liberasset, liberalitate Irminæ Antistitis, Dagoberti Francorum Regis filiæ, Epternacum regale prædium dono accepit; quem ille locum cœpta cœnobij structura sibi secessum delegit. Inde Trajectum ad Episcopi sedem est profectus. Ad famam adventus ejus D. Suibertus cum clericis & discipulis multisque Christianis Embricam usque processit obviam, ubi inter mutuos amplexus congressusque Willebrordus felicem Romani itineris expeditionem, Suibertus auspicatum laboris sui fructum enarravit. Nihil tum jucundius fuit Willebrordo, quàm audire totam fere citeriorem Frisiam & Bataviam, abjurato inanium Deorum cultu, ad Christi sacra transijsse. Læti igitur ambo Pontifices cum suis Trajectum descenderunt, ubi nihil sollicitius habuere, quàm in fundo Ecclesiæ D. Thomæ prope Trajectense castrum ædificare Basilicam, quàm pòst uterque Episcopus D. Martino Francorum Patrono consecrârunt. Adstructum deinde Canonicorum collegium, quod recepto tum vocis usu ex sociali Clericorum vita Monasterium est dictum; perinde ut præsides eorum collegiorum antiquitus etiam Abbates sunt compellati. Hic Cathedralis sedes instituto aliorum Episcoporum condi, hic illud totius Frisiæ & Saxoniæ celeberrimum seminarium tum erigi cœpit clericis; ut jam satis demirari non liceat eorum insciti am, qui ut nomina Monasterij, Abbatum, fratrumque ex communi illa clericorum vita fortè legerunt,

An. Christi 697. *Brovverus ad hunc annum.* Willebrordus Roma redit, quem Suibert°, Embricæ occurrens, excipit cum clero.

In vita S. Ludgeri. Gelenius in Sacrario. Abbas S. Gertrudis in vita S. Gertrudis. Buzelinus l. 2. Gallo. Fland. c. 25. Molanus de instit. Canon. Petr. Beck in Aquisg. c. 2. & 4. Buchelius in notis apud Bekam de Willebrordo.

legerunt, ita continuò ex collegijs Canonicorum cœnobia Monachorum, & ex clericis Monachos procudere non sunt veriti; quorum tamen vitæ ratio tam diversa, quàm diversus est utriusque instituti finis.

Insequens annus, qui illuxerat, collatâ in unum operâ, Willebrordo & Suiberto consumptus in obeundis per Frisiam oppidis & vicis, in confirmandis Neophytis, in distribuendis formandisque parœcijs, quibus Pastores animarum, sacerdotes & Diaconos imposuêre: in construendis consecrandisque templis, quorum in uno vico Doreſtato Marcellini liber perhibet LV. templa exstructa; quod tamen intelligendum de ea, quæ circa Doreſtatum est, regione, in qua à Willebrordo & Suiberto socijsque in LV. parœcijs tot ædes sacræ sint erectæ (quas inter multas paulò antè recensui) quod minime supra fidem rerum ab his gestarum; aut certè pro vico pagum intellexerit Marcellinus. Pagum verò circumscriptos terrarum districtus apud priscos illos scriptores sonare in comperto est apud omnes; quemadmodum tota Frisia Occidentalis antiquitus in Ostergoam & Westergoam tanquam in duos pagos regionesq; divisa fuit. Universim hîc cum Furmerio pronunciare libet, superioribus sæculis, cùm, typis nondum repertis, omnia calamo exararentur, multa sæpe librariorum exscriptorumque vitio irrepsisse, quæ in ipsorum auctorum autogtapho non erant; aut certè ab alijs imperitis, illustrandi explendique gratiâ, pro arbitrio insperſa esse, cumprimis, ubi in exesas vetustate lacunas inciderunt; qui tamen posteritati rectiùs consuluissent, si, uti acceperant, prisca ipsorum auctorum monumenta nobis tradidissent, quamlibet hiulca & corrupta temporum injurijs.

An. Christi 698. Willebrordus & Suibertus alijq; Apostolici viri miro fructu Frisiam Christo pariunt.

At Willebrordus conspectâ tam admirabili rerum mutatione, qua ultro tot populi divinitus illustrati se in sinum Ecclesiæ dabant, non modò Tongriam sive Thoringiam Cisrhenanam, ceterasque Austrasiæ provincias, à quibus Austrasiæ Apostolus est dictus; sed & Daniam (quam imperitus in Daciam vertit) remotasque in Septentrionem gentes complexus animo, sacerdotes ad eas destinasse fertur, qui salutare Christi Evangelium Barbaris annunciarent. Moritur inter hæc Drogo, natorum primus, Pipini filius, Dux Campaniæ, & Major domus Childeberti Francorum Regis; cui in præfectura subrogatus à patre Grimoaldus frater, alterque ab eo genitus ex Plectrude conjuge, cui hoc anno, ut Sigebertus prodidit, Theudesindis, Radbodi Frisonum Ducis filia denupta. Adeo Christi religio vel in ipsius Tyranni aulam penetrârat.

An. Christi 699. *Fredeg. c. 102. & 104. Sigeb. in Chron. ad ann. 699.* Theudesindis Radbodi filia datur in matrimonium Grimoaldo Pipini filio.

Evoluto jam superiori sæculo lætior etiam affulgere cœpit annus partæ per Christum salutis septuagesimus, quo altera synodus ab Apo-

An. Christi 700. Altera Synodus Apostolicorum virorum Trajecti.

ab Apostolicis viris Trajecti est convocata; cui præter ceteros sacerdotes quatuor Episcopi, Willebrordus, Suibertus, Wiro & Plechelmus interfuêre. Jam ante septennium Wiro & Plechelmus Scotorum Episcopi Romæ consecrati, ille Deirorum, hic Massæ candidæ, vel ut Beda retulit, Casæ candidæ, in aulam & consilia Pipini Ducis recepti, eâ doctrinâ & sanctitatis æstimatione, ut moderatores eos conscientiæ suæ Dux delegerit; Wironem cumprimis, apud quem nunquam nisi tetractis calceis peccata expiare in more habuit; ut nihil jam vetet, quin duo ferventes illi præsules pro communi religionis, surgentisque inter Frisios Ecclesiæ causa tam hortatu Pipini quàm suis auspicijs ad Trajectensem hanc synodum convenerint, seseque in partem laboris, quod à Plechelmo post præstitum, obtulerint. Marcellinus huic synodo, etiam Wilfridum, qui post Bonifacius est dictus, præsentem sistit, quippe qui S. Suibertum & Ewaldos ex Anglia consecutus sit; quanquam Serrarius, ut post referam, ad annum 704. ejus ex Anglia adventum referat. Actum hoc celebri conventu Episcoporum & sacerdotum (quorum jam plures ex Britannia cum Suiberto & Ewaldis accesserant) primùm de ordinandâ Ecclesiæ disciplinâ, firmandoque seminario Cleri, in quo formarentur viri ad Apostolicum munus idonei. Magnis deinde animis agitatum inter ipsos de proferendâ inter Saxones & Transrhenanas gentes Evangelij doctrinâ: quam in rem duo illis hortamenta fuêre, successus per Frisiam, & Pipini Francorumque auctoritas. Igitur Werenfridus in Bataviam, Adalbertus Levita, filius Edibaldi Regis Deirorum Egmondam, Marcellinus & Lebuinus in Transisulaniam, hic Daventriam, ille Aldensâliam ad confinia Saxonum missus; ceteri verò hac illacque per diversa Frisiæ & Transisulaniæ loca dispersi, pronam & ingentem paganorum multitudinem Christo adjunxêre. At Ewaldi duo geniti fratres & sacerdotes in Saxoniam profecti ad ferociores gentes pro Christo legationem susceperunt, ut Barbaris Evangelium Christi annunciarent. Marcellinus hos Nabiam primò, ac deinde in Saxoniam ingressos, breviqueglorioso martyrio coronatos memorat. Quæ illa sit Nabia, nondum quisquam explicatè est assecutus; Utrumne navim conscenderint, & per Visurgis ostia intrarint Saxoniam ac Nabiam pro navi perperam quis exscripserit; an vero per Nabaliam, quæ multis est vetus Isala, transgressi in Saxoniam ultra quàm ceteri præcones primùm penetrârint, idque Marcellinus voluerit, incompertum adhuc, neq; alij præfiniri audent. Certius, explicatiusque de Evvaldis Beda: *Duo* inquit, *Presbyteri de natione Anglorum, qui in Hibernia multo tempore pro æternâ patriâ exulaverant, venerunt ad provinciam antiquorum Saxonum, si forte aliquos ibidem prædicando Christum acquirere possent. Erant autem unius, ambo, sicut devotionis, sic et vocabuli. Nam uterque eorum vocabatur Heuvvaldus, eâtamen distin-*

Crumbach. l. 2. hist. Urs. Gelenius in Plectrude. Surius in vita Wironis. Baron. in Martyr. ad 8. Maij Trithemius. Molanus in nat. SS. Belgij.

Post synodum missi Apostolici viri in diversas Frisiæ partes.

Cluverius. Bucherius in notis ad Heidam.

Ewaldi in Saxoniam missi.

Beda lib. 5. c. 11.

distinctione, ut pro diversâ capillorum specie, unus Niger, alter Albus Hevvaldus diceretur. Quorum uterque pietate Religionis imbutus; sed Niger Hevvaldus magis literarum scientia erat instructus. Qui venientes in provinciam intraverunt hospitium cujusdam villici, petieruntq; ab eo, ut transmitterentur ad Satrapam, qui super eos erat, eò quòd haberent aliquid legationis et causæ utilitatis, quod deberent ad illum perferre. Non enim habent Regem iidem antiqui Saxones, sed Satrapas plurimos suæ genti præpositos, qui ingruente belli articulo mittunt æqualiter sortes, et quemcunq; sors ostenderit, hunc tempore belli Ducem omnes sequuntur, et huic obtemperant: peracto autem bello, rursum æqualis potentiæ omnes fiunt Satrapæ. Suscepit ergo eos villicus, et promittens se mittere eos ad Satrapam, qui super se erat (ut petebant) aliquot diebus secum retinuit. Qui cùm cogniti essent à barbaris, quòd essent alterius religionis (nam hymnis semper et psalmis et orationibus vacabant, et quotidie sacrificium Deo victimæ salutaris offerebant, habentes secum vascula sacra, et tabulam altaris vice dedicatam) suspecti sunt habiti; quia si pervenirent ad Satrapam, et loquerentur cum illo, averterent illum à Diis suis, et novam Christianæ fidei religionem transferrent: sicq; paulatim omnis eorum provincia, veterem cogeretur in novam mutare culturam. Itaq; rapuerunt eos subitò et interemerunt, Album quidem Hevvaldum veloci occisione gladii: Nigellum autem longo suppliciorum cruciatu, et horrenda membrorum omnium discerptione, quos interemptos in Rhenum projecerunt. Quod cùm Satrapa ille, quem videre volebant, audisset, iratus est valde, quòd ad se venire volentes peregrini non permitterentur, et mittens occidit vicanos illos omnes, vicumque incendio consumpsit. Passi sunt autem præfati sacerdotes et famuli Christi quinto Nonarum Octobrium die. Nec martyrio eorum cœlestia defuere miracula. Nam cùm perempta eorum corpora, amni (ut diximus) à paganis essent injecta, contigit ut hæc contra impetum fluvii decurrentis per quadraginta fere millia passuum, ad ea usque loca, ubi eorum essent socii, transferrentur. Sed et radius lucis permaximus atque ad cœlum usq; altus, omni nocte supra locum illum fulgebat, ubicunq; ea pervenisse contingeret; et hoc etiam paganis, qui eos occiderant, intuentibus. Sed et unus ex eis in visione nocturna apparuit cuidam de sociis suis, cui nomen erat Tilmon, viro illustri et ad sæculum quoq; nobili, qui de milite factus fuerat Monachus, indicans quòd eo loci corpora eorum posset invenire, ubi lucem de cœlo terris radiasse conspiceret. Quod ita compertum est. Inventa namque eorum corpora juxta honorem martyribus condignum recondita sunt, et dies passionis vel inventionis eorum congrua illis in locis veneratione celebratur. Deniq; gloriosissimus Dux Francorum Pipinus, ubi hæc comperit, adducta ad se eorum corpora condidit cum multa gloria in Ecclesia Coloniæ civitatis juxta Rhenum. Fertur autem, quia in loco, in quo occisi sunt, fons ebullierit, qui in eodem loco usque hodie copiosa fluenti sui dona profundat. Hæc Beda de primis Saxoniæ nostræ Martyribus, neque narrationi ejus quis fidem hactenus detraxit. Quod tamen is scribat corpora Martyrum à nece in Rhe-

D. Ewaldi quotidie celebrant.

Ewaldi primi Westfaliæ Martyres.

Miracula post mortem.

Ewaldorum cædes ubi facta sit.

in Rhenum projecta, tanquam haud procul à ripâ fluminis interemptos velit, haud satis convenit cum ijs, qui de loco necis disceptant, quando id quidam in Larensi pago haud procul Horstmaria in diœcesi Monasterienſi, alij Cronenburgi in oppido Ducatus Montensis id factum opinantur. Certius illi, qui in vico Appelderbeca comitatus Marcani haud procul Tremonia martyrio affectos contendunt; istic enim villa & molendinum, quæ à morticino loco nomen servãt: posteri etiam ex quo post Christiani facti, locum inter monumenta sacra coluerunt. Istic in propinquo Embscara fluvius, in quem Martyrum corpora provoluta, & secundo aquarum fluxu in Rhenum delata sunt, postquam Rheno excepta, mutato naturæ cursu visa sunt per adversum flumen innatare, & quadraginta fere millia passuum ascendere, dum ad ostensum cœlesti radio quietis locum pervenirent. Cetera quæ obtenduntur, non Martyrij, sed hospitij stationisq; loca fuerunt. Nam & à primo in Westfaliam ingressu Comitatum Hojanum adijsse feruntur. Inde Westfaliam annunciando Christi legem Apostolico ritu peragrasse. Ac cùm in Larensi vico benigniores pronioresque reperissent ad Christi doctrinam audiendam, perstitere aliquamdiu apud incolas. Monstratur eo in pago fons tribus scatebris prosiliens, quem percusso in terram viatorio baculo elicuere, dum extrema siccitas affligeret incolas. Rus etiam religione sacrum & rastro intactum à multis retro annis ex memoria horum virorum. Sed memorabilior in eo ædes sacra, Divis hisce olim posita restauratáque nostra ætate ab Episcopo Christophoro Bernardo. Nihil in his certius quàm tradita majorum fides, ad quam hujusmodi referri debent; nam multa etiam ob vetustatem & incuriam scriptorum obscura; perinde ut nec satis constat, quo anno Westfaliam intrârint, aut quot in eâ peragrando docendoq; consumpserint. Martyrium interim cum probatis auctoribus ad hunc annum retulimus. Corpora horum Divorum postquam Pipinus & Plectrudis totusq; Clerus summâ veneratione excepit, condita sunt Coloniæ Agrippinæ in æde D. Cuniberti. Ea post humo levavit, extulitque honoribus D. Anno Colonienſis Archiepiscopus. Capita sub id tempus Monasterium translata, quæ dono Annonis, ut persuasum, Fridericus Monasterienſis Episcopus, qui duo inter se conjunctissimi fuerunt, impetravit; tanquam Monasterienses sibi partem eorum peterent; à quibus primam Evangelij lucem acceperant.

Gelen. in Sacrar.

Vita S. Annonis.

Wernerus Rolevinus lib. 2. de laud. Westfal.

Wernerus Roleving. de laud. Westf. Gelen. in Sacrar. Cleinsorgij. Turckius in mſ. Chron. Grothuſ. & Veldius in mſ. Chron. Vita S. Annonis. Gelen. in Sacrar. & de magn. Colon. Lamb. Schaffnab. Veldius.

Quem Beda supra memoravit Tilmonem, monitum cœlitus de Ewaldorum corporibus reperiendis, is tum in Cæsaris insula creditur stationem habuisse, quam post dono Pipini accepit possidendam excolendamque D. Suibertus. Adeo non omnes ex illo cœtu à Marcellino percensiti sunt, novis quotannis ex Britannia socijs advenientibus; ac fortè ut Bollandus censuit, unus ex primis Apostolicis

Tilmo Sacerdos unus ex Apostolicis viris.

licis viris fuit. Nam Egbertum plures in hanc messem paratos collegisse satis à Beda significatum. Et unde quatuor illi sacerdotes, quos Suibertus secum traduxit ad Boructuarios ?

Quæ à D. Willebrordo Embricæ gesta.

Sub idem tempus, quo Ewaldi Saxoniam fuso sanguine decorârunt, D. Willebrordus Rhenum transgressus Embricam, quæ in Saxonicâ fluminis ripâ Francis parebat, cum Clericis suis ornatuque sacrificali accessit, ac celebrem illam Canonicorum Ecclesiam D. Martino consecravit, ubi & nobilem Lipsanothecam in arcæ modum, unde dicta fuit, hodieque conspicitur, formatam, exornatamque auri & argenti laminis reliquit ; in eamq; non modo Divorum pignora, quæ Romæ à Sergio Papa dono acceperat, sed & augustissimam Christi hostiam à se consecretam inclusit, argentea ad id theca per modum Crucis aptata, ut illa Lipsanothecæ & hierothecæ simul usum præstiterit, ex quo antiquissimo Ecclesiæ ritu heterodoxi priscam ac veram majorum suorum religionem facile recognoverint, vetus inscriptio sic habet.

Actum D, duo CC, quando Deus incola terræ. Quæ hunc annum Christi septuagesimum notis suis conficit. Species panis, queis sacratissimum Christi corpus servabatur, à primâ Willebrordi consecratione ad nostra usque tempora permanserunt integræ incorruptæque, donec hæresi urbem ingressa cœpêre corruptioni obnoxiæ deprehendi, quasi Christi illa præsentia hæreses ferre non posset ; ideoque à Sasboudo demum Episcopo inter sacrificandum absumptæ. Manet interim calix D. Willebrordi, quo ille sacrificium toties fecit, posteris intaminatæ religionis monumentum. Sœpius hæc à me visa contrectataque Embricæ, quò confidentius referre necesse habui. Embricâ ad vicina loca digressus Willebrordus consecrando ædes sacras, docendoque rudem populum haud secus quàm ceteri Apostolici Viri, trans Rhenum Christi Evangelium libera voce promulgavit, Isala tum Saxones Francosque dividente. Medij tum horum Boructuarij inter Amasim & Luppiam ; quanquam post à Saxonibus trans Luppiam submoti, ac subinde etiam à scriptoribus Saxonum nomine comprehendebantur.

* *Vita S. Wolfranni apud Surium & Bollandum xx. Martij ex Jona Monacho & scriptore. Baron. ad ann. 700. Bollandus in Comm. §. 2. Veldius in mss. Chron. Turckius in mss. Chron.*

D. Wulfrann9 Senonensiũ Episcopus divino monitu proficiscitur in Frisiam. Sacrificat in navi.

*Accessit hoc anno in partem Apostolici hujus laboris D. Wulfrannus Senonensium Episcopus ; is postquam inter suos aliquot annos omni virtutum ac sanctimoniæ commendatione Episcopatum administrasset, cœlesti voce admonetur, iret in Frisiam, gentique barbaræ verbum Dei traderet ; ad quæ promptus Wulfrannus cœnobium Fontanellæ adit, delectisq; ex eo cœtu religiosis viris idoneisque ad docendum inter Barbaros legem Christi navem conscendit. Postquam in altum provectus, & pro more in ipsâ navi sacrificium oblaturus, navem tantisper in anchoris consistere jubet, ecce in apparatu sacrificij, patina calicis ministro è manibus elapsa in mare

defluit, quæ ad preces Episcopi haud secus quàm Eliseo vati securis se è fundo sponte reddidit. Inde felici cursu delatus in Frisiam per quinquennium vineam sibi à Deo monstratam excoluit. Multi per hunc sanctum Episcopum fonte Baptismatis abluti; quos inter ipsius Radbodi Ducis filius, & mox cœlo post Baptismun transmissus. Multis præterea miraculis, quæ ad stuporem narrantur inter res ab eo gestas, clarus, magnam Frisonum multitudinem Christo adjunxit. Aggressus inter hæc magnanimus Præsul ipsum Radbodum gentis Principem; eóque ferocem hominem deduxit, ut se salutari Baptisinatis fonte abluendum sisteret, eò vel maximè permotus, quòd a Wulfranno identidem audiret, nemini sine Baptismate ad immortalem vitam cœlum patere. Jamq; ad Baptismi lavacrum procedebatur, cùm Radbodus fluctuans Wulfrannum interrogat, utrumne tot gentis suæ Principes ac nobiles ante se viros, qui sine Baptismo è vitâ exissent, censeret cœlo excluſos, atque ad inferos & damnatorum societatem abijsse. Cui Wulfrannus: certus apud Deum selectorum est numerus, nec ulli sine Baptismo hactenus ad cœlum aditus patuit. Quo audito pedem retraxit, palam inquiens: malle se apud inferos inter tot gentis suæ Principes ac proceres, quàm in cœlo cum exiguo illo adhuc & abjecto gentis suæ numero, qui Baptismum recepissent, vitam immortalem agere. Interim Radbodus miserat legatos, accersitum ad se D. Willebrordum, ut ejus simul consilijs de suscipiendo Baptismo ageret. Atque is cùm didicisset, quibus artibus illusus esset Wulfrannus, legatis respondit fruſtra suam operam à Radbodo expeti, qui Wulfranni doctrinam abjiceret. Intelligebat nimirum Willebrordus versipellis hominis ingenium, quem in numerum politicorum hujus sæculi non immerito referas, sacra ac Divina mysteria non nisi per risus & jocos tractantium. Nihil tamen his deterritus Wulfrannus constanter Barbaros Christi legem docuit, quorum exinde plurimos Christianis aggregavit, meritus etiam Frisiæ Apostoli nomen, quod à scriptoribus illi attributum lego; donec senio & pedum debilitate præfractus in Franciam se referret ad Fontanellæ cœnobium, in quo abdicato Episcopatus munere sanctissimam vitam clausit. Ortus ex Francorum nobilitate perhibetur; nec dubium, quin prima & communi Francorum origine Germanus, cui tam expeditum linguæ commercium fuit in erudiendis Frisonum populis. Nomen certè Germanum prodit; volueritque sanctissimus Præsul non minus quàm ceteri, qui ex Anglia advenerant, miseratus gentem suam, lumen veræ religionis referre, à qua majores olim spiritum vitæ lucemque acceperant.

Wulfranni cum Radbodo congressus.

Radbodus sacris instructus pedem à fonte baptismi retrahit.

An. Christi 701. 702. 703. & 704.

Inter hæc D. Suibertus Episcopus comitatu quatuor sacerdotum Willeici, Gerhardi, Theodorici ac Bosonis, & duorum puerorum Walteri & Joannis, vicinas primùm provincias inter Rhenum & Isalam

Isalam excolendas suscepit eò liberius, quò propius Pipini & Francorum auctoritate fultus erat. Magno lucro fructuque hæc cultura processit. Nam præter aspectabilem corporis habitum, vultusque decorem, inerat viro insita modestia, & mira in agendo suavitas : quàm affabilis summis infimisque, tam dulcis facundusq; eloquio. Quæ cùm abditam Præsulis spirarent sanctimoniam, tum his omnes paganorum ad se trahebat animos, ut tanquam ad Doctorem è cœlo sibi submissum confluerent. Augebat cuncta miraculorum fulgor, quibus mitigati victique, abjurato Dæmonum cultu, ultro se Christo dabant : passi simulacra confringi, fana claudi, & Christianorum ritu templa erigi ; quorum multa in ipsis Saxoniæ confinijs S. Præsul extruxit. Hoc novo Evangelij successu, cùm VVillebrordus Trajecto auxiliares submitteret sacerdotum copias, provocatus D. Suibertus interiorem Saxoniam ingreditur, novam inter Barbaros messem tentaturus. Igitur per initia anni, rigente adhuc hyeme cum memoratis supra socijs Minimigardum, quo tum vocabulo Monasterium appellabatur, zelo animarum plenus accensusque contendit. Inter comites hujus profectionis B. Marcellinus, scriptor horum. Ita enim ille de se : *Hucusque ego Marcellinus præfatus discipulus ipsius Willebrordi cum S. Suiberto conversatus, quæ conscripsi, vidi, et ferme omnibus præscriptis interfui. Et deinde ipso tendente cum suis ad Minimigardum, ego redii, habitâ benedictione ipsius, Frisiam versus.* In Transisulanas scilicet partes, in quibus se scribit Aldensaliam, Covordiam, Daventriam, omnemq; Trentam & Tuentam Evangelij luce illustrasse, ac totum illum populum, in quo ante Suibertus simul laborârat, ad Christi fidem attraxisse, ut horum locorum moderator in vicem Suiberti à Willebrordo impositus videri possit. Jam enim Suibertus Episcopus aliam Evangelij provinciam ingressus, palam ad libere Christi legem docebat Minimigardi. *Nam haud multò post, quàm Episcopus factus est, ad Boructuariorum gentem secessisse, ac multos eorum prædicando ad viam veritatis perduxisse*, paucis Beda scripsit, explicatius Marcellinus ; à quo & concio ejus ad populum refertur, quâ vanitatem Idolorum, Dæmonum fraudes, cæcitatem gentis & omnem illum superstitionis cultum, tum Christi mysteria & fundamenta Christianæ religionis populum edocuit. Cupidè audiebatur ab incolis, majorque indies multitudo affluebat, quod mirere inter Barbaros, nullis palam obstrepentibus, aut molestis. Tantum ab injurijs aberat, ut beneficijs occupârint, in ædes & hospitia invitârint, domi explicatius audituri, quæ publicè non perceperant. Mox etiam doctrina grandi miraculo confirmata. Nam cùm eo die, quo Ecclesia conversionem D. Pauli agit, ad frequentissimum populum peroraret, deportatur in mediam concionem gestantium manibus locuples mulier, sed inops omni membrorum usu, quibus contracta jacebat, vel solo aspectu misera-

D. Suibertus cum socijs Westfaliam intrat ad Boructuarios, & Christi Evangelium docet Barbaros.

Marcell. c. 15.

Beda lib. 5. c. 12.

Suiberrus Mimigardam adit, quæ urbs Monasterium post dicta.

Miraculo contractã mulierem sanat.

miserabilis, quòd monstro quàm homini similior. Multis hæc impensis frustra medicorum opem pertentârat; at postquam audijt alium medicum adesse, etiam patrandis supra vires naturæ operibus clarum, spem meliorem concepit: nec ea fefellit miseram; quàm enim illa supplex Suiberto se commendavit, tam ille benignus fisusq; Deo, vel unico Crucis signo pronunciato formatoque, repente sanitati reddidit, admirantibus, qui hæc in plenâ concione videbant, cunctis Mimigardi incolis. At nemo lætior, quàm quæ recepto usu membrorum suis pedibus domum redijt; neque mox quicquam salubrius habuit, quàm lavacro Baptismatis ablui, & Christi fidem palam profiteri; grataque non minus Deo mulier, hortatu D. Suiberti, ædem sacram suis impensis domui suæ contiguam construi imperavit, in qua Christiano ritu sacra peragerentur, dicataque Deo & D. Paulo, ædes quòd festo ejus die cœlitus persanata esset. Prima hæc in Saxonia post Susatensem sacra Christianorum ædes. Quo in loco post Carolus M. Basilicam condidit, quæ eidem post Apostolo Paulo ex hac prima beneficij miraculiq; memoria est dicata, delectusq; ob hæc idem Apostolus totius Episcopatus Patronus; quemadmodum hæc è constanti & perpetuâ majorum fide in Monasterijensi Ecclesiâ, referuntur.

Ædes D. Paulo structa, quòd die conversionis D. Pauli cõtracta mulier sanata.

At res gestas D. Suiberti pari jam fide persequamur. Is postquam tam prospere sibi Monasterij res succedere comperit, & nullo inter Satrapas & gentis proceres obnitente liberum hîc aperiri ostium Evangelij, mansit aliquamdiu apud incolas loci, docendo firmandoq; novam credentium congregationem. Ac famâ viri indies per Saxoniam inclarescente, convenêre ex propinquis remotisque locis ad cœlestem hunc corporum animorumque medicum, aut opem experturi, aut doctrinam, quæ per Frisiam & vicinas regiones tanto gentium plausu excipiebatur, audituri. Quos inter Adelbertus Bilveldiæ vir primarius, atque opibus præpollens misit duos honestos adolescentes è famulitio suo Minimigardum, qui Suibertum Bilveldiam acersitum ad se deducerent; adeo enim miser angina fauciumque inflammatione laborabat, ut spiritum vix traheret amplius. Simul per hos denunciari jusserat Suiberto, si quidem his doloribus periculoq; vitæ se eximeret, Christi se religionem susceptu-rum. Quibus auditis, Suibertus cum Presbyteris & Clericis suis Bilveldiam advolat, hominemque cum morte luctantem reperit. Hic Suibertus se in preces prosternere, explicare viatoriam aram, palam sacrificium missæ facere; quo peracto, è calice potum præbet moriturο: vix pauxillum ille biberat, cùm omnem simul vim morbi detersam sentit, surgitque sanus & hilaris, Dei in se beneficentiam extollens; neque quicquam prius habuit, quàm ut Baptismatis unda ablueretur. Fama hujus miraculi vulgata per oppidum & provinciam, con-

Suibertus Bilfeldiã evocatus insigni miraculo post sacrificium peractum sanat anginalaborantem, & cum morte conflictantem.

am, confluunt oppidani, amici, consanguinei, gratulantes, permittentesque se D. Suiberti doctrinæ; quorum permulti, abjurato Idolorum cultu, aqua Baptismatis abluuntur, & Christianos se profitentur. Et quia se nova Bilveldiæ surgentis Ecclesiæ inter Barbaros spes dabat, perstitit hîc per dies aliquot Suibertus. Oppidum verò Bilveldia est comitatus Ravensbergensis ad radices Teutonicorum montium, inter veteres Angrivarios, haud procul à Widekindi arce, intraq; jurisdictionem sacram Episcopi Paderbornensis, post ea descriptam à Carolo M.

Plantato Bilveldiæ quoque Christianorum cœtu, Suibertus rogatu gentilium quorundam infirmorum, seu ut in fide solidaret, seu ut morbos eorum curaret, Minimigardum revocatur; deductusque est Bilveldiâ in viam honorifico Christianorum & paganorum comitatu, sanctitatem viri admirantium.

Hoc in Itinere, obviam habuit cœcum hominem. Is cum didicisset Suibertum Christianorum Episcopum adesse, petijt à ductore ad Episcopum deduci. Sed ille dimisso cœco Episcopum pro stipe interpellat. Alia cœci mens erat adeundi Episcopum, eòque importunius exclamare cœpit & obsecrare. Audijt hæc Episcopus, & quæ vellet cœcus, intelligens, mittit Willeicum sacerdotem, simulque baculum suum viatorium cœco porrigendum tradit, ut hoc innixus ad se veniat. Vix cœcus baculum comprehenderat, & tenuis lux quædam oculis affundi cœpit, qua adjutus Suibertum accedit, unicéque Baptismi lavacrum exposcit; quem Suibertus signo crucis facto consignat, & momento omnem visum oculis reddit. Novus adhæc paganorum spectantium stupor, qui ad pedes Episcopi provoluti Baptismum flagitârunt. Minimigardum ingressus brevi tempore dictis factisque mirificis fidelium istic cœtum auxit, passusque est se in eo loco retineri diutius, quòd stabilem istic religionis sedem moliretur. Jacta tum certè illa fundamenta, quibus post eodem adhuc sæculo nobilis Minimigardensis Ecclesia superstructa. Ac postquam ordinatis in præsens omnibus, impositoque sacerdote novellum Christianorum cœtum confirmasset Minimigardi, Suibertus cum suis in interiorem Saxoniam profectionem suscepit, *perveneruntque ad grandem quendam vicum, cui nomen Brunswick*, ubi per dies aliquot substitit annunciando verbum Dei, illustrandoque cœcos barbarorum animos, quorum multi, ut alijs in locis, Christo per Baptismum nomen dedêre. Juvit & hic Divina manus cœptum Evangelij opus. Quippe inter loci incolas oblatus vir nobilis, cui sinistrum latus apoplexiâ obstupuerat; neque manuum tantum pedumq; usum, sed & oculo sinistro visum interceperat malum; quem tamen hominem post fusas ad Deum preces impresso crucis signo integræ sanitati reddidit. Id quia spectârunt plures pagani, audieruntque

Suibertus in reditu Monasterium cœco visum reddit. *Marcell. c. 17.*

(alijs Bardewick) Suibertus Brunswigum adit, & miraculo doctrinam illustrat. *Marcell. c. 18.*

runtque mox vici incolæ, cœpit cum increscente fama miraculi augeri credentium numerus. Quantum hæc accepta in populo, vulgataq; per provinciam, tantum furere sacrificuli, concitare populum, Satrapam loci implorare, ac ni Suibertum ejiciat turbatorem cultus suorum Deorum, mortem intentare. Quibus evictus Satrapa, etsi Suibertum veneraretur, rogat ut se concitationi plebis subtrahat. Obsecutus consilio Satrapæ Suibertus Brunswico excedit, relicto tamen Bosone Presbytero ad solatium eorum, qui Christo nomen dederant.

Suibertus Brunswiko ejectus cetera Saxoniæ & Westfaliæ loca docendo peragrat.

Suibertus Brunswico excluſus, cetera Angariæ Saxoniæque loca Apostolico ritu peragrat, annunciando per oppida, pagos & vicos Evangelij doctrinam. Digna quidem ea perhibet Marcellinus, quæ in fastos ad posterorum memoriam referantur; sed eam ab hoc Episcopo rerum gestarum esse copiam, quæ calamum scriptoris fatigent. Ipse per fastigia tantum narrando progressus, plura etiam daturus, si, ut ceteri, comes inspectorque adhæsisset. Virum interim ejusmodi memorat, qui admirabili spiritu zeloque animarum intrepidus se omnibus periculis objecerit, quemque nemo unquam laboribus satiatum repererit, quin aut docendo populum, aut sacrificando, precandoque Deum, aut legendo dies noctibus conjunxerit. Juvit hanc libertatem docendi verbum Dei Francorum Regum auctoritas & potentia, quorum metu in eos, qui Ewaldos recens trucidârant, tam severo supplicio vindicatum, ut vel inde similia tam facilè in Suiberto Barbari non fuerint ausi pertentare; manseruntq; adhuc Saxonum proceres in amicitia & fœdere cum Francorum Rege Childeberto, Franciæ monarchiam obtinente. Quanquam penes Pipinum Majorem domus totius Regni bellorumq; administratio, quibus adhuc Frisios ac Saxones compressos tenebat.

An. Christi 704. *Serrar. lib. 3. rerum Mogun. Notat 54.* Bonifacij adventus in Frisiam.

Appulit hoc anno, si non prius, ut quibusdam visum, novus ex Anglia Apostolicus vir & gentium Doctor Winfridus, quem deinde Bonifacium dixere, celebris jam ante in Anglia sacerdos nobilitate, doctrina & legatione ad Reges gentis suæ, ex quâ & ipse ex Saxonum parentibus ortus. Multis tandem precibus obtinuit legationem proficiscendi ad barbaros gentes docendas; adductisq; secum adjutoribus sacerdotibus & Clericis, Trajectum venit ad S. Willebrordum; à quo honorificè exceptus, adscriptusque in Clerum per tredecim annos tirocinium posuit in erudiendis Frisiæ, Bataviæ & confinium regnorum populis; quem postea Moguntinum Archiepiscopum ac totius Germaniæ Apostolum suspexit Europa. Is primùm septem annos in pago Wyrha ad Rheni ripam, sex deinde in alijs duobus locis curatorem animarum, doctoremq; rudium hominum egit, cum magna sæpe egestate conflictatus. In postrema tandem statione Gembertum discipulum habere cœpit; de cetero tanquam in soli-

S. Lud. de Bonif. apud Brouv.

tudine

tudine tot annos versatus, Apostolicum illum spiritum, quo Hassia, Thuringia, ac tota Germania illustrata est, collegit.

Anno ab hinc consequente, quem Marcellinus septingentesimum quintum consignavit, D. Suibertus ad Boructuarios digressus, novam in durâ & barbarâ gente vineam Christi excolere cœpit. Prisci hi populi Bructeri fuêre, tot Romanorum Francorumq; scriptoribus memorati intra Rhenum & Amasim, sensimq; trans Luppiam depulsi Saxonibus eorum loca occupantibus, veterum Francorum reliquiæ, ea tempestate Ducatum fere Montensem & Comitatum Marcanum insidebant, ideoq; recepti in clientelam ac fœdus Regni Austrasiæ, & Ripuariæ cumprimis provinciam. Homines, uti Marcellinus, descripsit, inculti, sævi ac barbari, qui in humano corpore ferinas mentes induerant, & quod his detestabilius, superstitioni inanium Deorum deditissimi, vacare augurijs, Dijs humano sanguine litare & nefandis sacrificijs responsa Dæmonum exquirere. Hoc ferarum lustrum ingressus Suibertus, primùm Satrapam provinciæ conveniendum duxit; quem in primo congressu suavitate morum, dicendi facundia, & Pipini auctoritate sibi conciliavit. Pòst ubi Suibertus obeundo vicos & oppida palam docendo Christi legem exponere cœpit, doctrinamque viri sanctissimi Deus alijs atque alijs prodigijs illustravit, sensim Barbari mitescere, audire docentem, permittere se novis Evangelij legibus, & ad Baptismi lavacrum se offerre. Jamque Christianorum cœtus abjurato Idolorum cultu colligebantur, cùm sacrificuli illorum locorum, turbines populi, factâ seditione in Suibertum ruunt, virumque pugnis, lapidibus, baculisque retortis pulsatum exturbant vico; ac jam prope erat, ut trucidarent, cùm periculo subvenientium Christianorum manibus eripitur Suibertus. Fuerat inter hos furiosos homines nobilis quidam Boructuarius ex Veltberg, ex Etheris (ita etiam locus domicilij & nobilitas consignatur) Is quia primùm ictum Suiberto impegerat in caput, mox à Dæmone correptus, ac dirum in modum tortus est. Implorati sacrificuli gentis ad opem: sed his nequicquam laborantibus, ac Dæmone etiam exclamante, non se excessurum hospitio corporis, nisi Suiberti Christianorum Episcopi imperio, advocatur Suibertus, & Dæmonem signo crucis repente ejicit, qui non sine audaci comminatione, tu quidem, inquit, nunc me hoc hospitio ejicis, sed faciam ego, ut brevi hac provincia exturberis. At nobilis ille vir Divino motus beneficio Baptismi unda ablui petijt, receptusq; in Christianorum cœtum, tanto constantius Christianorum causam agere cœpit. Multorum exinde inter Boructuarios ad Christi fidem accessio, quo in numero etiam duo gentilium sacrificuli. Fecit is secundus eventus, ut per biennium inter eos moraretur Suibertus, Idola subverteret, templa erigeret, sacerdotes ac Diaconos diversis cœtibus &

An. Christi 705. & 6. *Marcell. c. 19.*

D. Suibertus ad Boructuarios proficiscitur, ijsq; Evangelij doctrinam tradit.

Boructuarij sævi, & dæmonũ superstitioni diditi homines.

S. Suibertus indignè tractatur à Boructuarijs. *Marcell. c. 20.*

Suibertus per bien-

nium versatus apud Boructuarios, docendo legem Christianam. An. Christi 707.

locis imponeret. Aderat sanctissimo Episcopo continua miraculorum vis cœlitus concessa. Jamque catervatim confluebant ad audiendam Suiberti doctrinam incolæ, magnisq; incrementis surgebat nova inter Boructuarios Christianorum Ecclesia, tanto opportunior feliciorque futura, quo propior Rheno Francorum patrocinium sperare poterat; cùm orto inter Saxones & Boructuarios bello, res simul Christianorum perturbari cœpit. Paucis id complexus Beda: *Expugnatis non longo pòst tempore Boructuariis, à gente antiquorum Saxonum, dispersi sunt quolibet hi, qui verbum* Dei *receperant: ipseque Antistes Suibertus cum quibusdam petiit Pipinum, qui interpellante Slichildedride* (Plectrude videlicet) *conjuge sua, dedit ei locum mansionis in insula quadam Rheni, quæ lingua eorum vocatur in littore: in qua ipse constructo monasterio, quod hactenus heredes ejus possident, aliquamdiu continentissimam gessit vitam, ibique diem clausit ultimum.* Hæc Beda, ac verè ex ijs, quæ fama ad ipsum attulit in Britanniam. Sed belli hujus causam eventumq; rerum multò explicatius Marcellinus: venerat nimirum per id tempus Bruno præpotens Saxonum Satrapa in provinciam Boructuariorum, Luppiam, Ruramque, cum splendido comitatu transgressus. Ibi cùm in vico Ratingen, quod etiamnum id nomen retinet, pernoctaret, orta inter pocula, quibus incaluerant, cœca lis: à lite, ut fit inter ebrios, ad mutuas cædes deventum; qua in digladiatione interficitur Boructuariorum ejus loci præfectus cum duobus famulis. Quibus efferati Boructuarij, cumprimisque amici & consanguinei cæsorum, raptis armis Saxonum Satrapam cum omni comitatu trucidant. Eâ cæde per Saxoniam vulgatâ, omnis illa gens arma induit, & Boructuariorum fines ingressa flamma ferroque grassatur in obvia. Extremus furor in vicum Ratingen versus, cæsisque ad internecionem incolis, locus solo æquatus. His exacerbati Boructuarij, in commune gentis suæ bellum conspirant. Utrâque igitur gente, inter se commissa, bellum alternis cladibus diu multumque extrahitur; quo postremùm fracti Boructuarij cessere potentiæ Saxonum. Ab his deinde imperium ad Rheni ripam prolatum, quæque vetus olim Francia fuerat inter Rhenum & Visurgim, tota Saxonum nomen cum victoris imperio induit.

Beda lib. 5. c. 12. Bellũ inter Saxones & Boructuarios turbat Christianorum initia.

Werdt. Cæsaris post insula dicta.

C. 22. &c. Cædes in Vico Ratingen inter Saxones & Boructuarios.

Hoc conturbato rerum statu Boructuarij, cumprimisq; Christiani inter eos in alteram Rheni ripam concessêre, quò liberius tutiusque, quam susceperant Christi religionem, inter Francos colerent. Quid ijs factum sit, qui Susati jam pridem, quique Minimigardi, alijsque locis in publicos Christianorum cœtus passim coaluerant, nemo scriptorum ex illa temporum caligine prodidit. Suibertus, etsi gregem suorum dispergi cerneret, substitit tamen aliquamdiu inter circumsonantes belli strepitus; & qua valebat auctoritate apud Pipinum, ac gentis utriusq; proceres, conciliatores etiam partes sibi sumpsit,

sumpsit, conatusque est flagrans bellum ad inducias deducere. Sed ea erat Saxonum ex successu belli pertinacia, ut neque ad pacem, neque ad inducias se passi sint inclinari. Quibus in angustijs rerum cùm nulla spe fructûs inter Barbaros se versari intelligeret, multis precibus & lachrymis versus ad Deum monetur per Angelum, transferret se Coloniam ad Pipinum Ducem & Plectrudem conjugem, ab his sibi de quietis loco provisum iri. Jam & senium adrepens urgebat præfractum laboribus sanctissimum virum. Igitur salutatis Boructuarijs, sacerdotes & Clericos colligit, quibuscum iter ingressus, deducentibus etiam quibusdam Christianis per invia & infesta ferocium Saxonum loca, non sine præsenti vitæ periculo Coloniam penetravit. Advenientem benignè atque honorificè exceperunt Anno Archiepiscopus & Plectrudis Princeps; nihilque jucundius fuit Plectrudi, quàm sanctissimi viri colloquijs frui, quem ex fama sanctitatis hactenus tam impensè coluerat. Quam ob causam per aliquot dies apud se in palatio attinuit, nunquam satis familiaritate ac divinis sermonibus satiata. Advenerat sub idem tempus Geraldus Palatinus, missus à Pipino, qui tum Heristalli versabatur, cum armata militum manu, ad Rheni ripam adversus Saxones muniendam tuendamque. Sed viro cùm Borealis in itinere ventus ita inflato tumore fauces obstruxerat, ut omni medicorum arte frustra pertentata pro deplorato haberetur. Plectrudis, quæ hîc alia medici ope utendum censebat, Suibertum rogat, uti Geraldum secum invisere etiam velit, & priusquam emoriatur, sacerdotale solatium impertire. Accedit cum Willeico sacerdote Suibertus, signoque Crucis impresso, gutturis apostema solvit, & repente sanum erigit ad militiæ expeditionem. Alijs deinde editis Coloniæ sanctimoniæ signis ita sibi Annonem Archiepiscopum & Plectrudem devinxit, ut ille sibi adjutorem posceret in Episcopi onere, hæc in insula Werda, locum possessionemque bonorum donaret. Ejus rei gratia ab utroque missus Suibert⁹ cum literis commendatitijs Heristallum ad Pipinum Ducem, additusque Comes Geraldus Palatinus, tam causæ patronus, quàm testis sanctimoniæ. Ac mirum qua veneratione & amore Suibertus sit exceptus à Pipino; à quo non modò Werdam insulam, sed magnam etiam pecuniæ summam impetravit ad construendam Ecclesiam & monasterium. Eo enim tum nomine sacerdotum collegia dicebantur, in quo Clerici veteri disciplinâ alebantur, formabanturque ad docendas barbaras gentes; unumq; tum consilium fuit Annonis Archiepiscopi, Pipini ducis & Plectrudis conjugis ejusmodi in Insula Werda erigere seminarium, moderatore Suiberto Episcopo, quale Willebrordus Trajecti habebat; ut quod ille pro Frisonum populis, hic pro Saxonum gente erudienda excoleret. Opportunus certè locus ad Rheni ripam à Divino consilio repertus, ex quo in

An. Christi 708. D. Suibertus Coloniã migrat, ubi benignè exceptus ab Annone Episcopo & Plectrude.

D. Suibert⁹ Coloniæ miraculis inclaruit.

Heristallum profectus impetrat locum in Cæsaris insula.

Westfaliam sacerdotum excursiones fierent, & ad quam Christiani se reciperent tuti Francorum præsidio. A deo non omnis spes Saxoniæ ad Christum deducendæ tum à sanctissimis viris & Francorum Ducibus est abjecta.

An. Christi 709. &c. *Marcell. c. 25.* D. Suibertus in Cæsaris Insula Ecclesiã & collegium Clericorum erigit liberalitate Pipini.

Insequenti statim anno Suibertus fabricam Ecclesiæ & Monasterij magnis animis in Werda insula aggressus: Architecti, fabri, cæmentarij Coloniâ procuratione Plectrudis advecti; jactisque fundamentis, opus magno progressu assurrexit, virginis patrocinio & honori dicatum, ac novo simul Suiberti opere supra naturæ vires patrato celebre. Nam dum Hungerus vir locuples & paganus lapides ad structuram convehit, everso plaustro opprimitur & exspirat animam. Aberat Suibertus, Evangelij causa digressus ad proximum pagum. Interea funus magno luctu deducitur, cùm evocatus Suibertus advolat, & post preces, corpus inanime manu tangit, & mortuum in vitam revocat; qui nihil exinde sollicitius habuit, quàm ut Baptismi aqua ablutus Christiani vitam indueret. Petri nomen à sacro fonte Hungero datum, multis inde annis Suiberto superstiti. Magnum hoc erat vicinorum paganorum invitamentum ad Christi fidem; quorum permulti abjecto Idolorum cultu Christi sacra amplexi. Nec impigre minus Suibertus, Willeicus, ceterique sacerdotes in vicinos pagos nobiliumque arces excurrendo verbum Dei proseminarunt, sparsim etiam per Westfaliam & Boructuariam, quos reliquerant, Christianos confirmando. Quis verò exinde status Christianæ religionis fuerit per Westfaliam per quinquaginta annos ad Carolum usque Magnum, extinctine Christianorum cœtus ijs in locis, in quibus religionem plantaverat Suibertus, an servati per sacerdotes, parum sanè compertum, quando nec ipsa Pipini bella, quæ superiori anno & sequentibus adversus Suevos Wilariumq; gessit, ullus scriptorum satis expressit: indicia tantùm ex vetusto codice, Salicæ legi subnexo relicta. Anepos præterea Episcopus, vir militari ingenio, uti Ado retulit, exercitum Francorum duxit adversus Wilarium Suevorum Ducem, acceptâ ingenti clade. Neque hos Suevos facilè alios reputes, quàm qui Thuringis vicini magnam Saxoniæ partem inter Cattos insedêre; ut hoc bello Pipinus distractus videri possit, quo minus in Saxones Christianorum perturbatores moverit.

Fragment. Chron. apud Pithœum ad Francicos annal. *An. Chr. 711. &c. *Fragment. Chron. apud Pithœum Fredeg. c. 104. Ado in Chron. Bucherius in Chronol. Petav. in Rat. l. 8. c. 4.*

Dagobertus III. Francorũ & Austrasiæ Rex. Pipinus Austrasiæ Dux. An. Christi 714. *Fred. c. 104.*

* Inter hæc, quod idem auctor ceteriq; prodidêre, Childebertus Francorum Monarcha excessit. Subrogatus in Regnum Dagobertus filius puerili ætate, nec aliter quàm parens solo nomine recensitus inter Reges; manebatque Regni administratio penes Pipinum Heristallum Austrasiæ Ducem, & Grimoaldum filium Majorem domus, coma apud crinigeros ac desides Reges. Sed & Pipini aula subinde luctu turbata: quippe Grimoaldus filius, cùm Pipinum Jopiliæ ad Mosam gravi morbo depressum intelligeret, advolavit ad patrem

patrem invisendum. Jamq; Leodium delatus, dum pro salute patris in æde D. Landberti supplex precatur, à Rangario pagano homine, gente Frisio, quem Radbodus ex satellitio suo ad id scelus submiserat, nefariè occiditur, dolore omnium & desiderio ingenti. Tantum sceleratissimi Tyranni in generum suum exarserat odium, qui jam atrociora spirabat in Christianos. Nec alia Grimoaldo proles superstes, quàm Theudoaldus ex concubinâ filius, qui Pipini studio Major domus Grimoaldo parenti suffectus apud Dagobertum Regem. Non enim Pipinus ita dejectus est statim dolore amissi filij, aut vi morbi, quin receptâ valetudine, ab ijs, qui in necem Grimoaldi conspirârant, vindictam sumpserit. Aderat Pipino ægrotanti Plectrudis, & à viri sanitate Coloniam redierat: pòst ubi audijt Pipinum relapsum in morbum, & Alpaidem pellicem convenisse Pipinum, & pertractasse de Carolo Martello scribendo herede, quem ex se susceperat Pipinus; continuò Plectrudis misit Jopiliam D. Agilolphum Colonien-sem Archiepiscopum ac D. Suibertum ad conjugem, qui pro Theudoaldo nepote & Grimoaldi filio causam agerent, heredemq; à Pipino impetrarent. Excepti Episcopi benignè, cumprimisq; D. Suibertus, sanctitatis fama & miraculorum gloria commendatus. At ubi de successore Theudoaldo, aut alijs etiam ex Drogone nepotibus per consilia Plectrudis expostæ, rejecti sunt à Pipino, quòd is Carolum Martellum, juvenem eximiâ indole, qui & imagine habituque oris, & bellicâ virtute patrem referret, magis probaret; quem etiam à discessu Episcoporum heredem Ducemq; Austrasiæ scripsit. Nec multò post mense Decembri Pipinus excessit è vitâ, tanto omnium luctu, quanta laude bonoq; Christianæ religionis Austrasiam, totamq; Franciam rexerat annos XXVII. Confestim *Plectrudis virilis animi fœmina Theudoaldi nepotis nomine summam rerum gubernandam suscipit, & Carolum Martellum novercali odio metuque, ne acer juvenis turbaret consilia, Agrippinæ in custodiam abripit. Sed id muliebre imperium Franci, ac cumprimis Neustrij, quibus Pipini potentia ad invidiam gravis fuerat, haud diu tulere, coortiq; Ragnifredo Duce in seditionem, qua tota Francia civili bello scissa est, ad bellum prosiliunt, ac Dagobertum Regem, quamlibet reluctantem in castra secum rapiunt, totam Pipini stirpem deleturi. Nec segnius Austrasij & veteres Pipini clientes ad arma convolant. Mox pugna ad silvam Cotiam haud procul Compendio est commissa, quâ magna strage victi Austrasij, Theudoaldo ægre per fugam elabente. Hac victoria elati Neustrij in locum Theudoaldi Ragnifredum sibi Majorem domus eligunt, superatáque Carbonariâ silvâ ad Mosam grassando procurrunt. Nihil hoc civili bello fœdius, quàm quòd Radbodum

Grimoaldus Pipini filius Leodij à Sicario occisus in tẽplo, quem Radbodꝰ ad id submiserat.

Pipinus Jopiliæ æger. Agilolphus & Suibertus missi à Plectrude legati ad Pipinũ agunt causam successoris paterni. *Wilthemiꝰ in Dagoberti notis.*

Pipini mors. & laus. *Fredeg. c. 104. Najan. cod. Fragm. Ado in Chron. Ann. Franc. Pithœi. Sigebertus in Chron. Chron. Tilly & alior.* An. Christi 715. *Annal. Meten. Fred. c. 104. Ado Vienn. in Chron. Henschen. lib 3. de Dagobert.*

* Plectrudis præfecturam Austrasiæ pro Theodualdo sollicitat, & Carolum Martellum Coloniæ in custdodiam ducit.

Bellum civile Frãciæ pro successore Pipini.

dum Frisiæ Ducem infestissimum Christianorum hostem icto fœdere in societatem belli pertraxerint, ad eripiendam Pipinianis Austrasiam. Quo non transversos agit ambitio & regnandi libido ipsos Christianos? Ultro jam Tyrannus ille Pipini metu solutus excubabat in perniciem Christianorum, & opportunitatem recuperandi abreptas sibi Frisiæ provincias.

Carolus Martellꝰ Austrasiæ Dux.

Interea Carolꝰ Martellus elapsus è custodia Plectrudis, amicos veteres & proceres Austrasiæ sibi conciliat, quorum studio atq; ope solertissimus juvenis in locum Theudoaldi ab Austrasijs Major domus ac Princeps deligitur; nec multò post collecto exercitu armatus stetit. Intervenit mox alia Francici Regni turbatio ex morte Dagoberti Regis, à quo mox Neustrij Danielem quendam attonsum Clericum incompertæ originis, tametsi quidam Regiæ stirpis velint, in thronum evehunt, & novo nomine Chilpericum vocant. Eò jam majestas reciderat, ut parum referret, attonsum ne Clericum, an Monachum Regem haberent. Sed tanto illustrior acceptiorq; Austrasijs Carolus (cui Martelli nomen adhæsit, quòd Tuditem & Malleum à cædendis hostibus, ipsumque Martem Francicum dicerent) dignus, quem Pipinus Dux filium, Pipinus Rex patrem, Carolus M. avum referret. Primum illi bellum fuit adversus Radbodum Frisiæ Principem, quem Neustriorum conspiratio in Austrasios, & furor in Christianos exciverat. Nam cognitâ Pipini Ducis morte, erectus in spem recuperandarum provinciarum, collecto ex Frisonum Saxonumq; gente exercitu, prorumpit ad Rheni ostia; impuneque grassando ac sæviendo in Christianos, Trajectum occupat: pulsus & Willebrordus cum cœtu sacerdotum: ejectus Bonifacius ceterique Apostolici viri, & in suis stationibus turbati Christianorum cœtus: direptæ ædes sacræ, disjectusque omnis sanctorum virorum labor. Non his animo fractus D. Willebrordus ac Bonifacius, Caroli Martelli opem & auxilia implorant. Ille haud segnis adversus tyrannum Frisonum cum exercitu Austrasiorum secundo Rheno descendit in citeriorem Frisiam, ac fama terroreque adventus sui Radbodum in ulteriorem Frisiam rejicit. Post ubi Radbodus Carolum in Austrasiam redijsse comperit, auctus Saxonum & vicinarum gentium viribus, multò formidabilior cum exercitu regressus, per cædes & spolia Coloniam usque penetravit, urbi obsidionem intentare ausus. Quo comperto, Martellus cum Austrasiorum exercitu advolat; collatisq; cum Radbodo signis acre prœlium inijt. Decertatum mense Martio, seu ut alij Junio, quâ pugnâ magna pars nobilium desiderata à Carolo, haud levi detrimento exercitûs. At Metensium annales summâ utrinque pertinaciâ & strage pugnatum perhibent, dum nox dirimeret acies, & fractus uterque Dux ad suos se reciperet.

Radbodꝰ adversus Carolum Martellũ rebellat, Frisiam turbat, & sævit in Christianos ope Saxonum adjutus.

Fredeg. Annal. Pithœani seu Fuldenses. Ado.

Prœlium inter Carolũ Martellum & Radbodũ.

Ado.

Per id tempus Saxones, contractis ad prædam copijs, Bojariorum

rum provincias ingressi turbavêre istic Austrasiæ Regnum; tanquam Pipino sublato frenum barbaris simul gentibus detractum esset, Franciaque per intestina dissidia hostibus, aperta pateret ad spolium. Carolus tot hostibus simul obrutus, in quos se primùm verteret, haud satis consilio expeditum reperit. *Annal. Franc.* Saxones Bavariam intrant & vastant.

Interim cùm altero mox anno Chilpericus Francorum Rex, & Raganfredus supremus pallatij belliq; præfectus rursus se in Austrasiam infunderent, deprædatique Arduennam & Ripuariam provincias, Coloniam usque cum exercitu procederent, oppositam Rheni ripam infestante Radbodo; plectrudis, quæ Coloniæ versabatur, his malis circumventa, cum à Carolo privigno, à quo diffidebat, opem exspectare posset, hostes à quibus obsidebatur, auro delinivit, avertitq; ab urbis expugnatione. At dum Neustrij in Arduennam regressi, tutique, ut rebantur, intra nemora & colles considerent, Carolus ex improviso irruens, incautos cædit fugatque. Quo in belli turbine Agilolphus Colonienſium Archiepiscopus, fortè legatus à Carolo missus in Neustriam, à grassante milite interceptus haud procul Malmundario nefariè interimitur, etiam Martyrij cultu honoratus; vel eò nobis commemorandus, quòd Germanos Saxonesque nostros unà cum D. Suiberto pro Apostolico munere ultro susceptо Evangelium Christi docuisse referant acta ejus Episcopi. An. Christi 716. Radbodo Coloniæ imminens auro Plectrudis avertitur. *Gelen. lib. 3. Sacrar. Synt. 7. Pretiosa Hier. p. 30. Scultingius in Bibl. Eccles. Crumbach.* Agilolphus Colon. Episcopus interficitur.

Qua simul tempestate D. Suibertus tanquam è conspectu malorum evocaretur à Deo, Calendis Martij Werdæ in insula excessit ad immortalem vitam anno ætatis LXIX. Theisterbandiæ, Frisiæ, Westfaliæ, Boructuariorum & Saxonum Apostolus, qualem Miræus ceterique agnoscunt. Exitus è vitâ tam admirabilis, quàm ingressus decursusque omnium annorum. Convocatis quippe collegis, quos ad vicenos numerabat, salutaribus extremisque monitis affatur. Obitus deinde die, quem Divinitus cognôrat, pronunciato, solemne missæ sacrificium fieri voluit, perceptoque Sacramento corporis Christi, postquam, se ac circumpositos lecto crucis signo præmunijsset, placidissimè emoritur: vir, quibus per omnem vitam, ijsdem post mortem clarus miraculis; nam statim à contactu feretri ejectus è corpore obsessi Dæmon, & visus adolescenti cœco redditus, aliaque patrata miracula, de quibus alij. Administratio Monasterij relicta penes Willeicum virum Apostolicum, quem unicè semper dilexit, quemque Deus etiam operibus supra vires naturæ editis illustrem fecit, huic Saxoniæ & Christianorum per Westfaliam cura commissa. Annum, quo Suibertus excessit è vitâ, 717. consignavit Marcellinus; quamvis reperias, qui ad annum 713. revocent, eò quòd in fragmento quodam historiæ apud Pithœum depositio S. Suiberti ad hunc annum adscripta legatur. Fragile argumentum, quod hæc verba extra versum adsuta, nec certo loco posita, & cetera abrupta sint. An. Christi 717. D. Suibertus in Cæsaris insula moritur. Collegij Cæsaris insulæ & sacrorum administratio penes Willeicum.

Hoc

Hoc illud ex annalibus Francorum debile fulcrum, quo innixi mortis annum, ut cetera, in D. Suiberto turbant. D. Ludgerus, qui annum 748. scribit fuisse trigesimum tertium à morte Suiberti, eóq; accedit ad eos, qui 715. obijsse volunt, jam aliam æram secutus reputari potest. Multum exinde Werda insula nobilitata Suiberto, cumprimis ob miraculorum celebritatem, vel inde S. Suiberti insula appellata ad Friderici Barbarossæ tempora, à quo Cæsaris insulæ nomen obtinuit. Ejus tamen loci proprius Episcopus non fuit Suibertus, nec alterius certæ diœcesis, quem constat non ex statorum, sed mobilium genere fuisse, quos circularios & regionarios dixere; qualis eâ tempestate Bonifacius primùm, alijque, cum ampla potestate docendi inter barbaras gentes Evangelium, interque eas Pontificalia munia, ubi res poscebat, Apostolico ritu exercendi. Fœdus eorum error, qui hunc Suibertum primùm Verdensem Episcopum statuunt, decepti à Crantzio, quando Episcopatus ille à Carolo M. primùm cum ceteris per Saxoniam institutus est, eique Suibertus quidam gente Anglus impositus; at non ille Suibertus, qui cum D. Willebrordo ceterisque Apostolicis viris Pipino Austrasiæ duce Trajectum appulit, & Carolo Martello Austrasiæ duce, avoque Caroli M. per hæc tempora mortuus est. Nondum Carolus M. susceptus in lucem, nondum ullus per Saxoniam Episcopatus, quem ergo Episcopum hic introducunt? Clarus hoc anno rebus prosperè gestis Martellus, tanquam D. Suiberti patrocinio Austrasia sibi redderetur. Irruperant quippe in hanc subigendam cum furente exercitu Chilpericus Francorum Rex; & Raganfredus Major domus; quibus Martellus cum instructis Austrasiorum copijs occurrit in agro Cameracensi. Ibi postquam pacem obtulit, nec auditus est. Acerrimo & decretorio inter se prælio confligunt; victi verò fugatique Neustrij, quos Parisios usque cædendo insecutus Martellus. Ac ne quid à tergo relinqueret obstaculi, altero mox anno cum victore exercitu Coloniam advolat, quam urbem noverca Plectrudis tenebat, opulentam regijs gazis & firmatam munitionibus. Cumq; expugnare arduum esset, nec ferro etiam sævire in cives & Pipini patris familiam decorum reputaret, omisso Marte, oblatæ pacis artibus cives ad deditionem pertraxit, frustra obluctante Plectrude, per apertas ultro portas intromissus. Plectrudis clementer habita, tantúmque Patris thesauros Carolo reddere jussa; quibus exuta in Bavariam ad paternum solum se contulit. Tum & Rheni ripa prænunita, & Saxones circumdato armorum terrore compressi, & Austrasia Carolum haud secus quàm Pipinum patrem amplexa Principem suum. Quo rerum successu erectus Carolus, Chilpericum sceptro Francico indignum pronunciat, subrogato in ejus locum Clotario III. Dagoberti III. Regis filio, quibus exacerbatus Chilpericus & Raganfredus, pertracto in societatem armorum Eudone,

Cæsaris insula olim Suiberti insula dicta usq; ad Fridericum Imp. *Serrar. rer. Mogunt. lib. 3. Not. 25.*

Qualis Episcopus fuerit D. Suibertus. *Crantzius. Bollandus. Bellar. descript.*

Ann. Franc. Caroli Martelli bella contra Chilpericum & Raganfredum.

An. Christi 718. *Ann. Franc. Fredeg. c. 107. Aim. c. 52.*

Carolus Martellus Coloniã deditione accipit, simulque Plectrudem cum gazis. *Beka in Chron. Traject. Jonas in vita S. Wulfram.*

done, multò atrocius Austrasiæ bellum inferunt; occurrit Carolus, factaque pugnæ potestate victos fundit profligatque; Chilpericus ab Eudone in Aquitaniam abductus, Raganfredus Andegavis se inclusit. *Alcuinus in vita S Willebrord.*

Inter has belli turbas refertur grandi miraculo Deus Westfaliam illustrasse. Rem totam, ut posteritati consignavit Marcellinus, ita hoc loco narrare juvat. Venerat ab Rheno Susatum adolescens, Werdæ in insula D. Suiberti natus, ac Christianis jam sacris imbutus; nomen ei Suederus. Is cùm in hospitio cum septem Westfalis prandaret, cœpit multa de admirandis D. Suiberti operibus enarrare, & ad Christi fidem persuadendam inculcare. Quibus indignati barbari convivæ, tanquam in contemptum suorum Deorum hæc dicerentur, Suedero post multa verbera & ludibria linguam præscindunt, protusumque ex ædibus in cœnum abjiciunt; inde ad mensam & pocula se referunt Barbari, multa in Christum & Christianos convitia jactantes. Nec impunè; vix hæc evomuerant, cùm repentè omnes cœci facti, & panis mensæ in lapides induruit, toto oppido in stuporem verso, hospite cumprimis, qui hæc spectârat; atque is statim, qui antè Christum, mox Deos suos execratur. Eadem cœcos pœnitentia subit, ac nihil illi enixius precari, quàm ut Suederus adolescens præsto sit; quo adducto, supplices & in genua provoluti opem illius implorant. At Suederus, exsectâ jam linguâ, nihil verbis juvare poterat; quibus tamen nutibus & signis fas erat, Werdam & D. Suibertum monstrat. Igitur postridie omnes in duos currus impositi Werdam vehuntur, prosequentibus amicis & consanguineis, & hospitis uxore. Ibi omnes se ad sepulchrum D. Suiberti supplices sistunt. Res mira: adest Suibertus, & pixide prolata, os Suederi unguento oblinit, usumque linguæ reddit; quem ubi cœci audierunt loquentem, extollentes Dei beneficium, & ipsi in spem erecti, multò quàm antè contentius opem D. Suiberti implorant, eodemque omnes miraculo visum recipiunt. Sed animis nondum omne lumen affulserat, ideo triduum mansêre, donec Christiana sacra edocti aqua Baptismatis abluerentur. Reversi Susatum oppidum novo stupore impleverunt, conspectaque miraculi veritate, multi Christi fidem amplexi sunt. Adeo per cœcos illuminati cœci, & D. Suibertus post mortem etiam non destitit docere Saxones. *Marcell. c. 30.* Susatum ingenti miraculo collustratum ope D. Suiberti. ** Othlon. in vita Bonif. Alcuinus in vita Willeb. Serrar. in hist. Mog. l. 3. Not. 8. 9. & 10. Surius tom. 6 in vita Willeb.*

*Inter hæc non destitit Radbodus sævire per Frisiam, sublatáq; docendi Evangelij libertate, Bonifacius desertâ Frisiæ culturâ, in qua multos jam annos desudaverat, in Angliam redijt: atque inde vir Apostolicus, acceptis à Daniele Episcopo literis commendatitijs Romam ad Gregorium II. Pontificem proficiscitur, haud alio consilio, quàm ut cum Pontificis auctoritate aliam Christi vineam in Germania excolendam impetraret. Quemadmodum & ipse Willebrordus, Bonifacius sævienteRadbodo Frisiã deserit, ac Romam proficiscitur.

brordus, cùm frustra in Radbodo emolliendo operam consumpsisset, in Daniam ad Ogendum Regem demigravit, apud gentem illam meliorem laboris fructum quæsiturus. Et Bonifacius honorificè acceptus à Gregorio Pontifice, acceptisque literis, quibus ampla illi ubique locorum docendi gentes potestas data, superatisque Alpibus mense Majo in Germaniam redijt; ac transita Bavaria, Treviros adijt; ubi Gregorium nobilem adolescentem, miro numine afflatum, quem post tertium sedes Ultrajectina Antistitem habuit, in disciplinam admisit. Inde in Thuringiam ad incultos populos digressus novam Christi vineam excolere cœpit; tantusque illic in sacerdotibus, quos multum depravatos reperit, quantus in barbaris gentibus formandis labor fuit. Moritur inter hæc tandem Radbodus Frisonum Dux, sævus ac diuturnus Christianorum Tyrannus; quippe qui per quadraginta annos fatigando Austrasiæ Duces, vexando sacerdotes, evertendo sacras ædes, incredibiles clades surgenti Christianorum Ecclesiæ intulerat. Quanquam non desint auctores, qui sub extremos ejus regni annos Caroli Martelli armis obtritum velint, adactumque Evangelij præcones recipere. Ex his Alcuinus inquit, multas à Carolo gentes Francorum regno adjectas, inter quas cum triumphi gloria Frisia, devicto Radbodo, paterno imperio reddita sit. Quin ab Alcuino scriptum est, Frisiam à Carolo cum triumpho receptam, Radbodumque ad Francorum Regum obsequia postremò compulsum redijsse, quanquam non ad sanam unquam mentem, quem D. Willebrordus ignea catena religatum ad inferos rapi vidit. Ejus demum excessu respirare cœpit per Frisiam Christianorum Ecclesia, redire ad stationes suas sacerdotes, cœtus palam habere, & Caroli auctoritate & patrocinio libere verbum Dei disseminare. Successit Radbodo Adgillus natorum maximus, dispari ac mitiori ingenio, qui Christianam etiam religionem amplexus. At postquam Bonifacio Radbodi mors denunciata, relictâ Thuringiâ ad veterem Frisiæ culturam se retulit, instituto per Saxoniam ut opinor, secundo Visurgi itinere, quam tum vir Apostolicus primùm perlustrare visus. Triennium ex hoc reditu permansit Bonifacius in Frisiâ; resumptoque labore docendi plurimos à cultu Idolorum ad Christi religionem perduxit. Alibi fana eversa, alibi sacræ ædes exstructæ, impletæque Christianorum cœtibus. Ita sublato Radbodo, tanquam cœli terræque inimico, ubique per Frisiam serenitas religionis Christianæ reddita est, consternatæq; Christianorum mentes ad libertatem veterem Francorum patrocinio rediêre.

An. Christi 719. Bonifacius cum potestate docendi à Gregorio II. Pontifice acceptа redit in Germaniam, & in Thuringiam discedit. *S. Ludg. in vita Greg. Jonas in vita Wulfr. Othlonus, Sigeb. in Chron. Bucherius in Chronol.* Radbodi mors. *Beka hist. Ultraject. Jonas in vita Wulfrann. Alcuinus in vita Willebr.* Radbodo succeſſit Adgillus filius, is quia Christi fidem amplexus, Ecclesia sibi reddita est.

An. Christi 720. Francia intestinis bellis turbida.

Nec tamen per ipsam Franciam adhuc à bellis civilibus tranquillitas. Mortuo enim Clotario Rege, quem Martellus imposuerat, Chilpericum Regem ab Eudone per legatos reposcit, recipitque. Sed & eo mox defuncto, Theodoricum IV. cognomento Calam, quod è

Annal. Franc. Fredeg. c. 107. Ado Vienn. in Chron.

Calensi

Calensi monasterio extractus ad solium, Dagoberti III. filium, quem alij Childericum fratrem volunt, Franciæ Regno inaugurat. Adeo Regum creandorum regendorumque omnis potestas penes Carolum Martellum, Franciæ Martem erat, Regibus solo nomine ac larva Regum relicta. Inde in Raganfredum æmulum conversus, Andegavis inclusum unà cum urbe capit, & quem perdere poterat, ei vitam donat. An. Christi 721. *Ann. Franc. Fred. c. 107.*

Per hos civiles Franciæ motus, & per hanc Caroli à Rheno absentiam, Saxones factâ conspiratione gentis suæ, consilia rebellionis agitare cœperunt. Jamque omnia in apertum bellum parabantur, jam Rheni limiti perrumpendo, Austrasiæq; imminebant: cùm de rebellionis motu edoctus Carolus cum exercitu advolat, transmissoque Rheno, prælio obtritos fundit, & ad Visurgim usque cum exercitu procedit, latè hostium agros depopulando vastandoq;. Occurrunt postremùm Saxones, consertumque est acre prœlium, quo, utrinque gravissima cædes facta. Victi obtritique ad ultimum Saxones Carolo in triumphum & spolium cesserunt. Jejunè hæc Francici scriptores non tam scripserunt, quàm delibârunt, quæ aliorum mecum querela est. Memorabilia sanè magis haberemus de hac Caroli expeditione, si quis ea historiæ scriptor, ut res poscit, consignasset. Præclarè Carolus per id tempus de Trajectensi Ecclesiâ meritus, ut hâc belli expeditione Trajectum, & quæ ad Rheni ostia sunt loca, invisisse dixeris. Producit enim Miræus & Heida vetus Caroli diploma, anno II. Theodorici Regis Heristalli consignatum, quo Willebrordo & patribus monasterij ipsum castrum, & quicquid agrorum bonorumque castro circumjacet, amplissimâ largitione donat, haud sanè aliunde provocatus, quàm ubere fructu laborum, quem sacerdotes ejus monasterij, quos in alio diplomate patres appellat, proferendo inter Barbaros Evangelij doctrinam, facere comperit. Auxit hæc postea Carolus alia donatione multò largius, anno VI. Theodorici Regis, qua Fethina, Elista, Tiela, ipsumque adeo castrum & pagus Benthem cum amplâ jurisdictione Willebrordo donata. Adeo jam tum per ipsam Westfaliam Christi religio ex his possessionibus disseminari cœpta. Nec dum Isala solum, sed & castrum Benthemense Francorum præsidijs haud secus quàm Trajectum tenebatur.

Saxones rebelles à Carolo Martello cõpressi.

Miræus. Heida in hist. Ultrajecti. Caroli Martelli liberalitas in Ecclesiam Trajectensem. *Heida in Willeb.* Castrum Benthem Willebrordo, & Ecclesiæ Trajectensi donatum.

At nondum anno à victoriâ Saxonum evoluto, Carolus in Alemannos & Suevos movet; quas gentes Plectrudis noverca exul lachrymis, precibus & largitionibus ad arma exciverat. Bellum id pari celeritate Caroli confectum. Devictis post hæc Alemannis & Suevis, Danubium transgressus, Bavaros eadem conspiratione excitos oppressit. Plectrudis etiam, fax belli, Coloniam abducta, unáque neptis ejus Sonechildis, quam postea sibi matrimonio junxit. Iterum à

Annal. Frãcorum. Ado.

bello Boico in Saxoniam cum exercitu progressus est Martellus, uti Ado memorat, & rebelles ad quietem compressit.

Othlonus. Serrarius. Bonifacio ex Frisiæ cultura redit in Hassiam & Thuringiam.

Inter hos felices bellorum procursus, quibus Carolus Frisiam Austrasiamq; omnem victor tenebat, D. Bonifacius non contentus Frisiæ provincijs, quibus jam satis præclaris doctoribus provisum videbat, novam in Hassiâ & Thuringiâ vineam Christi sibi excolendam resumpsit. Hos enim Germaniæ populos, etsi Francorum imperio obnoxius, sine veri Dei cognitione, sine doctore jam ante triennium conspicatus, rursum sibi divinitus erudiendos offerri sensit. Quare nihil sollicitius habuit, quàm ut iter in Hassiam institueret. Ægre id habuit Willebrordum, qui evocato ad se Bonifacio exponit ingravescentem suam ætatem mentemque, qua ipsum sibi successorem solatiumque laborum suorum designârit, oblato etiam in præsens Episcopi munere, ad quod nullum eo digniorem se conspicere testabatur. Quantum hæc exaggerando contendebat Willebrordus, tantum obsecrando obnitebatur Bonifacius, asserens nec suam ætatem virtutemque tanto oneri parem esse, nec id sine Pontificis voluntate fieri posse, à quo in Germaniam destinatus sit ad docendum Evangelium. Ita dimissus à Willebrordo longo & difficili itinere in Hassiam pervenit, stationemque primam Amanaburgi habuit. Inde collectis adjutoribus latè per Hassiam admirabili cum progressu, multisque hominum millibus fonte Baptismatis ablutis, ad confinia usq; Saxonum Christi doctrinam disseminare cœpit. Quæ cùm Pontifici per legatum & literas exponeret, evocatus est Romam, ac pridie Calendas Decembris à Gregorio II. Pontifice incertæ sedis Episcopus consecratus, quique Winfridus hactenus dicebatur, Bonifacius est nominatus.

Othlon. Amanaburg. Hamanaburg. Hodie Ameneburg.

An. Christi 723. *Othlonus. Tom. 17. concil. Regiorum Paris. Brouverus Mogunt. rer. lib. 3.*

Anno statim consequente, qui Christi 723. agebatur, cum literis Apostolicis ad Carolum Martellum, ad Germaniæ Episcopos, ad Duces & Comites, Clerumque Germanum, ad Thuringos, Saxones in Germaniam properavit. Ceteris prætermissis quasdam hoc loco Pontificis literas interponere visum, quò constet non aliam quam Romanam religionem per D. Bonifacium priscis Germaniæ populis traditam esse, multumque Romano Pontifici deberi, conversionem Frisiæ, Hassiæ ac Saxoniæ.

EPISTOLA

EPISTOLA

GREGORII PAPÆ II.

Ad Carolum Ducem, Majorem Domus Regiæ Francorum.

Qua commendat Bonifacium, ut illi faveat in suscepto ministerio.

Domino Glorioso filio Carolo duci Gregorius Papa.

COmperientes te, in Christo dilectissime, religiosæ mentis affectum gerere in multis opportunitatibus, debito salutis præmisso, notum facimus Deo dilectæ tuæ dignitati, præsentem fratrem Bonifacium, fide et moribus approbatum, à nobis Episcopum consecratum, atq; institutionibus sanctæ sedis Apostolicæ, cui Deo auctore præsidemus, Ecclesiæ generali solicitudine informatum, ad prædicandum plebibus Germaniæ gentis, ac diversis in Orientali Rheni fluminis parte consistentibus, gentilitatis errore detentis, vel adhuc ignorantiæ obscuritatibus præditis, necessariò destinare. Pro quibus eum gloriosæ benevolentiæ tuæ omnimodo commendamus, ut eum in omnibus necessitatibus adjuvetis, et contra quoslibet adversarios, quibus in Domino prævaletis, instantissimè defendatis; certissimè retinentes, Deo vos exhibere quæcunque huic promptissimo impenderitis favore, qui sanctis Apostolicis suis ad lucem gentium destinatis, à suscipientibus eos se suscipiendum prædixit: quorum institutionibus per nos informatus prædictus antistes, in sortes prædicationis procedit.

ALTERA EPISTOLA

GREGORII PAPÆ II.

Ad Optimates Thuringorum.

Qua laudat illorum in Christi fide constantiam, hortaturq; ut Bonifacio Episcopo suo sint obedientes.

Viris magnificis filiis Asulfo, Goddavo, Uvillerco, Gunthario, Alvoldo, et omnibus Deo dilectis Thuringis fidelibus Christianis, Gregorius Papa.

INsinuatam nobis magnificæ in Christo fidei vestræ constantiam agnoscentes, quod paganis compellentibus vos ad idola colenda, fide plena respondentis, magis velle feliciter mori, quàm fidem semel in Christo acceptam aliquatenus violare; nimia exultatione repleti gratias debitas persolvimus Deo nostro et redemptori, bonorum omnium largitori, cujus gratiâ comitante vos ad meliora et potiora optamus proficere, et ad confirmandum fidei vestræ propositum sanctæ sedi Apostolicæ religiosis mentibus adhærere, et, prout opus poposcerit sacræ religionis, à memoratâ sanctâ sede apostolicâ spirituali omnium fidelium matre solatium quærere, sicut decet filios coheredes regni à regali parente. Ministerio quoque præsentis fratris carissimi Bonifacii, quem ad vos episcopum consecratum in sorte prædicationis destinavimus, apostolicis institutionibus informatum, ad instruendam fidem vestram, in omnibus volumus et hortamur obedientes ei consentire ad complementum in Domino vestræ salvationis,

ALIA

ALIA EPISTOLA EJUSDEM

GREGORII PAPÆ II.

Ad universum populum Thuringorum.

Vt Bonifacio Episcopo suo in omnibus obediant, & Episcopia atque Ecclesias construant.

Gregorius servus servorum Dei universo populo Thuringorum.

DOminus Jesus Christus Filius Dei, et Deus verus, de cœlis descendit, homo factus est, et pro nobis pati et crucifigi dignatus est, et sepultus tertia die resurrexit à mortuis, et ascendit in cœlum: discipulis etiam suis sanctis ait: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: ipse in se credentibus vitam æternam promisit. Cupientes ergo vos in perpetuum nobiscum gaudere, ubi finis gaudii nullus est, nec tribulatio, nec aliqua amaritudo, sed gloria sempiterna; ideo fratrem nostrum sanctissimum Bonifacium Episcopum ad vos direximus, ut vos debeat baptizare, et fidem Christi docere, et ab errore ad viam salutis deducere, ut salutem habeatis et vitam sempiternam. Vos ergo ei in omnibus obedite, et sicut patrem vestrum illum honorate, et ad ejus doctrinam corda vestra inclinate. Quia illum non pro lucro aliquo temporali conquirendo direximus, sed pro lucro animarum vestrarum ad vos eum misimus. Diligite ergo Dominum, et in nomine ejus baptismum suscipite: quia Dominus Deus noster, quod oculus hominis nunquam vidit, nec in cor hominis ascendit, præparavit diligentibus se. Jam recedite à malis operibus, et agite bene: non adoretis idola, nec immoletis carnes, quia Deus non recipit ista: sed in omnibus secundum quod vos frater noster Bonifacius docuerit, observate et agite, et salvi eritis, et vos et filii vestri in sempiternum. Facite ergo et domum, ubi debeat ipse pater vester Episcopus habitare, et ecclesias ubi orare debeatis, ut Deus indulgeat peccata vestra, et donet vobis vitam sempiternam.

Scripsit idem

GREGORIUS PAPA II.

Ad cleruum, ordinem, & plebem,

Cui Bonifacius ordinatus fuerat Episcopus in hunc modum.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, clero, ordini, et plebi consistenti Thuringi, dilectissimis filiis in Domino salutem.

PRobabilibus desideriis nihil tarditatis præstantes fratrem jam et coëpiscopum nostrum Bonifacium vobis ordinavimus sacerdotem. Cui dedimus in mandatis, ne unquam ordinationes præsumat illicitas, ne bigamum, aut qui virginem non est sortitus uxorem, neque illiteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut expœnitente, vel curiæ, aut cuilibet conditioni obnoxium notatumque, ad sacros ordines permittat accedere; sed si quos hujusmodi fortè repererit, non audeat promovere. Afros passim ad ecclesiasticos ordines prætendentes nulla ratione suscipiat, quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati

baptizati sæpius sunt probati. Ministeria atque ornatum Ecclesiæ, vel quidquid illud est in patrimonio ejusdem; non minuere studeat, sed augere. De reditu vero Ecclesiæ, vel oblatione fidelium, quatuor faciat portiones, quarum unam sibi ipse retineat, alteram clericis pro officiorum sedulitate distribuat, tertiam pauperibus et peregrinis, quartam ecclesiasticis fabricis noverit reservandam; de quibus divino erit judicio redditurus rationem. Ordinationes vero presbyterorum, sive diaconorum, nonnisi quarti, septimi, et decimi mensis jejuniis, sed et in ingressu quadragesimali, atque medio, vespere sabbati noverit celebrandas. Sacrosancti autem baptismi sacramentum, nonnisi in paschali festivitate et pentecostæ noverit esse præbendum, exceptis ijs quibus mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis subvenire. Huic ergo sedis nostræ præcepta servanti devotis animis obsequi vos oportet, ut irreprehensibile placitumque fiat corpus Ecclesiæ, per Christum Dominum nostrum, qui vivit et regnat cum Deo patre omnipotente, per omnia sæcula sæculorum. Deus incolumes vos custodiat dilectissimi. Data Kalendis Decembris, imperante Domno piissimo Augusto Leone à Deo coronato magno imperatore, anno VII. *Sed et Constantino magno imperatore ejus filio anno* IV. *indictione* VI.

Quinta ejusdem Pontificis Epistola, quâ veterum etiam Saxonum conversionem ferventissimus Pontifex complexus, sic habet.

Gregorius Papa universo populo provinciæ Alt Saxonum.

Sapientibus et insipientibus debitor sum, fratres charissimi, ideoque volens vos scire, qualem sollicitudinem habeam pro vobis, et pro his, qui verbum exhortationis fidei Jesu Christi Domini nostri susceperunt, et qui adhuc susceperi sunt, ut consolentur corda vestra instructa in charitate, et in omni plenitudine sapientiæ annuntio vobis, quoniam prope est regnum Dei, ut nemo vos amplius decipiat in sublimitate verborum, aut in quocunque metallo salutem vestram quæratis, adorantes idola manufacta, aurea, argentea, ærea, lapidea, vel de quacunque materia facta, quæ falsidica nomina à paganis antiquitus quasi Dii facti sunt, in quibus Dæmones habitare noscuntur, quoniam omnes Dii gentium, ut ait scriptura, Dæmonia sunt, Deus autem noster cœlos Ps. 95. *fecit. Quicunque autem in vobis susceperit Christum Jesum Dominum nostrum, in ipso ambulent radicati, et super ædificati, et confirmati in fide, abundantes in gratiarum actione. Videte ne quis vos amplius decipiat per Philo-* Coloss. 2. *sophiam et inanem fallaciam. Astutiores enim sunt filii tenebrarum, quàm filii lucis. Discedite ab Idolorum cultura, et accedite, et adorate Dominum* Luc. 16. *Deum nostrum, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt: et vultus vestri non erubescent. Unus enim Dominus hominum, volucrum, quadrupedum et piscium, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Exspoliate vos veterem hominem, et induite Christum novum, deponentes iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem quoque sermonem nolite de ore*

vestro

vestro proferre. Jam enim advesperascit dies sœculi, et appropinquat tempus tenebrarum. Ideoque nolite esse otiosi, sed potius operamini opus bonum, ut Christus habitet in vobis, et quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo patri per ipsum: respuentes gentilitatis sectam, scientes vos Dominum habere in cœlis. Orationi instantes, ad ipsum Dominum cor erigite: quoniam magnus est Dominus Deus noster, et laudabilis nimis, et terribilis super omnes Deos: qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis pervenire. Hoc etiam commoneo fratres, ut quicunque voluerit ex vobis ad Christum converti, nullo modo eum prohibeatis, nec vim ei faciatis, sculptilia adorare. Ministrum quoque et conservum in Domino, quem misi ad vos, Bonifacium fratrem ac Coëpiscopum meum ad hoc ipsum ut cognoscat, quæ circa vos sunt, et consoletur corda vestra cum exhortationis verbo, in Jesu Christo Domino nostro suscipite, ut à Diabolica fraude liberati mereamini adoptionis filiis aggregari.

Haud alij hi antiqui Saxones, quàm qui medij inter Thuringos, Hassos, & Frisones veterem Franciam regionemque inter Rhenum & Visurgim incolebant, & sub Carolo M. Westphali appellari cœperunt, quemadmodum id supra de origine Saxonum à nobis assertum est, quod & à Serrario alijsque comprobatum. Nihil Pontifici consultius visum, nihil Bonifacio Germanorum Apostolo magis in voto erat, quàm Christi religionem ijs quoq; populis annunciare; quando jam Thuringia & ipsa Frisia Evangelium receperat. Igitur Bonifacius postquam Germaniam est ingressus, primùm se ad Carolum Martellum contulit. Jam dudum viri famâ ad se perlatâ expetijt Martellus videre Bonifacium; sed cùm malevolorum sermonibus ac depravatis judicijs perstrictus esset apud Ducem, non continuo admissus est. Pòst ubi exhibitis Pontificis literis coram audijt differentem, spirantemque è vultu religionis zelum, æstimavit virum, datisque ad præfectos suos per Thuringiam & Hassiam literis, cum auctoritate dimisit: eæ verò literæ sic habent.

Othlonus. S. Ludger. in Bonif. vita Serrar. in Mogunt. Tom. 17. concil. Regior. Par.

CAROLI MAJORIS DOMUS EPISTOLA GENERALIS.

De susceptio in tuitionem ac defensionem Episcopo Bonifacio.

Dominis sanctis & Apostolicis in Christo Patribus Episcopis, Ducibus, Comitibus, Vicariis, domesticis, seu omnibus agentibus junioribus nostris, seu missis decurrentibus, & amicis nostris, illustris vir Carolus Major Domus bene cupiens vester.

COgnoscatis qualiter Apostolicus vir, in Christo Pater, Bonifacius Episcopus ad nos venit, et nobis suggessit, quòd sub nostro mundeburdo vel defensione eum recipere deberemus. Quod ita gratanti animo nos feciſſe cognoscite. Proinde ergo taliter ei manu nostra roboratam dare visi sumus, ut ubicunque

cunque ambulare visus fuerit, cum nostro amore, vel sub nostro mundeburdo et defensione, quietus vel conservatus esse debeat: eâ ratione ut justitiam reddat, et justitiam faciat et accipiat. Et si aliqua causatio vel necessitas ei advenerit, quæ per legem definiri non potuerit, usque ante nos quietus et conservatus esse debeat, tam ipse, quàm qui per ipsum reclamare se et sperare videntur. Ut nemo aliquam contrarietatem vel damnationem adversus eum facere præsumat: sed omni tempore sub nostro mundeburdo vel defensione quietus vel conservatus residere debeat. Et ut certius credatur, manu propria subter firmavimus, et de annulo nostro sigillavimus.

Hac Caroli auctoritate præmunitus Bonifacius, Hassiam primùm ingressus incredibili fervore & constantiâ peragrando regionem, & sub tentorijs cum discipulis pernoctando, evangelium Barbaros docere instituit. Visus est hanc provinciam Hassiæ tanquam horridam superstitionis silvam intrare Bonifacius, in qua effera gens majorum præstigijs, aruspicum responsis, dæmonum ludibrijs dementata lignis & fontibus sacrificabat. Cumque in miræ magnitudinis quercu, quam Jovis arborem colebant, exscindenda Bonifacius occuparet suos, advolat ingens paganorum multitudo, strictis in Bonifacium securibus. Interim arbor quanta est, in quatuor partes sponte rupta magno fragore dissilit; quo conspecto majorem Numinis vim venerati in Bonifacio, ultro ejus se doctrinæ permiserunt; & ille percursando regionem brevi magnam partem à gentilium erroribus perpurgatam, ad veri Dei cultum perduxit. Utrumne etiam Bonifacius ex Hassiâ aliquando in vicinam Saxoniam digressus sit, & Westfalis Angarijsque Christi legem tradiderit, prisci illorum temporum scriptores non satis tradiderunt: liberior per Hassiam & Thuringiam disseminandi Evangelij facultas, quæ imperio Francorum tenebantur: Saxonia per id tempus tributaria tantùm Francis suis legibus & ritibus relinquebatur. Multa interim vestigia, quæ Bonifacium Westfalos & Angarios adijsse haud obscurè commonstrant, Hammeliæ cumprimis ad Visurgim, ubi istic cis flumen Bernardus Comes, cui in Engerbergo monte habitationis sedes fuit, unà cum conjuge à Bonifacio sacris Christianis imbutus traditur. Is deinde partem bonorum in Hamelensem Ecclesiam, partem in Fuldense monasterium dotandum convertit. Hamelia quæ antiquitus Fuldensium patrimonium fuit, anno demum MCCLIX abalienata cessit alteri possessori. Ostenditur & alia ædes sacra in Engerbergo monte per Bonifacium D. Dionysio sacrata; perinde ut Hamelense templum S. Romano Martyri, ab eodem Episcopo dicatum memoratur, quod Leo III. Pontifex, cùm ad Carolum in Saxoniam descenderat, magnificentius structum à D. Bonifacio patrono nomen referre voluit. Comitem seu Satrapam prius Everhardum dictum volunt, conjugem Odelgundinam; postquam Baptismo abluti, illi

Bonifacij verisimiliter etiã Westfaliam illustravit doctrina Christiana. *Chron. Mind. Joannes de Essend. Joannes de Solde Can. Hamel. ex monumentis Eccles. sua. Cleinsorgius in Chron.*

Reineccius de orig. Saxon. Meibom. Lesnerus. Winckelm. in Westph. descrip.

Bernardi, huic Christinæ nomen datum. Vulgare hujus rei monumentum ex veteri lapide apud Hamelenses, cui inscriptum.

Anno Domini DCCCXII. Bernardus Comes, Christina Comitissa, regni Angariæ de Osten fundarunt hanc Ecclesiam.

Quanquam Epigraphe illa neque sæculum Bonifacij, neque annum referat; sed Caroli M. potius ac Leonis Pontificis. Reperio etiam auctorem, qui Fuldenses Monachos Hamelensi Ecclesiæ à Bonifacio primùm impositos refert: plerique ex cognomento de Osten Orientalis Angariæ Comitem fuisse censent; quanquam & pagus hodiedum, ad Visurgim Osen, in quo alij Satrapam consedisse volunt. Alterum Bonifacij monumentum acta D. Waltgeri exhibent. Avum is memoratur habuisse, virum inter Satrapas Angariæ nobilem, Adolphum nomine, quem D. Bonifacius primùm Christiana doctrina imbuit, & fonte Baptismatis abluit. Is deinde Deddam filium ijsdem Christianorum sacris à puero excoluit, Dedda Waltgerum filium. Hic ille Waltgerus, qui Carolo M. & Ludovico Pio Imperatoribus nobilem illum virginum Parthenonem Hervordiæ condidit, & paternis opibus tam largè dotare cœpit. Quæ vel eò mihi commemoranda hoc loco fuêre, quod Hamelia intra Mindensis, Hervordia verò intra jurisdictionem sacram Episcopi Paderbornensis comprehensa. Haud secus Monasterienses ex inferiori Westfalia Bonifacij ad se accessum commonstrant. Vetus apud eos collegium virginum Freckenhorstense haud procul ab Amasi & Warendorpio. Conditor ejus D. Ewerwordus ex prima ejus loci nobilitate, cujus proavus ac proavia à D. Bonifacio, dum iter in Frisiam haberet, & hospitio excideretur, Christi fidem edocti, transmisere illam in filios ac nepotes. Asservatur hodiedum apud virgines ejus loci D. Bonifacij baculus teres & lamellis inductus, quem proaviæ olim dederat Bonifacius, monumentum pietatis & posteritatis. Haud dubium quin hujusmodi cõplura ex rebus per Westfaliam à Bonifacio gestis habituri essemus, si, perinde ut commissum sibi à Pontifice veterem Saxoniam pertentavit, docendo & peragrando, scriptor aliquis posteritati consignasset. Prorsusq; credibile Mimimigardum adijsse, ut quos istic Suibert⁹ reliquerat Christianos, requireret confirmaretque. Ac licet barbara tunc Saxonia & superstitioni tenacissimè dedita; multi tamen in ea viri nobiles, qui aut Francis militârunt, aut gloria Christianæ religionis perstricti inanium Deorum cultum improbare cœperunt. Et qua fiducia Pontifex ad proceres populumque veteris Saxoniæ scribere induxisset in animum? nisi jam inter eos aut pronos ad Christi fidem, aut jam edoctos comperisset. Sanè ipse Gregorius, binis ad Leonem Isauricum Orientis Imp. literis perscripsit, se quo minus ad provincias Orientis proficisci possit, stare in procinctu itineris in Occidentem susceptum, ut principes quosdam recens in Christianâ fide eru-

Vita Waltgeri.

Tabula colleg. Freckēhorst. Bollando & Gamansius in vita Thiathildis c. 3. in append. ad 30 Jan.

Baron. ad ann. 726. Fronto Ducæus.

de eruditos, idque à se flagitantes, ipse Baptismatis unda ablueret, quos Baronius haud alios censet fuisse quàm primarios è Saxonum populo viros ac Satrapas, quos D. Bonifacius proximis annis tanto hominum nobiliumque virorum concursu ad Christi Ecclesiam per Thuringiam, Hassiam, & Saxoniam aggregârat. Ad hosce D. Bonifacij Apostolicos labores & pericula exclamat D. Ludgerus. *Quid nos miseri, pigri et inertes in pace Ecclesiæ dicturi sumus? qui non gregis lucra, sed commoda nostra quærentes vix unquam in custodia ovium contra rabiem luporum, vel unum latratum minimi sermonis emittimus.* *D. Ludger. in vita Gregorij & Bonif. apud Brouwer. in Sid. Illustr.*

Sed jam annus Christi accesserat 724. plenus adhuc & crudus civilibus Franciæ armis, quibus Martellus fatigatus, ne Saxones Frisiosque tumultuantes perdomaret, & religioni Christianæ liberius per eas gentium provincias ostium aperiret. Eudo quippe post Raganfridum relictus Martello capitalis hostis, violato fœdere, prædabundus in Franciam irruperat; in quem Carolus transito Ligeri movit exercitum, victumq; fugavit, incensâ regione ejus. His Eudo ad scelerata consilia versus, Saracenos imploravit, introduxitque in Galliam, haud secus quàm Raganfridus antea Radbodum & barbaras gentes in Regnum Franciæ exciverat. Jam Saracenorum gens, promiscuo nomine Mauri, occupatâ Ægypto, Palestinâ, Syria, non modò Asiam, sed & Africam subegerat, ex Africa angusto freto transmisso Hispaniam invaserat, & non tam armis quàm ignavia Principum & depravatis Christianorum moribus victrix totam sibi Europam destinabat. Jamque Galliam Gothicam armis sibi submiserat, ex qua ab Eudone in interiorem Franciam exciti Carolo Martello diuturnum ac fatale bellum fecere; quos tamen Achilles ille Franciæ continuis prælijs victor fregit, donec omni demum Galliâ etiam Gothicâ ejiceret. Ac primam quidem Caroli victoriam, quâ ingenti strage Abdyramum Saracenorum Regem fudit, insequens annus memorabilem fecit; cæsa enim Barbarorum trecenta septuaginta quinque milliâ, desideratis Carolinis mille quingentis. Juvat hæc paucis hoc loco delibare, quoniam eadem Saracenorum bella in Pipino Rege & Carolo M. audituri sumus, quibus hi Francorum Reges sœpius interturbati, quo minus Saxoniam pro voto debellarent.

An. Christi 724. &c. *Ann. Franc. Fredeg.* Carolus Martellus civilibus Franciæ bellis impeditus cum Eudone. Eudo Saracenos introducit in Galliam. Carolus Martellus Saracenos prælio vincit

Inter hæc quantum Willebrordus in Frisia, tantum Bonifacius in Hassia rem Christianam promovit; animabat utrumque Martellus, à quo hoc anno regia donatio facta Trajectensi Ecclesiæ, datusque advocatus, qui tueretur bona & operas. Et Bonifacius postquam Hassiæ in præsens excultæ providerat operarijs, in Thuringiam est profectus; quàm veterem Francorum provinciam, quod in eam cum depravatis sacerdotibus hæresis serpere cœperat, iterato excolendam, expurgandamque suscepit. Olim quidem in Thuringiam post debellatum Herminefredum Thuringorum Regem, & à Francis in

Othlon. in vita Bonif. Serrar. Heida. Bonifacius exculta Hassia transit in Thuringiam, in qua Christi religionē instaurat.

cis in provinciæ formam redactam à Theodorico Rege, ut supra relatum, alijsque Francorum ducibus Christi religio introducta erat; sed ea & temporum bellorumque injuriâ, & vicinorum Episcoporum, quibus ea cura commissa erat, socordiâ, & rudium sacerdotum depravatione, tanquam in silvescente agro cum vero semine propemodum extincta erat. Accessêre falsi doctores, qui fornicationem & adulteria in gente illa libera fecerant, & ab omni lege Christiana absolverant. Indignè id habuit Bonifacium, cum primis ob vicinos Saxones, apud quos prisca illa castitas & severa matrimonia, qualia à Tacito & Salviano nobis traduntur, adhuc vigebant, neque crimen ullum quàm hoc ipsum genti illi detestabilius erat; quemadmodum hæc ipse Bonifacius ad Ethibaldum Merciorum Regem scribit; quem ut ab adulterijs revocaret, Saxonum paganorum continentiam, & severissimis legibus ac pœnis suo adhuc ævo castigata adulteria adducit. Proscriptis igitur falsis doctoribus, novum Bonifacio cum comitibus & præfectis Francorum bellum erat, à quibus tanta avaritia & dominandi inclementia tractabantur Thuringi, ut mallent Saxonum quàm Francorum imperia. Et huic malo cùm remedium attulisset, mirè sibi devinxit Thuringorum animos; ac postquam docendo cœpit peragrare vicos & oppida, tanta hominum multitudo se ultro obtulit ad Baptismum & Christi legem, ut messis copia nonnisi operarios desideraret. Quàm in rem novas ex Anglia auxiliares copias adjutoresque Evangelij accersijt, quorum sex percenset Othlonus S. Burchardum, quem Herbipolensis Ecclesia primum habuit Episcopum, & Paderbornensis diœcesis primum vicarium Episcopi, B. Lullum Moguntinum Archiepiscopum, SS. Willibaldum & Winibaldum fratres, Wittam, sive Wittanum. Non tamen hi omnes tum ex Anglia primùm venere, quando jam antè Willibaldus & Winibaldus cum Willebrordo & Suiberto in Frisiam appulisse traduntur. Unde multa à scriptoribus illis confusè tradita sunt, quæ tot modò litibus agitantur. Adscripti & in hunc numerum adjutorum evocatorumque à S. Bonifacio Sturmius, primus Fuldensis Abbas, Sola sive Solus, vitæ solitariæ cultor, Wigbertus Frislariensis Abbas, omnes sanctitatis fama clari, alijque Apostolici viri; quos & virgines secutæ ex Anglia in Germaniam, Waltburgis soror Willibaldi & Winibaldi, Lioba, Chunihildis, Beragithis, Chumdrudis, Tecla, quæ à Trithemio Haldelonga appellatur. Tantus fœminis juxta ac viris ardor fuit plantandi religionem, colligendique cœtus sanctarum virginum, quibus jam Anglia plena erat. Quin Beda, qui hoc tempore historiam conscribebat, fassus est, tanto numero nobiles Angliæ privatosque & se & filios suos dedisse in monasteria, ut quem finem neglectis sepositisque studijs bellicis res habitura sit, posteriorem ætatem visuram; tanquam vir sapiens improbaret illam

Bonif. Epist. 19. data anno 745.

Serrar. l. 3. Notat. 24.

Beda lib. 5.

illam Monachorum & religiosorum multitudinem, qua Regnum Angliæ enervandum timebat.

Mors subinde ex hoc Apostolicorum virorum numero, quos Anglia submiserat, D. Willeicum subtraxit; atque hic simul decimus mortis annus est Willeico à morte D. Suiberti, quem Marcellinus consignavit. Dies obitus secundus Martij, quo magistrum ex primo Martij die consecutus vir cœlo maturus, quem D. Suibertº à primo in Saxoniam ingressu discipulum & laboris comitem habuit, cui semper à vitæ innocentiâ, virtutumq; cultu & religiosi instituti disciplinâ ante omnes carus fuit; quem vivum etiam Deus sanctitatis fama ex miraculis Coloniæ editis clarum fecit. Ideo Suibertº moriens hunc monasterij Werdensis præsidem dedit, quo in munere Suiberti exemplo religiosæ vitæ disciplinam quam sanctissimè excoluit, & simul circumpositos Boructuariorum Saxonumque vicos & oppida percurrendo multos ab idolorum vanitate ad Christi cultum perduxit; ac si quæ etiam Minimigardi alijsve in locis Christianorum reliquiæ ex prima D. Suiberti cultura erant, his ad Willeicum & ad insulam Werdensem perfugium fuit.

An. Christi 727. *Miraus in Chron. Molanus in nat. Belg. Garnefeldus Veldius. Bolland. tom. 1. in Mart.* D. Willeici mors in Cæsaris insula, ejus elogium.

Ceterum Carolo Martello in Gallijs Saracenorum bello, Eudonisque turbis occupato (qui tamen perfidus Galliæ turbator hoc anno fatis concessit) Frisij duce Poppone feroci gentis suæ homine rebellare nunciantur; jamque alter Radbodus ab inferis resuscitatus timeri poterat, tam ille crudeliter in Francos & Christianorum sacra desævire cœpit. Carolus ut hanc rebellionem in primo suo motu comprimeret, antequam Saxonum aliarumque gentium viribus potentius adolesceret, naves bellicas expediri jubet, & militem imponi. Inde Drusi Germanici q; vestigia legens per mare cum instructâ classe, opinione celerius in Frisiam appulit; confestimq; exposito in terrā milite in interiorem insulam pervadit, stupentibus incolis, Carolum ante famam adventus consistere in Frisia. Castra ad Burdonem seu Bornam fluvium, quo * Ostergoa & Westergoa dirimuntur, collocat, & quo pugnandi ardore inflammatus agebatur, exercitum ducit in hostem. Audax Principis factum, ignari locorum & paludum, in quibus tot Romanorum exercitus suis fatis deleti. Occurrunt Frisij Duce Poppone suo; consertum acre prœlium: cæsi magna strage Frisij: trucidatus Poppo rebellium caput. Inde Carolus victor regionem pervadit, fana Idolorum diripit subvertitque, præfectos cum imperio imponit, ac gentem jugo submittit. Non antè Willebrordo & Christianis sacerdotibus liberior explicatiorve Religionis apertus est campus. Jam & illi ad Isalam & Amasis ostia per Saxonum fines Christianam legem palam docere ausi, quòd Saxones eodem Caroli Francorumque terrore perstricti, quietis ac pacis magis quàm belli consilia habuêre, ne Frisonum excidium in sua quoque capita pertraherent.

An. Christi 728. & 729. *Frede. c. 109. Ann. Franc.* Frisij duce Poppone rebellant.

Hamconius in Frisia in Adgillo. * *Fredegarij. Austrachiæ & Austrachia.* Carolus Martellus classe advectus Frisiam intrat, & Popponem cædit.

Com-

An. Christi 730. *Ann Franc. Till. in Chron.* Carolus Martellus Saracenos cædit, & Galliam purgat.

Compositis in Frisia rebus bellicis sacrisque, Carolus in Franciam cum exercitu regressus est adversus Saracenos. Jam enim hæc barbara gens, quæ Vesparum instar se auxerat ex Hispania in Galliam effusa Avenionem urbem proditione ceperat; latéque per Galliam spolijs, cædibus & incendijs sævitum erat. A Theodorico Francorum Rege nihil opis, nihil consilij, quod eum inertia ac stupor ex memoria hominum expunxerat. Spes omnis in uno Carolo; is cum exercitu advolat, Avenionem urbem recipit, & Saracenos ingenti clade obtritos profligat. Hoc ipso anno, quo Beda Historiam suam finit, & Romæ Gregorius II. Pontifex obijt, cujus si res gestæ ac scripta extarent, censuit Baronius Gregorio primo ac Magno æquari posse. Quanquam hoc ipso Magnus, quòd, ut alter à Beda Angliæ Apostolus est dictus, ita hic Germaniæ Apostolus non immeritò appellari possit. Tanto enim studio sibi post Sergium Pontificem Frisiam, Thuringiam, Hassiam, Saxoniam & Germaniam ad fidem traducendam sumpsit, & tot se Episcopos & Clericos in eas provincias misisse scribit, quorum si reminisci vellent horum temporum Germani ac Saxones heterodoxi, intelligerent profectò Præpositos ac primos sacerdotes. à quibus illis primum verbum Dei traditum est, à Romano Pontifice submissos esse, nec aliam quàm Romanam religionem à primordijs in has regiones Saxoniæ invectam esse.

An. Gregorij II. Pontificis mors, ejus studium & labor in cõvertenda Germania.

An. Christi 732 & 733. Carolus Martellus ingenti clade Saracenos profligat. *An. Franc. Fredegar. Chapeaville ad vitã D. Servat.*

Altero mox anno Carolus Gothorum fines ingressus Narbonem obsidet, Regemque Saracenorum Athirvam tanquam cavea inclusum tenet. Ad quem liberandum dum Saraceni innumeris gentis suæ copijs ex Hispania advolant, Carolus eos ad Persam fluvium die Servatio sacro ad internecionem delet; receptisque urbibus, & hoste barbaro ejecto, totam Narbonensem provinciam Regno Franciæ reddidit. Tuditis inde nomen Carolo datum invaluit, quod mallei instar Barbarorum capita pertunderet. Princeps, quem natura bellis genuerat, fortuna aluit victorijs, Ecclesia unicum eâ tempestate præsidium adversus Barbaros coluit.

Bonifacius miro progressu Christi fidem per Hassiam & Thuringiam propagat. *Epist. Gregor. III. Bonif. Epist. 122. Othlonus.*

Pari felicitatis successu Bonifacius bellum, quod in superstitione & cultu Idolorum evertendo inter Barbaros susceperat, per Thuringiam & Hassiam provexit, jamque in utraque provincia summi infimique Christi religionem incredibili rerum mutatione amplectebantur. Quæ postquam per legatos accepit Gregorius III. Pontifex, magnopere per literas animavit Bonifacium, auctis etiam honoribus. Nam quem Gregorius II. incertæ sedis consecravit Episcopum, Gregorius III. Pontifex Prioris successor misso pallio Archiepiscopum renunciavit; dataque Bonifacio potestas consecrandi Episcopos, imponendique eis Thuringiæ & Hassiæ locis, quibus id commodum videretur; uti & postea præstitum à Bonifacio; Sed ille primùm templis extruendis intentus; quorum alterum Amaneburgi Micha-

gi Michaëli Archangelo dedicavit, alterum Frislariæ in confinio Hassorum ac Saxonum construxit, quod Principi Apostolorum Petro & Paulo consecratum. Ad utramque Basilicam duo monasteria erexit, collectis mox discipulis, qui in ijs formarentur adjutores Evangelij. Frislariensi congregationi impositus S. Wigbertus vir doctrina & sanctimonia clarus, à quo egregij viri exculti, qui exinde per Hassiam & Saxoniam dispertiti barbaras gentes docuêre; interque eos Sturmius primus Fuldensis pòst Abbas, & à Carolo M. post traductus ad has Saxoniæ partes ad prima Christianæ religionis semina propaganda. Jamque Saxonia ex Hassiæ & Thuringiæ finibus à Bonifacio, ex Frisia atque Isala à Willebrordo, ab Rheno à D. Suiberti discipulis excolebatur; nec tamen ultra, quàm Francorum arma imperiumque se porrexerat, Christi religio in duro Saxonum populo firmari poterat; tantùm limites circum à Meridie & occasu & Septentrione collustrari cœpti, nec Carolo ob bellum cum Saracenis & Gothis Saxones adhuc dum debellare licuit. Nam tribus ab hinc consequentibus annis in purganda Gallia occupatus, primùm Saracenos prælijs obtrivit, deinde urbes eorum & castella, quæ insederant, expugnavit, ac solo æquavit, donec qui reliqui erant, ad naves compulsos, & in ipsa fuga comprehensos, Carolus in mare præcipites agi juberet.

Bonifacius Ameneburgi, & Frislariæ in Hassia Basilicas & Cœnobia erigit. *Brouverus in notis ad Rhabanum.*

An. Christi 734. 735 & 736. *An. Franc. Fredeg. in Chron.*

Per hanc Caroli ab Rheno absentiam Saxones, qui intra Rhenum & Visurgim incolebant, ac post Westfali sunt dicti, facta gentis conspiratione rebellant, seu tributi impatientes, seu odio Christianorum; nam *Paganissimos* eos Fredegarius appellat, tanquam verbo illo belli causam ex superstitione, cujus tenacissimi erant, indicare voluerit, At Carolus auditâ gentis impietate & audaciâ, exercitum ab ultima Francia ad Rhenum ducit, eóque incensior, quo infestior Saxonum ille populus Christi sacra & sacerdotum labores perturbabat. Igitur eo loco, quo Luppia in Rhenum influit, transmisso fluvio, via militari Romanis ducibus frequentata, cum exercitu in mediam Westfaliam penetrat. Omne victoriæ momentum Carolo in celeritate erat, quòd famam sui adventus prævertens in visceribus hæreret, priusquam arma singuli conjungerent; inde in obvia quæque agmina ferro raptus sævam gentem fregit. Drusum tum aliquem vidisses aut Germanicum Cæsarem cædibus, incendijs ac spolijs grassantem. Ita victi, ut antè, Frisij, obtritiq; jugum in præsens accipere, dare obsides, tributa, ut hactenus fecerant, pendere, præcones Evangelij, si non admittere, saltem in suis sedibus liberos relinquere jussi. Quibus confectis victor à Visurgi ad Rhenum & in Austrasiam reduxit exercitum.

An. Christi 737. *Ann. Franc. Fred. c. 109. Sigeb. Herm. contract.*

Saxones per Westfaliam rebellant, in quos Carolus trãsito ad Luppiæ ostia Rheno exercitum ducit.

Saxones à Carolo Martello obtriti.

Atque hunc ultimum simul annum volunt, quo Theodoricus eo nomine IV. Francorum Rex excesserit, unde ad annum 743. & Childerici initia non tam Franciæ regnum quàm interregnum fuit, impe-

Henschen. ex Labbæo.

imperio omni penes Carolum Martellum tantisper relicto; quanquam non desint, qui ante biennium extinctum velint. Sed perinde id reputes, quantum vixerit, qui vivus nonnisi umbra Regis fuit. Re ipsâ Carolus Rex: nec tamen pro merito factorum Regis nomen sibi unquam sumpsit. Quin Sirmondus in notis ad Epistolam Gregorij II. Carolo duci inscriptam post Theodorici II. obitum Carolum Martellum per septem, aut, ut ex codice docet, novem annos regnasse solum, quod à ceteris scriptoribus minus observatum, contendit, ideoque acta interea ejus solius nomine consignata esse. Inde interim bellum Saxonicum consequenti anno, qui Christi erat 738. ab Rheno in Galliam Narbonensem movit, & Maurontem provinciæ Ducem, à quo Saraceni denuo in Galliam evocati erant, armis contusum mox Galliæ finibus ejecit.

An. Christi 738.

Bonifacius tertiũ Romam proficiscitur.

Bonifacius per hæc cum magno Francorum, Bojorum, & qui ex Britannia convenerant, comitatu, tertium Romam profectus, redijt in Germaniam, atque ut Gregorius secundus, ita hic tertius pari sollicitudine cum diversis litteris ad diversos Germaniæ antistites, Principes & populos scriptis remisit, quarum unam ad harum regionum populos perscriptam interjungere necesse habui:

Gregorus III. Pontifex. Literæ ejus ad Germaniæ transrhenanæ populos

Gregorius Papa universis optimatibus, et populo provinciarum Germaniæ, Thuringis & Hassis, Bortharis, Nistresis, Wedrinis, & Loganis, Suduodis & Grabfeldis, velomnibus in Orientali plaga constitutis.

QVoniam decessor noster sanctæ recordationis Gregorius Præsul, nutu divino motus, ad faciendam Deo plebem perfectam præsentium portitorem literarum Bonifacium, reverendissimum fratrem nostrum, ac Coëpiscopum, ordinans ad vos usque destinavit, eumque regulam et normam Apostolicæ et Catholicæ fidei Romanæ, cui auctore Deo deservimus, Ecclesiæ edocens direxit. Et post temporum spatia, orationis causâ, ad limina B. Apostolorum sese præsentavit, et quæ ad salutem animarum pertinent, à nobis popposcit imbui; nos Deo favente ut sacra docet scriptura, eum edocentes, ad vos, charissimi remeaturum absolvimus; hortantes vos in Domino, ut dignè suscipiatis ab eo verbum exhortationis, et Episcopos vel Presbyteros, quos ipse ordinaverit per Apostolicam sibi datam auctoritatem, in Ecclesiæ ministerio recipiatis. Et si quos forsan deviantes invenerit à rectæ fidei tramite, seu canonicâ doctrinâ, eosque prohibuerit, à vobis nullo modo impediatur, et quod eis impositum fuerit, obediendo propter Deum suscipiant. Nam qui temerator extiterit ad obediendum, sibi ipsi damnationem acquirit. Vos autem Charissimi, qui in nomine Christi baptizati estis, Christum induistis, abstinete et prohibete vosmetipsos, ab omni cultu paganorum, non tantum vosmetipsos corrigentes, sed et subditos vestros. Divinos autem et sortilegos, vel sacrificia mortuorum, seu lucorum, vel fontium auguria, vel phylacteria, et incantatores, et maleficos et observationes sacrilegas, quæ in vestris finibus fieri solebant, omnino respuen-

respuentes atque abjicientes, totâ mentis intentione ad Deum convertimini, ipsum timete, adorate, honorificate, sanctorum memorijs communicantes ut ait Apostolus. Si enim fides vestra, juxta Domini nostri dicta, fuerit sicut granum Synapis* dicetis monti huic, tollere et mittere in mare, et transfertur. Ipse enim Dominus et Salvator noster in suo sacro eloquio docet, dicens Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tuâ. Et iterum: Qui me confessus fuerit coram hominibus, et ego confitebor eum coram patre meo, qui in cœlis est. Item et alibi promittit dicens: Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, fiet vobis Et iterum: Petite et accipietis; quærite te invenietis; pulsate et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invent, et pulsanti aperietur. Et vos charissimi facite fructus dignos, ut in die adventus Domini nostri Jesu Christi sidereas adipisci mereamini mansiones Bene valete. *Rom. 12.* *al Dicetis monti huic transfer & transferetur.

Qua sollicitudine Gregorius II. eadem Gregorius III. Pontifex Germaniam complexus, hanc ad Thuringos, Hassos & circumpositos populos epistolam dedit. Interim obscurè quidam ex his populis à Pontifice nominati; de Thuringis & Hassis qui sint, satis constat. Bortharios Serrarius Buriaburgenses aut Warburgenses interpretatur inter Fritzlariam & Paderbornam: alij Bructeros censent, quorum tum sedes à læva Luppiæ ripa in Hassiam protensa erat, postquã à Saxonibus trans hunc amnem compulsi, ut supra relatum in gestis D. Suiberti. Nitresi, Niddæ fluminis accolæ, ut Logani, qui ad Loganum amnem incolebant. Wedrevi haud alij quàm Weteravij, Sudvodi Australes Hassiæ populi: nisi Surlandos quis malit, quos à plaga meridionali & patria voce Suderlandos dictos volunt, perinde ut Westeravios à plaga Occidentali quidam nominant. Grabfeldios Othlonus nobis designat, qui circa Fuldense monasterium incoluerunt, quorum nobiles Carolomannus, dum monasterij illius limites circumscriberet, convocari jussit. Frequens priscis & occiduis populis, regiones suas à planitie camporum nominare; quemadmodum Westfaliæ & Ostfaliæ pòst ab hac patria voce nomen inhæsisse creditur. *Serrarius not. 29.* *Othlonus l. 2.*

*Anno abhinc proximo Bonifacius in Bavariam profectus est, Otilonis Ducis rogatu, ad Ecclesiæ disciplinam in his quoq; locis restaurandam; quòd quidam in Episcoporum & sacerdotum ordinem perperam irrepserant, provinciaq; magnam partem inculta turbataque jaceret. Omnem Bavariam in quatuor Episcopatus divisit: Salisburgensi impositus Joannes, Frisingensi Erimbertus, Ratisbon. Gowibold?, Patavienſi Vivatus. Omnia hæc Pontifex, cujus auctoritate agebantur, rata habuit. Scripserat per id tempus D. Bonifaci? ad Gregorium Pontificem literas, quibus significârat jam supra centum millia à cultu Idolorum per Germaniam suo labore & Caroli Martelli opera ad Christi religionem esse perducta; quâ super re Pontifex gratulatur Bonifacio & Carolo Martello, hortaturq; ut hanc uberem Evangelij messem colligere non desistant. *A Christi 739. *Othlonus.* Bonifaci? in Bavariam transgressus Ecclesiã reformat. *Serrarius in Notis.* Ope Caroli Martelli. Bonifaci? supra cẽtum millia hominum Christo adjunxit.

Subinde magno Frisiæ Christianæ luctu moritur 7. Novemb. S. Willibrordus Ultrajectensis primus Episcopus, anno ætatis 81, ex quibus 46. consecratus Episcopus inter continuos peregrinandi & docendi labores insumpserat, vir prorsus vitæ sanctimonia & miraculorum fulgore etiam post obitum admirabilis. Corpus Epternacum in monasterium à se conditum transferri voluit, tanquam præsagiret aliquando non satis quietum fore inter hæresis nostri sæculi furores. Antequam è vivis abiret, senex jam præfractus viribus sibi Chorepiscopum, seu ut alij legunt, Coëpiscopum substituit. Othlonus Eobanum Chorepiscopum à Bonifacio Ultrajecti impositum refert; sed Vicario, quemadmodum & Gregorius postea, munere id gessit, eò quòd ipse D. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus ejus Ecclesiæ primariam administrationem ex Pontificis voluntate commissam retineret, multumque hunc Episcopatum controverterent Colonienses Archiepiscopi, & Metropoli suæ antiquo loci jure vendicarent; qua super re multis Bonifacius epistola ad Stephanum Pontificem, alijque auctores.

Epist. Bonif. apud Baron. ad ann. 755. Othlonus lib. 3.

Caroli Martelli obitus, ejusque elogium.

Sed Carolum Martellum expediamus. Is jam ad postremos vitæ annos provectus erat; ac nullum, dum rexit, annum à bellis ac victorijs unquam vacuum nactus, eò rem deduxerat, ut maritimis locis receptis ab hoste, &, quod Francorum annales præclaro ejus elogio memorant, *Gothis superatis, Saxonibus et Frisonibus subactis, expulsis Saracenis, receptis Provincialibus, Franciæ regnum in summâ pace et quiete tandem obtineret.* Inde altero mox anno, qui Principatus XXV. erat II Kal. Novemb. ad immortalem à Deo quietem est evocatus. Pontifex eum, dum viveret, in tanto honore habuit, ob bella & merita in Ecclesiam, ut missâ legatione, præter eximia munera claves S. Petri ejusque vincula religioso cultu veneranda ad eum mitteret. Primus is honor ei delatus; quasi tutelam Apostolorum Principis & totius Ecclesiæ Pontifex Caroli pietati & fortitudini traderet, quem & *Christianissimum filium* salutare compertus est; nam inter cetera, quæ pro Apostolica sede laudabiliter egit, Luitprandum Longobardorum Regem, Romanæ Ecclesiæ infestum, à Gregorio III. imploratus minis absterruit. Et Carolus inter Apostolicos Germaniæ viros nullum familiarius largiusque complexus, quàm S. Willebrordum & Bonifacium: id quod complures donationum tabulæ contestantur; eóque etiam inter ceteros Willebrordum est veneratus, quòd dum Pipinum filium illi fonte Baptismatis abluendum traderet, Willebrordus vaticinio divino plenus certusque palam tum edixerit, Pipinum hunc infantem, supra quàm omnes ante eum Francorum Duces fuerint, sublimem & glorioſum fore: Et primus ille, qui regiam dignitatem in Pipinorum familiam invexit, Carolumque M. ex se genitum Imperatorem habuit. Ceterum Caroli Martelli quatuor

An. Christi 741. *Fredeg. c. 110. Baron. Scriptores Franc.*

Aleuinus in vita S. Willeb. Surius in vita.

superſti-

superstites filij fuere Carolomannnus, Pipinus, Gripho & Ægidius. At ceteris seu ob sortem natalium, seu indolem non satis probatam præteritis, testamenti tabulis Carolomannum & Pipinum heredes scripsit. Carolomanno Austrasia, & ultra Rhenum Alemannia & Thuringia: Pipino Neustria ac ceteræ in Francia provinciæ cesserunt; Gripho, Sunathilde Bavara genitus, & ad Regnum aspirare ausus, à Carolomanno captus, & in castellum Capiæ montis ad Arduennam est inclusus; Ægidius ut erat indolis ad pietatem natæ, sacris adscriptus.

An. Franc. Fredeg. c. 110. Adelmus Aimoini contin. c. 42.

Carolomannus & Pipinus heredes à Patre scripti.

Turbis domesticis compositis, Carolomannus & Pipinus rara fratrum in Regno concordia, arma jungunt in alternos hostes; quos inter primus Hunoldus Aquitaniæ Dux, Eudonis filius: Hunc quod novorum Principum imperia rebellando detrectaret, bello victum exutumq; provincia ad Vascones profugere coëgere; reddita tamen ei post provincia, eâ lege ut Francis vectigalis maneret.

An. Christi 742. *An. Franc. Fredeg. Chron. ex Bavarico codice.*

Ex Gallijs arma in Germaniam conversa; Quippe post excessum Martelli tres gentes Alemanni, Saxones & Bavari rebellionem cœptaverunt, Francicum imperium unà cum Caroli metu exuturi. Alemannorum Dux Theobaldus; sed mira celeritate oppressus contususque provinciam illam Carolomanno ferro flammaque vastandam reliquit. His enim consternati Alemanni ad victoris clementiam appellant, munera simul & obsides dant, pacemque juratâ fide impetrant. Saxones, uti hæc ab Othlono perscribuntur, in Thuringiam proruperant, seu prædandi libidine, seu ut proceres gentemque Thuringorum ad defectionem sollicitarent. At illi Francis fidi opem Carolomanni implorant, ad quorum preces missus à Carolomanno exercitus in subsidium, collisusque pugnâ cum Saxonibus. Acre id prælium fuit magna utriusque partis clade, quo Geroldus Moguntinus Archiepiscopus castra secutus inter alios occubuit. Utris victoria cesserit, nec auctor ille, neque alij prodiderunt; neque Carolomannus in præsens bello Saxonico institit; & domitos non fuisse Saxones resumpta proximis annis bella commonstrant. Interim Gervilius Geroldi interempti Moguntini Episcopi filius, homo nullis sacris initiatus patri subrogatur, nullo merito, nisi ut ex dignitate illa levamentum doloris haberet. Adeo Ecclesiæ disciplina inter bella corrupta jacebat.

Astron. in annal. Adelmus continuator Aimoini.

Post obitum Caroli Martelli Alemanni Saxones & Bavari rebellant. *Othlonus lib. 1.*

Nihil inter has rerum mutationes bellique fluctus dejectior animo remissiorve Bonifacius tres per Thuringiam atque Hassiam Episcopatus instituit. Primum Wirzeburgi, cui S. Burchardum præfecit Episcopum; alterum Erfurdij, qui locus olim quidem paganorum rusticorum vicus, tum verò in oppidum excultus; huic sedi B. Adelarius sive Adelharius impositus. Tertia Episcopi sedes constituta Buriburgi haud procul Frislarienſi oppido Monasterioq; ad Saxo-

Tres Episcopatus à Bonifacio instituti per Franconiam, Thuringiam & Hassiam. *Othlonus in vita Bonif. Brovverus in not. ad Rhaban. & Fuldens. Antiq.*

Dilich in Hass. Chron. pag. 32.

num confinia; quin, ut Browerus censuit, trans Adranam in hostico Saxoniæ solo oppidum id in monte antiquitus constitit, munimentum adversus Saxonum irruptiones. Celebre etiam Francorum annalibus idipsum Buriaburgum castrum, in quo B. Witta, ab alijs Albuinus latinâ voce nuncupatus positus Episcopus; & hic ille, cui Zacharias Pontifex inscripsit literas. *Dilectissimo nobis Vittæ sanctæ Ecclesiæ Birburgensis.* Idem Abbas Frislarienſis Monasterij, de quo supra relatum, jam ante à Bonifacio constitutus. At Episcopi sedem, quòd has Pontifex in urbibus aut celebrioribus oppidis secundum prisca statuta Pontificum esse voluerit, in hoc oppido & castro Bonifacius collocavit, ejusque Diœcesin non modò limitaneis ad Visurgim, Fuldam & Adranam amnes, sed & ijs, quæ Paderbornensium sunt fines, locis comprehendit; confinesque Saxones, qui tum Adrana fere amne distinguebantur, ferventissimi viri culturæ subjecit: Wirzeburgensis sive Herbipolensis ad nostra usque tempora successores habuit, ceteri duo Episcopatus cum primis suis Episcopis desierunt. Erfurdiensis in Moguntinam jurisdictionem postea adscriptus.

Lupus Servatus c. 24. Tom. 2. decret. Epist. 1.

Bonifacio & Carolomannus collapsam in Bavaria disciplinam Ecclesiæ restaurant.

At Carolomannus dum victis Alemannis perlustrat Austrasiæ superioris provincias, reperit corruptissimam Austrasiæ suæ disciplinam; & qua in Deum erat religione Princeps, Bonifacium Pontificis per Germaniam legatum appellat. Et jam ille nihil sollicitius habebat, quàm remedium hujus mali; ideoque Synodos Episcoporum, quæ ab annis octoginta inter bella intermissæ erant, congregandas persuasit Carolomanno. Sed Pontificem prius consulendum censuit. Scriptis igitur ad Zachariam Pontificem literis, qui jam recens Gregorio suffectus erat, primùm significat, quos Episcopatus per Thuringiam & Hassiam Wirzeburgi, Erfurdi & Buriaburgi instituisset; deinde plurimis exponit depravatos cleri populique mores. Atque is jam status erat, ut Episcoporum sedes passim occuparent homines profani; ac si qui inter eos consecrati Episcopi, ij aut milites in castris, aut venatores in agris, aut libidinibus otioque corrupti. Mali tabes à languido capite in membra descenderat; ideo in clero plures adulteri, aut concubinarij, quàm integræ vitæ sacerdotes. Nec monasteria intacta ab hac lue corrupti sæculi. Receptis à Pontifice literis, Bonifacius Ratisbonæ ad Danubium, seu ut alij, Augustæ Vindelicorum præsente Carolomanno primam synodum habuit. Convenere, præter Bonifacium synodi præsidem, Burchardus Wirceburgensis, Ragnefridus Colonienſis, Wittarius Buriburgensis, Willibaldus Eichstatensis Episcopi, Adarius, quem Eobanum volunt, Ultrajectensis Chorepiscopus. Præter hos multi Episcoporum Presbyteri accesserunt. Saluberrima hujus synodi decreta, quæ & Carolomannus rata habuit. Percenset ea Othlonus, Baronius, Parisienses, alijque auctores inter acta conciliorum publicorum; interque cetera sancitum

Synodus Episcoporum à Bonifacio Ratisbonæ habita.

citum probatumque à Carolomanno, ne suo milite, suoque ductu Episcopi ad bella procederent, etiam adversus paganos, quod sacri instar belli sibi permissum arbitrabantur, eò hæc lex præscripta, *Servis Dei per omnia armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum et in hostem pergere omnibus prohibemus: nisi illis tantùm, qui propter divinum mysterium, Missarum scilicet solemnia ad implenda, et sanctorum patrocinia portanda ad hoc electi sunt. Id est, unum vel duos Episcopos, cum Capellanis et Presbyteris eorum Princeps secum habeat: et unusquisque præfectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus judicare, et indicare pœnitentiam possit.* Quibus deinde legibus & pœnis provisum corruptis moribus, satis ex synodi actis constat. Nil jam attinet labem eorum temporum ultra memorare, nisi ut quis mirari desinat tam depravato clero, tam frigidè Christi religionem fuisse tractatam, propagatamque per hasce Saxoniæ Frisiæque provincias, quæ omne prope subsidium à Willebrordo, Suiberto, Bonifacio & Apostolicis illis ex Angliâ submissis viris habuêre.

An. Christi 743. *Vita Bonif. Baron. ad ann. 743. Surius. Miræus in Chron. Serr. notat. 31. Sirmondus in notis ad Liptin. Conc. Binnius.* Synodus Liptinensis à Bonifacio habita. *An. Franc. Adelmus. Chronicon Fredegarij ex codice Bavarico. Ado. Capitularium l. 1. tit. 7.* Bellum adversus Odilonē Bavariæ ducem à Carolomanno & Pipino sumptum.

Altero abhinc anno Bonifacius ad inferiorem Austrasiam est profectus, ubi alterum Episcoporum Liptinense concilium, ad instaurandam Ecclesiæ disciplinam, Carolomanno & Pipino præsentibus, habuit. Locus à Benedicto Levita Liptina, ab alijs Listina & Lipstina nominatur, multumque à Serrario conquisitus, quem Miræus demum & Sirmondus in Diœcesi Cameracensi ostendit haud procul à Binckio Hannoniæ oppido. Celebris istic Episcoporum congressus fuit. Pipini comprimis studio. At Carolomannus ingressus concilium, subsidium pecuniæ expetijt ex Ecclesiæ bonis; bello enim Saxonico se urgeri, ad rebellem toties gentem comprimendam; nec ærarium regium sufficere in militum stipendia, quos sine nervo illo in hostem educere fas non esset. Ac concilij Patres eò fuerunt proniores, quò Carolomannus Martello religiosior id precario sibi dari postulavit, quod pater pro auctoritate, non rogatis Ecclesiæ rectoribus, exegerat, haud levi ob id notatus culpa. Synodi decreta recitantur in concilijs regijs, & à Carolo M. in libris Capitularium, probataque fuere, quæ in Synodo Ratisbonensi statuta erant. Post Synodum finitam personantibus rursum lituis Carolomannus & Pipinus arma jungunt, eaque primum in Odilonem Bavariæ Ducem convertunt; quòd is assumpto regio nomine Francorum clientelam exueret, instructoque exercitu Francis se objicere auderet. Ad hunc debellandum omnis vis bellica Francorum in Bavariam contracta deductaque ad Lycum fluvium. Stetit uterque exercitus quindecim dies ex adversa ripa, mutuo tantùm aspectu convitijsque se lacessendo; dum postremùm Franci probrorum impatientes, circumducto per vadum exercitu, inopinantes à tergo Bavaros invadunt cæduntque. Odilo cum paucis ægre ad Oenum fuga elapsus. Sed quòd hac

Ado. Regino. Bellum adversus Saxones à Carolomanno susceptũ. Castrum Hoscheburg à Carolomanno expugnatum. *Adelmus. Ann. Pithæi. Miræus. Cleinsorgio.*

hac clade bellum nondum confectum esset, Pipinus ijs in regionibus cum parte exercitus est relictus; Carolomannus cum robore exercitus à fratre digressus in Saxoniam movit, ulturus gentis perfidiam, transmissoque Rheno in mediam Westfaliam penetravit. Haud territi ejus adventu Saxones prœlio se sistunt, temere magis quàm prospere; nam ad primum conflictum cæsi, abjectiq; in fugam; Victor Carolomannus per Teutonicos montes ad Hasam fluvium processit, castrumque Hoschreburg oppugnatum deditione cepit. Quod castrum vario vocis flexu traditur in Francorum annalibus; nam modò Ochsburg, modò Hochsiburg & Hochsenburg appellatur. Haud alius hic locus, ut plerique sentiunt, quàm Osnaburgum Osnabrugumve, tanquam antiquitus Hosenburg & Hasenburg à præsterlabente Hasâ amne, cui castrum id antiquitus adstructum incumbebat, dictum sit. Ibidem & ponte junctus amnis, transitu haud dubiè in adsitum vicum, aut oppidum, quo Carolus M. postea invitatus primam istic Episcopi sedem fixit; cujusmodi in frequentioribus oppidis & locis erigendas præscripserant recepti sacrorum canones. Quanquam non desint, qui à transitu boum pontem & locum haud secus quàm Covordiam & Coesfeldiam nuncupatam velint. At tum sedes istic Theodorici primarij Satrapæ erat, qui castro expugnato in Carolomanni simul potestatem venit, atque obsès pacis circumductus. Osnaburgo Carolomannus castra ad Visurgim promovit, hostem prosecutus, quòd fugitivi Saxones in alteram ripam concesserant, armatique denuò consisterent. Mox altero istic prœlio Carolomannus cum Saxonibus commissus, fortuitò magis quàm consulto. Versabatur in castris Gervilius Moguntinus Episcopus, is quia didicerat in Saxonum castris esse militem præsentem, qui Geroldum patrem suum superioris anni bello interfecerat, misso puero ad colloquium evocat: ille nullum, qui subesset dolum suspicatus accedit. Postquam uterque Gervilius ac Saxo equo medium Visurgim invectus, prope in conspectum venêre, Gervilius educto ense Saxonem ex in proviso confodit. Quo ex equo in Visurgim prolabente, sublatus est primùm clamor Saxonum, tum Francorum, & mox utrinque classicum cani cœptum concursumque ad arma. Pugna furentium militum tam cœca quàm cruenta fuit. Victi ad ultimum Saxones Francis in spolium & triumphum cessêre. Carolomannus reducto ad Rhenum exercitu, victoriam Christiana clementia moderatus est, dimisso etiam Theodorico Saxonum Satrapâ ad gentem sibi conciliandam; is tamen altero abhinc anno perfidus ad arma resilijt.

Carolomannus ad Visurgim Victor procedit. *Othlon. l. 1.*

Eginardus in vita Caroli.

Flagrante hoc bello Saxonico nascitur Pipino Carolus M. Saxonum tandem futurus domitor, vita exinde in LXXII ætatis annum protracta, uti Eginardus scripsit. Natale solum plerique Ingelhemium

hemium haud procul à Rheno & Moguntia asserunt. Nec magna Aventino fides, qui Carolobergæ in arce supra Monachium natum scribit. Nec desunt, qui à D. Bonifacio fonte baptismatis ablutum volunt; quâ super re Serrarius in Moguntinis. Tandem per id tempus Childericus III. cognomento stupidus, post septennij interregnum, à morte Theodorici patris Francorum Rex creatus traditur, postremus ex Merovingorum stirpe, qui hanc scenam umbratili Rege clauderet, quando jam à multis annis nonnisi coma penes crinigeros Reges fuit, imperio ad Majores domus adacto.

Onuphrius. Gordonus. Aventinus lib. 3. ann. Boic. Serrar. l. 3. notat. 37. Petavius in Ration. lib. 8. c. 4. Tillius in Chron.

Bellum Saxonicum, quod superiori anno affectum reliquit Carolomannus, multò acerbius Theodorici perfidia, & gentis rebellione recruduit. Rebellium Dux Theodoricus Satrapa. Concitati & Frisij à Saxonibus in armorum societatem convolabant, uti ex Zachariæ Pontificis ad Bonifacium literis æstimes. Jamque odio Francorum & Christiani nominis exciti Rheno imminebant, Austrasiæ cladem illaturi. Ad ejus periculi magnitudinem Carolomannus & Pipinus exercitus conjungunt, ac Rhenum transgressi, Saxones, qui Westfaliam incolebant, bello obruunt funduntque. Captus iterum Theodoricus Satrapa perduellionis concitor. Sed quæ Carolomanni & Pipini clementia fuit, Saxones hi in fidem recepti, tanquam vincerent, ut parcerent, & Christiana moderatione ad Christi religionem & obsequium invitarent. Sanè bello hoc, ut Fredegarius est auctor, multi tum Westfaliæ populi, qui Rheno & Franciæ limiti confines erant, ac veteri jure Francici regni possessione tenebantur, capti sunt, ac plurimi eorum Christo per Baptismi Sacramentum consecrati. Adeo tum Christi religio etiam Rhenum transgressa, pedem figere cœpit inter barbaros, resuscitata D. Suiberti cultura, quem in magna semper veneratione habuit Pipinus. Ac facilè mihi persuaserim, hac expeditione Carolomannum & Pipinum supplices D. Suiberti sepulchrum invisisse, adductis eò captivis ad fontem Baptismatis. Multum hic belli successus erexit Bonifacium, à quo hoc anno Fuldense Monasterium condi cœptum, liberalitate cumprimis Carolomanni, à quo omnis circum regio in tria millia passuum protensa, donata est. Celebre exinde Fuldæ Christianæ religionis seminarium, in quo tot præclari sacerdotes & Apostolici viri exculti, quorum opera Christi fides per Saxoniam & fines Diœcesis Paderbornensis propagata. Primus cœtui Abbas impositus Sturmio, vir notæ sanctitatis & laboris in excolendis barbarorum Saxonum animis.

An. Christi 744. *Chron. Fredeg. ex codice Bavarico. Ado. Ann. à Canisio editi tom 3 antiq. Regino. Albertus Stad. Baron. ad ann. 745.*

Bellum Saxonicũ Carolomannus & Pipinus cõjunctis viribus resumunt Rhenum trãsgressi.

Theodoricus Satrapa Saxoniæ captus denuo.

Captivi Saxones ad Baptismum perducti.

Bonifacij Fuldense cœnobium auspicatur dono Carolomanni.

Carolum M. per hæc tempora nascendo prope consecutus est D. Ludgerus, brevi novum Frisiæ & Saxoniæ sidus inter Apostolicos viros accessurus. Ortum ejus ad hunc annum revocat Bollandus; nec

Brouver. l. 1. Antiq Fuld. c. 13. Serrar. Not. in vit. D. Bonif. Othlon. l. 2. Primus Fuldensium Abbas D. Sturmio. D. Ludgerus nascitur in Frisia. *Bolland. in comm. ad vitam D. Ludg. Ludg. in vita B. Gregorij.*

Franc. Ann. Severarius. Alfridus in vita S. Ludg. Othelgrimus in eadem apud Brovverum. Brovverus in notis ad c. 8.

nec incongruè, cùm is de se scribat, *vidisse se oculis suis D. Bonifacium martyrem jam canitie candidum, et decrepitum senectute*; atque is, cùm anno Christi DCCLIV. ut Francorum annales perhibent, martyr occubuerit, aut anno certè proximo, ut alijs visum, haud incongruenter conficitur Ludgerum novennem jam octennemve fuisse, ut ejus conspectus tam vivâ illi memoriâ hærere potuerit; tametsi Browerus circa annum Christi DCCXLIX. ortum ejus introducat. Gente Ludgerus Friso, cui natale solum fuit, haud procul Doccumio, in pago, cui Virumo nomen, regionis Orientalis Frisiæ, quam Ostengoam dixere, diversam à Westergoa Occidentalis Frisiæ. Ita tum vetus Frisia Ludgeri ævo, secus quàm postea divisa traditur. Ibi majores arcem nobilitatis, ibi hereditaria atque ampla familiæ bona habuerunt. Parentes ex primâ Frisiæ nobilitate Christiani, ex qua Wrisingus Ludgeri avus, à Radbodo Frisiæ Tyranno depulsus, in Franciam cum conjuge & familia ad Grimoaldum Francorum Ducem, Pipini Heristalli filium, profugit; quo in exilio cum familia Christianam religionem edoctus ferventissimè eam exinde coluit. Pòst ubi extincto Radbodo tyranno Carolus Martellus omnem Frisiam armis subactam Regno Franciæ adjecit, & D. Willebrordo facta est libertas publicè docendi legem Christi, Wrisingo haud procul Trajecto præfectura, & hereditaria bona Caroli beneficio sunt data; eóque in patriam remissus est. Ut Christi sacerdotibus & Christianis patrocinio adjumentoque adesset; quo in opere sacro D. Willebrordo conjunctissimus semper fuit: primaque hæc inter Frisones familia Christiana sacerdotibus perfugium semper & domicilium præbuit, ad quàm & D. Bonifacius Willebrordi successor divertit. Qui viri Apostolici mirificè familiam hanc semper complexi sunt; palamque D. Willebrordus Wrisingum apud suos virum æquum, syncerum, castum & à Deo sibi peculiariter ad culturam Evangelij donatum commendare solitus; amissa quippe conjuge cœlibem, sanctamque vitam traducebat, sacerdotum in proferenda Christi religione paratissimus atque constantissimus adjutor.

Ludgeri nobilis prosapia inter Frisios.

Duos Wrisingus ex Adelgarda conjuge susceperat filios Nothgrimum & Thiatgrimum, novem præterea filias, quarum sex virgines decessere in Christianâ religione. Nothgrimus vivo patre duxit christianam quoque ac nobilem conjugem; tres superstites quoq; filiæ honestissimis matrimonijs collocatæ; ut jam satis constet, unde illa consanguineorum multitudo Ludgero fuerit, unaque hæc familia Caroli M. & Ludovici Pij ævo sex præclaros & sanctissimos Episcopos dederit Saxoniæ. Demum Thiatgrimus natu junior post excessum Wrisingi patris duxit nobilem & Christianam Frisiæ gentis conjugem Liafburgam filiam Nothradi & Adelburgæ, ex quo fortunato conjugio susceptus D. Ludgerus primus Monasterienſis, &

Hilde-

Hildegrimus primus Halberstadiensium Episcopus. Nec maternum D Ludgeri genus minus illustre quàm paternum. Quippe Nothardus & Adelburga ex primariâ quoque Frisiæ nobilitate jam ante à D. Willebrordo ad Christi religionem traducti erant; quam ob rem Adelburga duos Germanos fratres Willebrachtum & Thidbrachtum D. Willebrordo in disciplinam dedit, quos ille inter primos Frisiæ Christianæ flores in clerum adscripsit. Sed imprimis memorabile, quod de Liafburga D. Ludgeri matre tradunt Alfridus & Othelgrimus scriptores. Nascebantur Nothardo continuo Adelburgæ conjugis partu tantum filiæ, nulla mascula prole interposita; ob id Nothardi mater, avia D Ludgeri, anus gentilis superstitionis indignata, Liafburgam eadem, qua nata erat, hora tradidit lictoribus aquis præfocandam; injectaque est per mancipium Liafburga in situlam aqua plenam: at mira res, puella ex situla identidem prosiliens utraq; manu apprehendit marginem; quantumque in necem mergebatur, tantum brachiolis obnixa eluctabatur, haud secus quàm hebræus vates in scirpea fiscella expositus. Videbat id ex vicino mulier, ac properè advolans puellam è manibus lictorum rapit in domum suam, parumque mellis degustandum præbet; quo delibato, servata est Liafburga, quòd nefas haberetur inter paganos necare infantem, qui simul aliquid humani cibi degustasset. Ita nutrici huic relicta, præbitaque à matre clam alimenta, dum insana anus finîsset vitam.

Hæc ipsa deinde Liafburga alio cœlesti beneficio servata in vitam, nam dum utero ferret D. Ludgerum partui vicina ex præpropero gressu prolapsa est in præacutam sudem, quo latus intimè perfossum; id vulnus tam grave & periculosum erat, ut nemo non de vitâ matris ac fœtus simul desperaret; quàm tamen supra humanam curationem medica è cœlo manus brevi sanã reddidit. Haud multò post editus in lucem Ludgerꝰ nullo vulneris materni malo affectus. Ac puer ut primùm loqui, & pedibus niti cœpit, non obscura quoq; sanctimoniæ signa edidit; solitus enim studiosè arborum cortices colligere, eos in formam librorum componere, arreptaq; festuca nigro colore tincta prima literarum elementa scribere; cumque perquirerent domestici, quid per diem solus extra puerorum consortia ageret, respondit haud aliam sibi occupationem esse quàm scribere & legere. Et quis, rogant, hæc te docuit? Deus, inquit meus, ille nimirum qui ab utero matris segregavit Ludgerum in opus Evangelij. Mores exinde supra ætatem maturi, & ad omnem pietatem compositi, alieniq; à puerili lusu omnique vanitate ejus ætatis. Hoc ille instituto exinde adolescentiam, hoc juventutem exegit. Ac primùm B. Gregorio Trajecti in celebri illo Christianæ religionis seminario in disciplinam à parentibus transmissus, ab eo in clerum est cooptatus; dein in Angliam, quæ admirabiles illos viros Frisiæ & Saxoniæ submiserat, pro-

fectus, Alcuinum in quartum annum audivit docentem: nec aliud magistrorum omnium judicium fuit, pietatem & virtutum exẽpla à primis statim annis æstimantium, quàm eximium quendam Ecclesiæ doctorem & Apostolicum virum formari abs se in Ludgero; tanquam id simul parentum pietas ac sanctitas mereretur. Nec per id tempus Christiana familia inter Frisios clarior quàm Wrisingi, quæ Ludgerum, Gerfridum & Alfridum Mimigardevordenses, quæq; Hildegrimum, Thiatgrimum & Hildegrimum juniorem Halberstadienses Episcopos per hæc Christianæ religionis initia subministravit Saxoniæ, omnes vitæ sanctimonia celebres. Cetera de Ludgero tempori memoranda.

An. Christi 745. *Baron. Concil. Paris. tom. 17. Epist. Zachariæ Pontif.*

Annus insequens omni prope bello vacuus, præterquam Alemannorum concitatione, Bonifacio opportunitatem dedit tertiam convocandi synodum, quàm Moguntiæ habuit celebri præsulum conventu; haud alio consilio, quàm ut in occiduis illis ad Rhenum partibus, quemadmodum Zacharias Pontifex illi commendârat, disciplinam populi ac cleri formaret. Quanquam acta decretaque hujus synodi, perinde ut Episcoporum nomina vetustas aboleverit. Eo interim conventu Gervilius Moguntinus Episcopus exauctoratus est. Nam præterquam quòd homo nullo sacrorum gradu profectus sedem Episcopi occuparet, canibus & avibus se oblectando venationi vacaret, tum summum crimen fuit, ut supra relatum, occidisse per dolum Saxonem hominem, à quo pater interemptus fuerat; quare exauctoratio ejus omnium Præsulum, Carolomanni & Pipini procerumque Francorum consensu approbata fuit. Atque ipse Bonifacius Germaniæ pater, hactenus incertæ sedis Episcopus, Moguntinus Archiepiscopus à Carolomanno & Pipino receptus est, Pontifice id maxi mè urgente confirmanteque. Ita verò quod Francorum Principes sollicitaverant, Metropolitana sedes in paganorum & Germaniæ finibus constituta, ad ceteros Episcopos in officio continendos; quo honore decorata & Colonienſis Episcopi sedes. Hoc illud Zachariæ Pontificis ad Bonifacium: *De civitate illa, quæ nuper Agrippina vocabatur, nunc verò Colonia, juxta petitionem Francorum per nostræ auctoritatis præceptum nomini tuo Metropolim confirmavimus, et tuæ sanctitati direximus pro futuris temporibus ejusdem Metropolitanæ Ecclesiæ stabilitatem.* Utrumne tum primùm Colonia Metropolis facta, & in ea aliquando Bonifacius Archiepiscopus fuerit, disceptant ipsi Colonienses. Pontifici sanè in hac disciplinæ Ecclesiasticæ restauratione per Germaniam collapsæ una simul cura fuit Frisia & Saxonia, tum ut armis Francorum subigerentur, tum ut per integræ vitæ Episcopos religio inter paganos propagaretur; quo in genere hactenus multum desideratum fuit ab ijs, qui castra secuti præposteris armis bellando magis, quàm docendo verbum Dei, id se præstituros opinabantur.

Synodus Moguntina à Bonifacio convocata. *Othlonus.*

D. Bonifacius I. Moguntius Archiepiscopus.

Epist. Zachariæ Pontif. ad Bonif.

Extulit hic annus è mortalium numero ad superos D. Wigbertum,

tum, virum tum de Hassia, tum de his Saxoniæ regionibus doctrina Christi illustrandis præclarè meritum. Natalium origo illi ex Anglo-Saxonibus fuit; qui cùm audiret quo fructu succesuque Evangelij Bonifacius ceterique Apostolici sacerdotes Barbaros excolerent, invitante eodem Bonifacio, ex Britannia profectus in Germaniam, Bonifacio sese, etsi ætate major esset, in disciplinam dedit; quem multis primùm annis docentem Barbaros & comes & præco Evangelij secutus, demum ob merita & virtutum æstimationem à D. Bonifacio Frislariensi cœnobio Abbas est impositus. Magna illi semper familiaritas fuit cum Meginone (quem à Burchardo Herbipolensis Ecclesia Episcopum, & Paderbornensis vicarium antistitem habuit) viro ut sanctitatis fama, dum viveret, ita à morte miraculis claro.

D. Wigbertꝰ primus Frislariensis Abbas. *Lupus Servatus. Serrarius in Mogunt. Brouverus in antiq. Fuld.*

Tribus per Austrasiam Episcoporum synodis institutis, formatisque saluberrimis cleri ac populi moribus, quod Carolomanni & & Pipini Principum auctoritate ac studio magnam partem est confectum, Carolomannus, facinus omnibus sæculis memorandum patrando, Austrasiæ principatu se ultro exuit, translatoque in Pipinum fratrem omni jure hereditatis, in Soractem montem ac solitudinem, eò loci, ubi ipse cœnobium D. Sylvestri honori condidit, secessit. Mox Romam pergens monasticum habitum à Zacharia Pontifice suscepit, tam egregius pòst in Cassino cœnobio Monachus, quàm ante bellator fuerat. At Carolomanno in privatam vitam transcripto, omnium rerum bellorumque moles, quæ duorum fratrum humeris sustentabatur, in unum Pipinum incubuit. Ac primi, à quibus imperium ejus concussum, Saxones fuêre. Nihil feroci genti usitatius quàm à morte Francorum Regum, aut in mutatione Principum, rebellare. Ideo postquam Carolomanni secessus in cœnobium auditus, eodem mox anno facta conspiratione ad arma convolârunt, obruturi Pipini Austrasiæ Ducis initia. Pipinus haud leviter perculsus, non modò totius Austrasiæ exercitum contrahit; sed Frisonum & Winidorum Reges in societatem belli sollicitat, fœdus superioribus annis cum Saxonum gente initum jusque gentium appellando; quibus permoti Reges auxilia addixêre. Inde transito Rheno in Saxoniam movit cum exercitu ultionis irarumque pleno. Trucidati qui primò se congressu obtulêre Saxones: capta ingens turba incolarum: regio omnis, quantum inter Rhenum & Visurgim patet, igne & direptionibus vastata. His adacti gentis proceres, pacem supplices flagitant, juri se Francorum, uti antiquitus convenerat, submittunt, spondentque tributa, quemadmodum à Clotario Rege imperatum fuerat, integre se in posterum persoluturos Francis. Sed maximus hujus belli fructus, quòd cùm cernerent se Francorum armis & potentiæ impares esse, ultro se, ut Fredegarius est auctor, ad Christianorum Baptismum & sacra offerrent. His placatus lætusque Pi-

An. Christi 746. *Ann Franc. Fredeg in Chron. Adelricus in Ann. Ado.* Carolomannus Monasticam vitã amplexus *Lupus Servatus. Surius. Brouverus in Fuld. Ann.* An. Christi 747. *Fredeg. in Chron. An. Canisij tom. 2. Antiq. Lect.* Bellum Saxonicũ quod Pipinus gessit. Rhenum transit. Saxones ad baptismum se offerunt.

pinus exercitum reduxit in Austrasiam, multum simul confisus, Saxones exemplo circumjacentium Thuringorum, Hassorum ac Frisonum, Evangelij præcones haud gravate admissuros, nec jam ad id opus esse ferro, quod sponte expetebatur.

Gripho Pipini frater ambitione turbat Regnum.

Vix dum hoc bellum compositum cum Saxonibus, cùm Gripho frater elapsus è custodia castri novi, domestico malo turbavit Pipinum. Ægre nimirum ferebat juvenis ambitione transversum actus, se rursum præterito, omnem Carolomanni hereditatem cumulari in unum Pipinum: cumque in ipsa Francia nihil moliri auderet, cum lectâ juvenum manu transfugit ad Saxones, gentemque, quam odio Francorum semper ad res novas paratam noverat, statim ad rebellandum impulit. Pipinus è vestigio insecutus Griphonem, ductoque per Thuringiam exercitu, in Saxoniam Orientalem, quam exciverat ad arma, penetravit, castraque ad Missaham amnem, loco qui Schanige dicebatur, collocavit. Gripho cum Saxonum copijs ad Obacrum fluvium, loco qui Hotheim memoratur, consedit. Notus Onacer seu Ocra hic fluvius, Wolffenbuthum & Brunswicum perlapsus, unde & loca castrorum Pipini haud procul cognoscuntur abfuisse. Imo Schoninga oppidum & Skeninga prope Helmstadium hodiedum vestigia quædam servant, ad quam præceps amnis decurrit. Ibi dum in his Saxonum locis uterque consistit exercitus, pacis primùm consilijs actum, interventuque legatorum sine prælio amicè convenit Francos inter & Saxones. Territi haud dubiè Saxones Orientales proximâ Occidentalium Saxonum clade, censuêre in præsens Francorum arma sibi irritanda non esse, qui jam Frisones & Winidos etiam in societatem belli pertraxerant. Gripho abscissa spe turbarum, cùm nec Pipino nec Saxonibus fideret, in Bavariam ad Hiltrudem sororem Odilonis Ducis viduam confugit; ubi vipera in sinum admissa, Thassilonem Hiltrudis filium ac puerum admodum principatu dejecit. Insecutus mox Pipinus Griphonem, Bavaria ejicit, repositio in possessionem Thassilone; utque turbidum caput ad quietem componeret, XII. illi comitatus donat. Nec tamen quietus Gripho ad Waifarium Aquitaniæ Ducem profugit, novamque illic rebellionis flammam excitat: postremùm in Italiam profugus in Alpibus quadriennio pòst à Theoderico nobili viro obtruncatus est.

Gripho in Saxoniam fugit, quē Pipinus per Thuringiam insecutus ad Ocram fluvium.

Missaha Franc. Ann. & Ado. Mussaham Regino. Nussaham Adelmus. Schaninge Franc. ann Sckahunige Adelmus. Schahaninge Regino. Conring. lib. de antiq. Helmst.

An. Christi 784.

Pipinus Coloniam descendit & Cæsaris Insulam præmunit ob sepulchrum D. Suiberti & Christianorum securitatem.

Pacatâ Boicâ, Pipinus in inferiorem Austrasiam descendit, & quia veteri majorum possessione Agrippinensis Dux erat, Principatus hujus, urbisque Agrippinensis & Rheni defensionem sibi adversus Saxones impensè sumpsit. Quæ loca dum singulari providentia complectitur, audit quibus miraculis Deus indies prope ad sepulchrum D. Suiberti patratis sanctitatem & gloriam sanctissimi viri testatam faciat, dubium ut fuerit, vivusne an mortuus prodigijs inter mortales magis inclaruerit. His fama & certa narrantium fide cognitis,

tis, inspectoque loco, jubet præsens Werdam Rheni insulam, modico tantùm alveo abruptam à continenti Saxonum, præmuniri, & in castri formam includi vallis murisque, haud alio consilio, quàm ut Ecclesia ossaque sancti viri & collegium sacerdotum cum Christianorum cœtu adversus Saxonum & Barbarorum incursiones isti c in tuto essent; tum ut Christianis per Westfaliam, qui superioribus annis Christianis sacris imbuti ejus se tutelæ commiserant, securus intrà munitionem receptus pateret. Opus quàm piè ac ferventer imperatum à Pipino, tam celeri labore perfectum fuit. Annus quo hæc agebantur, trigesimus tertius erat ab obitu D. Suiberti; quemadmodum hæc à D. Ludgero sincerè perscripta sunt, ex quo mors D. Suiberti in annum 715 profertur, nisi in alterutrum error intervenerit; aut certè aliam Marcellinus, aliam D. Ludgerus à Christo nato rationem numerandi secutus sit. *D. Ludgero ad vitam D. Suiberti.*

Pipini Ducis pietatem in D. Suibertum Deus mox ingenti beneficio remuneratus est; nam proximo abhinc anno, quæ gentis fuit perfidia, Saxones denuo rebelles conjurant; nihil Francicæ servitutis, nec in tributo solvendo, nec in nova Christianorum religione sibi præscribendum, ferre se velle; ut Thuringi, ut Hassi, ut Frisones ac ceteri Germanorum Francicum jugum tolerent: Saxonum gentem esse liberam, quæ nulli sub cœlo mortalium pareat, nec Reges præterquam Deos suos agnoscat: meminerint Franci, quot bella harum regionum populi cum Romanis gesserint, recogitent quamdiu ipsorum majores Franci, dum has sedes & hos agros inter Rhenum & Visurgim incolerent, adversus Christianorum imperatores pro libertate depugnârint; pacta licet inierint cum Francis, ea tamen cùm coacta sint, tam impune dissolvi, quam iniquè contrahantur; & si libertas Dijs curæ sit, nihil tam liberum esse quàm religionem, quæ eligi, non imperari debeat; præterquam quòd cultus Deorum apud Saxones antiquissimus, Christianorum verò, qui unum Deum & Christum in crucem sublatum adorant hominem, à sæculis non tam multis recens & incertus sit. At rupti toties fœderis & perfidiæ incusabimur? an ullum genus hominum magis fallax & infame perjurijs quàm Franci? quam nunc fidem requirent ab alijs, qui nulli mortalium sunt fidi? His & ejusmodi proceres populum concitando infesti per Francorum fines spolijs grassantur. Quæ postquam ad Pipinum relata sunt, superato Rheno cum exercitu Occidentalium Saxonum Westfaliam vi intrat, & celeritate, in qua summum rei momentum erat, Barbaros consecutos obruit, commissoque ancipiti prælio fundit ac dissipat. Inde dum victor fatigatum militem Coloniam reducit, Saxones Westfali non tam acceptam cladem quàm dominatum Christianorum indignè ferentes, festinè copias recolligunt, jamque in validum exercitum aucti per viarum compendia Pipi- An. Christi 749. *D. Ludg. ad vitam D. Suib.* Saxones Pipino rebellant.

Pipinus circumventus à Saxonibus D. Suiberti ope incolumis ad Rhenum penetrat.

Pipinum priusquam Rhenum contingeret, haud procul Werda insula prævertunt, & ad novum conflictum se multò quàm antè furiosius sistunt. His angustijs circumventus Pipinus, cùm & regredi non liceret, nec fessum attritumque militem dimicationis periculo exponere consultum haberet, equo submissus in terram se prosternit, ac memor cœlestium beneficiorum quibus tot mortalibus opitulando adesset Suibertus, flexis genibus Deum ac D. Suibertum precatur, vellet ex hoc præsenti discrimine exercitum suum è Barbarorum manibus salvum perducere ad Rhenum, tum se suosque belli præfectos supplices ac pro voto gratos Werdam ad Divi sepulchrum venturos. Vix hæc pronunciârat Pipinus Dux, cùm repente ingens lucis splendor, quem vix humani oculi ferrent, visus est supra exercitum Christianorum fundi. Id quia à Barbaris conspectum, ac simul omnes haud secus quàm fulmine perstricti exterritique fuerunt, insolito prodigio attoniti, mittunt è suis binos Satrapas ad Pipinum, qui pacem petant, & se suosque Francorum legibus submittant, palam confessi, quæ viderint, quave religione ostenti supplices adsint.

Pipinus voti solvendi causa nudis pedibus ad sepulchrum D. Suiberti procedit.

Ita amicè discessum ab armis, acceptisque obsidibus Pipinus rem altius etiam quàm Saxones expendens, cum exercitu ad Rhenum pergit, detractisque calceis, nudo pede Werdam ingreditur vota exsoluturus. Multa ibi tum dona regali munificentia à Pipino & proceribus ad sepulchrum D. Suiberti oblata; habuitque exinde Pipinus sibi D. Suibertum cultu in omnem vitam singulari patronum, etiam ad Regni fastigium.

An. Christi 750.

Nam qui consecutus est annus à Christo nascente 750. ab omnibus bellis quietus, Pipino Regni initia dedit. Quippe proceres Regni Franciæ tam qui sacra, quàm qui profana regebant, pertæsi ignavum ac stupidum Regem, à quo nonnisi gentis ludibrium & ignominia erat apud exteros, consilia agitare cœperunt de exauctorando Childerico, ac Pipino in solium subrogando; una enim apud Pipinum regia auctoritas & bellatoris gloria, quem colebant domestici, timebant exteri, venerabantur Saxones recenti prodigio adhuc attoniti, ideoque quieti & benigniores in Christianos. Quâ opportunitate usi Evangelij præcones in limitaneis locis per Hassiam & Frisiam verbum Dei liberius inter confines Saxones disseminare institerunt. Celebris per id tempus inter ceteros Plechelm⁹, quem adhæc minimùm tempora referre necesse est, quòd inter res gestas ejus memoretur, Pipino Rege, ad Isalam & per Twentiam incolas à cultu Idolorum ad legem Christi adduxisse. Certa enim majorum fide Oldensalienses, qui pars veterum Saliorum creduntur, tradunt, Plechelmum inter primos Evangelij doctores apud se versatum, ab eoque haud secus quàm à Marcellino primam se Christianæ legis disciplinam accepisse, quam ad obitum usque constanter apud illos tradidit. Hinc

Plechelmus ad Isalam gentium Doctor, & Oldensalienſium Patronus.

Olden-

Oldensaliæ, quæ primaria ejus statio fuit, sepultus; servanturque ad hodiernum usque diem Divi hujus ossa in collegij Canonicorum templo condita, perpetuâ inde non modò oppidanorum, sed vicinorum etiam,& Ecclesiæ Monasterienſis veneratione. Nec alio Monasterienses antiquitatis cultu Plechelmum inter tutelares suos Divos recepêre, quàm quòd Occiduam illam & continentem cum Diœcesi regionem verbo Dei simul illustrarit. Jam & Daventriæ ad Isalam & Covordiæ in confinibus Saxonum, Christianorum stationes erant. Jam & Benthemensis pagus,ut supra retulimus, à Carolo Martello donatus erat Willebrordo. Nec dubium quin castro Christiani non minus sacerdotes, quàm præsidiarij Francorum milites impositi fuerint, ad Christi religionem per vicinos vicos & pagos plantandam, Atque hæc quàm certa sunt de Plechelmo, tam controversum fecere, quis ille Plechelmus Oldensalienſium Apostolus fuerit; utrumne qui cum Wirone ex Angliâ appulit, ac Romæ Episcopus consecratus in aulâ Pipini Austrasiæ Ducis, jam anno 693. versatus est,quique septennio post Casæ candidæ in Britanniâ Episcopus à Marcellino scribitur interfuisse Synodo Ultrajectinæ? An quis alius ejusdem nominis? sanè Beda qui anno 731. historiam suam scribendo finijt, sub id tempus Plechelmum primum Casæ candidæ memorat Episcopum,qui tum adhuc in Britannia constiterit. Atque hic ille Casæ candidæ Episcopus, ad quem Bonifacius ex Germania scripsit Epistolam,quemq; ut virum eruditum consuluit ex subnato dubio; quanquam hic Plethelmus, non Plechelmus inscriptus prodatur à Bonifacio. Revocat hanc Epistolam ad annum Christi 734. scriptam Baronius. Gelenius hunc eundem illum Plechelmum censet, Wironis socium,& qui synodo Trajectenſi interfuit. Sed & Gelenius nondum expedit nos, an post annum Christi 730, quo adhuc Plechelmus fuit Casæ candidæ Episcopus, ex Britannia redierit in Frisiam. Id quidem ætas ex ejus calculo non refugit, & Bonifacij hortamento id fieri potuit, ut quidam opinantur; verùm cùm auctor vitæ Wironem & Plechelmum Romæ Honorio Pontifice Episcopos consecratos referat, jam supra centesimum & trigesimum annum vita proroganda erit, si Pipino Rege Plechelmus per hæc tempora versatus sit ad Isalam. Adeo involuta sunt omnia; hæc tamen ut componantur, quid vetat ejusdem nominis Plechelmi diversos fuisse doctores Evangelij, haud secus quàm duo Ewaldi, Albus & Niger, duo Wigberti, Martyr & Abbas, duo Suiberti, alter Werdensis, alter Verdensis præsul, omnes ex Anglia submissi Apostolici Viri ac sancti sacerdotes. Ego hic alios audire malim quàm finitè aliquid pronunciare; neque tamen ideo Marcellino fides abroganda, quod in synodum Trajectensem introducat Plechelmum Candidæ Casæ Episcopum, quando id tempori accommodavit, quo hæc scripsit, tum

Beda lib. 5. c. 24.

Beda lib. 5. c. ult.

tum enim Plechelmus Episcopus in Anglia erat, haud secus quàm Acca ex Frisia redux, quos hic Beda Episcopus conjungit. Quoquo hæc modo composueris Oldensalienſibus certè suus doctor non est subtrahendus, cujus pignus & monumentum fidei possident ex sepulchro & Lipsanis, quemque inde posteritas cultu publico excepit. Multa ejusmodi vetustas reliquit obscura, quæ investiganda prius, quàm falsitatis, damnentur.

An. Christi 751.

Redeo ad Bonifacium & Pipinum. Ab utroque hoc anno consequenti, quinquagesimo primo supra septingentesimum, missi ad Zachariam Pontificem legati. Ac Bonifacius Lullum misit, qui de rebus Ecclesiasticis & coram & per literas percontaretur Pontificem. interque alia cœnobij Fuldensis confirmationem peteret, quòd vicinarum regionum bono cœtus religiosorum & Apostolicorum virorum collectus esset, instituto D. Benedicti, qui à carne & vino etiam sibi temperarent. Addit in eâdem ad Pontificem epistolâ, quatuor istic populos circum in regonibus habitare, quos sibi præcipuè sumpserit ex eo cœnobio excolendos; inter quos non minima pars Saxones, Idolorum vanitati adhuc dediti. Fecit prolixè Pontifex, quæ à Bonifacio petebantur. Amplam præterea hic Pontifex dedit potestatem Bonifacio; confirmavitq; Moguntinam Metropolim, cui civitates, & Episcoporum sedes subjecit, Tungros, Coloniam, Wormatiam, Spiram & Trectos. Postremæ sedi, quæ Ultrajectina est, quamque hactenus etiam Archiepiscopi potestate administrârat Bonifacius, Gregorium Antistitem imposuit, qui vicarium ejus munus gereret, quem virum à juventute sibi Treviris adlegerat, atque omni virtutum genere sibi probatum habebat. Ejus initia regiminis ab hoc anno capienda, perinde ut ex Prologo Marcellini colligunt; is tamen nunquam Episcopus consecratus, sed munus id solâ jurisdictione gubernationis contentus gessit, celebris interim gentium doctor & D. Ludgeri, multorumque sacerdotum sanctissimus magister.

Serrar. in Mog. Othlon. l. 2. Epist. D. Bonif. ad Zachar.

D. Bonifaci⁹ missо Lullo ad Zachariam Pontificem legato petit confirmationem Fuldensis Cœnobij.

Cætera ejus postulata confirmantur.

* Altera Pipini legatio per Burchardum Episcopum.

An. Christi 752.

* Altera Pipini legatio multò urgentior fuit, missi enim S. Burchardus Herbipolensis Episcopus & Fulradus S. Dionysij Abbas, qui Pontificem consulerent de acceptando Regno Franciæ, quod procerum voluntate rogatuque offerebatur. Re multum deliberata in consilio Romano, tandem Pontifex in legatorum votum assensit; ac postquam Francos priori Sacramento liberos pronunciasset, Bonifacio viro sanctissimo, Moguntinensi Archiepiscopo & legato suo per Germaniam & Franciam, munus inungendi Pipinum in Regem demandat, quem ipsi jam Franci suis suffragijs elegerant; peractaque est Regis unctio Suessione, magnâ omnium ordinum celebritate à Bonifacio, à qua Pipinus Rex salutatus, & more gentis clypeo circumlatus, ac solio impositus est. Chilpericus Rex exaucto-

Ann. Franc. Eginardus. Paulus Diaconus. Ado. Sigebertus. Regino. Egilvvald⁹ lib. 2. c. 1. Otto Frising. lib. 5. c. 21. Lambertus Schaf.

exauctoratus, è villa extractus, ductusq; in cœnobium, scissâ cæsarie, depositisque regijs vestibus Monachum induere jussus. Uxor similiter Monasterio virginum inclusa; nullusq; repertus, qui aut turbas moveret, aut sortem Regis miseraretur. Adeo sibi Pipinus & Majorum in Regnum meritis & suâ virtute sibi Francos devinxerat. Ita verò in Chilperico defecit Merovingorum Regum prosapia, anno postquam à Pharamundo primo Francorum Rege cœperat trecentesimo trigesimo secundo. Jam ab ultimis Francorum hujus stirpis Regibus, ut supra relatum est, adeo vigor & prisca majorum virtus elanguerat, ut nomen tantùm Regum & imaginem præferrent. Referam quod ad hunc annum & Chilpericum exauctoratum adscribunt Francorum annales: *Reges quidem dicebantur, sed potestas Regni tota apud Majores domus habebatur, excepto quòd charta et privilegia Regis nomine scribebantur, et in Martis campum, qui Rex dicebatur, plaustro bobus trahentibus vectus, atque in loco eminenti sedens semel in anno à populis visus publica dona solenniter sibi oblata accipiebat, stante coram Majore domus, et quæ deinceps eo anno agenda essent, populis annunciante, sicque Rege domum redeunte cetera Regni negotia Major domus administrabat.* Quemadmodum hæc Eginardus, Paulus Diaconus, Adelmus, Ado, Regino, Marianus Scotus, cererique tradiderunt. Non tamen proinde regia dignitas ad Gallos, sed ad Francos, quorum majores ex Germania Transrhenana prodiere, translata est. Satisq; constat D. Arnulphum hujus regiæ stirpis conditorem ex nobilissimo Francorum sanguine ortum, & supra si repetas, regio etiam: Quippe Blithildis, Clotarij Regis Francorum filia, ac soror Dagoberti Regis, denupta Ansberto Franco & senatori: ex hoc matrimonio Arnualdus, sive Arnoldus, Comes Palatinus, D. Arnulphi parens. Anulpho deinde genitus Ansegisus, Pipinus Dux Austrasiæ, Carolus Martellus, Pipinus Rex, Carolus M. suo se ordine consecuti. Nec Arnulphum patrem, quo Carolus M. multum gloriari solitus, fefellit vaticinium. Nam cum mortua conjuge Metim adscitus, Episcopus Metensis legeretur, ac patrimonium inter pauperes divisurus, Clodulphi & Ansegisi filiorum exposceret voluntatem, obstitit Clodulphus, assensit Ansegisus; Eò pater ad illum, scito, inquit, fili, omnia tibi prospera ob id eventura, &, qui ex te gignentur filij nepotesque à Deo magnis honoribus extollendos. Inde per gradus honorum singuli evecti semper altius: Pipinus Dux Austrasiæ & Major domus, Carolus Martellus Princeps & Franciæ rector, Pipinus Rex Franciæ, ac Carolus M. filijque ejus postliminio Occidentis Imperatores recepti sunt. Arnulphum verò & Ansegisum ex eorum Francorum genere Germanos fuisse, qui antiquitus Rhenum transgressi Gallias invasere, satis etiam Paulus Diaconus monstravit, dum ex Francis Transrhenanis Ansegisi ortum refert. Sanè legibus quibus vixere, moribus, linguâ, cultu vestium,

Eginard. in vita Caroli M.
Ado in Chron.
Adelm. in Ann. Franc.
Regino in Chron.
Marian. Scot. in Chron.
Sigeb. in Chron.
Otto Frising. l. 5. c. 21.
Paul. Diacon. in Chron. de Episcopis Metens.
Genealog. D. Arnulphi à Pithœo edita.

Familia, ac stirps Pipini Regis.

stium,& quibus gentium discrimina noscuntur,Germani fuisse æstimantur,perinde ut in Carolo M. ejusque filijs explorata sunt. Certè ut Tillius Gallicus scriptor alijq; fatentur,mansit Germanicæ linguæ usus inter Francos usq; ad Carolum Calvum, quo tempore Imperium inter Ludovici Pij filios dividi cœptum, ac tum demum Germanica lingua sensim aboleri cœpit in Gallia, retineri in Austrasia & Germania.

Primum Pipini bellum, quod Francorum Rex inauguratus gessit, cum Saxonibus fuit. Hanc enim gentem tanquam saxeam cotem habuere Franci,ad quam arma colliderent, acuerentque, ne Saracenis atq; omnibus Barbaris,exterisque jam domitis, Martia ingenia obtorpescerent: tum ut toties pertentato delusoque opere Christi religionem in Saxoniam introducerent. Sed gens, ut omnium Germanorum libertatis cultusq; Deorum retinentissima, ita in fide pactâ fallacissima, rupto rursum fœdere ad arma resilijt; seu in istâ Regum Francorum mutatione opportunitatem rebellandi sibi datam crediderit; seu novum Regem aversata, Pipino tributa pendere recusârit. Super hæc magna rei Christianæ clades hac tempestate fuit illata. Quippe,ut Bonifacius epistola ad Stephanum Pontificem scribit,plus quàm triginta Ecclesiæ à Paganis vastatæ & incensæ; quibus instaurandis hactenus se, quo minus scripserit, occupatum fuisse queritur. Nec alios hos paganos suspicari libet, quàm Saxones, qui hac rebellione Hassiam & Thuringiam incursavere; ut vel ideo Pipinus Rex justâ irâ accensus bellum hoc Saxonicum majori quàm antè apparatu susceperit. Excita maxima vis Franciæ, & læti omnes ad novi Regis imperium convenerunt. Jam belli bellatorumque robur aderat,quocum Rhenum transgressus Westfaliam intrat. Nec territi Saxones per extremam pertinaciam incurrendo præliandoq; obsistunt, donec magnâ strage fusi ac pulsi intra nemora & montes Teutonicos se retraherent. Victor Pipinus libere regionem ingressus,hostem profugum ad Visurgim usque insequitur; castraque Francorum posuit loco, quem Adelmus Rum, Astronomus Rimi, Ado Reme,Regino atque ante eum Engolismensis Monachus Remiam nominant. Remen hodiedum est vicus ad confluentes Warnæ & Visurgis in comitatu Ravensburgensi,quem Carolus M.postea intra jurisdictionem sacram Episcopi Paderbornensis complexus, diœcesi nostræ accensuit.Eò & Ferdinandus Princeps & Episcopus Paderbornensis inter illustria monumenta suæ diœcesis Remam,doctâ expolitaque carminis inscriptione celebravit. Eam, quia Westfaliæ antiquitates ac nostra hæc illustrat, operæ pretium erit, ut in ceteris fecimus, hoc loco legentium oculis subjicere.

An. Christi 753. *Fredeg. in Chron. Ann. Franc. à Pithœo editi ijdemque Fuldenses à Frehero inscripti. Aimoin. seu Adelm. in Annal. Astronom. in Annal. Ado in Chron. Regino in Chron. Ursberg in Chron.*

Saxones primo Regni anno Pipino rebelles. *Epist. Bonif. ad Stephan. Pontif.*

Pipinus Rhenum transit.

Ad Visurgim Castra promovet, & in Rema collocat.

REMA

REMA
AD. CONFLVENTES. VVARNÆ. ET. VISVRGIS
Pagus Ravensbergici comitatus
MEMORIÆ. SACRUM

INCLYTA. FRANCORUM. FASTIS. UBI. WARNA. VISURGIS
AMNE. RECEPTA. SUÆ. NOMINA. PERDIT. AQUÆ
SAXONE. PIPINUM. FVSO. SPECTAVIT. OVANTEM
REMA. TRIUMPHALI. FERRE. TROPÆA. MANU
HILDIGARIQUE. NECI. VICTRICIA. CASTRA. SECUTI
FRANCIGENAS. MOESTIS. ILLACRYMARE. MODIS
FORTIS. ET. EXEMPLO. CAROLUM. GENITORIS. AVIQVE
SAXONICÆ. VALIDAS. FRANGERE. GENTIS. OPES
TALIBUS. ILLUSTRIS. TITULIS. PLUS. REMA. SUPERBIT
QVAM. QVOD. RHEMORUM. NOBILE. NOMEN. HABET

FERDINANDVS
DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA
EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR
MONASTERIENSIS. S. R I. PRINCEPS. COMES
PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO
DE. FURSTENBERG.

REMÆ. AD. CONFLUENTES. WARNÆ. ET. VISURGIS
SITÆ. PIPINI. EIUSQUE. FILII. CAROLI M. FRANCORUM
REGUM. SAXONICIS. EXPEDITIONIBUS. ANN. DCCLIII. ET. ANN. DCCLXXXIIII
CELEBRIS. PAGI. MEMORIÆ
M. H. P.

A Visurgi Pipinus, cùm nullus se hostium offerret, Westfaliam cum exercitu pervagando, spolijs, igne & cædibus extremam vastitatem intulit: abducta ingens virorum & mulierum multitudo, ut Fredegarius hic nobis est auctor; nec ante ferro flammáque magis grassatum in Westfalia à Pipino, quòd eâ severitatis pœna gentem toties perfidam ac sibi rebellem castigandam censeret. Ac prope erat ut exscinderet, cùm gentis proceres facinorum pœnitentes, supplicesque Regis clementiam implorant; quam ut impetrarent, obsides sistunt, ac tributa etiam auctiora, quàm antè dederant, sponte offerunt, fidemque denuo sanctè jurant, quam nulla inposterum rebellione violaturi sint. His Pipinus pro indole, qua mitior præ Carolomanno fratre fuit habitus, se exorari passus, pacem Westfaliæ indulget.

dulget. His rebus ex voto gestis, triumphantem exercitum reducit ad Rhenum, & castrum Bonnam intrat. Quid captivis actum sit, scriptores non prodiderunt; etsi verosimile habeam hac expeditione non minus quàm superioribus multos captivorum ad lavacrum Baptismatis adductos, interque cetera novum libertatis ostium præconibus Evangelij apertum esse.

Hildegarius Colonienſis Archiepiſcop⁹ hac expeditione an à Barbaris occiſus ſit. *Ann. Franc. Veteres Colon. tabulæ. Heiſterbac. Meibomius*

Memorant Francorum annalium scriptores hac Pipini Regis expeditione Hildegarium Colonienſem Archiepiſcopum, quem Rex, ſecundum ſuperioris ſynodi decretum, ſibi in caſtris præſentem eſſe voluit, à Saxonibus barbarum in modum eſſe interemptum, loco, quem Adelmus Duburg, Aſtronomus montem Viburg, Ado caſtrum Witberg, Regino caſtrum Nigberg vocat; multis non alius locus apparet, quàm vel Driburgum in Paderbornenſi, vel Iburgum in Oſnabrugenſi diœceſi. Utrumque caſtrum in montibus Teutonicis Angrivariaque ſe Pipino priusquam Viſurgim contingeret, obtulerit. Veteres Colonienſium tabulæ montem Wiburg conſignant. Reperias etiam, qui montem Wedenberg eſſe velint, quique ab alijs mons Vedegonis appellatur; & quia hic locus propiùs Viſurgim, corpus Hildegarij à Carolo M. in montem Oversberg tranſvectum, ibique conditum volunt, quod poſtea Coloniam tranſportatum ad Baſilicam D. Gereonis. Epiſcopus, quòd tanquam in bello ſacro inter ſacra munia à Barbaris interfectus, etiam inter Divos adſcriptus eſt. Sed quem Hildegarium ſcriptores hoc anno interemptum tradunt, hunc D. Ludgerus nobis adhuc anno 755. ſuperſtitem ſiſtit, quæ tamen ut concilientur, opinatur Gelenius aliam Francicos ſcriptores, aliam D. Ludgerum ſequutum eſſe æram. Planior conciliandi via, ſi dixeris, expeditione hujus anni Hildegarium, quod Marcellin⁹ ſcripſit, equo excuſſum ſcapulas brachiumq;, & tempora ad rupem colliſiſſe, quibus ex vulneribus ſe mianimis ad tentorium delatus, hoc anno opem D. Suiberti imploravit, cui proximâ nocte D. Suibertus ſe obtulit in ſomno & curatorem ſe poſt vota ad ſepulchrum ejus perſoluta præſtitit. Hæc Francorum annales non ſatis explorata ad mortem Hildegarij retulerunt, quando is, ut poſt referemus, à Barbarorum Saxonum manu trucidatus occubuit.

Bernardus Ludg. in Encom. Urb. Mind. Henr. de Hervord. l. 2. c. 69. Monum. Paderb. D. Ludg. Epiſt. ad Rixfridum. Marcell. c. ult. in vita Suib.

Lebuini Tranſiſelaniæ Apoſtoli mors. *Alfridus in vita S. Ludg. Brouver. in Sid. illuſt. Huebaldus in vita Lebuini. Radbodus Epiſc. Elog. Lebuini & Sermon. de eo Sur. ad 12. Nov.*

Celebris per id tempus Pipino Rege D. Lebuinus Tranſiſelanorum & Saxonum Doctor, quem Liabwinum vocant Alfridus & Othelgrimus; ex quibus Hucbaldus hæc transcripſiſſe viſus eſt. Mira Lebuini in has oras profectio. Gente is Anglus erat, ut ceteri fere omnes Evangelij præcones, quibus ut ſe conjungeret in partem laboris, iretque ad fluvium Iſalam, tertium à Deo monitus eſt; ad quas oraculi voces, ut de ſe palam fatebatur, mare tranſgreſſus, Trajectum ſe contulit, petijtque à D. Gregorio, ejuſdem Epiſcopatus Antiſtite, locum ſibi monſtrari, ex quo barbaras gentes excoleret.

Lætum

Lætum id erat Gregorio, à quo Daventriam missus ad Isalam fluvium, atque ad ipsa Francorum atque Saxonum confinia; nam is tum fluvius utriusque gentis terminus erat. Additus illi à Gregorio adjutor ac socius Marchelmus, qui & ipse ex Anglorum gente & à puero D. Willebrordi disciplina excultus erat. At magno fervore fructuque Lebuinus eo ad Isalam loco versatus, plurimos ab Idolorum vanitate ad Christi cultum perduxit. Testes binæ sacræ ædes, quarum altera ad Occidentalem Isalæ ripam, loco quem Vuilpa dixêre, ab eo structa est: Altera ad Orientem fluvij oram multò amplior, ob increscentem Christianorum numerum erecta; in qua deinde & missæ sacrificium peragere, & populum affluentem docere solitus est. Sed quæ Saxonum erat ferocia, haud multò post eadem sacra ædes ab ijs est exusta, disjectique Christiani. Redijt mox Lebuinus, & reparata æde populum docere instituit. Postquam annos aliquot Daventriæ substiterat, ac vicinos etiam ad Isalam Saxones Christi Religione imbuerat, incessit virum sanctum fervor, interiorem Saxoniam ingrediendi, profectusque ad Visurgim usque Christi doctrinam Barbaris tradere cœpit. Ubi dum gentis proceres duodecim ex singulis pagis convocati comitia agitarent, in loco, quem Marckelo appellârunt, statuit Lebuinus publicum populi concilium intrare, & palam Christum annunciare. Multum id dissuadebat Folchbertus vir inter suos illustris. At ille his neglectis, quæ de periculo vitæ dicebantur, habitu sacerdotali indutus, crucem & Evangelium manu gestans, processit in medium Barbarorum cœtum, & cùm Saxones pro more gentis sacrificantes reperiret, superstitionum indignitate commotus, cœpit ferventissimè de vanitate Idolorum & Christi divinitate atque admirandis ejus operibus perorare, ac minari etiam, ni Christi legem reciperent, fore ut brevi alius Francorum Rex eos jugo submitteret; Carolum M. his creditus indicare; verum eâ dicendi libertate offensi Saxones, sudes & gladios corripiunt, interempturi Lebuinum, ni Bucco quidam inter eos vir gravis, auctoritate & verbis furentium impetus mitigasset. Frisonum, inquit ille, & Danorum & Sclavorum aliarumque gentium legatos benignè recipimus, quin & hunc tam arcana & tam salutaria nunciantem audimus, priusquam alia acerbius in hunc virum statuamus, aut Francorum arma provocemus. His dictis mitigati Saxones non modò vitam, sed & docendi libertatem indulsêre Lebuino; quem deinde Saxoniam Occidentalem peragrando Hervordiam usque pervenisse, & loca illa Angariæ intra Paderbornensem diœcesim doctrinâ illustrasse auctor est Wernerus, aitq; suo adhuc ævo ejus rei memoriam fuisse. Cetera vetustate abolita, si non fabulis etiam quædam permixta; qualia de arbore apud Hervordiam referunt, quæ aperto sponte sinu Lebuinum abdiderit, ne à Barbaris comprehensus necaretur. His ego nec fidem addo, nec demo.

Wernerus Rolev. l. 2. de laudibus Westf.

demo. Multis demum laboribus & periculis defunctus Lebuinus Daventriæ excessit è vitâ, sepultusque est in eâ, quam construxerat Ecclesia die XII. Novemb. * anno posteris incerto relicto. Vir sanctitatis fama dum viveret, & post obitum clarus, quam & Deus testatus. Nam cùm à morte ejus Saxones, rursum irruptione factâ, Ecclesiam D. Lebuini subjecto igne vastarent; frustra tamen per triduum quæsitum sancti corpus, ut cultui Christianorum subtraheretur. Ecclesiam dum postea D Ludgerº jussit reparare, obtulit se per somnium D. Lebuinus, & quo loco corpus reperiret, monstravit. Quæ ut certis auctoribus de Lebuino accepimus, ita haud levis controversia est suborta, idem ne sit hic Lebuinus, qui in denarium Apostolicorum virorum numerum relatus perhibetur cum S. Willebrordo & Suiberto veniisse in Frisiam; an alius, qui pòst Gregorio Antistite accesserit ex Angliâ; ætas quidem nihil prohibet, potuisse ad eum diem superstitem fuisse eundem Lebuinum, quando & Bonifacius & Marcellinus per id tempus adhuc vixêre ex primo illo Apostolicorum cœtu: cumprimis si dixeris non omnes tum fuisse sacerdotes, quando primum cum Willebrordo appulêre, sed postea ceteros omnes præter Adelbertum sacerdotes fuisse initiatos. Verum si quis ea expendat, quæ de Lebuino seu Liafwino scripsere auctores vitæ D. Ludgeri, prorsus alius fuerit, necesse est, videturque ab imperito scriptore hic Lebuinus haud secus in hunc denarium numerum obtrusus, quàm Lebuinus Gandavensis Episcopus & Martyr in Trajectensem Synodum corrupto Marcellini libro introducitur; Levinus enim ille Martyr fuit non Lebuinus, jam dudum anno Christi 659. à paganis occisus.

* aliqui ad An. 766. revocant.

Marc. c. 14.

An. Christi 754. Fredeg. in Chron. Aimoin. sive Adelm. in ann. Francorum Annal. Pith. & Fuld. Astronom. in annal. Chron. ex Thoromacho collect. Ado in Chron. Francorum scriptores. Regino in Chron. Anastasius in vita Pont. Barõ. aliiq;.

Verùm his omissis, quæ tot scriptis exagitata sunt, ad Pipini res gestas me referam. Is Saxonibus superiori bello ad quietem compositis, Bonnâ è veteri Romanorum & Francorum castro movens, Theonis villam concessit: ubi ad Mosellam versanti, nunciatur Stephanum Romanum Pontificem superatis Alpibus adventare in Franciam. Erat is ante biennium post Stephanum II. paucorum dierum Pontificem Zachariæ suffectus; eóque aderat, ut, quod per literas & legatos sollicitârat, coram apud Pipinum Regem obtineret auxilium adversus Arnulphum Longobardorum Regem, bona Romanæ Ecclesiæ rapientem. Jamque eò cupiditatis processerat Longobardus, ut Ravenna capta, ereptoque Græcis Imperatoribus Exarchatu, ipsam quoq; Romæ sedem Romani Pontificis Regno Longobardorum adderet. Venienti Pontifici Pipinus Carolum Filium, post cognomento M. misit obviam: ipse deinde Rex milliari tertio occurrit cum proceribus Regni, submissusque equo summâ veneratione excepit Pontificem, impleto etiam stratoris munere. Inde Parisios digressi,

Stephani Pontificis adventus in Galliam. Honorifice exceptus à Pipino Rege.

gressi, ubi iterato riteque Pipinum Regem, dein Carolum & Carolomannum binos Pipini filios Franciæ Reges inunxit. Contra Pipinus, quod addixerat auxilium Pontifici, binâ exinde in Italiam expeditione susceptâ præstitit, & Aisthulphum abrepta Ecclesiæ bona, urbes, oppida, castella, subjectosque populos reddere coëgit; ultroque Pipinus Rex Exarchatum Ravennæ, quam Romaniam vocant, deinde Pentapolim pari quâ alij Principes liberalitate addidit. Ut vel inde satis quis recognoscat, quàm amplum donatione Constantini M. ac ceterorum Imperatorum D. Petri patrimonium jam tum fuerit, ut præclarè docet Hadrianus Pontifex epistola ad Carolum M. Tam bene meriti de Romanâ Ecclesiâ Franci. Quæ causa fuit ut Pontifex Francos compellet *adoptivos filios, succedaneos milites, selectos ad vindicandas Dei injurias, asylum et propugnaculum Ecclesiæ, gentem supra omnes, quæ sub cœlo sunt, primam, carissimam sibi et acceptatissimam.* Illud verò quam illustre de Francis ex epistola Stephani Pontificis, qua Pipino ob hæc gratias egit. *Declaratum* est, inquit, *quod super omnes gentes, quæ sub cœlo sunt, vestra Francorum gens Apostolo Dei Petro prima existit, et ideo Ecclesiam, quam mihi Dominus tradidit, vobis per manus Vicarij mei commendem ad liberandam de manibus inimicorum, quippe secundum promissionem, quàm à Domino Deo et Redemptore nostro accepimus, peculiares inter omnes gentes vos omnes Francorum populos habemus*; hæc aliorum Pontificum encomia, hæc fiducia in Francis. At non Galli, sed Germani adhuc origine hi Franci erant, quibus præter insitam virtutem pro veteri Francorum instituto, maxima vis belli erat in fiduciarijs & clientibus, quos Leudos & Leodes nativâ Germanorum voce, uti & Vassos & Vasallos dixere, quosque Sacramento fidei sibi obstrictos habuêre, ex arcibus, urbibus ac bonis feudorum, à Regibus donatis; nec alios quàm Germanos ex legibus & omnium legum vocabulis & vulgari tum inter ipsos sermonis usu deprehenderis.

Opem sollicitat contra Longobardos pro Patrimonio Petri.

Tom. 17. Concil. Paris. in Steph. Pontif. Francorũ Laus.

* Inter hæc dum Stephanus Pontifex per Hyemem rogatu Regis persistit in Francia, Pipinus inter familiares congressus cum Pontifice multis exposuit sanctissimam D. Suiberti vitam, tum admiranda ejus opera miraculaque, quibus vivum, & à morte præ ceteris Deus illustrârit, simulq; petit, ut in Divorum numerum Pontificia auctoritate referre, & universo populo colendum decernere velit. Annuit Pontifex; sed quo minus ipse ad Rhenum descenderet & coram id præstaret, per corporis debilitatem ex itinere, morbo & senio se excusavit. Interim vices suas demandat Hildelpho Trevirensi, Bonifacio Moguntinensi, & Fulcario Leodiensium Episcopo, cumprimisque Hildegario Colonienſium Archiepiscopo, intra cujus diœcesis limites D. Suibertus quiesceret. Verùm cùm & hi Episcopi metu percursantium Saxonum id munus defugerent, & Pipinus in expeditione Italicâ impediretur, Hildegarius Colonienſium Archiepiscopus recenti

*An. Chr. 755. *Ludg. Epist. ad Rixfrid. Brouverus in ann. Trevir. lib. 7. Gelenius in Hierotheca de Hildeg. Frisen. in Hist. Leod. lib. 5. de Fulcario.* D. Suibertum petit Pipinus inter Divos referri à Pontifice. Pontifex elevationem D. Suiberti committit Episcopis, idque ab Hildegario Episcopo factum.

centi beneficio curationis à D. Suiberto affectus, voluntatem Pontificis maturandam censuit. Igitur cum Presbyteris & Clericis Werdam profectus altetâ die, IV. nimirum Idus Junij, post peractum missæ sacrificium Pontificali habitu indutus accedit ad sepulchrum D. Suiberti, regestaque humo sarcophagum aperit, ex quo suavissimus illico odor afflatus circumstantes mirificè affecit. Integrum adhuc corpus suis ossibus hærebat, quod Archiepiscopus elevatum, & mundissimis indumentis involutum in alium capulum transtulit. Factum id Deus rursum novo miraculo comprobavit. Aderat tum fortè civis Colonienſis Robertus nomine, surdus ac mutus, cui ubi permissum est manum D. Suiberti exosculari, repente uterque sensus ad stuporem omnium est redditus. Ac ne sanctum viri corpus vicinis Barbarorum incursionibus expositum pateret, Archiepiscopus in crypta templi recondi voluit. Sanxit deinde diem hunc quartum Idus Junij omnibus oppidi incolis quotannis celebrem; palamque cœlestem patronum pronunciavit, ad quem exinde Christiani multò quàm antè frequentius ex omnibus circumlocis confluxere; ac nulli præsentius opem experti, quàm qui anginæ morbo afflictabantur; passim enim hujus mali opitulator colebatur.

Divi Bonifacij Martyriũ.

Hæc Suiberti gloria ad Rhenum in confinio Saxonum, ut quem vivum habuerant doctorem, hunc mortuum venerarentur; qui editis abs se continuis prodigijs tanquam posthumâ voce non destitit invitare Saxones ad Christi cultum amplectendum. Sed multò illustrior hic annus D. Bonifacij inter Frisios martyrio. Multum ille jam egerat superioribus annis apud Zachariam Pontificem & Pipinum Regem de missione suâ, quam ubi tandem obtinuit, posito Archiepiscopi Moguntini munere, Lullum virum omni virtutum laude probatum successorem dicit; ipse senex jam octogenarius secundo Rheno cum Eobano Chorepiscopo alijsque sacerdotibus, clericis & Monachis Trajectum navigat; inde in Frisiam profectus Apostolicum munus resumit. Acceleravit hoc iter nuncium, quo acceperat multos Frisiorum à Christo rursum ad Idolorum cultum desciviſſe. Quanquam jam præscius gloriosæ mortis, numine potius impellente, ad hanc lauream vocatus sit. Ut primum Frisiam interiorem ingressus, ingenti fervore diruta templa reparavit, intraque breve tempus multa millia virorum & mulierum ad Christum reducta, aqua Baptismatis abluit. Quos dum constituto loco ad confirmationis Sacramentum convenire jussisset, erecto ad id tentorio, sub solis ortum vesana Barbarorum turba irruit, & nono Junij Bonifacium trucidavit. Cæsi simul immani furore Eobanus Chorepiscopus, tres sacerdotes, totidem Diaconi, & quatuor Monachi, universim supra quinquaginta Martyres, quorum sanguine Frisia decorata. Satisque ex his compertum, quos avitæ religionis Frisia habuerit doctores;

Othlon9 l. 3. Baron. ad annum 755. Serrar. in Mogunt.

doctores; à quorum vestigijs longè digressi, qui Calvinum demum nostrâ ætate, ceterosque hæresis magistros, Apostolicis illis viris, sanctissimisque Ultrajectensium Episcopis anteferunt. Corpus D. Bonifacij primo Trajectum, deinde Moguntiam, ac demum Fuldam est transvectum, quò dum viveret, sepeliendum mandârat. Monstratur adhuc Fuldæ codex Evangeliorum, quem sicarius gladio persecuit: nulla quidem litera libri, quod prodigij instar fuit, læsa: adhæc gladius brevis pugionis in modum, quo tum Frisij haud secus quàm vicini Saxones in bellis usi; ut magnopere confirmer Saxones ab hoc genere pugionum cultrorumve, quos Sachs dixere, Saxones esse appellatos. Locus, ubi sacrilega cædes patrata, Ostrache, territorium Frisonum, ac vicus Dochuma memoratur; hodiedum Documium est oppidum, collegio canonicorum illustre. Supervacaneum hujus admirandi viri zelum, labores, & res gestas memorare, quæ Othloni, Serrarij, & tot scriptorum libris ac monumentis celebrantur; quemadmodum & nos in Carolo M. Romano Catholico ab heterodoxorum obtrectationibus pro viribus liberavimus.

At Bonifacio Germaniæ Apostolo & Frisonum doctore ex humanis sublato, Deus mox alium ex Anglia Apostolicum & sanctissimum virum in ejus locum submisit, D. Willehadum, quem primum pòst Bremensium Ecclesia habuit Episcopum. Eum hoc anno advenisse in Frisiam facilè æstimare licebit ex Adamo Bremensi, fido earum rerum scriptore; cum is referat Willehadum XXXV. annos docuisse Frisonum & Saxonum populos Christi legem ad annum usque Christi DCCLXXXIX, quo in Novembri obijt. Excertè Albertus Stadensis Abbas scripsit Willehadum à Bonifacij martyrio advenisse. Ac mira sanè res, & providentiæ divinæ plena. Postquam enim ex Anglia in Frisiam delatus, recta se contulit Willehadus Doccumium, ad eum locum, in quo Bonifacius Martyr occubuerat, tanquam ab ipso Bonifacio post obitum de grege sollicito evocatus. Venientem benignè & magno gaudio suscepere Christiani, qui jam ulti mortem Bonifacij ijs in partibus prævalere cœperant. Ubi inter eos aliquamdiu substitit, multa paganorum millia ad Christianorum cœtum brevi per Baptismum adjunxit. Inde post Lavicum fluvium transgressus in Hukmarckiam barbaris ejus regionis Christi legem tradere cœpit; à quibus malè tractatus ejectusque in Drentiam se contulit cum discipulis, ubi meliorem messem nactus, plurimos ad Christi cultum adduxit; donec à Carolo M. evocaretur in Wigmodiam, & in parte illa diœcesis Bremensis prima religionis fundamenta, magno rei Christianæ progressu, inter Barbaros jaceret. Vir continentia & sanctimonia vitæ prorsus admirabilis, qui non modò esum carnium, sed & piscium sibi interdixerat, solis herbis & leguminibus fere inter assiduas preces, & quotidianum missæ sacrificium, & docendi labores vitam trahendo.

Willehadus novus Apostolicus vir ex Anglia in Frisiam venit.

Albertus Stadensis ad hunc annũ. Auctor vitæ apud Surium & Philip. Cæsar.

Moderabatur per id tempus ab excessu Bonifacij Ultrajectensium Ecclesiam D. Gregorius, vir, etsi primis adolescentiæ annis à D. Bonifacio excultus, & à Stephano Pontifice ac Pipino Rege, summâ potestate donatus docendi Frisones Evangelium; nunquam tamen, in quo Othlonus fallitur, Episcopus consecratus, uti supra à nobis relatum est. Sed munus illud inter sacerdotis gradum gessit; interim quæ Episcopi erant munia, per Alubertum incertæ sedis Episcopum adjutoremque sunt administrata; fortè quòd Colonienses ab obitu Bonifacij litem suam potentius intenderint, diœcesin illam suæ Metropoli vendicando. At tum nihil Ultrajecti illustrius, quàm collegium sacerdotum & seminarium juventutis D. Gregorio præside ac magistro, ad quod ex omni circum natione, Franci & Angli, Frisones & Saxones, Bavari ac Suevi confluebant; quemadmodum hæc D. Ludgerus ejusdem Gregorij discipulus certâ nobis fide tradidit. Ex hoc seminario prodiêre post tot sacerdotes & Evangelij doctores, tot Apostolici viri & Episcopi, quorum opera & doctrina Carolus M. postea magnam Saxoniæ partem ad Christi cultum perduxit. Nam quod tum Fuldense monasterium ex altera Saxoniæ plaga spectabatur, in quo tum supra quadringenti Monachi alebantur, formabanturque ex disciplina Sturmionis Abbatis, id Ultrajectense collegium sacerdotum & canonicorum erat ad Rheni ostia, ex D. Gregorij cultura ad propagandum Christi Evangelium inter Barbaras gentes; præclaro simul documento ad posteros, quantum Religionis Christianæ præsidium sit in seminarijs cleri & juventutis; quam in rem Willebrordus, Bonifacius, alijque Apostolici viri unà cum Austrasiæ Ducibus & Francorum Regibus, primas semper curas & donationes intenderunt. Quanquam hoc loco magis recognoscendum, quales illi Apostolici viri, qui hactenus ex Anglia submissi fuerint: quod vitæ institutum secuti, Clericisque & Monachis præscripserint: quam religionem in Frisiam, Thuringiam, Hassiam & in has provincias importârint: ad quem Christi cultum ab Idolorum vanitate barbaras primum gentes perduxerint homines spiritu Dei evocati plerique. Enim vero, si eorum sanctissimorum virorum institutum vivendi, si virtutum exempla, si præscriptæ ab ijs leges, si doctrina & mores ex actis & libris expendantur, aut eos erasse atque ab uno Idololatriæ cultu ad alium traduxisse, aut hæreticos nostri sæculi delirare fateri necesse est. Quid enim refert, sive in sacrificio Missæ, quod sancti illi sacerdotes quotidie obtulêre, sive gentilium sacris & sacrificijs Deum Deosve colas, si utrumq; ut hæretici suos docent, Idololatriæ cultus est? aut quid interest sive Solem cum Persis, sive Deum cum Catholicis sub specie panis adores? cetera haud minus absurda & sacrilega erunt, si cum hæreticorum doctrina conferantur; sed hæc aliena ab instituto narrationis nostræ.

Subit

Subit nunc annus Christi 756. omni bello vacuus, quo Aistulphus Longobardorum Rex hactenus Romanæ Ecclesiæ & Pipino infestus in venatione equo excussus, & in arborem collisus intra paucos dies interijt, subrogato Desiderio ex Comite stabuli ejus, quem Carolus deinde M. Regno ejecit. Nec tamen ideo Pipinus Rex otiosus in palatio verno synodum conventumque Episcoporum ac Regni procerum habuit, quo inter cetera sancitum, ut quotannis bis synodus ageretur, semel Calendis Martijs, iterum mense Octobri; voluitque Rex ad eam convocari Archiepiscopos, Episcopos, Abbbates, & quos ex Presbyteris Metropolitani sibi adesse vellent. Id hoc loco memorare visum, ne cui insolens obveniat tot postea à Carolo M. synodos in Germania habitas, ad quas Episcopi convocati, primamque ante Duces, Comites ac proceres sedem habuêre, eò quod in his comitijs tam de Ecclesiæ disciplina, quàm publicis Regni negotijs bellisque pertractatum, legesque auctoritate Episcoporum, clero populoque præscriptæ sint. Id ut Pipinus à Francorum Regibus & majoribus suis, Pipino Austrasiæ Duce & Carolo Martello institutum acceperat, ita hac lege concilij sancitum voluit. Inde, ut reor, Vernæ Autumnalesque synodi post etiam firmatæ per Germaniam & Saxoniam inter Episcopos ad Cleri populique mores formandos.

An. Christi 756. *Ann. Franc. Astronom. Fredeg. Chron.*

Tom. 17. Conc. Paris. Sirmond. in notis ad Conc. Spondanus. licet iste ad annũ Christi 755. hic ad annũ 756 revocet. Baronius ad annum 776.

Saxonum interim proceres, dum Pipinus bello Italico Regnique negotijs distentus, procul ab Rheno abfuit, moliri rebellionem, armare populum, & rupto, quod recens pepigerant, fœdere, bellum hostiliter inferre. Quippe gens Idolorum cultu pertinax nulla se passa Sacramentorum religione contineri; spiritusque illi Germanici libertatis retinentissimi ægre ferebant Francorum dominatum, tributaque à se tanquam à victis servisque exigi. Hanc in rem primùm ingens militari opere vallum fossis præmunitum per regionis planitiem intra paludes duxerunt, ad quod castra contracta. Locus in annalibus Francorum à Canisio editis Suthman, à Reginone Sithina appellatur, eóque creditur Siten vicus designari, ad quem nobilium de Ketteler arx sita, hodiedum nomen servare volunt. Nec incongruè hæc relata, quando Franci plerumque ad Ostium Luppiæ Rhenum transgressi, Occidentalem Saxoniam intrârunt. Ibi ergo ubi olim Cæsia silva, impeditusque transitus, ducto inter Luppiam & paludes nemoraque vallo, Saxones sese ad ingressum objecerint. Per id tempus Pipinus Rex compendij, ex more, Conventum ordinum agebat, in quo Tassilo Bojorum Dux, unà cum primoribus fidem Regi filijsque juravit, interque Regni Francici Vasallos est receptus. Compertâ inter hæc Saxonum rebellione, Pipinus cum exercitu ad Rhenum movit; transmissoque fluvio recta ad hostium castra militem ducit. Cæsis post atrocem dimicationem valli propugnatoribus, superatoque vallo, castrum hostium intrat; tum

An. Christi 757. *Annal. Franc. Pith. & Fuld. Ann. Astrõ. Adelmus in ann. Franc. Ado in Chrõ. Regino in Chron. Sigebert. in Chron.*

Saxones per absentiam Pipini Regis rebellant.

Sithina locus in Westfalia, ubi Saxones se præmunierunt.

Pipinus Rex Rheno trãsito in Westfaliam digressus.

verò, ut Francorum annales memorant, magnâ Saxonum strage sævitum, & ut quemque sors ferro furorique obtulit, trucidatus à Francis: pauci per nemora & paludes elapsi fugâ. Inde victor Pipinus Westfaliam interiorem ingressus. Nec tamen ita debilitati tum Saxones, quin multis adhuc prælijs Pipino decertandum, multæque munitiones expugnandæ fuerint, antequam victos se submitterent. Ad ultimum fracti & perdomiti Saxones Pipini se arbitrio permisêre; repetitoque veteri Sacramento fidei, jussi præter consueta tributa c c c. equos in publico Francorum ordinum conventu dare. Id licet muneris honorisque causa imperatum, magis tamen ad gentis superbiam infringendam, & ad instrumenta belli rebellibus subtrahenda factum plerique opinantur. Postremum hoc Pipini cum Saxonibus bellum fuit, quo, ut posteriores Saxonum scriptores perhibent, Edelhardus Angariæ Dux, Iburgi & Osnabrugi toparcha, sauciatus haud multò post ex vulnere occubuit. Certius, hoc bello Hildegarium Colonienſem Archiepiscopum, ut supra relatum est, à Barbaris interemptum esse; quando ab alijs bellis ad hunc annum adhuc superstes refertur à Gelenio alijsque auctoribus, quamvis non desint, qui vitam ac necem ejus in annum LXXII. prorogent; quo tamen tempore nullum Pipino bellum cum Saxonibus fuisse reperias. Nam quæ ad hanc rem affertur vetus lapidis inscriptio, ex atrio Basilicæ D. Gereonis apud Gelenium, eò quod annum necis D C C LXII consignet, vel ipso Gelenio auctore multis erroribus est obnoxia; ac verosimilius habeo, Pipinum hac expeditione, qua tot munitiones Saxonum expugnavit, gentemque perdomuit, per Angariæ montes, ad ipsum denuo Visurgim arma protulisse.

Victis tributũ augetur ccc equis. *Henning. Reusnerus. Stangefol.*

Postremũ Pipini bellum contra Saxones.

Hildegari⁹ Colon. Arch. hoc bello interempt⁹ creditur.

Bellicis rebus per Saxoniam compositis, Pipinus Rex exercitum per Rheni flumen reduxit in Franciam. Quid verò tunc pro bono rei Christianæ actum sit in his Barbaris regionibus à Pipino, Regum Francorum integerrimo pijssimoque, nemo veterum scriptorum tradidit: refrenasse in præsens ferocem gentem satis habuit, ne vel per Frisiam, vel per Thuringiam Hassiamve Christianos & Evangelij præcones perturbaret; ut verò bello perdomaret, Christique jugo submitteret, nondum ejus consilijs agitatum reperio; seu quòd tantam molem belli refugeret, seu quòd Carolo filio relicturus esset hanc gloriam. Et jam belli Aquitanici fomites erant, brevi erupturi, Waifario Aquitaniæ Duce, haud secus quàm Aistulpho Longobardorum Rege, Ecclesiæ bona rapiente, vexanteque Episcopos; quorum querelis interturbatus, altero mox anno Waifario bellum intulit; quo exinde ad extremum vitæ annum implicatus est, distractæque sunt vires Franciæ, quo minus arma in Saxoniam perdomandam convertere liceret. Satius visum

An. Christi 758.

conser-

conservare Regnum Franciæ, quàm cum periculo ampliare, & Præ- An. Christi 759.
sules Regni sibi demereri, quàm novos Regni hostes provocare. Interim Saxonibus datum spatium restaurandi vires, & adversus Francos se præmuniendi; certum enim genti erat, potius extrema experiri, quàm vel Francicum dominatum, aut Christi religionem admittere. Ac licet jam tota cisRhenum Germania Francico Regno se submisisset, & hinc Frisia, istinc Hassia & Thuringia transRhenum Francicis armis tenerentur, ausa tamen Saxonum gens intra Rhenum & Visurgim, quam Westfaliam dicimus, à tam potenti Regno se insuperabilem ferre, quòd hactenus nec Romanorum, nec Francorum, nec ullius unquam populi armis victa esset.

Ob hanc gentis ferociam, qua superstitionem pari, qua libertatem, pertinacia propugnabat, nihil quoque de progressu religionis, aut Christianis rebus per hæc tempora memorabile, præter Marcellinum ex Apostolicis viris, à quo Frisones, Tuentij, Boructuarij, & vicini ad Isalam Saxoniæ populi Evangelij doctrina sunt illlustrati. Unus hic fuit ex denario Apostolicorum virorum numero, qui cum S. Willebrordo & Suiberto ex Anglia venerunt Trajectum. Primum illi Marchelmi nomen fuit, postea Marcellini, ut Willebrordo Clementis, Winfrido Bonifacij, fortè ob alium eo tempore Marchelmum, adolescentem, quem cum Marcuino puero Anglicæ gentis ex itinere Romano, quod cum Bonifacio habuit, D. Gregorius Ultrajectensis Antistes sibi discipulum adjunxit. Quantum verò temporis & laboris Marcellinus in Apostolico huc munere insumpserit, ipse denarrat in prologo ad Gregorium Antistitem, à quo rogatus erat, ut res gestas D. Suiberti conscriberet: *Sexaginta quinque*, inquit, *annis pro modulo meo indesinenter prædicationibus et conversionibus Paganorum insudavi: quinque ante Pontificatum Willebrordi et Suiberti, et quadraginta tam sub sancto Willebrordo, quàm sub sancto Suiberto, et decem et sex sub egregio Pontifice et Martyre S. Bonifacio prædecessore tuo, et quatuor sub te, qui me Daventriam et ad paganam gentem Transiselanam cum dilecto confratre et patriota meo Levino Presbytero misisti prædicaturum ipsis sanctum et terribile nomen Domini.* Sanè ut cetera ejus scripta de Suiberti rebus corrupta habentur, hic tamen prologus, unde hoc proferimus, integer censetur, satisque ostendit vitam S. Suiberti à se jam senio prægravem, esse conscriptam. At D. Ludgerus, qui mirus est in commendandis virtutibus Marcellini, longius producit vitæ, laborisque annos, compellatque *excellentem gentilium prædicatorem et egregium Presbyterum, prophetico etiam spiritu plenum, qui ultra septuaginta annos Evangelium Christi docendo, paganis et gentilibus præfuerit, ac magnam Frisiæ partem converterit*; cumque ob præfractas senio vires ex Frisia ad conventum Trajectensem revocaretur, multi per ejus absentiam circum Aldensaliam à Christo

An. Christi 760. Divi Marcellini obitus, res ab eo in munere Apostolico ad Isalam præclarè gestæ ac scriptæ. *S. Ludgerus l. de S. Bonif. & Gregorio. fol. 10.*

Ludgeri testimoniũ de B. Marcellino.

Christo ad Idolorum cultum relapsi sunt, ad quos in viam salutis reducendos rursum Aldensaliam missus est: ubi postquam aliquot annos senex Evangelij labores continuavit, defunctus est, miraculis etiam dum viveret clarus; inter quæ illud: Dum bini lepra infecti ad Trajecti portas signo crepitaculi à Marcellino stipem peterent, poculo, è quo prius ipse Marcellinus libârat, præbito epotoque ab infectis, continuo lepra utrique detersa est. Mortis annus incertus, quem tamen alij ad hunc annum 760. alij ad tertium inde referunt. Corpus Aldensaliâ Daventriam transvectum est, ubi honorifico tumulo in Principe æde conditus, cultusque inde inter Divos ritu publico, quoad Catholica religio illic libera fuit.

An. Christi 761. 762. *Ann. Traject. & Buchelio in notis ad Bekã.*

Magnis interim per id tempus incrementis Christi religio seminabatur per Frisiam, operâ ac sollicitudine D. Gregorij Antistitis, qui ab excessu Bonifacij supra viginti annos Episcopatum illum præclarè administravit. Ab eo ex seminario Ultrajectensi submittebantur quotannis subsidiarij sacerdotes ad incultas gentes erudiendas. Pari progressu res Christiana per Thuringiam & Hassiam ibat, Sturmionis Fuldensis Abbatis procuratione, quos viros D. Bonifacius fervoris virtutumque æmulos reliquerat. Quiescebantque adhuc Saxones recenti belli vulnere ac Francorum terrore perstricti. Pipinus verò Rex, quo propior esset continendis Barbaris, ex bello Aquitanico in Austrasiam redijt, celebremque optimatum conventum, & regalem synodum habuit in villa Duria, quæ post in Marcoduri oppidum excrevit. Pagus, sive regio, in qua villa hæc sita erat, Ripuarienſis designatur. Nec enim dum in urbibus, sed in campis comitia hæc agitabantur, veteri Germanorum Francorumque more, ut in annalibus suis consignavit Adelmus scriptor. Actum in ijs comitijs de Regni bono, & Austrasia firmanda, quod dum nullus præter Saxones hostis formidandus esset. At dum ad Duriam Rex agit, nunciatur Waifarium Aquitaniæ Ducem, ruptâ, quam per obsides etiam dederat fide, irruisse in Burgundiam. Nec segnior Pipinus, contracto exercitu, irrumpit in Aquitaniam, expugnatisque Waifarij oppidis & arcibus, omnia ferro flammaque vastat. Qua in expeditione Carolum filium sibi adesse voluit; & ille, quâ bellicâ erat indole, ductis agminibus patris gloriam inter prima militiæ rudimenta æmulari visus. Magnum ad hæc subjecerat calcar Paulus Pontifex, qui scriptis honorificè ad Carolum & Carolomannum literis utrumque cohortatus fuerat, ut proavi avique ac patris exemplo insisterent, atque arma pro Ecclesiæ defensione adversus hostes induerent; tanquam jam Pontifex auguraretur, quem in Carolo Ecclesia bellatorem, quod columen habitura esset. Inter hos prosperos belli Aquitanici succes-

B. Gregorius Bonifacij Successor in Ultrajectina sede, D. Ludgeri aliorumq; Sanctorũ virorum magister.

Synodus Pipini in Villa Duria.

Ann. Astronomi. Aimoin⁹ seu Adelmus. Ann. Camsan. Tom. 2. Fredeg. Chron. Regino in Chron. Tom. 17. Conc. Paris. Sirmond. in Concilijs.

Bellum Aquitanicum, quo Carolus Patri Pipino virtutem bellicam probavit.

Tom. 17. Concil. Paris.

sus,

sus, Thassilo Bavariæ Dux, juratusque Francorum cliens, simulato morbo se ab exercitu Pipini subduxit, Bavariamque ingressus, sollicitatis suorum animis, rebellionem moliri cœpit. Pipinus reducto in hiberna exercitu, multum sollicitus, multumque animo in duo bella, Bavaricum & Aquitanicum distractus, publicum Wormatiæ conventum indixit, quo consultatum actumque de utroque hoste supprimendo. Et Tassilo eò magis formidandus erat, ne Alemannos, ceterasque superioris Germaniæ gentes in societatem belli traheret. Admissi in his comitijs Carolus & Carolomannus filij in partem Regni, datis utrique comitatibus. Bellum interim dilatum; quievitque anno proximo Rex, seu ad hostium conatus explorandos, seu ad militiam instaurandam; quam in rem alterum Regni conventum Attiniaci habuit; militeque per Austrasiam in hiberna distributo, ipse Rex cum filijs atque aula Aquisgrani hyemavit, ubi & natalem Christi diem & Pascha solenni Christianorum ritu peregit. Prima hæc in annalibus Francorum memoria Aquisgrani, toties exinde à Carolo M. frequentati loci, ob calidas & medicas aquas toto Belgio Germaniaq; celebres. Utrumne tum primùm repertæ ad usum humani generis, an Carolo deinde Magno vis earum retecta exploratáque, obscurum reliquit vetustas. Regino Aquisvillam appellat, tanquam tum nondum locus excultus in oppidum fuerit, quod & à Monacho Sangallensi, à quo Caroli M. res conscriptæ sunt, explicatius assertum.

An. Christi 763 &c. Tassilo Bavariæ Dux rebellis Pipino. *Adelmus in ann. Concil. Paris. Annal. Astron. quos pro Fuldensibus supponunt, cum Pithœani & Fuldenses iidem sint. Regino in Chron. Vetus Chron. in codice Tillian. Ado Vienn.* Pipinus Wormatiæ. Conventum agit. Pipinus Aquisgrani in hibernis agit.

Post exactam hyemem Pipinus educto in campum exercitu in Aquitaniam movit, bellumque hoc postremum Regis in tertium annum extractum, dum expugnatis urbibus & munimentis, ceteri rebellium in deditionem venirent, & Remigstanum Rex ex patibulo suspendi juberet. Ad ultimum Waifarius Aquitaniæ Dux & rebellium caput aut à suis, ut Fredegarius perhibet, aut ab ipsis Francis interemptus, quo sublato, tota Aquitania & Vasconia post septimam demum expeditionem in potestatem Pipini Regis cessit. Vix dum bellum id confecerat Pipinus, cùm hydropi & febri etiam afflictari cœpit; quibus lentè confectus Turones primùm ad S. Martini sepulchrum se deportari voluit, ubi cùm Divi se Franciæ tutelaris patrocinio apud Deum piè commendasset, multumque in Ecclesiam, cœnobia & pauperes regiâ munificentiâ delargitus esset, unà cum Bertrada Regina, Carolo & Carolomanno filijs, Parisios ad cœnobium S. Dionysij Martyris est delatus. Istic quia suprema sibi imminere vidit sapientissimus Rex, Regni proceres, Duces & Comites, Episcopos & sacerdotes convocat, quorum consensu & suffragijs Regnum Franciæ inter binos filios divisit: Carolo natu majori Neustria, Carolomanno trans Rhenum Austrasia est data. Quanquam in annalibus Francorum à Canisio prolatis,

Ann. Astronom. Tom. 1. antiq. apud Canisium pag. 418. An. Christi 766. & 767. & 768. Pipinus in Aquitaniam movet, quòd postremũ ejus bellũ fuit. Pipinus æger Turones ad S. Martini sepulchrũ deferri se voluit. Pipinus

Regnum dividit in duos filios Carolum & Carolomannum.

latis, Carolo Austrasiæ Regnum, Carolomanno verò Regnum Burgundiæ, provincia Alesana & Alemannia ex Pipini voluntate cesserit. Subinde Parisijs VIII. Calendas Octobris extremum diem obijt, anno vitæ quinquagesimo quarto, regni decimo septimo, Rex pietate & belli gloria inter duos Carolos, patrem & filium, magnus, patre major, introducto in familiam regio nomine, filio minor, à quo Imperatoria dignitas Francorum Regno & paternæ stirpi est addita. Hoc ipso anno, quo Pipinus excessit, consignant mortem Wernikini Angariæ Ducis scriptores nostri, & hunc patrem Widikindi Ducis fuisse accepimus, ut profitetur epigraphe Mausoleo Widikindi circumscripta. Patri successit filius. Ita duo simul bellorum æmuli Carolus & Widikindus uterq; cognomento Magnus, imperium adierunt.

Ann. Astrō. Ann. Fuld. Ann. Pith. Ado in Chron. Petavius.

Pipini Regis mors.

LIBER

LIBER VII.

SAXONIÆ & WESTFALIÆ CHRISTIANÆ.

PErscripsimus hactenus quæ bella gesserint Francorum Reges cum Saxonum gente; nunc à Pipino Rege ad Carolum M. à patre ad filium, Saxoniæ domitorem, progredimur: simul quæ aurora Christianæ religionis hactenus suborta fuit, ea nunc pleno Solis lumine infusa memorabitur. Quo in genere non extra metam superioris narrationis imus: eadem regio intra Rhenum & Visurgim intraque Albis flumen proposita; in qua primùm Sicambri, Bructeri, Angrivarij, Cheruſci, Catti, Marsi, Chamavi, aliæque gentes depugnârunt cum Romanis. Hæ deinde, postquam in unum Francicum nomen tanquam in commune libertatis signum belliq; hortamentum convenerunt, hanc eandem regionem, quæ veteris & TransRhenanæ Germaniæ pars erat, veterem Franciam scriptoribus compellandam reliquerunt; donec superato Rheni limite, debellatáque citeriori Germaniâ & Belgicâ utraq;, novam adeò Franciam in viscеribus Galliæ conderent. Succesſêre in Francorum locum Saxones, abolitoque veteri Franciæ nomine, Saxoniam dixêre; seu quòd in deserta à Francis loca, subactaque à se magnam partem immigrârint: seu quòd in unam belli societatem, ut certiùs reputo, cum Saxonibus Transalbianis harum regionum populi adversus Francos coaluerint; ne aut libertatis pristinæ facerent jacturam, aut Christianam religionem, quam Franci jam à Clodovæo Rege susceperant, cogerentur admittere, si in Francorum potestatem, Regnive Francici jura transirent. Gens enim à primordijs suis tam libertatis quàm avitæ superstitionis retinentissima extremis semper viribus obnixa est, ne in ullius unquam servitutem veniret, ideo invicta hactenus stetit; nisi quòd à Francis subinde ad tributi pensitationem adacta fuerit. Neque ultra Francorum Regibus in illa Regni sui amplitudine & dominatu

minatu adversus Saxones imperium proferre licuit; donec tandem Carolus fractos victosq; imperio Francico & Christianæ religioni submitteret: Ut jam valeat illud Claudiani præ Stilicone in Carolo:

Ullane posteritas credet? Germania quondam
Illa ferox populis, quæ vix instantibus olim,
Principibus tota poterat cum mole teneri,
Jam sese victam Caroli *prosternit ad arma.*

Nimirum hoc unus ille Regum clarissimus demum confecit bellum, in quo tot Romanorum Imperatores & Francorum Reges ab Augusto Cæsare supra septingentos annos frustra desudârunt, antequam vel hanc unam regionem in provinciæ formam redigerent; quod Carolus se fecisse gloriatur in diplomate Episcoporum, ut vel inde cognomentum Magni meruisse videri possit. Tum verò Saxonia primùm in Westfaliam & Ostfaliam divisa, ut post referam, & qui Saxones antè, pòst Westfali & Ostfali appellari cœperunt.

Eginar. in vita Caroli. Bellum Saxonicũ ceteris Caroli bellis prolixius & atrocius.

Sed nec Carolo levis & incruentus hic labor fuit; Bello enim hoc Saxonico, *quod per triginta tres annos majori Saxonum quàm Francorum damno gessit*, Eginardi judicio, *nullum aut prolixius aut atrocius, Francorumque populo laboriosius susceptum est: Saxones quippe sicut omnes fere Germaniam incolentes Nationes, et natura feroces, et cultui dæmonum dediti,* Christianam Religionem aspernabantur, *neque divina neque humana jura vel polluere vel transgredi inhonestum arbitrabantur.* Poterat *quidem id bellum,* ut idem auctor monuit, *citius confici,* si aut gentis perfidia, aut indomita hactenus ferocia id pati voluisset; *incredibile enim quoties superati ac supplices Regi se submiserint, imperata se facturos polliciti sint, obsides, qui imperabantur, dederint, et legatos, qui mittebantur susceperint:* Sœpius per Sacramentum Baptismi in Christi fidem recepti, iterumq; ad cultum Idolorum relapsi, sœpius ita domiti, ut jurati spoponderint, omnes se ad Christi sacra transituros. Pòst, ubi reducto per Rhenum exercitu, nova se rebellionis capita spe pristinæ libertatis ostentârunt, illico conjurati omnes ad arma resilierunt. Obtruncati uno die carnificis manu ad Alleram fluvium quatuor rebellium millia, & quingenti: transportata ab utraque Albis ripa supra decem captivorum millia, dispersique per Germaniam & Gallias cum uxoribus & liberis: introducti Episcopi & sacerdotes, qui verà in Deum religione imbuerent, mitigarentque feroces animos Christi doctrinâ, provocatos præmijs, honoribus, spe majoris etiam libertatis quàm sibi polliceri possent: nullum genus clementiæ & severitatis intermissum: tentata omnia, humana & divina: cæsi singulis prope annis: vastata ferro flammâque provincia, truncataque omnibus prope membris suis; nec tamen destitit reparatis viribus, tam suis quàm alienis, pugnare, modò Danos, modò Sclavos aliasque vicinas

vicinas gentes implorando, quarum auxiliaribus copijs adjuta redijt mox ad rebellionis ingenium. Interim quanta gentis erat pertinacia, inquit Eginardus, *tanta Regis erat magnanimitas, tam perpetua in adversis et prosperis constantia mentis, qui nihil eorum, quæ tam præfractè perpetrabant Saxones, impunè unquam ferre passus est, quin aut per se ducto exercitu, aut per Comites suos missò perfidiam ulciscereturr.* Tandem Widekindus cœlesti luce perfusus arma posuit, Christique legem amplexus Saxones suo exemplo, magnoq; rei momento, ad Carolum & Christi religionem pertraxit; ut Saxonia divina magis ope, quàm humanis armis victa Christo se submiserit, ac Christi legem abjecto dæmonum cultu per submissos Apostolicos viros & Christianos sacerdotes susceperit, tanto exinde ferventior, quanto superstitionis antè tenacior fuerat.

Divina providentia in conversione Saxoniæ.

Quo in opere res alia divinæ providentiæ plena mihi prætermittenda non est; nam quemadmodum Saxones ex his ipsis regionibus orti transvectique classe bellica per mare, Regnum olim Britanniæ occupavêre, acerbissimi primùm Christianorum hostes; pòst, ubi Christianam religionem inter Britannos didicêre, ipsis exinde Britannis cultu religionis multò ferventiores conspecti sunt, ad stuporem omnium, qui tam barbarum ferocemque populum tam repentè in alios quasi homines è cœlo lapsos commutatum viderunt; uti hæc à Beda fido ejus rei scriptore sunt consignata. Ex hac deinde transmarina Saxonum gente Willebrordus, Suibertus, Bonifacius, alijque innumeri Apostolici viri & sacerdotes, uti supra docuimus, transvecti per mare primam Evangelij doctrinam in has Frisiæ & Saxoniæ regiones per nativæ linguæ commercia intulêre, in quibus majores illorum vitæ lumen hauserant. Ad hunc quoque modum Franci, quos à primâ sui origine, primáque Francorum societate belli, hæc ipsa inter Rhenum & Visurgim regio produxit, postquam exuta gentis barbarie Christi religionem in Gallijs amplexi sunt, nulla ex Germanis gens fuit, quæ in proferenda Christi religione, in defensione Romanæ Ecclesiæ, in honorandis extollendisque Episcopis & sacerdotibus, in dotandis collegijs ac cœnobijs, atque omni cultu pietatis cum Francis exæquari possit. Hi demum reflexis per Rhenum armis religionem unà cum imperio Francico in natale majorum suorum solum invexêre; pari quidem quo transmarini Saxones usi ad hoc commercio linguæ, sed consilio ac beneficio longè salubriore, ijs, à quibus majores vitalem spiritum acceperant, verum Dei cultum, ex quo vera mortalium constat vita, postliminio reddiderunt. Id cùm tot Regum Francorum bellis sœpe pertentatum sit, tum demum à Carolo M. perfectum est; quem ob id etiam prisci scriptores nostri armatum Saxoniæ Apostolum dixêre. Neque queri fas est Westfalis de servitute colonis suis imposita, quod Carolo multi attri-

buunt, cùm à fœdâ illos dæmonum servitute in libertatem Christiani nominis asseruerit. Sed priusquam hæc omnia suo ordine prosequamur in Carolo, operæ pretium erit ipsam Saxoniam qualis tum reperta divisaq; fuerit, & quæ Westfalici nominis origo, & qui Westfaliæ limites sint, paucis exponere.

Saxoniæ divisio in tres populos.

Saxonia omnis, quæ eâ potissimum tempestate inter Rhenum, Visurgim & Albim claudebatur, in tres populos divisa fuit, Westfalos, Angarios, & Ostfalos. Hanc gentis partitionem, & hoc Westfalorum & Ostfalorum nomen nobis primùm tradiderunt annales Francorum, dum Caroli tempora & bella describunt: tum Caroli M. leges, quas Capitularia vocant, anno Christi DCCXCVII, Aquisgrani in conventu Episcoporum, Abbatum & Regni procerum præscriptæ, quas Ferdinandus Princeps Paderbornensis è Vaticanâ bibliothecâ produxit in lucem. In harum exordio memorantur convenisse Aquisgrani congregati Saxones ex diversis pagis tam de Westfalahis & Angarijs, quàm & de Oestfalahis. Ad hunc modum antiqua Saxonum lex Ostfalaos, Angrarios & Westfalaos memorat. Atque has leges sœpe latas aut renovatas, postquam jam Christiani esse cœperant, satis ex eo liquet, quòd festi Paschatis dies, Pentecostes, Natalis Domini, sanctæ Mariæ virginis, S. Joannis Baptistæ, Petri Apostoli, ac D. Martini jam inter eos colerentur, Ecclesiæque Christianorum referantur; ut vel inde Westfaliæ & Ostfaliæ nomen non multum supra Caroli ætatem proferri possit. Ad hæc Widekindus Corbeiensis, alijque pariter in hosce tres populos Saxoniam dividunt. Sed Widekindo vetustior Anonymus poëta, quem alij Corbeiensem, alij Paderbornensem censent. Scripsit is Arnulpho Cæsare res à Carolo M. gestas, impolitis quidem scabrisque, sed candidis versibus, quas hac in re non pigebit ob antiquitatis memoriam audire:

Lex Sax. tit. 7. de dote.

Lex Sax. tit 7. tit. 8. tit. 18.

Hos generalis habet populos divisio nomen,
Insignita quibus Saxonia floruit olim.
Nomine nunc remanet, virtus antiqua recessit.
Denique Westfalos vocitant in parte manentes
Occiduâ, quorum non longè terminus amne
A Rheno distat: Regionem Solis ad ortum
Inhabitant Osterlingi, quos nomine quidam
Ostfalos alio vocitant, confinia quorum
Infestant conjuncta suis gens perfida Sclavi.
Inter prædictos mediâ regione morantur
Angarij populus Saxonum tertius: Horum
Patria Francorum terris sociatur ab Austro,
Oceanoque eadem conjungitur ex Aquilone.

Versus hi utcunque impoliti, non tamen alius facilè nobis explicatius singulorum populorum limites descripsit; Angariorum cumprimis,

mis, quos uti medios collocat inter Westfalos & Ostfalos, ita à meridie Hassis conjungit, quòd Caroli ætate Hassia & Thuringia Francorum imperio comprehenderentur; Ab Aquilone verò ad Oceanum protendit, quòd toto illo Visurgis tractu per Comitatum Hojanum, Diepholdianum & Oldenburgicum ad mare usque se diffuderint. Ac mihi quidem Angariorum sedem reputanti, totus ille montium Teutonicorum tractus, quantus est, Angariorum fuisse videtur; id verò, quod utrimq; in planitiem extenditur, ad Occidentem, Westfalorum, ad Orientem trans Visurgim, Ostfalorum fuisse; ut vel ipsum nomen ex veteri Teutonum sermone commonstrat; Felt enim planitiem regionis notat: perinde ut Grabfeldij, Westerwaldij, aliaque ejusmodi populorum nomina vel à loci situ, vel silvis montibusque nata: vel à plagâ cœli, ut Ostrogothi & Westrogothi, Austrij & Neustrij, alijque nuncupati sunt: ita qui prius Westveldij & Ostveldij, post Westfali & Ostfali partim à plagâ cœli, partim à situ locorum, regionumque nomen traxêre. Ac Westfalos, Ostfalosque à planitie camporum nomen inditum habere, vel inde certum reputes, quòd annales Francorum in Saxonia Transalbina Osterfali & Westerfali, diversas à nostra Ostfalia & Westfalia, regiones ita compellent ad fines Danorum: illud anno Christi DCCCVIII, hoc verò nomen anno Christi DCCCXIII leges. Ad hunc modum Paulus Warnefridus de gestis Longobardorum, & ex eo Aimoinus. *Egressi* inquit, *Longobardi de Rugiland, habitaverunt in campis patentibus, qui sermone barbarico Feldt appellantur.* Quo mihi nunc errare videntur, qui Westfalorum nomen vel à Wandalis Wallijsque, vel Vestâ Deâ apud priscos Saxones culta, aut à palis terminisve regionum, vel à pullo equino, quem Valen dicimus, tanquam à gentis insigni deducunt. Postremum Crantzius censuit, & passim hæc opinio magnoplausu recepta est, cùm tamen nullum ejusmodi opinationis vel auctorem ex priscis, vel certum ex antiquitate vestigium proferant. Nec enim quicquam constat, utrumne prisci Saxones ante Carolum M. in scuto gentili pullum equinum gesserint, qui primum nigro colore notatus fuerit, post susceptam verò Christi religionem in Album mutatus sit, cùm eorum insignium usus posterioribus demum sæculis invaluerit: nec ipsi Cæsares olim nisi certis tantùm notis, quæ nomen referrent, symbolum suum expresserint. Et quæ præter Westfalos gens nomen ab insigni prætulit? aut quod deinde Ostfalorum Angariorumve insigne fuit? Nam quæ tria Nymphæ folia Angarijs tribuuntur, ea postquam in Ducatum Angaria versa est, adhæsere. Neq; hic quicquam diversi Westfalici nominis scriptio juvat, quando cum multis scribas licet, sentias verò cum paucis: Vulgi proinde commenta reputes, quæ Crantzius adduxit. Illa præterea moventur à multis, quo tempore cœperit Westfaliæ Ostfaliæve nomen; quo tamen haud

Origo nominis Westfaliæ & Ostfaliæ.

Paul. Warnef. l. 1, c. 20. *Aimoin. l. 2. c. 13.*

Westuali. *Westphali.* *Westfali.* *Westvalahi.*

Quo tempore cœperit Westfaliæ nomen.

haud minus falluntur,qui dudum ante Caroli M. tempora ea nomina cum Fabritio introducunt, quàm qui tam incongruas nominum origines nobis obtruserunt. Mihi ipsa nomina VVestfaliæ & Ostfaliæ invaluisse videntur tum,cùm ipsa regio in tres populos divisa est, quod cum ætate Caroli M. factum esse diximus. Haud altius hæc nomina repeti possunt; neque enim ullum ex priscis auctoribus reperio, qui ante Caroli M. ævum hæc usurpârit: id observabit, qui Francorum annales nobiscum decurret. Neque tum quidem apud omnes constanter hoc usus obtinuit, quòd D. Ludgerus scribatur in Occidentali Saxonum parte constitutus pastor & Episcopus, in pago Sudergoe,in loco cui nomen Mimigernefort,nulla VVestfaliæ mentione ab Othelgrimo vel Altfrido facta. Unde VVestfaliæ nomen, quod in Marcellini libro de rebus gestis D. Suiberti legitur,posteriori manu adscriptum videri potest. Angariæ nomen constanti sæculorum usu etiamnum manet à priscis Angrivarijs, uti Tacitus alijq; auctores tradidêre. Iidem Angarij, & pòst etiam Angari & Angri dicti. Hinc in antiquis literarum monumentis pagus Angariæ vocatur regio illa,in quâ post Comitatus Arnsbergæ emersit; & in vitâ D. Brunonis Susatum appellatur Angariorum Metropolis; multaq; ejusmodi loca passim diplomatis Cæsarum consignantur in Teutonicis montibus,quantum per Surlandiam etiam & subjectam planitiem se porrigunt, uti id ex monumentis Paderbornensibus constare potest. Quocirca opinor Angarorum provinciam ex illo montium Teutonicorum tractu per comitatum Lippiensem, Diœcesin Paderbornensem & Surlandiam ad ipsam Rheni ripam porrigi. Sanè nominis hujus professio ad nostram ætatem usque nullibi constantior,quam apud Surlandos; creditur; totus ille Angariæ Ducatus Caroli M.liberalitate Widikindo ejusq; posteris cessisse. Quamvis vicus Engers haud procul Hervordiâ in hoc montium jugo, ubi Widikindi mausolæum hodiedum conspicitur, & Angariæ nominis,& principatus vestigia satis exhibeat.

Vita D. Ludgeri apud Brovverum c. 17 & 22. Altfridus in vita D. Ludgeri. c. 4.

Westfaliæ limites.

Jam certos limites Westfaliæ designare in tantâ dissentientium multitudine haud minus operosum. Qui presè circumscribunt Westfaliam, ut à ceteris duobus populis eorum Respublica divisa fuit,hinc ab Isala ad Luppiam & Ruram amnes, inde ab Angrivariorum finibus ad Rhenum ferè porrigunt; nam ipsam Rheni ripam semper attigisse non omnibus probatur, eò quòd Boructuarij trans Luppiam incoluerint superiorem Rheni ripam D. Suiberti ævo, & poëta vetus supra relatus memorat, haud procul à Rheno eorum limites abfuisse; perinde si ipsam Rheni ripam nondum contigerint, quàm Franci tum suis munimentis locisque tenuerunt, nunquam à Saxonibus plenè occupatam; quanquam & Boructuarij à Saxonibus aut victi, aut ultro in unam cum VVestfalis Rempublicam

cam coaluerint. Sed cùm plerique Angariam VVestfaliæ includant, ab Ortu Visurgim, ab Occasu Rhenum, à Meridie Hassiæ montes, à Septentrione Isalam & Frisiam limites statuunt. Ita quicquid nunc populorum intra illos continetur, antiquitus VVestfaliæ accensum reputatur. Neque certi quicquam hîc consignari potest, cùm limites modò restricti sint, modò ampliati, uti bellorum fortuna & temporum ratio hos sœpius immutârunt; haud secus quàm Angariæ & VVestfaliæ Ducatus à toto corpore postea avulsus est, & ab alijs diversis limitibus discretus perhibetur. Ceterum in ipsa VVestfalia antiquam Saxoniam requirendam esse docuêre nos supra Beda, Bonifacius, Marcellinus, & post eos Crantzius, alijque innumeri scriptores, quorum in hoc una consensio est; id tamen ita accipi volunt, ut antiquissima Saxonia & prima Saxonum origo ad Cimbricam Chersonesum monstretur à Ptolemæo & priscis auctoribus: post illam Littoralis, quæ inter Albis & Amisiæ ostia est, inde prolato imperio Saxones Mediterraneam fecêre, qua Ostfali, Angrivarij & VVestfali continentur; cumque ex postremis hisce populis simulque Frisijs transmarini Saxones orti sint, qui Britanniam jam anno Christi 449. sui juris facere cœperunt, haud immeritò VVestfalia ex his antiqua Saxonia appellatur. Nam quæ nunc Electoralis Saxonia dicitur, serò tandem id nomen obtinuit cum prolato Saxonum imperio. Illa verò Saxonia, quam Carolus debellandam suscepit, Mediterranea fuit, in tres bellicosissimos populos, VVestfalos, Angarios & Ostfalos divisa. Et quia singuli in suam Rempublicam divisi fuerunt, suos quoque singuli belliduces habuere à se delectos: VVestfali VVidekindum, Ostfali Hessonem, Angrivarij Brunonem; quem Regino introducit, atque alij etiam VVidekindi fratrem censent. Quartus Albio à Poëta Anonymo additur, quem & Crantzius Albionem vocat, cui in Transalbina regione, quæ nunc Holsatia est, militiæ præfectura commissa fuit. Urgente bello una omnium conspiratio, unaque armorum societas, quòd Rempublicam instar Regni haberent; ita enim Beda, certus eorum temporum scriptor. *Antiqui Saxones regem non habent, sed Satrapas plurimos, suæ genti præpositos, qui ingruente belli articulo mittunt æqualiter sortes, et quemcunque sors ostenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur, et huic obtemperant: peracto autem bello, rursum æqualis potentiæ omnes fiunt Satrapæ.* Perinde ut de his ipsis tribus Saxonum populis VVidekindus Corbeiensis scriptor retulit. Imo Tacitus de antiquis hisce Germanis (nisi quòd hic Reges illis attribuat) *Reges*, inquit, *ex nobilitate, Duces ex virtute sumunt, si prompti, si conspicui, ante aciem agant, admiratione præsint: Eliguntur in ijsdem conciliis et principes, qui jura per pagos vicosque reddunt.* Hæc Romanus scriptor de priscis Germanis. At vetus Poëta, perinde ut Beda, nullos Reges agnoscit in Saxonum gente:

Westfalia antiquæ Saxoniæ regio.

Chytræus in prolog. Reineccius in Anon. poët.

Beda l. 1. c. 15.

Forma Reipublicæ.

Beda lib. 5. c. 11.

De moribus German.

Quæ

Quæ nec Rege fuit saltem sociata sub uno,
Sed varijs divisa modis plebs omnis habebat.
Quot pagos, tot pene Duces; velut unius artus
Corporis in diversa forent hinc inde revulsi.

Nith. l. 4. Hist. Ordines Reipub. Quæ tamen facilè componas, si quos reges dixit Tacitus, temporaneos belliduces ex regum imperio æstimes. Omnis præterea Saxonum gens, ut Nithardus Caroli M. nepos scribit, in tres ordines divisa; *sunt enim inter illos qui Edhilingi, sunt qui Frilingi, sunt qui Lazzi illorum lingua dicuntur; latina verò lingua hoc sunt, Nobiles, Ingenuiles, atque Serviles.* Hi ab Adamo etiam Bremensi, alijsque, ordines divisi. Horum primus Adelingi seu Ethelheri, gentis nobiles, ex quibus reges, duces ac principes sumebantur. Alter ordo, Frilingi, seu ingenui ac liberi, jure suo vivebant civium instar, nullius servitio obnoxij, subinde tamen plebis nomine comprehensi: his Comites addebantur pagorum moderatores. Tertius post illos ordo Frilazzi, liberti videlicet ac manumissi, permissique agros suos colere, sed onere plerumq; annuæ pensitationis inhærente. Quartus demum ordo, Lassi, Servi, Liti, in mancipiorum prope modum, quibusque frumenti modum, pecoris, & vestis injungebat Dominus, ut colonis suis. Quanquam Liti & Littones & Lidi, quorum frequens mentio in diplomatis Cæsarum, regum ac principum, sit aliud quoddam à servili genere hominum, minusq; quàm hi servituti obnoxij. Nihil jam attinet de politiâ Saxonum, militiâ, religione, ac Dijs, quos coluêre: nihil de vitijs ac virtutibus: nihil de cultu corporis ac ceteris moribus referre; quæ singula, quia cumprisci Germanis habuêre communia, satisq; à Tacito & innumeris nostrâ ætate scriptoribus sunt pertractata, hîc facilè supersedeo. Hæc tantummodo generatim præmonere consultum habui.

Nunc ubi rerum gestarum narrationem cum Pipino reliqui, cum Carolo resumam; quæ eò magis à nobis ut propria & domestica exposcitur, quòd exordia belli Saxonici intrâ fines diœcesis nostræ, expugnato Eresburgo castello, Carolus M. fecerit, & Paderbornam exinde præ ceteris Saxoniæ locis nobilitârit. Hîc enim Carolus ad Luppiæ & Paderæ fontes tertium populi conventum synodumq; habuit: hîc innumeros Saxones aquâ Baptismatis ablui voluit: hîc toties legatos aliarum nationum audivit: hîc castra tanquam in sede belli sæpius quàm vel Drusus, vel Tiberius, vel Germanicus Cæsar posuit: hîc Leonem Romanum Pontificem excepit; ipsam demum Paderbornam, ut annales Francorum memorant, quinquies frequentavit. Ne quid de Eresburgo, Brunsbergâ, Desenbergâ, Boca, Ludâ, Dethmoldiâ, Heristallo, Campo Sintfeldiæ, locis intra hanc diœcesin à Carolo M. expugnatis, vel castris hibernisque, vel prælijs & accessu nobilitatis referam. Adeo quantum omnia Saxoniæ loca, tantum vel una sibi Paderborna ex Caroli præsentia rebusque gestis vendicat, singula exinde tempori memorabuntur.

Paderborna maximè memorabilis locus ex bellis Caroli M.

Annus,

Annus, ut diximus, Christiano nomini agebatur sexagesimus octavus supra septingentesimum, quo post excessum Pipini Regis patrisque Carolus Magnus & Carolomannus frater, divisum inter se patris Regnum adiêre. Carolus Novioduni, Carolomannus Suessione solenni ritu inaugurati Reges; ac Carolus quidem eo statim anno Aquisgranum profectus Natalem Christi istic celebrem habuit, magno simul procerum concursu. Pascha deinde Rothomagi peractum. Primus hinc Regni Caroli M. annus ducitur statim à morte Pipini patris, quo uterque fratrum regnum adijt; quem tamen alij à proximo inaugurationis anno numerant. Inde illa numerandi diversitas, quam in ipsis etiam Caroli diplomatis observare licet. Quod hîc præmonere visum est, ne quis ex recitatis infra Caroli diplomatis nobis error adscribatur.

An. Christi 768. Regni Francici Caroli M. I. *Adelmus in ann. Astron. in ann.*

Primum statim Carolo bellum movit Aquitania, tanquam ex patris cineribus, qui provinciam illam à se subactam partamque Carolo ultro dederat. Et Aquitani novi Regis ac juvenis ætatem aspernantes, facile passi sunt se ab Hunoldo nobilissimo ejus gentis viro concitari, quem mox Ducem suum consalutavere. In superiori Aquitania Lupus paris nobilitatis per rebellionem populi Vasconiæ Dux acceptus. Ad quam injuriam vindicandam Carolus celeritate opus censuit, fratremque Carolomannum belli socium, & opem ejus implorat; at ille pravo aulicorum consilio in diversa raptus auxilium negat. Non his fractus Carolus, etsi juvenis adhuc, quem plerique nondum vigesimum sextum ætatis annum egressum perhibent, cùm Regnum & belli molem susciperet. Sed ille, ubi per ætatem licuit, adolescentiam in militia egerat, & dudum bella gesserat, ac mirificè sibi animos militum robore corporis, vigore mentis, & militari laude conciliârat. Igitur delectu habito Aquitaniam intrat, urbes benignè se tradentes recipit; & quòd ab injurijs prohiberet Carolus militem, ceteri se Carolo pronius dederunt; nimirum rebelles animos subinde citius clementia, quàm vires pacant. Hunoldus, cùm se desertum videret, ad Lupum Vasconiæ Ducem profugit. Insequitur Carolus, missâque ad Vasconem legatione, Hunoldum sibi tradi poscit, ni omnem belli causam & cladem in se verti velit. Quibus Vasconum Dux perterritus Hunoldum cum uxore in manus Caroli tradit, atque ipse simul in verba Caroli jurare jussus. Pacatâ Aquitaniâ Carolus victor in Austrasiam acceleravit, primumque Theonis villæ substitit aliquamdiu. Inde propius ad Rhenum digressus, Natalem Christi Duriæ, Pascha Leodij ad D. Lambertum, solenni Christianorum ritu habuit; nam ejusmodi loca Carolus deligere solitus, ut per quietem pietati primùm vacaret, ac se, militemque cum Deo, à quo omnis bellorum felicitas, componeret: Ut vel ideo Francorum annalium scriptores hæc celebritatis loca tam diligenter consignasse videantur.

An. Christi 769. *Reg. Francici 2. Ann. Frãc. Pithœani & Fuldens. Adelmus. Astronom. Engolism.* Aquitanicum Caroli M. bellum.

Carolus Natalem Christi Duriæ, Pascha Leodij celebrat. *Adelmus in ann. Astron. in ann. Engolism. in vitâ Caroli Regino in Chron.*

An. Christi 770. Regni Franc. 3. *Ann. Frãc. Astron. Engolism. in vita Caroli M. Regino in Chron. Chron. D. Arnulphi. Tom. 17. Conc. Paris.*

Annus jam 770. processerat, quo Carolus M. celebrem procerum conventum habuit Wormatiæ ad Rhenum. Synodum vocat vetus scriptor in Chronico D. Arnulphi, & colloquium alij: Acta licet interciderint, nec quisquam prodiderit, quinam Germaniæ Episcopi interfuerint; pronum tamen est asserere, ijs comitijs agitatum de Saxonum insolentiâ reprimendâ, qui post excessum Pipini Regis fines Francorum incursavere, turbatis Christianorum sacris, tam ad Isalam, quàm per Hassiam & Thuringiam. Nam per id tempus Saxones Daventriam vastârunt; subversisque, quæ à Lebuino structæ erant, Ecclesijs, locum iteratâ irruptione in solitudinem redegerunt. Vel inde post obitum Gregorij Præsulis, missus est ab Albrico Episcopo D. Ludgerus anno 776. Daventriam ad ruinas instaurandas. Nihil frequentius Saxonum genti, quàm à morte Francorum Regum rebellare, aut infestare Francorum regiones; sublatoq; Pipino crevit audacia Saxonum, juventutem Caroli & Carolomanni aspernantiũ. Nec tamen Carolus post Wormatiensem hunc conventum arma Saxonibus adhuc intulit. Inter hæc Bertrada Regina, ac Regum mater, profecta in Italiam; haud alio magis consilio, quàm ut alteram Desiderij Longobardorum Regis filiam Carolo in uxorem adduceret, quæ jam alteram Carolomanno filio dederat; quod licet mater impensè ageret, ut honori filiorum & concordiæ Regum consuleret: ut tamen mulierum consilia præcocia magis sunt quàm sana, vehementer improbavit tam Stephan⁹, quàm postea Adrian⁹ Pontifex, gnari quantum detrimenti inde Ecclesia passura esset, quod ejus Regis filiæ traherentur in matrimonium Francorum Regum, qui haud minus quàm ceteri Longobardorum Reges Ecclesiam Romanam vexarent ac diripe-rent. At Carolus seu matris reverentia, seu ejus importunitate victus eam ad se adductã admisit in thorum. Quæ dum per matrem aguntur, Carolus hoc anno permansit in Germania, intentus ad Saxonum motus; celebremque pro more Natalem Christi diem transegit Moguntiæ prope natalem quoque suum locum. Pascha habuit in villa Heristalli, haud procul Leodio ad Mosæ ripam. Hoc illud Heristallum Austrasiæ, diversum à Saxonico Heristallo nostræ Diœcesis ad Visurgim, quod haud minus nobilitatum Caroli M. castris & præsentiâ, quàm alterum, de quo in tempore nobis memorandum. Carolus Heristallo digressus ad Scaldim, synodum Episcoporum egit in Valentianâ villa. Quid in eâ constitutum, nemo docuit posteros. Hic interim ille est annus insequens, quo Carolus Bertam Longobardorum Regis filiam repudiatam abdicavit thoro, & ad patrem cum ignominia remisit. Quod Caroli factum varijs hominum judicijs exceptum, multorumque reprehensioni obnoxium fuit; cùm palam ductam in uxorem constaret, laterentque causæ repudij; adeoq; res offensioni publicæ fuit, ut Adelardus Caroli consobrinus ex aulâ pòst

Wormatiæ conventus, in quo primùm Carolus egit de bello Saxonico ob Saxonum injurias. *Vita S. Ludgeri.*

Longobardorũ Regis filia per matrem Carolo in matrimonium pacta, improbante Pontifice. Carolus Moguntiæ Christi Natalẽ celebrat, Pascha Heristalli.

An. Christi 771. Regni Franc. 4.

Longobardorũ filia à Carolo repudiata.

la pòst Corbeiam ad monasticam vitam secesserit, facti hujus, ut de se fassus, impatientiâ. Nec tamen justæ Carolo defuerint causæ, collatæque cum Episcopis & sapientioribus viris, cur vinculum illud dissolveret; neque Stephanus Pontifex quicquam super hac re questus, neq; Adrian⁹, cùm Hildegardem duceret, quicquam obmovit. Non probassent factum Pontifices, si quid contra Ecclesiæ Canones admissum fuisset; & Carolus repudij causas occultas manere voluerit, ne augeretur infamia. Quin Sangallensis scriptor eas prodidit, asseritque Clinicam fuisse, & mortis obnoxiam, qui procreationem prolis non ferrent. Quamobrem qui Adelardi res gestas scripsit, & Carolum Adulterum pronunciat, intemperantis ingenij & judicij auctor videri potest. Rectius illi, qui conjugium cum Longobardorum filiâ Pontificum judicio jam antè præ damnatum memorant, quàm Hildegardi jungeretur. Hanc triennio demum pòst sibi thoro sociavit ex nobilissima Suevorum familiâ, Reginam quam unicè dilexit, ex quâ præter quinque filias quatuor post suscepit filios, Carolum, Pipinum, Ludowicum, cognomento Pium, & Lotharium, qui duo postremi uno partu editi. Et jam antè ex Himiltrude nobili puella alium, Pipinum nomine, filium genuerat, uti Paulus Warnefridus hæc recenset, aliquantum dispar ab Eginardo, qui tres tantummodo Carolo filios, & totidem filias ex Hildegarde susceptas refert, præter alias proles, vel ex Fastrada vel alijs susceptas: sed de his explicatè Bollandus in Carolo, alijque scriptores.

Hildegardis ducta in matrimoniũ à Carolo gente Sueva.

Paul⁹ Warnefridus in Chron. Metens. Episc. Eginardus in vita Caroli. Bollando in vita Caroli.

Aliquanto pòst idem annus Carolo novum felicitatis aditum aperuit, excessu Carolomanni fratris ex vita mortalium. Quo pridie Nonas Decembris extincto, universum Franciæ Regnum, eâ quâ pater complexus fuerat potentiâ & potestatis amplitudine, ad unum Carolum Monarcham recidit. Simul cum morte fratris multa dissidiorum semina extincta. Nec enim deerant ipso vivente in aula proceres (ut hæc aulæ pestis toties Regnum Franciæ convulsit) qui utrumque fratrem odijs & ambitione colliderent. At Deus, qui Carolum ad res magnas & ad ipsam Saxoniam domandam parabat, hæc intestina mala prævertit, ne bellantem cum exteris barbaris interturbarent. Et Carolus, ut ex integro Regnum capesceret, post synodum ad Valentianam, deinde ad Corbonariam villam secessit, ibique celebrem Regni conventum denuo convocavit, in quo uno omnium ordinum consensu, & incredibili lætitia, totius Regni Francici Monarcha salutatus est. Convenêre eò quoque Willa pedunensium Episcopus, Fulradus Abbas, alijque Episcopi & sacerdotes, qui Carolomanno hactenus hæserant, interque eos Warinus & Adalardus Comites, & consanguinei Caroli, quos benigne excepit Carolus, etsi animo à se aversos sciret, ob repudiatam conjugem: uterque post Monachus in Corbeia Galliæ, ex qua Adalardus hic primus tradu-

Ann. Frãc. Carolomannus frater moritur, & Monarchia ad unum Carolum devolvitur.

ctæ Corbeiæ novæ ad Visurgim auctor conditorque, & Warinus primus Corbeiæ novæ Abbas impositus. Postquam Carolomanni uxor Carolum omnibus votis sublatum vidit in thronum, & spem paternæ hereditatis acciſam, cum duobus filijs, & parte optimatum, ad Thassilonem Bavariæ Ducem, cui soror quoque Desiderij Longobardorum Regis filia denupta erat, deinde in Italiam ad patrem Longobardorum Regem profugit, non sine Caroli M. offensione, metuque, ne mulier novis querimonijs turbas daret. Sed eò opportunius Carolus totum sibi Austrasiæ Regnum vendicavit. Et res poscebat, ne Alemanni, ne Bavari, ne Hassi, ne Thuringi ceterique sublato Carolomanno Rege suo, Francicum imperium exuerent, unamque cum Saxonibus, quos rebellio rursum in arma conciverat, societatem belli conflarent; eò & Carolus bellum Saxonicum acceleravit; celebratisque Attiniaci Natalitijs Christi in Austrasiam descendit ad Mosam, ac Pascha denuo solemne peregit in Heristallo apud Leodienses.

Carolus Pascha celebrat Herestalli.

An. Christi 772. Regni Franc. 5. Belli Saxon. 1.

Tandem annus Christi 772 lætis auspicijs illuxit, quo & cœptatum primum à Carolo bellum Saxonicum; & Adrianus simul Pontifex nono Februarij delectus est in locum Stephani, vir & claritudine generis (quippe Theodoro consule Romano ac Duce genitus) & vitæ innocentiâ, ac religione sanctimoniaque vitæ, ac sapientia inter omnes Romanos Pontifices fulgentissimus; quem Carolus primum belli Longobardici, deinde Saxonici hortatorem habuit, uniceque per 23. annos, quibus exinde Pontificatum gessit, haud secus quam fratrem semper dilexit, veneratusque est ut patrem. His Ecclesiæ moderatoribus à Deo provisis, ut ad res magnas & memorabiles rerum mutationes Deus magna ingenia excitare solet, magnitudine rerum gestarum Germania & Europa est impleta. Igitur cùm jam universum Franciæ Regnum adijsset Carolus, sublatoque Carolomanno fratre omnis Regni æmulatio extincta simul esset, nec ullis externis internisque hostibus quateretur Monarchiæ pax, Deus generosam Caroli mentem erexit ad Saxonicum bellum. Quam in rem alterum Wormatiæ non tam conventum procerum, quàm Episcoporum synodum indixit, loco ad Rhenum omnibus Austrasiæ ordinibus opportuno. Acta ejus synodi licet interciderint, bellum tamen Saxonicum, quæ palmaria convocandi causa fuit, uti ex annalibus Francorum facilè constare potest, omnium ordinum consensione decretum, & ingentibus mox à Carolo animis susceptum est; idque tam justum, quàm necessarium decrevêre ordines, ne quis aut gloriæ stimulis, aut proferendi regni cupiditate, aut ambitione (quales plerumque bellorum causæ sunt inter reges) à Carolo gestum sibi persuaserit. Ejus rei Eginardum certum habemus testem: *Suberant et causæ*, inquit ille, *quæ quotidie pacem conturbare poterant, termini videlicet*

Conventus Wormatiæ, in quo de bello Saxonico seriò actum.

Eginardus. Adelmo seu Aimoini continuator Ann. Franc. Astron. Ann. Pith. seu Fuldens. Vita Caroli per Engolis. Ado in Chron. Poëta Anonymus. Reg. & alij. Chron. Arnulphi. Tom. 18. Conc. Paris.

licet Francorum, et illorum penè ubique in plano contigui, præter pauca loca, in quibus vel silvæ majores, vel montium juga interjecta, utrorumque agros certo limite disterminant: in quibus cædes, et rapinæ et incendia vicissim fieri non cessabant. Quibus adeò Franci sunt irritati, ut non jam vicissitudinem reddere, sed apertum contra eos bellum suscipere dignum judicarent. Hac mente scripsit auctor vitæ Ludovici Pij Cæsaris de Carolo, eum bella primùm suscepisse, *ut iis, qui à paganis oppressi erant, opem ferret, atque ipsos paganos ad veritatis cognitionem deduceret,* Facilè nunc ceteras belli causas omiserim, quæ vel ab Anonymo Poëta nostro Paderbornensi, vel ab alijs in hanc rem adferuntur: recusasse videlicet Saxones ab excessu Pipini Regis ac patris tributa pendere, fœdus & omne Francorum imperium aspernando: limites præterea transgressos, intra Francorum provincias sacras Christianorum ædes disjecisse, cœtusque populi, & sacerdotes disturbasse. Quæ etsi Pipinus Pater, ceterique Austrasiæ Principes sœpe essent ulti, sœpe tamen etiam alijs bellis impediti dissimulaverant Carolus, quâ erat magnitudine animi, haud ultra perferendam censuit, unam hanc gentem toties perfidam tam impune insultare Francorum nomini, & Christianorum Ecclesijs. Et tamen reperias hac ætate demum cum hæreticorum scriptoribus (quos inter Reineccius, alijque complures) qui Carolum injustitiæ incusent, quòd Christi religionem, quæ omnibus libera esse debet, per arma Saxonibus obtruserit. Falluntur hi qui tantam Carolo impingunt calumniam; neque Carolus ulli per vim baptismi lavacrum, aut credendi necessitatem imposuit: Ultro id fecêre Saxones, tametsi perfidè multi resilierint. Ideo in tot annos bellum tantâ clementiâ prorogatum, & relapsi toties in fidem & gratiam recepti. Si divinas literas, & ex his Theologorum placita legissent, qui ita criminantur Carolum, didicissent Christum dedisse potestatem ubique terrarum docendi Evangelium Apostolicis viris, quos si qui injuriosius tractent, fas esse Christianis Principibus, ulcisci injurias, & libertatem, quam Deus dedit suis legatis, asserere: tum eos, qui legem Christi libere susceperunt, tanquam inserta jam in corpus Christi membra tueri. Quocirca quod glorioſum Caroli opus fuit, id non nisi malevolorum obtrectationibus proscinditur. Deum hodiedum non nossent Saxones, nisi per Caroli arma & Catholicos sacerdotes Evangelij lumen importatum fuisset. Tantum interim multorum est virus odiumque, ut mallent gentilem Saxoniam ex veteri Deorum cultu, quàm vel unquam Romanam ac Catholicam religionem suscepisse; quæ tamen Hadriano & Leone Pontifice primùm illata, & Hadriano demum Pontifice in hæresim est conversa; quemadmodum id ipse Hadrianus Pontifex, natione Belga, in præclara sua epistola Saxonum Duci exprobrat.

Justæ belli causæ.

Obtrectatores Caroli ex belli causa.

At Carolus, ut eò me referam, post Wormatiensem Synodum & Epis-

Carolus Saxoniã ingressus Sacerdotes, & Abbates magno secũ numero ducit.

& Episcoporum hortamenta, militem ex hibernis contraxit, ac postquam Sturmionem Abbatem Fuldensem ex disciplina D. Bonifacij, virum religionis studio proferendæ ferventem ac sanctum, in concilium evocasset cum instructissimo exercitu superiorem Rheni ripam transgressus per Weteraviam & Hassiam in Saxoniam movit; quam in rem præter eum, qui Coloniæ erat, etiam Moguntiæ pontem Rheno, ut quibusdam placet, imposuit. Quâ in expeditione suâ, ut Ægil præsens eorum temporum scriptor, ac deinde Fuldensium Abbas, inter res gestas D. Sturmionis Abbatis sui memorat: *Carolus post publicas preces, sumptis secum universis sacerdotibus, Abbatibus, Presbyteris, omnibusque orthodoxis ac fidei cultoribus* iter ingressus est, ut gentem, quæ dæmonum cultu obligata vivebat, Christi lege imbueret. Magni tum nominis Sturmio Fuldensis Abbas, & Carolo per omnem vitam carus: quem exinde sæpius secum duxit in Saxoniam, primumque doctorem erudiendis barbaris imposuit. Et Carolus, seu ut efferæ Saxonum genti terrorem injiceret, seu ut priores Saxonum injurias in Christianos exercitas vindicaret, ad primum Saxoniæ ingressum omnia quàm latè circum ferro flammaque depopulatus est. Auctor est Crantzius, Carolum transmisso Rheno castra ad Luppiam posuisse, inde Osnabrugum moto exercitu prœlio decertasse cum Saxonibus ad Faginam silvam, Saxones ad repentinam Caroli irruptionem secessêrunt intra montium & munimentorum receptacula, ac cum nullus se hostium offerret, Carolus Eresburgum castrum, ubi Saxonum fines Hassis jungebantur, obsedit & cœpit, *Idolumque, quod Irminsul à Saxonibus vocabatur, evertit. In cujus destructione cùm in eodem loco per triduum moraretur, contigit ut propter continuam cœli serenitatem exsiccatis omnibus illius loci rivis ac fontibus, aqua ad bibendum inveniri non posset. Sed ne diutius siti confectus laboraret exercitus, divinitus factum creditur, ut quadam die cùm juxta morem tempore meridiano cuncti quiescerent, prope montem, qui castris erat contiguus, tanta vis aquarum in concavitate cujusdam torrentis eruperit, ut exercitui cuncto sufficeret.* Hæc Eginhardus in Annalibus. Ceteri Francorum scriptores Carolum istic in demoliendo fano per triduum substitisse addunt, & quæ divinitus eruperat, tam diu aquam fluxisse, dum fanum solo æquatum jaceret. Id licet prisci hi Francorum auctores memorabili ad posteritatem adscribant miraculo; multos tamen nostrâ ætate dubitatio subit, quâ penuriâ aquarum exercitus istic laborare potuerit, ubi sub ipsum Eresburgense castrum montemque Dimola fluvius subterlabitur, aliusque rivus infra castrum ex montium venis deductus miscetur. Sed uti ego intelligo à nonnullis, etiam nostrâ ætate, tanta sæpe siccitas istic per æstatem comperta, quæ alveum omni prope fluxu destituat, ut supervacaneo commento quidam tradant aquas omnes à Saxonibus veneno infectas fuisse. At castra hæc in

Sturmio Abbas Comes Caroli.

Saxon. *Crantzius lib. 2. c. 9.*

Carolus Eresburgum expugnat.

Miraculũ quo Fons sitienti militi divinitus apertus.

Adelmus, Aimoinus, Annal. Astron. Ann. Pith. & Fuldens. Engolism. in vitâ Caroli. Poëta Anonym. Ado in Chron. Regino in Chron.

circum-

circumpositis montibus posita malim dicere, ubi militi adaquatio difficilis fuit, siccitasque pressit. Quam in rem monstratur hodiedum ab incolis haud procul à castro fons in montis jugo, quem regalem inde appellatum volunt. Locus præterea, in quo Carolus consederit ad miraculi aspectum attonitus. Tamen si Engolismensem, qui accuratè satis ex priscis res Caroli conscripsit, si annales Canisianos & Reginonem audire libeat, qui expugnato castro Carolum cum exercitu perveniss̀e ad fanum memoranr, fanique locum procul à castro ponunt, multò facilius etiam miraculi locus invenietur. Quippe haud procul Eresburgo Campus Sintfeldicus, nullis aut fontibus, aut fluvijs, aut rivis per æstatem perfusus; multaque deinde in montium vicinorum jugis, quà Paderbornam itur, reperias loca, in quibus omnes fontes ac rivi absorbentur, & per abditas terræ venas meatusque recepti ex Paderæ & Luppiæ fontibus ingenti vi aquarum redduntur. Ideoque per æstatem non aliæ istic aquæ, quàm quæ aut cœlo infunduntur, aut ab incolis ex remotis amnibus advehuntur. Horum aliquo in loco, quod multis placuit, si fanum collocare placeat, ad quod exercitus se Eresburgo moverit, nullius magis rei quàm aquarum indigentia Carolo esse potuit, quam Deus hoc ipso cœlesti beneficio supplêrit. Hæreticus quidam scriptor, ut miraculi beneficium elevet, Carolum cum exercitu ad fontem resonum deducit. Mirus ille fons quidem ac celebris tot scriptoribus prope Oldenbecam, quem constat certis per diem horis eructasse tantâ aquarum copiâ, ut mox rivum duxerit & molam versârit. Sed non ultra naturæ spectaculum hæc fuere; Francorum verò annales cœleste prodigium memorant supra naturæ vires patratum. Et res ipsa satis refellit hæreticum scriptorem. Nam fons Caroli militi apertus ad sitim, triduum tantummodo fluxit, fons autem resonus, rivusque ejus perpetuis ad nostram ætatem aquis manare non destitit; donec bello Suecico Hassi diœcesin ingressi omnia sacra turbarent, ad quorum adventum fons primùm in veteri suo fluxu, quem cum ingenti strepitu per certa horarum intervalla habuit, turbatus est, indeque ut ceteri fontes continuo fluxu manare cœpit; perinde si prodigia divina explodentibus, ne ipsa quidem natura sua miracula fuerit dignata ostendere amplius.

Reineccius in Poët. Anon.

Eresburgum inde primum Caroli trophæum in Saxonia in edito abruptoque circum montis vertice ad Dimolam sublabentem hodiedum aspicitur, nisi quâ parte ad Meridiem per submissum leniter clivum accessus patet: in ipso montis jugo planities oppidi capax, quod subinde quingentis civium ædibus cultum fuit. Istic aut Franci olim pro gentis more castrum adversus Romanos, aut Saxones verius adversus Francorum ex Hassia incursus struxêre; uti in plerisque Westfaliæ montibus Saxonum castra & arces monstrantur;

Eresburgum quo loco sit, & quibus nominib⁹ appellatum.

tur; cujusmodi in Diœcesi Paderbornensi Driburgum, Desenberga, Armeniburgum. Expugnato Eresburgo, Carolus ad Visurgim movit cum exercitu; quo Adonis error retegitur, qui Eresburgum ad Visurgim collocat, ut quidam volunt. Haud levius ceteri exerrârunt, dum vel ad Luppiæ fontes, vel ad Ruram investigant, aut Hertzfeldensem arcem in Ducatu Westfaliæ, aut Fürstenbergam in diœcesi Paderbornensi, ipsumque Driburgum conjectant. Pideriti⁹ ad Ambram haud procul Luda Herminiburgum contendit. Sed illud Arminij castrum fuit, de quo relatum à nobis inter Arminij res gestas. At nihil receptius apud omnes, nihil certius, quàm Eresburgum ad Dimolam requirendum, quod exinde variato nomine Heresburgum, mons Martis, Marsbergum & Mersbergum, ac postremum Statberga appellatum; quem vocis usum hodiedum obtinet. Extant Wiboldi Corbeiensis Abbatis tabulæ, anno MCLV, tum consulum civiumque literæ anno MCCXIX consignatæ, quibus Eresburgum & Heresburgum adhuc ævo illo compellatum. Inde Crantzius modò Eresburgum, modò Martis montem, modò Mersbergum scribit; ipseque Dithmarus scriptor refert Tanckmarum Ottonis Imp. fratrem ab exercitu ejusdem Imperatoris in Mersburg obsessum, captaque urbe juvenem profugisse in Ecclesiam D. Petri, ubi prius ab antiquis Irmenseul colebatur, ac dum per fenestram elabi tentaret, hastâ confossum. Inde mirari subit, reperiri etiam auctores qui Eresburgum ad Salam statuunt. Urbs quidem istic Mersburgum ejusdem nominis, in quâ ipse Dithmarus Mersbergensis Episcopus sedem habuit; sed illa in Thuringia; Eresburgum verò, quod Mersburgum postea dixêre, in Saxonia est, ubi omnes Francorum annales reponunt, eóque loci, ubi Carolus M. primam totius Saxoniæ Ecclesiam condidit, quam Leo deinde Pontifex ejus nominis tertius D. Petro consecravit (quemadmodum ex ejus diplomate docebimus) inductiq; primùm ordinis D. Benedicti Monachi à Carolo M. Locus pòst à Ludovico Pio Imp. Corbeiensibus donatus, Abbatiolæ titulo; quanquam ab his Imperatoribus intra diœcesis Paderbornensis limites & jurisdictionem sacram comprehensus, submissusque exinde vicino Episcopo Paderbornensi, haud secus quàm Corbejensium. Sed de his tempore memorandum. Eresburgum à primâ hac expugnatione receptum à Saxonibus, iterumque expugnatum à Carolo, frequentatumque inter omnia bella. Hîc castra sœpius circumposita, hîc hiberna habuit Carolus cum Fastrada Regina, hîc cum ea Pascha celebravit, hîc non modò prima belli, sed & Christianæ religionis sedem fixit, & quod ad omnem posteritatem cumprimis est memorabile, pedem prolati Imperij Francici Carolus posuit. Sanè ex quo Claudius Imp. præsidia legionesque transRhenum revocavit, & hanc provinciam deseruit, nullus exinde Romanorum Cæsarum, nullus Franco-

Eresburgum prima sedes belli & Christianæ religionis in Saxonia à Carolo posita.

Francorum Regum post tot bella importatosque exercitus in his unquam intra Rhenum & Visurgim provincijs militari præsidio urbem castrumque tenuit, aut regni pedem firmare ausus est. Primum id Caroli bellicum opus fuit; quodque Romanis Alisonis castello ad domandam gentem, id feliciori eventu Carolo Castrum Eresburgense, celeberrimum gentis fanum, fuit adjectum, Tanfanæ olim templo haud ignobilius; sive id in vicino aliquo reperias loco, sive in ipso castro, quod verisimilius reputo, constiterit. Et quæ gentis Saxonicæ præ cæteris erat superstitio, templum illud magnitudine ingens, structura operosum, splendore magnificum, divitijs inclytum fuit. Sanè ex auro argentoque, quod à Carolo inde ablatum, aut militi in prædam cessit, opulentum fuisse tradunt Francorum annales: marmoreis præterea columnis innixum stetisse memorant alij. Quin gentis cujusque sua in hoc æmulatio; utque Marsis Tanfanæ templum, ita Angrivarijs hoc fanum fuit celeberrimum cultu accessuque vicinorum. Hîc certi per annum publicique sacrorum conventus in lucis nemoribusque, ut tum consuêrant: hîc sacrificuli, qui solenni gentis ritu sacrificia peragerent: hîc dona auri argentique oblata: hîc bella suscepta, juratæque Dijs: hîc auspicia sortesque observata: hîc humanis, cumprimisque captivorum hostijs, litatum à bello, monstrataque postea sunt ab incolis hujus lanienæ loca, in quibus acervi ossium & cadaverum reperti. Sanè quàm sacrilegis nefandisque Dæmonum ritibus Saxones coluerint Deos, satis produnt Caroli leges, quibus gentis superstitio damnatur; ut vel inde Carolus ex fundamentis subverterit hoc fanum, & post subactam Westfaliam omnia ejusmodi delubra & simulacra per Westfaliam submoverit ex oculis, ne quagenti toties relapsæ vestigia pristinæ superstitionis relinquerentur. Ac nescio an præter grande sacrificij saxum, quod haud procul Osnabrugo ruptum conspicitur in luco, ulla hujus sacrilegæ superstitionis monumenta in Westfalia reperias. Nam quæ per Embslandiam atque eas regiones monstrantur immania saxa, ea aut sepulcra heroum fuêre, aut aræ sacrificiorum gentilicorum; relictaque sunt, cùm jam Christi Religio ab his nullum periculum subiret.

Fanum Eresburgi Saxonib⁹ celebre.

Fano Eresburgensi celebre non minus Idolum astitit, gentis superstitione cultum, tanta nominis varietate traditum, quot penè scriptores habuit. Plerique Irmenseul dixerunt; ita enim in annalibus Francorum simulacrum illud appellatur. Engolismensis Ermensuel, Ado Adurmensuel, Adamus Bremensis Irmindsuel, Sigebertus & Regino Hermensuel, Chronicon vetus Saxoniæ Armensuel scripserunt; quæ postrema nominis similitudo multis persuasit Arminij simulacrum; tanquam is heros à suis inter Deos receptus cultusque istic fuerit. Sunt qui Martis simulacrum, sunt qui Hermetis seu Mercurij

Idolū Irmensuel. Ejus Varia appellatio.

curij esse volunt, quòd hosce Deos vox Irmin designet. Pleriq; publicum ac commune gentis Idolum censent; hoc enim rursus nomine illo Teutonico Irmin, quasi Iedermans süel, significari opinantur.

Quis Deꝰ in idolo cultus.

Quâ in re præter conjecturas nihil certi, nec quis Deus ille fuerit, cujus simulacrum columnæ impositum stetit, satis exploratum. Prisci harum regionum Germani, ut Tacitus perhibet, Deorum maximè Mercurium, Herculem & Martem coluêre. Seligamus ex his Martem, qui Græcis est ἄρης, & ab hoc Eresburgi primum nomen, deinde à Latino nomine montem Martis trahamus, dicamusque Germanos Deorum suorum nomina ab ijs accepisse, à quibus Deos acceperunt. Effigies culti Dei, vir toto corpore armatus, dextera militare signum gessit, sinistra libram, pectori ursus, clypeo ex humeris dependenti Leo insculptus. Serò hæc Crantius tradidit; ante hunc alius quatuor Deorum effigies, Martis, Mercurij, Herculis & Apollinis in hoc ipso simulacro expressas retulit: Adeo ipsi scriptores dissentiunt. Nec in columna quidem consensio, quam Adamus Bremensis ingentem Ligni truncum sub dio erectum fuisse asserit, ceteri ex marmore tradunt, & hanc esse volunt, quæ everso fano comminutoq; simulacro ad Visurgim est devecta defossaq;. Pòst ubi à Ludovico Pio Corbeiensis Cœnobij fundamenta jacerentur, eadē columna humo rursum eruta, & Hildesium est transportata, ubi etiamnum ante chorum Basilicæ conspicitur, alta pedes undecim, punicei coloris, in expolito marmore: huic à Christianis postea effigies virginis Matris est imposita, cultu longè veriori, ut quæ caput stygij serpentis protrivit, hæc veterum inanium Deorum superstitionem calcaret.

Forma idoli.

Roleving. antiq. Sax. part. 2.

Multi apud nos scriptores, à quibus Eresburgum fanumque hoc cum simulacro suo est illustratum, interque hos Meibomius erudito antiquitatis scripto pleraque est complexus. Sed à nullo hactenus nobilitatum magis Eresburgum castrum, quàm à Ferdinando Principe & Paderbornensium Episcopo. Is cùm hîc primum Caroli trophæum ex devicta Saxonum gente ac superstitione in sua diœcesi secum recoleret, dedit hoc Caroli honori & memoriæ, interque Carolina monumenta apud nos celebria Eresburgum doctâ non minus quàm nitidâ & tersâ carminis inscriptione commentarioq; illustravit; ac ne posteris utriusque laudes subtraham, carmen cedro dignum hîc, ut in alijs præstiti, interpono, in ceteris ad commentarium, ne justo prolixior sim, remitto.

ERESBURGUM
AD. DIMOLAM
MEMORIÆ. SACRUM
HOSPES. ERESBURGI. PRÆRUPTAM. CONSPICIS. URBEM
ANTIQVA. CELEBREM. RELLIGIONE. LOCUM
MARTIS

MARTIS. IBI. QVONDAM. SIMULACRO. NOBILE. FANUM
SAXONIÆ. COLUMEN. PRÆSIDIUMQVE. FUIT
QVOD. LEO. VASTATUM. CAROLI. VICTRICIBUS. ARMIS
SACRAVIT. VERO. RESTITUITQVE. DEO
MANSIT. ET. HOC. NOSTRÆ. GENTI. DUM. BARBARUS. HOSTIS
AUGUSTUM. NOSTRO. TEMPORE. VERTIT. OPUS
NONNE. GIGANTEOS. MERUIT. RENOVARE. TRIUMPHOS
QVÆ. MANUS. IN. SUPEROS. HOC. FUIT. AUSA. NEFAS

FERDINANDVS

DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA
EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR
MONASTERIENSIS. S.R.I. PRINCEPS. COMES
PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO
DE. FURSTENBERG.

ERESBURGI. IN. DIOECESI. PADERBORNENSI
FIRMISSIMI. OLIM. SAXONUM. PROPUGNACULI. NEC
MAGIS. FRANCORUM. ARMIS. ET. IRMINSULÆ. EXCIDIO
QVAM. EIUS. LOCO. A. CAROLO. M. EXSTRUCTI. A. LEONE
III. P. M. DEDICATI. BELLO. AUTEM. SVECICO. FUNDITUS
EVERSI. TEMPLI. RELIGIONE. CELEBRIS
MEMORIÆ. M. H. P.

Capto Eresburgo, ut ad cœptam narrationem hæc revocemus, Carolus præsidium militare castro imposuit; prolatoque ex Hassiæ finibus primùm imperio Francico, id intra Saxoniam firmare cœpit. Inde ad Visurgim, ut diximus, cum exercitu movit, & ut quidam sentiunt, eò loci consedit, ubi postea Heristallum Saxoniæ celebre esse cœpit, & Dimola se Visurgi prono alveo miscet. Quoquo tandem loco Carolus, sanè ut in Francorum annalibus traditur, primo statim belli anno, primum ad Visurgis ripas Saxonum conventum habuit, in quo pertractatum de pace & libertate Christianæ religionis, quod adductis tot secum sacerdotibus ferventius etiam quam vel Carolus Martellus avus, vel Pipinus Rex pater conficiendum sumpserat. Et jam hac expeditione magnâ pars Saxoniæ, ut post referem, Christianæ religioni armisq; asserta erat. Saxones multa pro more gentis polliciti, multaq; etiâ sanctè jurârunt, ad quæ præstanda XII. obsides dederunt Carolo, quos è Saxoniâ egressus secum duxit in Franciam Orientalem; interq; hos duo præclari exprima nobilitate juvenes Hathumarus & Baduradus memorantur hac certè aut proximâ aliquâ expeditione traducti, quos D. Burchardo Wirtzenb. Episcopo Christiana religione formandos tradidit, ubi ob egregiam

Carolus Eresburgo Castra ad Visurgim promovet. *Letznerus. Engolis. in vita Caroli. Ann. Astrō*

Carolus ad Visurgim conventum Saxonum habet, & XII. obsides accipit.

Vita S. Burchardi. Chr. Wirtzeburg. Gobelinus.

indolem progressumque in literis ac moribus adsciti in clerum; ex quo uterque pòst primi Paderbornensium delecti Episcopi, doctrina & sanctimonia vitæ clari, popularibus suis verum religionis lumen præclaro obsidum commercio retulêre. Idem consequentibus annis factitatum, obsidesque nobilium juvenes etiam per Galliam dispersi, edoctique Christianam legem; è quorum numero Flodoardus quindecim Saxonicæ nationis juvenes Wulfario Rhemensium Archiepiscopo in disciplinam datos perhibet; interque hos Ebbo Rhemensis & Hildesiensis Episcopus ab eo memoratur.

Flodoard. l. 2. c. 18.

An. Christi 773. Regni Franc. 6. Belli Sax. 2.

Carolus reducto ad Rhenum distributoque per hiberna milite, festos Natalium Christi & Paschatis dies Heristalli ad Mosam apud Eburones exegit; ubi & Ecclesiæ Trevirensis donationes jurâque publico diplomate sanxit, hoc ipso regni anno sexto. Post ea pietatis meditamenta ad Theonis villam concessit, resumptis belli regnique curis, quæ mox accumulatæ adventu legati Adriani Pontificis, opem Caroli Francorumque sollicitantis adversus Desiderium Longobardorum Regem. Nullis ille monitis & legationibus flexus cessabat vexare Pontificem & Romanam Ecclesiam, fraudibus, spoliis, omnique injuriarum genere Tyranni in modum infestus. Id bellum quia Carolo non minus quàm Patri arduum objecêre Regni proceres, æstas consultando & legationibus ultro citroque missis consumpta est, dum in Octobri tandem cum copijs in Italiam moveret. Exercitum in Burgundia convenire jussit, habitoque belli consilio in duas partes divisit. Alterum Bernardo patruo, quem alij avunculum censent, per Jovis montem ducendum dedit: cum altero Carolus ipse per Cinisium montem subsecutus. Haud levis Carolo labor objectus ad claustra Alpium à Longobardis insessa. Adstitit tamen miro beneficio Deus Francis, ac nescio quo panico terrore refugi Longobardi, liberum Francis transitum dedêre. Inde Carolus junctis copijs Ticinum regiæ urbis sedem, in quam se ex fuga receperat Desiderius Rex, obsidere cœpit; eâ in oppugnatione quod difficilis admodum esset, hyems consumpta est.

Vita Caroli. Astron. An. Ann. Pith. & Fuld. Canisiani. Ado Vien. Regino. Poeta Anonym. Sigonius. Eginardus.

Carolus rogatu Pontificis consultat de bello Italico.

In Autumno movet cum exercitu in Italiam.

An. Christi 774. Regni Franc. 7. Longobard. 1. Belli Saxon. 3.

Carolus relicto ad urbis obsidionem exercitu, pietatis & observantiæ causa Romam profectus, honorificentissimè excipitur ab Adriano Pontifice, præmissâ etiam Scholæ Romanæ juventute cum clero obviam, quæ ramis palmarum venientem exciperet. Multa istic inter Carolum & Adrianum magno Ecclesiæ Romanæ & Saxoniæ bono sunt pertractata; quemadmodum hæc magnificè à Romanis scriptoribus memorantur; interque cetera, cùm Adrianus Pontifex solenne Missæ sacrificium festo Resurrectionis die ac consequentibus inde ferijs præsente Carolo perageret in Basilica D. Petri,

Carolus ex obsidione Ticini Romã proficiscitur.

Vita Adriani tom. 18. concil. Paris. Anastas. Biblioth. in Adrian. Baron. ad hunc ann. Sigon. & alij. Adrianj ipse Epist. ad Constant. & Iren. Acta Romæ inter Pontificem & Carolum.

tri, Carolus regias donationum tabulas, quas ante Carolus Martellus avus ac Pipinus Rex Pater Ecclesiæ consignârant, ipse à se confirmatas auctasque ad altare D. Petri accedens obtulit. Tum & inter regalia Romanæ Ecclesiæ dona Carolus pro cœpti belli Saxonici successu vovit, primum in Saxonia Episcopatum se erecturum Osnabrugi, uti auctor nobis est Luitprandus, non ille Ticinensis, sed alius, ut verius reputes, qui compendio Pontificum vitas dedit. Verba ejus, quoniam interest, recito: *Carolus M. Francorum Rex, cùm quinto regni sui anno veniisset Romam, inter cetera quæ ab ipso magnificè sunt gesta, etiam partem aliquam Saxoniæ in provincia Westfaliæ, quàm ad fidem Christianitatis convertit, ut ipse jam prædictus Papa præcepit et docuit, secunda feria Paschæ in Basilica S. Petri Apostoli inter cætera, quæ ad manum Papæ offerebat, Deo in sacrificium obtulit, et in loco Osnebrugge vocato Episcopatum constituere, et decimas noviter ad fidem conversorum, si sanus et incolumis remearet, Papa ita dictante et privilegijs confirmante, dotare devovit.* Carolus partem Saxoniæ offert ad altare S. Petri.

Quæ ut vera reputo scriptoris fide, ita argumento sunt Carolum hac expeditione longius intrasse Westfaliam, atque locum explorasse in quo primum Osnabrugensem Episcopatum conderet, ut rectè Crantzius censuit, neque cetera sunt aliena ab ijs quæ Carolus in suo diplomate profitetur, hanc primam omnium esse Ecclesiam in Saxonia, quam in honorem S. Petri Principis Apostolorum construxerit. Ac tum verisimilitet pignora illa sacra Martyrum Crispini & Crispiniani à Pontifice donata acceperit, quorum simul honori Basilicam dedicari voluerit. Quibus satis cognitum multa inter Carolum & Pontificem de Saxonia ad Christi fidem traducenda, pro insigni utriusque in Deum religione pertractata, cujus exinde perpetuus hortator fuit Adrianus. Expertus tum Carolus ex Longobardorum rapacitate quàm ægre se tuerentur Pontifices & Episcopi, nisi aut potentiori defensorum manu, aut jurisdictione etiam civili donati præmunirentur. Vel eò tot per Italiam possessiones urbium & bonorum, Corsicam insulam, Exarchatum Ravennam, provincias Venetiarum & Histriam, omnem Ducatum Spoletanum & Beneventanum, uti hæc antiquitus possederant, suâ auctoritate rata esse voluit. Nec jam mirum videri debet Carolum devictâ Saxoniâ Episcopos tantâ potestate & munificentia bonorum exornasse. Ac mihi etiam facilè persuadeo, quod alij tradiderunt, Carolum tum concepisse votum præsente Adriano Pontifice, conditurum se in Saxonia Episcopatum, oblaturumque S. Petro Apostolo, cujus ope & patrocinio ad sepulchrum ejus implorato Saxoniam sibi debellandam sumpsit. Votum id triennio pòst ad felices belli successus, condito primo inter Saxones Osnabrugi Episcopatu, explevit. Romæ rebus cum Adriano Pontifice transactis, Carolus ad castra regressus, constanter ad Ticini urbis oppugnationem inhæsit. Summum rei momentum

Ticinum seu Papia, sedes Longobardorum, expugnata.

Baron. ad hunc ann. Sigonius.

mentum in eo versabatur, quòd urbe regia conservata, facilè esset Desiderio Regi cetera recuperare, ad certam Pontificis & Romanæ Ecclesiæ ruinam. Tandem obsidione in sextum mensem protractâ, cùm fame, morbis & luctu omnia in desperationem venissent, urbs Carolo dedita: Rex cum conjuge & liberis captivus in Franciam deductus, & Leodio inclusus apud Agilfridum Episcopum in exilio egit, dum mors subtraheret; à quâ supremus illi honor contigit humari Aquisgrani unâ cum uxore & liberis ad sepulchrum Caroli. Regnum exinde Longobardicum, quod in ducentesimum sextum annum steterat, Francorum imperio cessit.

Desideri⁹ Rex Longobardorum captivus in Franciam deducitur.

Beka in Aquisgran.

At dum hæc in Italia geruntur, Saxones Westfali per hanc Caroli absentiam nacti opportunitatem rebellandi, una furoris conspiratione, unoque Christianorum odio inflammati, fidem, quam Carolo superiori anno dederant, rumpunt, armatique in conterminas Francorum provincias irruunt. Pars, quæ Frisijs adjacet, vastatis transIsalam Francorum provincijs (nam is amnis tum Saxones à Francis Frisijsque dividebat) Daventriam occupant: Locum præda & incendio absumunt: templa, quæ Lebuinus ædificârat, injectis flammis exurunt, rabie etiam in mortuos effusâ: corpus D. Lebuini, quod istic conditum didicerant, perquirunt ad ludibrium, ne qua vel ex eo Christianorum memoria sensusve relinqueretur; quæ tamen pervestigatio cassa fuit, Deo Barbaros excœcante, ne pignus illud sacrum reperirent. Altera hæc Saxonum irruptio fuit ad Isalam à Pipini Regis excessu, ut refertur in rebus gestis D. Ludgeri, qua cœtus Christianorum, quos Marcellinus, Lebuinus, alijque jam à multis annis collegerant firmârantque, sunt disjecti, clade etiam ad Oldensalienses vicinosque perlata.

Saxones per absentiâ Caroli rebellant, & Christianos ad Isalam turbant.

Vit. S. Ludg. apud Brovverũ c. 6. Altfridus in vita S. Ludgeri c. 2. Bollandus in ejus vita. Cincin. in vit. S. Ludg.

Haud secus altera pars Saxonum in superiore Westfalia ad Lupiam & Visurgim convolavit ad arma. Primus efferatæ gentis impetus in Eresburgum est factus: expugnatum castrum, ejecti Franci, ac castrum ipsum dirutum. Id etsi Francorum annales non exprimant, Poëta tamen noster auctor ejus est non obscurus; ac cùm proximo anno ex ruina reparatum sit à Carolo, id pronum est statuere. Verùm longè furiosius irruptum est alijs copijs in Hassiam; ad quam Barbarorum incursationem Fritzlarienses vicinique Christiani deportato secum è Basilica corpore D. Wigberti, in Buriaburgense castrum, quod oppidi in modum communierant in monte, se receperunt, armis etiam intrepide ostentatis, resuscitatáque veteri Cattorum fortitudine, qui jam Christiani pugnabant adversus Barbaros. Saxones positis in oppido Fritzlariensi castris, totâ regione grassantur, nihil aut prædis, aut flammis, aut cædibus intactum relinquentes; vastatisque circum omnibus, Buriaburgum magnis conatibus adoriuntur. Haud segnius propugnavere Christiani (multum confi

Eresburgũ à Saxonibus receptum, ejectis Francis.

Poëta Anonym. Lesnerus. Lupus servatus in vita S. Wigberti.

Saxones irrumpũt in Hassiã, & Fritzlariensem Basilicam cum cœnobio vastant & incendunt.

si patro-

si patrocinio D. Wigberti) modò insultus interritè repellendo, modò erumpendo fatigandoque; ad extremum Saxones magnâ sui clade obsidionem deserere coacti. Sed eò furiosius conversi in Basilicam Fritzlariensem, & cœnobium religiosorum virorum, quos ex familia D. Benedicti istic collegerat Bonifacius. Ceteris subversis, restabat Basilicæ fabrica; ad hanc subruendam certatim ignes subjecti, comportati fasces, ligna, stramina, adgesta nutrimenta ignium in fores, in tectum, in parietes; At frustra omnia, reluctantibus flammis. Quo in sacrilego opere dum extrema tentant, igne semper vel averso per ventum, aut extincto; visi novo prodigio duo juvenes candido amictu, tam à Christianis quàm ipsis Barbaris, flammam identidem aut comprimere, aut arcere, atq; in ipsos incendiarios vertere. Quo spectaculo cœlitus ostenso Saxones perculsi ultrò se in fugam dederunt; ac ceteris jam dilapsis repertus est ex Barbaris quidam ad Basilicam extinctus; utque divina ultio constaret palam, deprehensus est utroque genu subnixus ligna atque ignem tenere in manibus & specie flantis feralem adhuc spirare flammam, qui jam animam prius exspiraverat, quàm ignem ex fomite aflare posset. Tum verò compertum D. Bonifacij oraculum, quod consecrando hanc Basilicam palam in corona astantium pronunciârat, fore ut nunquam exinde hæc Basilica Barbarorum incendio vastaretur. Alterum hoc miraculum, quo Deus pugnavit pro absente Carolo, quique ad Eresburburgum fontem dedit sitienti militi, hic ignem extinxit sine fontis & aquarum usu, utroque elemento Francorum adjutor.

Vita Caroli M. Ann. Franc. Lupus Servat⁹ in vita S. Wigbert. Saxones divinitus puniũtur. *Brouverus in notis ad Raban. Idem in annal. Fuldens. Serrarius in Mogunt. Baronius ad ann. 773.* Miraculũ quo Deus Francorũ arma comprobavit.

Interea Carolus, subactâ Longobardia, victor reversus in Germaniam ad Rhenum maturavit, acceptisque per iteratos nuntios, quæ perfidi Saxonum perpetrârant, Ingelheimij consedit cum exercitu. Ann⁹ jam in hyemem deflexerat, nec ferebat tempus, fatigatum militem novâ expeditione in Saxoniã traducere; quo tamen Saxonum insolentiam refrenaret in præsens, selectos militum in quatuor agmina partitur, trajectoque Rheno, diversis itineribus in hostem ire jubet; ac singuli suos duces secuti Hassiam intrant. Nondum Carolum Rheno adesse intellexerant Saxones, cum tres Francorum cunei famam præsentiæ occupando, incautos opprimunt, receptáque præda in ipso flagitio mactant: quarto agmini nullus hostis obtigit: omnes in Saxonum fines procurrendo vicem reddunt, & qua licuit spoliando vastandoque progressi, ditatique prædâ, se ad Rhenum recipiunt. At Carolus qui jam S. Petro Saxoniam voverat Romæ, Pontificique ad id omnia belli studia addixerat, postquam se iteratâ Saxonum perfidiâ haud secus quàm patrem avumque deludi conspexit, ad maturiora belli consilia versus, militem in hiberna ad reficiendum se ire jussit; ipse Carisiacum ad villam hibernatum pariter concessit, ubi Christi Natalitia & Pascha per sacram quietem transegit.

An. Christi 775. Regni Franc. 8. Long. 2. Belli Saxon. 4. Carolus reduxin Germaniã Saxones uleiscitur. *Engolism in vita Caroli. Regino. Ann. Canisiani.*

Francorum Annales. Poëta Anonym. Adelmus in Ann. Conc. Paris. Binius in tomis concil.

transegit. Nec tamen ita à belli curis vacuus fuit, quin Francorum proceres ac belli præfectos in concilium publicum ad se evocârit. Eo in congressu deliberatum de Saxonia debellandâ; & Carolus auditis ceterorum sententijs palam pronunciasse memoratur, non se ab hoc bello destiturum, donec gentem toties perfidam aut Christo submitteret, aut funditus deleret. Maturatum inde verno tempore bellum; quam in rem Carolus Duriam in agro Juliacensi propius ad Rhenum se contulit, ubi convocatis Episcopis, Abbatibus & Regni Austrasiæ proceribus, celebrem pro more synodum habuit. Quanquam quid in ea ad disciplinam Ecclesiasticam & Christianam Rempublicam constitutum fuerit, aut qui Episcopi interfuerint, vetustas abolêrit. Certiora etiam de singulis synodis habituri essemus, nisi Ansegisus & Benedict⁹ Levita acta singularum in unam turbam nobis congessissent, nullâ temporum locorumve habitâ ratione.

Carolus M. Duriæ Synodum convocat, in qua actum de Saxonum vindicta, & bello.

Carolus Coloniæ Rhenum transit cum exercitu in Westfaliam.

Astron. An. Vita Caroli.

Solutis comitijs, Carolus apud Ubios cum instructissimo exercitu Rhenum transgressus, belli molem in Westfaliam & in ipsa rebellium viscera movit. Primus belli impetus in castrum Sigeburgum factus. Saxones id insederant, ex eoque infesti Rheni ripam infestârant. Ob id Carolus belli machinas admoveri jussit, & qui militum incurrentium erat ardor, ad primos insultus expugnavit. Reperias qui castrum illud interpretentur Sigburgum in Ducatu Montensi ad Sigam fluvium, in quo D. Anno Archiepiscopus Colonensis celebre post monasterium familiæ D. Benedicti condidit, ubi & Ptolemæus videtur Sigedunum collocare. At pleriq; castrum hoc à Carolo expugnatum ad Ruræ & Lennæ confluentes positum agnoscũt, haud procul Tremoniâ, ubi rudera arcis, etiamnum in fastigio montis conspiciuntur. Ac nihil tum inter Saxones magis receptum quàm montes præmunire castris & arcibus. Eò prædones se recipere, eò incolæ refugere, & in his munimentis omne belli & fortunarum præsidium habere. At tanto nunc castrum illud opportunius Carolo, ex quo frenum Westfaliæ intenderet; ideo & locus militari Francorum præsidio firmatus ad reprimendam Saxonum insolentiam, undique vel ex montium silvarumque latibulis, vel à Luppia incursantium.

Sigeburgum ad Ruram à Carolo expugnatum. *Mersæus.*

Eresburgum Carol⁹ recipit & præmunit.

Ab Rurâ amne Carolus interiorem Westfaliam ingressus Eresburgum movit cum exercitu. Castrum illud per absentiam Caroli Saxones, ut diximus, demoliti fuerant, ne qua Christianorum statio, aut militare Francorum præsidium intra suos fines Carolus Rex firmaret. Tanto nunc ardentius Carolus receptum locum vallis & muris includere præmunireque adversus Saxonum irruptiones cœpit. Erigebat militum animos ad id opus recentis miraculi memoria, fiduciaq; in cœlites; tanquam Deus hunc locum sibi designasset,

in quo

in quo Christi religionem primùm intra Saxonum fines plantaret. Sanè prima exinde Monachorum ex familia D. Benedicti à Carolo M. evocatorum hæc intra Saxonum fines statio & domicilium fuit, ut post referam. Nec desunt, qui hac Caroli expeditione B. Sturmionem, quod inter res gestas ejus memoratur, Eresburgo à Carolo impositum velint, ac tum Saxones Christi Evangelium docere cœpisse; quanquam hæc ad proximos annos referre malim.

Carolus ad Visurgim progressus Brunsbergam obsidet.

Firmato Eresburgo, ac militari Francorum præsidio impositio, Carolus à Dimola cum exercitu ad Visurgim progressus, ad tertium illic Saxonum Westfalorum munimentum castrumque Brunsbergam castra posuit. Retinet hodiedum nomen Brunsberga, à Brunone, ut volunt, conditore, sive ille Widikindi frater fuerit, seu quis alius ante hæc tempora Bruno. Arx certè, ut à Crantzio scriptum, munitissima, quam tum Saxones valido præsidio insederant, structaque erat in edito monte, Hoxtariæ oppido ac Visurgi incumbente. Visuntur hodiedum altæ fossæ, vallaque & rudera, ambitu capace. Nihil quidem de arcis hujus expugnatione memorant Francorum annales. At nihil celebrius apud consequentes inde scriptores, cumprimisque Saxones nostros; quam in rem monstrantur etiamnum castrorum loca à Carolo quadripartito posita, quæ post in totidem vicos exculta; interque hos Huxtaria refertur ex veteri prope Corbeiam loco. Tam certi etiam hi scriptores de Brunsbergæ expugnatione, ut deditionis diem octavum Julij consignent, tametsi Carol⁹, ut Crantzius perhibet, longo obsidionis tœdio exercitum subinde abduxerit; quæ cùm in priscis scriptoribus non reperiam, malim in medio relinquere: neque ea probo, quæ Letznerus tam largè rebus à Carolo gestis inspergit, ex vulgi magis fabulis, quàm certorum auctorum fide innixus. Interim quàm celebris * Brunsberga ad Visurgim, omnium prope Francorum scriptorum testimonijs, tam eam nobilitavit Ferdinandus Princeps & Paderbornensium Episcopus, retulitq; præclarâ carminis inscriptione inter monumenta suæ diœcesis. Ubi Poëtæ equidem nescio ex hac ingenium, an ex commentario historici eruditionem prius commendem.

* *Vita Caroli Brunisbergum.*

Adelmus Astronom. Poët. Anon. } *Brunesberg.*

Annales Caniſ. Ado Regino. } *Brunisberg.*

BRUNISBERGA
PROPE HUXARIAM
MEMORIÆ SACRUM

Annales Pithœ. & Fuld. } *Brunesberga.*

Horum nullus expugnatam tradit Brunesbergam.

ARX. UBI. BRUNONIS. CIRCUMSPICIT. ALTA. LATINI
MILITIS. INFECTAS. CÆDE. VISURGIS. AQVAS

SAXONES. HIC. AMNEM. CAROLUM. TRANSIRE. PARENTEM
NEQVICQVAM. TELIS. IMPEDIERE. SUIS
SED. DARE. VERSA. FUGA. VICTORI. TERGA. COACTI
CESSERUNT. TOTUM. FLUMINIS. IMPERIUM
LITTORE. NUNC. ILLO. REGNAS. CORBEIA. SACRUMQUE
HUXARIÆ. DICIT. JUS. PADIBORNA. TUÆ
QUÆ. SI. POSTERITAS. SERVASSET. FOEDERA. NUNQUAM
RELLIGIO. SCISSIS. PLANGERET. ORBA. COMIS.

FERDINANDVS
DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA
EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR
MONASTERIENSIS. S.R.I. PRINCEPS. COMES
PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO
DE. FURSTENBERG.

BRUNISBERGÆ. NOBILI. IN. DIOECESI. PADERBORNENSI
ET. DITIONE. CORBEIENSI. LOCO. UBI. CAROLUM. M. TRAJECTU. VISURGIS
PROHIBERE. FRUSTRA. CONATI. SAXONES. AN. DCC. LXXV
FUSI. FUGATIQUE. FRANCIS. CESSERUNT
M. H. P.

Sed nunc Francorum arma & prœlia ad Visurgim, quæ inscriptio exhibet, ex Francis scriptoribus reddamus.

Pugna Caroli ad Visurgim cum Saxonib⁹.

Carolus dum ad Brunsbergam cum exercitu considet (haud dubiè in amœna illa planitie camporum inter montes & Visurgis ripas, in qua post Corbeiense cœnobium à Ludovico filio est conditum) Saxones Ostfali magnis suorum copijs collecti ex opposita Visurgis ripâ se objiciunt, Carolum ab amnis transitu prohibituri. Stabat utrimque medio amne divisa armatorum multitudo, mutuis se vocibus & convitijs militaribus provocando; vidissesque ex veteri belli scena hinc Clotarium & Dagobertum Francorum Reges, inde Berthoaldum Saxonum ducem hîc denuo ad Visurgim componi. At Carolus mutui sine vulnere & prœlio aspectus impatiens, reperto vado Visurgim transit, digestisque in ordinem copijs, in hostem movet. Occurrunt Saxones, tela eminus ingerunt, pellunt & pelluntur. Interim Franci ex amne, Saxones ex saltu conglobati ruunt, densatæque sunt acies. Tum verò acri prœlio conserta bellantium agmina: victi cæsique ingenti clade Saxones: qui superstites fuêre Saxonum, per vicinum Sollinganum saltum sparsi profugique stragem ad suos retulerunt.

Carolus post cæsos Saxo-

Hac pugnâ victoriâque, quam primam hujus anni celebrant Francorum annales, confirmatus Carolus, exercitum divisit. Pars ad Vi-

ad Visurgis tutelam secundo amne descendere jussa, ad Lubeke in agro Mindensi (ut hunc locum meliores interpretantur) castra posuit, nihil bello hostiliter tentando, dum à Westfalis, ut mox referam, infestarentur. Ipse Carolus cum robore exercitus interiorem Ostfaliam ingressus ad Obacrum fluvium pervenit. (* Ocra est ex Herciniæ montibus Wolffenbutum & Brunswigum perlapsus) Ibi Hesso Ostfalorum Saxonum Dux & legatus unâ cum gentis suæ proceribus supplex occurrit Carolo; quo in congressu deprecati culpam violatæ pacis Ostfali se ad omnia Francorum imperata ultro offerunt, & fidem denuo jurant Carolo; utque de ea certus sit Carolus, obsides etiam dant. Tantâ trepidatione perculerat victor Carolus universam Ostfalorum gentem, qua si victoria uti libuisset, facilè obtrivisset; sed ille clementia ratus est gentem subigi posse, quæ toties exinde Regem fefellit. Pace cum Ostfalis pactâ, Carolus cum exercitu ex eorum regione per Visurgim regressus ad pagum, quem Bucka dixerunt, consedit, tractaturus cum Angarijs altera illa præpotente Saxonum gente. Et illi consternati recenti Francorum victoriâ, Brunonem gentis suæ Ducem Widikindi M. ut volunt, fratrem, ac primores è suis miserunt ad Carolum; quos Rex benignè accepit, ac petentibus pacem dedit: juratum fœdus, dati obsides, amicéque haud secus quàm cum Orientali Saxonum gente convenit. At non perinde inter scriptores convenit quis ille locus paguve fuerit, quo primùm cum Angariorum gente pactus sit Carolus, nobilitáritque comitijs suis. Ac licet sono vocis haud multum dispar qui modò Bucki, modò Buchi, modo pagus Bocensis scriptoribus Francicis appellatur; reperies tamen, qui Buckiburgum in comitatu Schowenburgensi interpretentur. Sunt qui Bodeken in diœcesi Paderbornensi velint, ubi vetus cœnobium virginum à D. Meinolpho, quem Carolus M. è fonte baptismatis suscepit, est conditum. Alij tamen verisimilius Bocam ad Luppiæ ripas tribus Paderbornâ leucis dissitum in eadem nostrâ diœcesi consignant. Certè Carolum, pace cum Ostfalis factâ, ex eorum regione reduxisse per Visurgim exercitum perhibent scriptores Franci, ut trans Visurgim Bocensis pagus requiri non debeat, sed in eâ cis Visurgim regione, ubi Angariorum & Westfalorum gentes pacis fœderibus reconciliandæ supererant Carolo, & in libertatem Christianæ religionis permittendam componendæ erat; eóque cis Visurgim in Lubbecke stabat altera pars exercitus, cum ex hoc Bocensi pago suppetias tulerit laboranti; idque nominis similitudo persuadet. Quâ in re sequor auctoritatem Ferdinandi Principis & Episcopi Paderbornensis, quòd ab eo inter monumenta suæ diœcesi asserta sit Bocka. Ejus hic eruditam inscriptionem exhibeo: cætera in commentario explanata.

nes in interiorem Ostfaliã progreditur. Lubbeke. *Vita Caroli Lidea. Ann. Canis. Lidback. Astronom. & Adelm°. Hudbecke. Ann. Pithæ. & Fuldens. Lidbecke. Poët. Anon. Cleinsorg. in Chron. Grothusius in notis ad Anon. Poët. * Ovacrus Ann. Frãc. Oacro Ado. Ovacra Poët. Anon.* Carolus cum Ostfalis componit, & obsides accipit. Carolus cum Angarijs cõponit in pago Bucki. *Reineccius in Poët. Anonym.*

BOCA. AD. LUPPIAM
MEMORIÆ. SACRUM

BOCA. VETUS. CAROLO. MEMORABILIS. HOSPITE. PAGUS
LUPPIA. QUAM. RAPIDIS. PRÆTERIT. AMNIS. AQUIS
ANGARIOS. VIDIT. PACEM. VENIAMQUE. PRECANTES
SUPPLICITER. FRANCO. SUBDERE. COLLA. JUGO
OBSIDIBUSQUE. DATIS. JURANDO. JURE. PACISCI
OBSEQUII. STABILEM. TEMPUS. IN. OMNE. FIDEM
ANGARIÆ. GENS. VICTA. SACRO. LÆTARE. TRIUMPHO
QUEM. CAROLUS. DE. TE. RELLIGIOQUE. TULIT
SI. SUB. REGE. PIO. LIBERTAS. GRATIOR. EXSTAT
SERVITIO. MAGIS. ES. LIBERA. FACTA. TUO

FERDINANDVS
DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA
EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR
MONASTERIENSIS. S.R.I. PRINCEPS. COMES
PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO
DE. FURSTENBERG.

BOCÆ. CELEBRI. OLIM. PAGO. UBI. CAROLUS. M. FRANCORUM
REX. ANGARIOS. DATIS. OBSIDIBVS. ET. JVRE. JVRANDO. FIDEM. OBSEQVII
FIRMANTES. AN. DCCLXXV. IN. DITIONEM ACCEPIT. ET. A. SANCTÆ. MEMORIÆ
BADVRADO. PADERB. EPISCOPO. RELIQVIÆ. B. LANDOLINI. CONF. QVAS. E
CAMERACENSI. DIOECESI. ILLVC. TRANSTVLERAT
COLLOCATÆ. FVERVNT.
M. H. P.

Adelmus in Annal. Vita Caroli. Ann. Canis. Westfali Saxones dolo Castra Francorum ad Lubbeke intrant ac turbant.

Hìc dum adBocam in conventu procerum cumAngarijs transigit Carolus, ausi sunt conjurati per inferiorem Saxoniæ regionem Westfali Francos, qui ad Visurgim in Lubbeke substitere, aggredi. Observârant nimirum castra ab ijs neglectè custodiri; quare composito dolo pabulatoribus Francorum se immiscent, & stativa cum ijs per incuriam vigilum intrant. Favebat dolo vespertinum diei tempus tenebris obscurum, quo minus observarentur; mox larvam, quam induerant, exuti, semisopitos obruunt, cædunt, sternunt, fugientes insequuntur mactantque; ad quorum clamores excitæ legiones, quæ in extrema castra tetenderant, arma corripiunt, laborantibus adsunt, nec minore clade Saxones, quàm sævierant, castris ejiciunt. Id ubi ad Carolum est relatum, magnâ celeritate cum suis advolat, editaque ingenti inter palantes Westfalos strage, primùm Francos,

cos, quorum negligentia castra malè custoditæ erant, pro concione objurgavit, paucos etiam ignominia notavit; deinde Westfalorum regionem ingressus, ne diuturnior hosti lætitia foret, immisso furibundo milite pervastat, truci satis edito exemplo castigationis, ita enim ferro flammâque sævitum. Ad quam cladem primores Westfalorum se Carolo supplices stitêre; quibus Carolus gentis perfidiam exprobrat; contra Westfali non id communi suo consilio, sed paucorum audacia & latrocinio factum excusârunt; cumque obnixè veniam deprecarentur, & communem sibi cum Ostfalis & Angarijs pacem dari flagitarent, indulsit Rex, eademque qua cæteros clementia recepit in gratiam, jussitque Sacramentum fidei dicere & obsides dare; quibus acceptis, exercitum per Rhenum reduxit in Franciam. Quo verò in loco hic Westfalorum conventus sit habitus, non prodidere scriptores. Sed quantum hujus ex Visurgi profectionis itinerumque ratio monstrat, aut Osnabrugi, ubi & Episcopatus locum circumspexit, aut Minimigardefordæ in meditullio Westfalorum ac celebri tum loco est habitus. Hic ego crediderim Widikindum jam tum Westfalorum Ducem fuisse, haud secus quàm Bruno frater Angrivariorum. Hesso Ostfalorum ducem agebat; qui tamen ceteris atrocior per primores gentis hæc pacta iniri passus sit. Interim Carolus postquam hac alterâ expeditione tam Ostfalos, quàm Angrivarios, ac Westfalos ad pacta deduxisset, ratus est omnem Saxonum gentem in stabili Francorum fide permansuram; Quam in rem hoc anno à Carolo, aut B. Sturmio Abbas, vir docendi facundia egregius, aut alij Sacerdotes evocati. Quo referas illud Ægilis Abbatis: *Carolum* ad primos Saxoniæ ingressus *cœpisse partim bellis, partim suasionibus, partim muneribus Saxonum gentem ad Christi fidem convertere.* Et quis sibi persuaserit Carolum post tam felicem belli successum, gentisq; victæ submissionem, nullum in Saxoniâ reliquisse doctorem Evangelij, qui tam sanctè partem Saxoniæ S. Petro obtulerat, atq; Eresburgi jam tutum pedem fixerat? quo loco, si uspiam opportuna sacerdotum statio capta est. Quod verò Osnabrugensium fastorum scriptor per hæc belli Saxonici initia à Carolo Osnabrugi templum structum, dedicatum in Paschate, primum Episcopum Wihonem impositum asserat, id prorsus immaturum reputo, alienumq; ut credas; locum fortè in hoc transitu ad Visurgim aut reditu ad Rhenum inspexerit designâritq; commodum, in quo primam Episcopi sedem ad Westfalos Angariosq; erudiendos collocâret; potuitq; hoc anno, ac consequenti potius, fundamenta Ecclesiæ hujus ad voti maturationem jacere. Id certius compertum, quod referam. Postquam per id tempus excesserat è vivis D. Gregorius Ultrajectensis Antistes, successor ejus Albricus quartus ejus loci Episcopus, erectus primùm Caroli benevolentia erga Ultra-

Carolus componit cum Westfalis & obsides accipit.

Heida in hist. Ultraject. de Greg. & Albrico, & Caroli diplom. Vita S. Ludgeri apud Brouverũ. c. 7.

Altfridus in ejus Vita c. 2. Brouverus in notis. Bollandus in comment. §. 3.

Gregorij Ultrajectini Antistitis mors, successor Albricus.

D. Ludgerus Daventriam mittitur.

Vita Willehadi apud Cæsarem & Surium.

trajectensem Ecclesiã, quam regiis donationibus locupletavit, tum animatus hoc felici bellorum successu per Westfaliam, misit D. Ludgerum Daventriam ad reparandas sacras ædes & Christiani populi cœtus colligendos. Utrumq; egregiè præstitit Ludgerus, etsi Diaconus adhuc ac nondum Sacerdotio initiatus. Redierat is recens ex Angliâ Ultrajectum post auditum triennio Alcuinum magistrum sacras Eboraci literas docentem; ostenditque tum Ludgerus docendo ordinandoq; res Ecclesiæ, quantus post sacerdos & Episcopus futurus esset. Nam templa à Saxonibus incensa eversaque instauravit, & Lebuini corpus transvecto in Austrum ædificio cælesti per somnium monitu reperit, palamque docendo per vicos & pagos innumeros ad Islam Christo adjunxit. Quâ libertate Evangelij per Christi arma partâ, Willehadus quoq; multò confidentius in Drentia & Wigmodia, vicinisque Frisiæ oris, unà cum cæteris collegis & sacerdotibus Christi legem Barbaris tradere compertus est, famâ etiam Sancti viri ad Carolum pòst perlatâ. Tam enim religiosissimus Rex sibi Frisiæ quàm Hassiæ curam sumpsit, ut ex ijs locis Christianâ religione jam illustratis, eam per Saxoniam transplantaret.

An. Christi 776. Regni Francici 9. Long. 3. Belli Saxon. 5. *Adelmus. Aimoinus. Vita Caroli. Ann. Franc. Pithœi, Caniſij, aliiq; Poëta Anonym. Regino.*

Carolus in Italiam avocatur ad Rotgaudum rebellem comprimendum.

Prosperum hunc Caroli successum per Saxoniam turbârunt Italiæ motus. Vix enim ab hoc bello respirârat Carolus, cùm nunciatur Rotgaudum Longobardorum Ducem, quem victo Desiderio Forojulienſibus præfecerat Rex, nova moliri, jamque de vendicando sibi Regno consilia agitare, civitatibus pluribus proceribusque ad se traductis. Indignè enim passi Longobardorum primores à Desiderio relicti, Regnum suum, quod tot annis gentis suæ armis partum steterat, ad Francos transisse. Quocirca Natalitijs Domini in Alsatia celebratis, cum firmissimo exercitu Alpes superavit, ac recta in Forum Julium ire perrexit. Eò cùm venisset, moram nullam interposuit, quin subito cum hoste confligeret; fuso fugatoq; exercitu Rotgaudus captus, & quòd Regnum affectaverat, ultimo supplicio est affectus: Civitates quæ defecerant, cùm se dederent, receptæ in gratiam. Tarvisium inde Carolus ad Pascha celebrandum profectus, Ducatum Forojulienſem Regno Franciæ attribuit, urbibus comites imposuit, à quibus regerentur. Ita venit & vicit potentissimum illud Regnum. At non perinde Saxones vincuntur, ut Longobardi Italiæ delicijs præfracti.

Saxones per absentiam Caroli denuo rebelles.

Saxones Eresburgum dolo

His quippe per hyemem transactis, confestim Carolus ad Saxonicum bellum regressus. Vix Alpes transcenderat, cùm Saxonum rebellio festinatis nuncijs adfertur ad Carolum. More illi gentis per absentiam Caroli perfidi resilierant ad arma pro libertate & cultu Deorum asserendo. Ideo primus Saxonum impetus in Eresburgum factus, ubi everso gentis fano & Idolo, Carolus Christianam religionem cum suo cultu reposuerat, frenumque ex præmunito castro intenderat.

tenderat. Eò Saxones locum obsident, vim bellicis machinis admovent, insultus faciunt. Non his fracti præsidiarij Francorum fortiter castrum aliquamdiu tuentur. Saxones ubi nec minas nec vim procedere vident, ad fraudes & dolos conversi deditionem persuadent Francis, & quo malo quibusve conditionibus, incertum; circumventi Franci Eresburgo excedunt, & ingressi Saxones confestim tectis faces injiciunt, mœnia subruunt, & locum omnibus suis munimentis nudant, ne quid Francos istic intra suos fines in vitet amplius. Hoc successu læti Saxones Sigeburgum movēt, castrumq; illud ut scribit Regino, Francorum præsidio firmatum pari conspiratione armorum conglobati adoriuntur; sed fraude primum & promissis, quod in Eresburgo processerat, tentata deditio, promissusque liber præsidiarijs ad suos reditus. Quibus cùm nihil obtinerent, additæ minæ. At Franci ad ea interriti cautioresque respondent, non ijs quibus Eresburgenses capi se dolis, aut minis frangi: aliter se suam fortitudinem ac fidem æstimare, quàm perfidi Saxones; armis si quid valeant experiantur. Quibus exacerbati Saxones, omnes belli machinas, interque has petrarias (instrumenti bellici genus est, quo balistarum instar saxa ejaculabantur) certatim expediunt; nihilq; barbaræ artis furorisq; intermissum in expugnando castro. At bello fortius obsistunt Franci, Deo etiam magis quàm suis viribus confisi, nunc tela projectaque in se saxa eludendo, nunc insultus repercutiendo, nunc irruptione facta in ipsos barbaros proruendo. Nihilo adhæc remissius Saxones totis castrorum viribus & furijs oppugnationem decernunt. Quâ in aggressione ac dimicatione Francos inter & Saxones visus est ab obsidentibus strictus minaxque gladius supra ædem sacram ad pedem montis arci subjectam, simulq; duo clypei igne fulmineo coruscantes in aëre obversi in hostes, ac crebris in eos motibus agitari. Quo prodigij spectaculo uterecti sunt Francorum animi, ita perculsi Saxones, confusa in se ruentium fuga (in qua mutuis sese gladiis lanceisq; cæci confoderunt) castra Francis in prædam relinquunt: Cæteri eadem perturbatione per mutua vulnera cædesq; se in fugam dedere. Quo animadverso Franci ex arce prorumpunt, factoque impetu fugientium palantiumque tergis cædendo inhærent; nec destitêre, dum ad Luppiam usq; flumen compellerent. Tertium hoc cæleste beneficium ac miraculum, quo Deus Caroli Francorumq; arma adversus Saxones comprobavit: uti id uno omnium Francorum scriptorum consensu accepimus, fateturque auctor, qui res à Carolo gestas perscripsit, se ab ijs didicisse, qui hæc coram spectârint. Quæ tamen Regino aliquantulum narrando perturbat, dum hæc, quæ cæteri scriptores Sigiburgo attribuunt, is in oppugnatione Eresburgi facta memorat, ac pro tentato à Saxonibus Sigiburgo Desenburgum ponit, utrumq; licet à Carolo his bellis expugnatum sit.

Sigiburgum frustra tentant Saxones. *Fräc. Ann.*

Petrariæ. *Pontan. l. 6. orig. Franc. c. 22.* λιτόβολοι & πετρόβολοι

Miraculo Saxones avertūtur ab oppugnatione Sigiburgi.

At

Carolus Wormatiæ Conventum indicit ad Saxones Ulciscendos.

At postquam Carolo in Germaniam venienti iteratis nuncijs relata est Saxonum rebellio, tanto ille confirmatius bellum Saxonicum maturavit, quo præsentius comperit Dei manum suis adesse. Ac nihil sollicitius ad ingressum Germaniæ habuit, quàm ut Wormatiæ tertiam Episcoporum atque omnium ordinum synodum convocaret; in qua cùm multa de rerum sacrarum ac Regni negotijs sint acta; tum nihil ferventius agitatum, quàm de bello Saxonico, ob iteratam gentis rebellionem, sævitiamq; in Christianos. Bello omnium consensu approbato, Carol⁹ cum ingenti exercitu per summam celeritatem transmisso Rheno in Saxoniam advolavit, stetitque prius fulminis instar intra Barbarorum fines, quàm vel fama adventum nunciasset: nec alia hujus irruptionis species, quàm sævæ tempestatis, ut Regino censuit, quæ coactis repente nubibus è cælo incussa, fruges, pecora, mortalesque sternit. Nam quâ perfidiâ Saxones sacramenta fidei ruperant, ea indignatione accensus Carolus, immisit militem, cui spolijs, ferro, flammaq; grassandi potestas data. Nec segnius Franci imperium executi; visaque Drusi & Germanici arma desævire in pertinacem gentem. At quæ tanta trepidatio Saxones incessit, ut abjectis, quæ susceperant armis, supplices ab Amasi, Visurgi, atque ex omni parte regionis Carolo eò loci occurrerent, ubi Luppia consurgit. Ibi enim Carolus ad fontes amnis castra metari cœperat: ibi innumerabilis Saxonum multitudo, inermes heri cum servis, viri cum conjugibus & liberis ad pedes Regis provoluti delictorum veniam deprecantur, & pro vita donanda clementiam appellant. Flexus Rex miserabili rerum aspectu ejulatuque complorantium, postquam omnis ætatis ac sexus homines, senes, viros, juvenes, pueros puellasq; ac matres etiã cum suspensis ad ubera infantibus circumspexit, tanquam ad ultroneum se supplicium offerre, qui nihil præter totius gentis excidium sibi imminere crediderant. Et Rex cùm nollet innocentium causam cum nocentium culpa miscere, omnes recepit in gratiam, jussitque qui per ætatem maturi erant, fidem & obsequium jurare; quo præstito, liberos pronunciavit. Læti omnes, eaque insperata Regis misericordia provocati, ultro etiam sese ad Christianam religionem amplectendam obtulêre, ex quibus innumerabilis turba ad Luppiam aqua baptismatis est abluta. Utrumne statim ad Baptismum admissi sint, quò eos in fide contineret Rex? an dilata ablutio, haud immeritò requiras. Verisimile habeo, Carolum per sacerdotes, quos secum adduxerat, prius rudes imbui voluisse, quàm ad tam arcanum Sacramentum Barbaros admitteret; quanquam multi ex his, ut Francorum annales haud obscurè indicant, ex incusso metu fictoque animo se ablui passi sunt.

Carol⁹ ad Luppiæ fontes castra ponit, ubi innumerabilis hominũ multitudo supplex ad baptismũ se offert.

Carolus Eresburgum movit, castrumque à Saxonibus eversum restaurari,

Carolus transmisso Rheno Westfaliã cum exercitu intrat, & terrore ad obsequiũ compellit.

staurari, & militari rursum præsidio firmari imperavit; nunc enim locum ad confinia Hassorum sibi magnopere curandum sumpsit, quantumq; in eo subruendo laborârunt Saxones, tantum in eo conservando contendit Rex. Eresburgo cum exercitu regressus denuo ad Luppiam, aliud ad eum amnem castellum opere novo à fundamentis condidit, perfectumque militari præsidio instruxit. At quo loco id Castellum sit positum inquirunt non pauci: sunt qui Borchvechteler ad Glenam fluvium, ubi Luppiæ se miscet, haud procul Lipstadio opinentur: alij ipsum Lipstadium designant. Certius illi qui eo loco collocant, ubi nunc in Neuhusiano oppido arx ac sedes Episcoporum Paderbornensium conspicitur ad Luppiæ, Paderæ atq; Almæ confluentes. Quæ mihi vel inde verisimilius dici videntur, quòd in eo amnium confluxu colleque Romani olim Alisonis castellum, celebre illud apud scriptores munimentum collocârint; & quæ Romanis istic causa & opportunitas ad continendos Sicambros, Bructeros, Angrivarios vicinosque populos, eadem Francis ad refærnandos Angrivarios & Westfalos se obtulit; & Carolus non modò militares ab ostio Luppiæ vias, sed & veterum munimentorum vestigia, bellique consilia secutus fræna istic intendit, ubi primi bellatores, Drusus, Germanicus & Tiberius castra castellaque habuerunt; ob quæ Regino castellum illud ad Luppiam resuscitatum scribit, tanquam ex ruderibus Romanorum postliminio rursum sit redditum à Carolo. Hic nimirum ille idem locus, ad quem innumerabilis illa hominum turba Baptismate abluta memoratur: ad eumque Carolus Eresburgo regressus castellum struxit; nisi quis fortè malit Paderæ fontibus circumpositum, quòd prisci scriptores Paderæ & Luppiæ fontes mox in unum alveum confluentes sæpe permisceant; unde locus ille ex vico in oppidi formam sensim emerserit, quæ causa fuerit ut Carolus anno proximo, & toties inde Paderbornam frequentârit, ac tot synodis procerumque conventibus celebrem fecerit. Utrovis loco castellum posueris, haud multum exerrâris, quòd Luppiæ ac Paderæ fontes, confluxusque horum trium amnium Luppiæ, Paderæ atque Almæ intra unius horæ spatium, unumque loci complexum contineantur. Sanè qui fontes, & quæ aquarum salubritas Aquisgranum invitavit Carolum, effecitque, ut ex vico in oppidum urbemque surrexerit, eadem fontium & aquarum amœnitas amniumq; concursus, quibus nihil admirabilius habet Saxonia Germaniave, attraxit Carolum ad Paderbornæ frequentiam locique cultum.

gum movet & castrum à Saxonibus subversum instaurat.

Aliud Luppiæ Castellū imponit. *Witthius. Cleinsorg. Gobelin. in Cosmod. P. Horrion in Paneg. Pad.*

At Carolus non modò his duobus munimentis (quorum alterum Eresburgi, alterum ad Luppiam præmunijt) securitati provinciæ provisum voluit; sed plura etiam per Saxoniam castella Barbaris erepta, aut per congrua confiniorum loca dispositа (uti ab Eginardo,

Carolus alia per Westfaliā Castra aut capit, aut excitat.

& auctore vitæ Carolinæ ad hunc annum est relatum) præsidijs firmavit. Inter quæ, ut alij Driburgum Iburgumve, ita Regino priscus scriptor Desenburgum reponit, ad hujus anni expeditionem Carolinam, atque inde Fabritius alijq; scriptores inter munitissimas Saxonum arces censent Caroli armis illustres. Castrum, quod hodiedum Desenbergam dicimus, haud procul Warburgo intra diœcesin Paderbornensem ex suis ruderibus aspicitur, olimque Saxonum more in edito & abrupto montis jugo structum fuit. Circum ampla planities & frumentarius ager, ex quo rotundo ambitu ac miro naturæ artificio mons in fastigium consurgit, ac vertice supra omnia circum montium juga longè lateque aspectabilis eminet. Carolo is montis locus vel maximè expugnandus firmandusq; est sumptus, quòd finibus Hassiæ adsitus, ex quo Saxones haud minus quàm ex Eresburgo infestabant Francorum confinia, & Christianorum per Hassiam cætus. Haud ignoro nec Iburgum, nec Driburgum, nec Desenbergam à Francis scriptoribus memorari; sed illis in proposita narrandi brevitate non omnia consectari libuit, nec procul licuit; multaq; etiam veterum scriptorum monumenta interciderunt, quæ ex locorum tabulis, posterioris ætatis scriptoribus fastisque sarcienda sunt. Quemadmodum in Desenberga eruditè præstitit Ferdinandus Princeps Episcopus Paderbornensis in diœcesis suæ monumentis, ex quibus satis hîc erit, si elegantem carminis, quod hæc ipsa simul illustret, inscriptionem pro instituto interponam.

Desenbergum Castrum.

DESENBERGA
PROPE. WARBURGUM
MEMORIÆ. SACRUM

DESENBERGA. GRAVES. QVÆ. FINIBUS. ARDUA. CATTOS
LÆTAQVE. WARBURGI. DESPICIT. ARVA. JUGO
PARUIT. IMPERIO. CAROLI. CUM. FRANCUS. ADEGIT
SAXONA. DEGENERI. VERTERE. TERGA. FUGA
VICTA. DEHINC. CESSIT. SUEVIS. HOSTILITER. ARMIS
HENRICUS. PATRIAS. CUM. LACERARET. OPES
NUNC. JACET. INDIGNA. LATE. COLLAPSA. RUINA
ARX. VETUS. ET. RERUM. GLORIA. SOLA. MANET
QVIS. NISI. MENTIS. INOPS. FACTIS. EXTENDERE. FAMAM
NEGLIGAT. IPSA. VIDET. SI. QVOQVE. SAXA. MORI

FERDI-

FERDINANDVS

DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S.R.I. PRINCEPS. COMES PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO DE. FURSTENBERG.

DESENBERGAM. ARCEM. IN. MONTE. COGNOMINE. OLIM MUNITISSIMAM. QVAM. CAROLUS. M. PRÆSIDIO. FRANCORUM FIRMAVIT. SAXONES. AN. DCC. LXXVI. FRUSTRA. OPPUGNARUNT HENRICUS. IV. CÆSAR. AN. M. LXX. OCCUPAVIT. HODIE. VERO EPISCOPI. ET. PRINCIPIS. PADERBORNENSIS. BENEFICIO. NOBILIS SPIGELIORUM. FAMILIA. POSSIDET. POSITO. HOC MONUMENTO. EXORNAVIT.

Castellis more Romanorum dispositis, militum etiam quædam agmina, quas Scaras dixêre Franci, ad tutelam provinciæ reliquit Carolus, & tanquam his non satis fideret, convocatis satrapis & primoribus gentis, non nisi post acceptos obsides cum exercitu in Franciam est regressus in hiberna, natalemque Christi diem in Heristallo ad Mosam, Pascha verò Noviomagi ad Vahalim celebravit. *Auctor vitæ Caroli Neumag. Ann. Can. Neomagum.*

Ceterum hoc anno Albricus præsul, & Ludgerus Ultrajecto profecti Coloniam; ubi ille Episcopus, hic sacerdos est consecratus à Ricolpho Colonienſium Archiepiscopo, hortatu ac consilio, ut opinari fas est, Caroli M. diremptaque simul est Caroli auctoritate lis vetus inter Colonienses & Ultrajectinos; indignumque censuit Carolus primam illam & tot meritorum apud Frisios Ecclesiam suo amplius Episcopo destitui, quam D. Willebrordus & Bonifacius Episcopi erexerant. Ab eorum excessu Gregorius ejus loci quidem Antistes, sed nullâ unquam Episcopi consecratione decoratus, ob metum & controversiam cum Colonienſium Archiepiscopis, hunc Episcopatus locum inter suos fines jurisdictionis vendicantibus. Albricus inde unâ cum Ludgero Ultrajectum reversus multò impensius Frisiæ curam susceperunt; remissusque mox Ludgerus ab Albrico in Frisiam ad Apostolicum docendi munus, doctorque ac Pastor eorum populorum in Ostergoa est impositus, sede Pastorali Doccumij in natali solo constituta; tum ut locum divinis auspicijs prosperum capesseret, in quo Bonifacius Martyr occubuerat cum suis; tum ut parentum & consanguineorum nobiliumque auctoritate atq; ope adjutus regionem istam fructuosius excoleret; quando & ipse Ludgerus ex prima inter illos nobilitate ortus, ejusque avus ac pater magna apud Austrasiæ Duces Francorumque Reges in gratia vixe- *Adelm. Annal. Astron. Poët. Anon. & Regino Noviomagum. Altfridus in vit. D. Ludger. c. 3. Vita Ludg. apud Brouw. in fid.* Albricus Coloniæ Episcopus & Ludgerus sacerdos consecratur. Ludgerus magno fructu

Frisiam excolit, ac Fana & Idola evertit.

vixerant. Nec ille indecorum ratus est claritudini generis sui, circuire pagos, docere rudem populum, Sacramenta pro Pastoris munere in omnem vitam administrare. Frisiam ingressus, in septimum usque annum, haud secus quàm olim Bonifacius, vili illam Pastoris sorte, admirabilique inter gentes fructu, percoluit; aususque est palam Idola confringere, fana subvertere, aurum argentumque Dijs magnâ opulentiâ oblatum exportare; quod ab Albrico Episcopo relatum est ad ærarium Regis, ex eoque Carolus tertiam partem Albrico ad usus Ecclesiæ donavit, reliquum ærario adscripsit. Sed cumprimis hoc loco prisca Episcoporum Præsulumque ejus Ecclesiæ religio memoranda est. Annum divisérat Albricus Episcopus in quatuor partes, interque alternas regendi vices verno tempore ipse præerat Collegio sacerdotum & Ecclesiæ Urbicæ, æstate Athalgerus Presbyter, hyeme Thiadbertus, Autumno Ludgerus: quod reliquum erat anni tempus, quisque parœcijs obeundis docendisque populis insumebat. Præclarum sanè ad posteros documentum, quibus sine ullo honoris ambitu tam facilè fuit abire munere regendi, quàm adire; pulchrumque erat videre Episcopos & Ecclesiæ præsides circum pagos & vicos ire, docere rude vulgus, ministrare egenis ac miseris, quos ante in Throno Ecclesiæ positos conspexeras; ac ne spiritus intepesceret statis suis temporibus redire ad collegij quietem & Monasterij disciplinam.

Albricus Episcopus cum tribus sacerdotibus præfecturæ sacræ munus in quatuor añi partes dividit.

An. 777. Regni Franc. 10. Longob. 4. 6. Belli Saxon. *Ann. Francorum Eginardus.*

Inter hæc Carolus Noviomagi agebat; substititque in mensem Junium, seu quòd novi palatij fabricæ intentus esset (quod in urbe Noviomagensi inchoasse testis est Eginhardus, quodque exinde Cæsares frequentatum habuerunt) seu quòd istic res sacras civilesque totius Frisiæ, qua tunc Hollandia comprehendebatur, ordinaret. Ejus rei præclarum monumentum nobis relictum ex regiæ donationis diplomate Noviomagi per id tempus anni consignato, quo Albricum Episcopum atq; Ultrajectensem Ecclesiam locupletavit. Magnopere enim delectatus Carolus pulcherrimo & florentissimo Frisiæ statu, postquam has provincias, quæ Carolo Martello avo ac patre Pipino Rege Christi doctrinam primùm amplecti cœperant, jam totas prope ab Idolorum cultu ad Christi sacra, Episcoporum & Sacerdotum labore, traductas conspexit. Id ut per Saxonicas quoque provincias conficeret, eò impensius sibi bella curæ sumpsit; quam in rem missis Noviomago nuncijs ac literis ad Saxones, Paderbornam omnes gentis illius primores convenire jussit; quò & Carolus mox cum aula & ingenti, ut Regino est auctor, traducto per Rhenum exercitu consecutus est; non quòd sub id tempus gens rebellionis arma resumpserat, sed quòd ejus perfidiam suspectam haberet, atque ut ea, quæ anno superiori tam feliciter jecerat religionis fundamenta, maturiori rerum provisione solidaret, ac tandem etiam

Carol. M. Neomagi Pascha celebrat & palatiũ exstruit.

Carolus traducto per Rhenũ exercitu Paderbornæ conventum indicit.

conden-

condendorum Episcopatuum initia faceret. Ejus rei gratia Episcopos, Abbates ac Sacerdotes magno comitatu in Saxoniam duxit, & Paderbornæ, uti constituerat, primam ac celeberrimam inter Saxones Synodum habuit; quam alij conventum generalem, alij Placitum, alij Concilium appellant, plerique Synodum dixere; quòd in ea, ut supra à nobis relatum est, & præclarè observavit Baronius, non modò rerum politicarum, sed & sacrarum, quæ ad Ecclesiæ statum poscebantur, negotia pertractata sint. Sanccitique in his canones ac leges, quales integro volumine inter capitularia Caroli recitantur. (Harum Synodorum formam ordinesq; qui ad ejusmodi Synodos convenerunt, præclarè nobis tradit Concilium Moguntinum in præfatione Patrum, quod anno Christi DCCCXIII Carolo Imperatore est celebratum.) Confluxit verò ad hanc synodum totius gentis senatus populusque edicto Regis evocatus, Satrapæ nimirum Ostfaliæ, Angariæ, & Westfaliæ, tum pagorum vicorumque præfecti. Desideratus in hoc conventu unus ex gentis primoribus Widekindus, quòd multorum facinorum sibi conscius subter fugeret conspectum Regis. Quo satis recognoscas Widekindum omnis hactenus per Westfaliam rebellionis concitatorem ducemque fuisse; cumque jam in ipsa Saxonia sibi non fideret, conscientia agitatus ad Sigefridum Danorum Regem cum paucis procerum profugit, ibique vir bellicosus ac ferox semina illa bellorum jecit, quibus & Carolus exin toties fatigatus est, & res Francorum prope in exitium data fuit.

Baron. ad ann. 776. n. 6.

Tom. 2o. Concil. Parisien.

At Carolus ubi Paderbornæ trium gentium primores didicit esse præsentes, conscenso, qui ad majestatem regiam paratus erat, throno, in concionem advocavit, quos in hunc fere modum in corona sacrorum Præsulum Francorumque procerum est affatus. *Bellum quod tot Francorum Regibus, quodque à Carolo Martello avo meo et Patre Pipino Rege tot annis cum gente vestrâ est susceptum, non proferendi imperij Francici ambitio, sed vestra prædandi libido, et inexplebilis avaritia, et mutandæ sedis amor accendit, aluit perfidia et rebellio, inflammavit implacabile in Christianos odium: aurum et opes, quæ apud alios Reges sunt bellandi causæ, nemo apud vos sub immiti cœlo et in vasto horridoq; soloquæret, ubi nec urbes mercimoniis, nec oppida incolarum frequentia culta visuntur; sola apud nos bellandi causa vindicandi et defendendi necessitas. Neque Franci primùm Saxonibus, sed Saxones Francis bellum intulerunt. Vos, qui toties perrupto Rheni limite irruistis in Franciam, ut relictis paludibus et solitudinibus nostrum hoc fœcundissimum solum possideretis, aut nostris spoliis inopem vitam traheretis: Vos, qui toties ruptis fœderibus ad arma resiliistis. Quis annus nos paciscentes habuit, quin alter mox vos perfidos conspexerit? Quæ pacta, quæ jurata fides, quæ religionis Sacramenta apud vos unquam valuerunt? nisi vel ad ludibrium vel ad novam rebellionem. Obsides nobis ad fallaciam datis, quos inter vincula, et catenas perfidiæ vestræ victimas relinqui-*

Synodus Paderbornensis à Carolo celebrata, ad quã omnes Saxoniæ proceres excepto Widekindo convenerunt.

linquitis? cui mortalium superumque fidi aut non inviſi? An Dii veſtri hanc perfidiam probant? niſi ſimiles vobis fingatis, ut nihil fidei, nihil humani divinique juris ſit in terris amplius, ex quibus mortalium ſocietas et gentium quies conſtat. Vix exercitus noſter per Rhenum reducitur, cùm vos perfidi ad arma, ad ſpolia, ad graſſandi libidinem reditis. Vos qui intra fines Regni Francici in Haſſia, in Thuringia, in Friſia Chriſtianorum cœtus turbatis, ſacerdotes noſtros trucidatis, altaria ſubvertitis, templa injectis ignibus exuritis, et religioſorum domicilia ſpoliatis. Nec ſepulchra quidem Chriſtianorum et mortalium oſſa apud vos quieta, quæ ad ludibrium et flammas ſcrutati eſtis, tanquam bellum cum vivis non ſit ſatis, qui in mortuos etiam deſævitis. Barbari eſtis ſine omni Numinis metu, ſinè conſcientia ſcelerum, ſine vero religionis cultu; Ideo unum verum Deum vobis annunciamus per ſacerdotes noſtros. Nam Dii, quos colitis, inania fictaque ſunt Numina, qualia et majores noſtri Franci cùm has terras veſtras tenerent, ſedes ſuas, per ſummam cœcitatem et dementiam coluerunt. Demum Clodoveo Francorum Rege majores noſtri Chriſti religionem amplexi tantùm pòſt damnavêre primos errores, quantùm divinæ lucis et veritatis ſibi illuxiſſe didicerunt. Hoc et Gothi in Hiſpania, Longobardi in Italia, Saxones et majores veſtri in Anglia: Hoc Haſſi, Thuringi, Friſones, Batavi ceteriq; populi veſtra memoria fecerunt, qui nunc unam nobiſcum Chriſti religionem colunt, nec ob ullam rem magis læti fœlicesque, quàm quòd è tenebris, in quibus vos miſeri hæretis, admirabile illud gentium lumen adſpexerint. Sed hæc Sacerdotes noſtri, quos vobis dabimus ſatis vos docebunt, quos longè utilius erit vos audire, quàm hæc me dixiſſe. Nec tamen ulli veſtrum religionem, quæ liberæ debet eſſe mentis, imperamus; nec per fraudem obtrudimus, quaſi libertatem, pro quâ pugnare vos dicitis, ejus obtentu erepturi. Arma laceſſiti intulimus, jure victoriæ id ſolum reddimus, ut fœdera, ut pacem tueamur. Quam vos libertatem armis veſtris obtenditis, eam nos genti veſtræ inter prima hæreditatis dona relinquemus, modò et his libertas religionis permittatur, qui inter vos aqua Baptiſmatis ablui, et Chriſtiani eſſe volunt. Neſcitis profectò quantum libertatis vobis cum Chriſti religione veniat, quæ vos à fœda dæmonum ſervitute liberat. An Friſiis? An Haſſis? an Thuringis? an Batavis ceterisque populis, qui cum Francico imperio Chriſti ſacra ſunt amplexi, quicquam ſervitutis acceſſit? niſi ſuave Chriſti jugum ſervitutem appellare libeat. Leges nonniſi cum communi gentis conſenſu, tributa nonniſi cum veſtro arbitrio præſcribentur. Agri, bona, poſſeſſiones, jura veſtra, ut tenetis, manebunt, aucta etiam privilegiis noſtris. Magiſtratus penes gentis veſtræ homines erunt, tantum in unam Reip. compagem nobiſcum tranſite. Franci ſumus, id eſt, liberi, qui eadem libertate gentem veſtram qua noſtram æſtimamus. Bellum nunc pacemne velitis in veſtra poteſtate erit. Moneant vos documenta ſuperiorum malorum cladesque, quas me Rege accepiſtis, ne pertinaciam cum ſervitute, quàm obſequium cum libertate malitis. Vix dum annus ſe evoluit, quando ad hos fontes Luppiæ innumerabilis hominum veſtrorum multitudo ſe ad pedes meos ſupplex abjecit; po-

eit; poteram tum gentem hanc excidio delere: vitam ultro donavi et libertatem. Agite ne clementia in severitatem, et severitas in sævitiam provocetur. Armis Francicis tota propemodum Europa est subacta; quod supereſt vicinarum gentium, nil nisi bonam amicitiam et pacem in unâ religione nobiscum colit. Omnibus ego bellis posthabitis, quidquid est potentiæ et virium in Regno Francico, convertam in vos, nisi quæ pacta sunt aut nunc paciscemur inviolata permaneant, Christianisque parta et pacta libertas servetur.

Multa in hanc rem disertè Carolus, quemadmodum, Eginhardi testimonio, *eloquentia erat copiosus, et exuberans, poteratque quidquid vellet apertissimè exprimere.* Vox præterea clara canoraq;, ut ab omnibus audiretur: sermo Francicus, quia Germanus idem, qui Saxonum nullius interpretis indigens. At Saxones etsi non eadem sentirent, ægreque tam Caroli consilia, quàm Francorum imperia acciperent; non tamen ausi in præsens obluctari, aut victoris iram accendere. Igitur Regis potestati se submittunt, veniam supplices deprecantur, fidem & obedientiam spondent; post quæ ingens Saxonum multitudo, quæ ad Baptismum se denuo obtulit, salutari rursum aqua Baptismatis Paderbornæ est abluta. Lætus cumprimis Carolus ita Christi limites propagari; ac licet pronus esset passim populus ad Christi sacra amplectenda, non tamen Carolus, & qui aderant Carolo Episcopi & Francorum proceres fidebant Saxonum primoribus; quos ut arctius adstringerent, decretum synodi sententia, revocandos esse certis juratisque conditionibus ad sacramentum fidei dicendum; jussique jurare omnes; si denuo perduelles fidem fallerent, omni libertate, ingenuitate, bonis hæreditarijs & patria ipsa in pœnam rebellionis esse exuendos, quos exinde fas esset Francis aut mancipia facere, aut in exilium projicere. Quæ postquam sanctè sunt jurata à Saxonibus, quisque in suas sedes est reversus.

Saxones fidem denuo jurãt.

Paderbornæ ingẽs Saxonum turba baptizata.

Tum verò Carolus, qui jam totam Saxoniam sui juris & juratæ fidei fecerat, cœpit cum synodi patribus & Francorum proceribus agitare consilia de Episcopatibus per Saxoniam instituendis; creduntur que pleræque Episcoporum sedes ac Diœceses aut constitutæ aut designatæ. Quam in rem adduco Ægilis Fuldensium Abbatis testimonium, æqualis eorum temporum scriptoris. Is cùm primas Caroli in Saxoniam expeditiones strictim præmisisset, *post non longum*, inquit, *tempus totam provinciam illam in Parochias Episcopales divisit, et servis Dei ad docendum et Baptizandum potestatem dedit.* Advertant hæc hæreticorum scriptores, qui negant ullos unquam Episcopatus à Carolo conditos. Quid enim Parochiæ, cumprimisq; Parochiæ Episcopalis nomine aliud, quàm Diœceses Episcoporum apud ejus ævi scriptores? vel is satis intelligit, qui mediocriter in veterum scriptis versatus est. Consulant deinde Caroli diplomata, quibus fatetur à se postea antiquo Romanorum more divisam Saxonum

In Synodo Paderbornensi Episcoporum sedes constitutæ.

Aegil. in vita B. Sturmion. apud Brovverum Adamus Bremens. Diploma Verdens. Eccles. infra à nobis recitatum.

num terram in provincias, distributamq; inter Episcopos certo limite disterminatam. Sub id tempus evocatus Fulda D. Sturmio Abbas, ut idē auctor perscripsit, cujus verba recito: *Tunc pars maxima B. Sturmioni populi et terræ illius ad procurandum committitur. Susceptoigitur prædicationis officio, curam modis omnibus impendit, qualiter nonparvum Domino populū acquireret. Sed temporibus instabat opportunis, sacris eos sermonibus docens, ut Idola et simulacra derelinquerent, Christi fidem susciperent, Deorum suorum templa destruerent, lucos succiderent, sanctas quoque Basilicas ædificarent. Quo cùm multum temporis prædicando et Baptizando cum suis presbyteris peregisset, et per regiones quasq; singulas Ecclesias construxisset, iterum postea Saxonum gens prava et perversa, à Christi fide devians, vanis se erroribus implicavit, congregatoque exercitu ultra fines suos egressa est, et usque ad Rhenum vastando et populando cuncta pervenit.* Id verò cùm proximo anno factum sit sævâ illâ Widekindi irruptione, ut annales Francorum docent, & nos etiam mox relaturi sumus, necesse est hoc anno meminisse, Parochias illas Episcopales à Carolo institutas, & B. Sturmionem, si non superiore etiam anno, in Saxoniam à Carolo cum sacerdotibus suis evocatum esse, & quæ auctor per multum temporis ab illo gesta refert, ad hos annos adscribenda esse. Ac nihil ex his se mihi verisimilius offert, quam D. Sturmionem vicinam apud nos Hassiæ regionem Evangelij doctrina illustrasse, captà vel Eresburgi, vel Heristalli, vel Paderbornæ statione; ac primam diœcesis nostræ doctorem, Apostolicumque à Carolo virum impositum haud immeritò censeri posse, à quo cœtus Christianorum collecti, tēpla construi cœpta, populi Baptismatis aqua abluti, & felici successu fundamenta Christianæ religionis sint jacta. Quippe Sturmio ex nobilitate Noricâ, & D. Bonifacij disciplina magnæ facundiæ & fervoris in proferenda inter Barbaros Evangelij luce, in hoc opere D. Bonifacium magistrum suum egregiè semper æmulatus. Hujus discipulus Ægil quartus Fuldensiū Abbas, à quo hæc nobis tradita sunt; potuitq; & ipse inter primos Apostolicos sacerdotes esse, à quibus hæc Meridionalis pars diœcesis Hassiæ confinis primùm collustrata est.

Annal. Francor. Brovverus in notis ad vitā Sturm. Sturmio Paderbornensiū doctor.

Inter cetera Paderbornensis synodi decreta, præsente urgenteq; Carolo, primus hoc anno Episcopatus Osnabrugi est constitutus, factumque ab eo initium ceterorum per Saxoniam Episcopatuum. Nam hanc primam esse omnium Ecclesiam, quam in Saxonia condiderit, & in honorem S. Petri Principis Apostolorum, & SS. Martyrum Crispini & Crispiniani construxerit, profitetur Carolus ipse in utroque diplomate in monumentis Paderbornensibus recitato; nec opportunius quàm ad hunc annum ex hac synodo meliori auctorum judicio reducimus. Nam quod patrius scriptor consul Ertmannus, fastique ejus loci ad annum 772. ejus initia referant, quo Pascha Carolum Osnabrugi celebrasse volunt, id prorsus inconve-

Osnabrugensis Episcopatus conditur.

niens,

niens, cùm nondum ullum Pascha Carolus celebrârit in Saxonia; nisi nos omnes Francorum annales fallant. Neque illorum opinionibus accedo, qui anno 775. conditum volunt Episcopatum. Perlustrata tunc quidem à Carolo, ut diximus, Saxonia & fortè templi fabrica cœpta. Sed nondum tum Carolus securus de Saxonia, ut pedem Christianæ religionis istic figere populo liceret. Nec Crantzium probo, quem Baronius secutus, quòd uterque ad annum 780, alteramque Paderbornensem synodum ad fontes Luppiæ habitam reijciat. Quin ipse Crantzius in Saxoniâ suâ ad hunc annum primi illius Episcopatus initia revocat, perinde ut alij fecerunt; nec alia mihi super hac re certior ratio, quàm quòd ab Ægile ante annum 778. Parochiæ Episcopales à Carolo scribantur per Saxoniam institutæ; & si inter eas Osnabrugensis prima, certè ad hujus synodi acta atque ad hunc annum referre par erit. Primus huic sedi populoque Saxoniæ impositus est Episcopus D. Wiho, gente Frisius, atque ex ipso Leowardiæ oppido, ut Frisij auctores perhibent, jam ante D. Ludgerum à primâ juventute adscitus in clerum, & seminarium Trajectense, atque ab ipso D. Willebrordo, ac deinde à Bonifacio ad omnem pietatis cultum sanctimoniamque vitæ formatus; quem jam ex docendi Evangelij munere Frisia clarum, ætas insulæ maturum, Caroloq; commendatum fecerat. Eo quoq; agente ab Altfrido Leodiensium Antistite consecratus est Episcopus, uti certa apud illos annalium memoria tradidit; ut vel inde recognoscant hæretici, quod in ceteris quoque monstrabimus, nullum à Carolo M. Episcopum esse impositum, qui non pro veteri ritu inunctus sit; ideo anni consecrationis, loca, & consecrantes Episcopi tam sollicitè relata in tabulas à majoribus nostris. Hoc nunc illud Caroli votum, quo primum Episcopatum Saxoniæ S. Petro Romæ obtulit. Ac verisimile habeo Carolum solutâ Paderbornensi Synodo Osnabrugum cum exercitu movisse, Wihonemque coram imposuisse loco & populo antistitem ac prima Basilicæ fundamenta imperasse. Quam in rem adferunt scriptores Carolum descendisse in has Westfaliæ partes, ac binas Widikindo profugo proscriptoque arces eripuisse, alteram in Angariæ montibus, in qua paternam sedem habuit, monumento ejus pòst, & collegio Canonicorum illustrem; alteram Iburgum haud procul Osnabrugo in abrupto montis jugo, quæ post Episcoporum Osnabrugensium sedes delecta; utrumque locum Francorum præsidio ad tutelam Christianorum præmunitum volunt. At qui præterea Episcopatus à Carolo in Paderbornensi synodo aut instituti aut descripti, non tam explicatè finitéque ex servata temporum ratione accepimus. Pronum quidem est ad hunc annum referre Paderbornensis Episcopatus initia, quæ tamen ad alteram Paderbornensem Synodum reijcere magis libet. Celebris interim hac synodo Paderborna,

Crantzius in Metropoli Annales Astron.

Crantzius in Saxon. l. 2. Cleinsorg in Chron. c. 11. Lesnerus in Carolo. Furmerius. Turckius in M. S. Veldius in M. S. Grothusius in M. S. Crantzius in Metropoli Ertwinus Fasti Osnab. Suffridus. Hamcon. de Frisia. Furmerius.

S. Wiho primus Osnab. Episcop^s. Wiho ab Alfrido Leodiensium Episcopo consecratus.

Letznerus. Chron. vetera.

P. Horrion. in Paneg. Paderb. quòd ex ea, ut Panegyricus noster retulit, Christi religio primùm firmata proclamataque sit, atque inde per universam Westfaliam diffundi cœperit. Hîc nimirum, ut vetus Poëta scripsit, indomita ac silice duriora Saxonum corda Caroli ferro metuque icta emolliri cœperunt. Hîc innumera hominum multitudo superiore & hoc anno salutaribus Baptismi aquis abluta Paderbornam celebriorem fecit; tanquam istic arcanum Christi Baptisma ac mysterium cum barbaris gentibus communicari voluerit Deus, ubi natura prius hæc fontium beneficia ac miracula dederat. Hîc, ejurato Idolorum cultu, Saxones consignati signo crucis sub eodem Christi trophæo ac signo militare, palamque in vicis & semitis, ut vetera docent vestigia, crucis servatoris trophæa erigere cœperunt; ut vel inde sibi persuasum habuerit vetus Poëta noster, qui Arnulphi Cæsaris ævo vixit, scripsitque temporum vicinus, hoc ipsum signum crucis Episcopis Paderbornensibus insigne datum fuisse, quod hodiedum tanquam in suo scuto gentilitio præferunt. Hunc exinde locum ad Paderæ Luppiæque fontes Carolus M. toties frequentavit, hunc hospitijs aulæ suæ, hunc castris militum, hunc comitijs populi Saxonici, hunc consilijs Episcoporum & Francorum procerum, hunc regulorum accessu, & posita Episcopi sede illustrem fecit. Nec locum facilè proferet Saxonia, in quo sæpius quàm ad hosce Paderæ fontes, & in hac diœcesi versatus sit Carolus. Quæ ut nostra etiam memoria ex antiquitatum vestigijs illustriora aspicerentur, Ferdinandus Princeps & Paderbornensium Episcopus inter egregia diœcesis suæ monumenta etiam Paderæ fontes, qui per id tempus cum Paderborna suo nomine inclarescere cœperunt, expolitâ carminis inscriptione, quam hic sistimus celebravit.

PADERÆ. FONTES
MEMORIÆ. SACRUM

HIC. UBI. FONS. PADERÆ. MEDIA. SURGENTIS. IN. URBE
DUCO. VETUS. MAGNI. NOMEN. AB. AMNE. PAGI
MARTE. DIU. ANCIPITI. CAROLUS. CERTARE. COACTUS
DELEGIT. CASTRIS. CONCILIISQUE. LOCUM
JUSSIT. ET. HIS. UNDIS. LUSTRATAM. SUBDERE. GENTEM
SAXONICAM. VERO. COLLA. SUPERBA. DEO
HIC. LEO. ROMANA. DEDUCTUS. AB. URBE. SACELLUM
SACRAVIT. PRIMUM. RELLIGIONIS. OPUS
HIC. SEDES. LONGO. FUIT. ORDINE. DEINDE. SECUTIS
TERRARUM. DOMINIS. INCLYTA. CÆSARIBUS
VIRGI-

VIRGINIS. HIC. CONJUX. VIRGO. CUNIGUNDA. MARITI
ACCEPIT. MERITIS. REGIA. SERTA. COMIS
PONTUM. ALIUS. SUBEAT. SEPTENA. PER. OSTIA. NULLUS
FONTE. CAPUT. NOSTRO. GRANDIUS. AMNIS. HABET

FERDINANDVS
DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA
EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR
MONASTERIENSIS. S.R.I. PRINCEPS. COMES
PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO
DE. FURSTENBERG.

AD. FONTES. PADERÆ. CASTRIS. COMITIIS. ET. FREQUENTI
IMPERATORUM. REGUMQUE. GERMANIÆ. ET. FRANCIÆ. HOSPITIO. AC. REGIA
S. CUNIGUNDÆ. CORONATIONE. CELEBRATOS
M. H. P.

Nil jam attinet ipsos Paderæ fontes atq; ipsa naturæ miracula, quibus nihil Saxonia atque ipsa Germania habet admirabilius, commemorare; abundè id in Panegyrico & in commentario Monumentorum, tum alibi etiam à nobis præstitum est; nec consultum habemus eadem vel cum fastidio legentis repetere, vel narrationem quâ urgemur, interturbare.

Nondum Carolus comitia Paderbornensia solverat, aut in Westfaliæ interioris partes descenderat, cùm hîc Regem ad Paderæ fontes adhuc versantem convenêre tres Saracenorum legati ex Hispaniâ, longo terrarum tractu in has remotas Saxoniæ partes consecuti, Ibnarabi, ejusque filius Devizefi, ac tertius gener Alarviz: alij hos Reges, alij principes ac præfectos gentis ejus dixêre. Haud alia legationis causa, quàm ut Caroli opem implorarent. Orta quippe dissensio erat inter ipsos Saracenos Hispaniam insidentes, & pars potentior oppresserat debiliorem, eoque etiam, quòd plus justo Christiano nomini faverent. Admissi beneficè honorificéque Paderbornæ à Carolo; & quia multa largè offerebantur à legatis, neq; Rex ignorabat quantum avo patreque suo hi Barbari vexassent Franciam, accensus novi belli ardore, expeditionem in Hispaniam decernit; tanquam de Saxoniâ debellatâ jam certus, quæ trium gentium submissione sanctiùs quàm antè per omnia sacra fidem & libertatem Christiani nominis juraverat. Hac ille fiducia cùm & Italia & Germania & Gallia, & omnes circum regiones quiescerent, celebrato in Aquitania Paschate, cum exercitu ex hibernis in Hispaniam movet, transcensisque Pyrenæis montibus, in Navarræ transitu Pampelonem capit. Inde interiora ingressus Cæsaraugustam subigit. Ad quem terrorem

Tres Saracenorũ Reges Paderbornæ veniunt ad Carol. M. *Vita Caroli. Astron. An. Ann. Fuld.*

Caroli M. expeditio in Hispaniam. An. Christi 778. Regni Franc. II. Longob. 5. 7. Belli Saxon. *Eginardus. Ann. Fräc.*

Poëta Anonym. Regino. Bellum Hispanicum.

rorem cæteræ se urbes dedidêre; prolatoque ad Iberum usque flumen imperio, exercitum reducit in Franciam; quo in reditu dum per Pyrænæos montes relegit iter, Vascones positis ad claustra rupium insidijs in extremum agmen atque impedimenta impetum faciunt, multosque impunè cedunt, quòd primi medijque Francorum angustijs montium clausi postremis auxilia ferre non possent. Perijt illâ clade, uti ab Eginardo relatum est, Eghardus regiæ mensæ præpositus, Anselmus palatij Comes, & Rulandus littoris Britannici præfectus, heroum eâ tempestate fortissimus, magnum exinde scriptorum Poëtarumque argumentum, in quo multum se nostri hoc ævo fatigant, quotquot Rulandi colossos ac statuas à primâ origine requirunt; quales Bremæ alijsque Saxoniæ in oppidis fora exhibent, libertatis, ut volunt, & privilegiorum indices. Suppetunt auctores, qui Caroli M. nepotem ex sorore tradant, patremque habuisse Milonem Angariæ Ducem. Ipsum adeo Rulandum Westfaliæ Herculem appellare audent, ob egregiam Carolo in bello Saxonico præstitam operam. Reperies etiam, qui fastis Divorum adscripserint. Mihi præter ea, quæ Eginhardus retulit, nihil ex priscis Francorum scriptoribus compertum. Multa hujusmodi obscuravit vetustas; quâ in re si quid certi, id ex traditâ potius majorum fide trahendum est. Sanè loca, in quorum foris statuæ à Carolo positæ narrantur, nondum tum urbes, quas Caroli ævo nullas fere habuit Saxonia, ut multa hîc fabulis simul obvoluta reputari possint; ætas posterior has statuas aut Carolo M. aut alijs Imperatoribus posuerit, & vulgus Rulandi nomen dederit.

Clades in montibus Pyrenæis illata, quâ & Rulandº perijt. Crantzius l. 10. Saxon. c. 2. Fabric. l. 7. orig. Saxon. Reinneccius ad Anon. Poët. Spangenberg in Chron. Saxon. Lindenb. in Chron. Sax. Chron. Bremense. Reusnerus in opere geneal. Dresserus. Berthius l. 3. comm. Germ. in Magd. Canisius. Molanus in Martyrol. Rulandi statuis quæ fides habenda.

Interim Carolum magnopere afflixit hæc clades ex Rulandi & præstantium virorum interitu, magisque rebellio Saxonum, quam ex intinere intellexit. Nam dum Rex bello Hispanico distineretur, Saxones, cumprimisque Westfali, per hanc Regis absentiam nacti opportunitatem, arma corripiunt, tanta gentis perfidia & audacia erat. Auctor rebellionis Widekindus memoratur à scriptoribus Francicis. Is jam ex Daniâ in Westfaliam cum auxiliaribus Barbarorum copijs redierat, vindictæ irarumque plenus in Francos; & quâ pollebat auctoritate, facilè Satrapas cæteros populumque excivit, magnificè Danorum & Nortmannorum auxilia jactitans. Postquam igitur tumultuarius conflatus est exercitus, Dux ipse Widekindus cum eo ad Rhenum contendit. Quo loco referam prius quid D. Ludgerus scripserit de hac irruptione; deinde quid Francorum annales tradiderint. Quippe ferocissimi ac perfidi homines conglobati ex imperio Satraparum moverunt cum validissimis agminum copijs ad Rhenum inferiorem, & quæ se primùm obtulerunt Christianorum loca, ferro & igne longè latèque depopulati sunt. Inde ad littora Rheni progressi, oppidum Werdam, Christianorum & D. Suiberti odio, quem

Saxones per absentiam Caroli in Hispania rebellant. Auctor vitæ Caroli Ann. Pith. Ann. Frãc. D. Ludger. Epist. ad Rixfrid.

quem Francorum patronum adversum se noverant, ex improviso obruunt expugnantque. Nihil istic furori barbarico intactum mansit; post spolia injectæ ædibus flammæ, templum exustum, collegium sacerdotum quantum licuit subrutum, direpta sacra supellex, libri concremati, trucidati sacerdotes, paucis elabentibus, incolæ prope omnes ad internecionem deleti: non sexui, non ætati parcitum, nec mortuis etiam, quando in nullum spolium magis inquisitum, quàm in corpus D. Suiberti; quod tamen, quia tempestivè terra abditum erat, singulari Numinis providentia in prædatrices manus non pervenit; nec prius oppido excessêre, quàm nudatum munimentis in solitudinem vertissent. At barbarum facinus confestim ultrix à tergo Numinis manus est consecuta. Quippe dum læti ac soluti hærerent adhuc in suburbanis pratis prandendo potitandoq;, ac quisque sua in Christianos edita denarrat scelera, accessit ad commilitones suos Ogellus Osterbachius gente Westfalus ac Paderbornensis, cœpitque inter cachinnos & impias in Christum voces referre, uti hac manu suâ tot Christiani mactati, & templo D. Suiberti ignes admoti, quos etsi primi conatus irritos fecissent, flammâ vel depulsâ vel extinctâ, postremò facem à se tecto injectam esse, flammisque quibus templum conflagrârit, vim addidisse. Vix dum hæc elocutus, cùm resupinus in terram corruit, fractisque cervicibus sceleratam animam evomit, quo spectaculo attoniti, qui aderant, vindicem Dei manum agnovere, & quidam etiam cum pœnitentiâ scelerum. Jacuit fœdum Ogelli cadaver tres horas inhumatum, & quia aspectu horridum, velo obtectum est. Pòst ubi signum datum movendi castra, consanguinei advolant humaturi in cœmeterio oppidi; mox fovea aperitur, sed quantum terræ egestum, tantum mox sponte refluxit: tentatum id alio atque alio loco, frustra fuêre omnia, humo identidem relabente, ne sceleratum cadaver sacer locus caperet; quibus fatigati in Rhenum illud proijciunt. Sed ecce novum prodigium; narrantur hæc alijs per castra de Ogello: audiunt quoque duo Satrapæ Nothelinus & Occo: rident illi, eôque contemptius, quòd quæ humanorum sunt casuum, Suiberto vindici adscribant, cui ne fas quidem fuerit suum templum à flammis tueri. Neque hæ sacrilegæ voces Satraparum sine novâ vindictâ; ac primum Nothelinus oculorum cæcitate punitus, simulq; ingenti dolore, quo totum corpus excruciatum. Quibus malis aliquamdiu conflictatus redijt ad saniorem mentem, votumque concipit invisendi sepulchrum D. Suiberti, & reparandi pro opibus exusti templi ruinas. Vix dum hæc edixerat, cùm detersо dolore visus est redditus, nec segnius ille vota explevit ex barbaro Christianus. Pertinacior Occo Satrapa, quòd multis spolijs ditatus, & superbo invectus equo non desisteret criminari Carolum Regem, quòd patrios Deorum ritus & libertatis jura tolleret,

De S. Suiberto c. 4. &c. Widekindus ad Rhenum progressŏ barbarũ in modum grassatur in Christianos, & Christianorum sacra. Sævitia in Cæsaris Insulam & D. Suiberti collegium & incolas. Vindicta in tres sacrilegos satrapas.

tolleret, eo abs se suisque justâ vindictâ D. Suiberti templum & oppidum eversum. Ejusmodi multa cum per castra apud milites in Christianorum odium jactitaret, repentè aurium & linguæ usu est orbatus, ut nec mutus impias voces jactare, nec surdus militum applausus audire posset, quo malo, quòd militiæ inutilis esset, domum deportatus, diu in luctu & squalore jacuit. Pòst ubi ad consimilem Nothelini pœnam medelamque reflexit animum, concepit & ipse Nothelini votum, invisendi Suiberti tumulum, & reparandi templum; ad quod repente linguæ atque aurium usum recepit. Nec mora cum omni familia Werdam profectus D. Suiberto se gratum stitit, remissâque domum familiâ, majori etiam quàm Nothelinus contemptione rerum humanarum, Satrapæ munere se ultrò abdicando, Werdæ in perpetuum servitium sè D. Suiberto obtulit, templumque exustum collatis cum Nothelino sumptibus instauravit, quod altero mox anno absolutum stetit; ipse istic in alium hominem mutatus consenuit, dum inter Christi ministros sanctissimè vitam clauderet. Abdita Dei consilia, qui ex eodem flagitio Ogellum Paderbornensem in flagranti crimine abjecit, ceteros Satrapas ad pœnitentiam recepit; potuitque hic Nothelinus, quod Nothelenæ vicum credatur incoluisse opibus affluens, vetusti cœnobij virginum Notelensium esse conditor, cui D. Ludgerum post Heriburgam sororem primam antistitem præfeciisse volunt.

Adelm⁹ seu Aimoinus. Auctor vita Caroli. Annal. Astron. Ann. Pith. & Fuld. Poët. Anon. Ann. Camis. Duitia *Adelmus & Poëta.* Duicia *Astron.* Durtia *vita Caroli vulgo* Tuitium *Germ.* Deutz.

Hisce Werdæ patratis, ut castra cœptaque sequar, Saxones cum exercitu Rheni ripam inter spolia cædesque Christianorum ascendunt, Duitium delati, quod Coloniæ objacet, non Duriam trans Rhenum, ut malè Regino obtrudit. Istic cùm castra adversa Rheni ripa explicarent Saxones, multoq; conatu tentarent transire Rhenum irrupturi in Francorum regiones, obstitit fluminis magnitudo & Francorum vigilantia. Duitio igitur secundum Rheni tractum promotis castris procedunt ascenduntque ad ea loca, ubi Confluentiæ Mosella se Rheno immiscet, haud impari quàm antè furore desævientes; nam quicquid à Duitio ad Confluentes Rheni & Mosellæ interjacet regionis Christianorum Francorumque ferro flammaque barbarum in modum depasti sunt, nullo ætatis sexusve discrimine; trucidati Christiani, incensa templa, raptæ ex clausstris ad stuprum consecratæ Deo virgines. Palam ex hac sæviendi rabie jactavere Saxones non se prædæ causa hæc agere, sed ulciscendi libidine, quo Carolum monerent, ne Saxoniam sibi vendicaret; sat virium sibi hactenus fuisse adversus tot Francorum Reges, nec defore adversus Carolum. Quæ dum hac tragicâ narratione nobis exponunt Francici scriptores, una cum D. Ludgero satis ostendunt, jam Christi religionem à Cæsaris insula, atque ab ostio Luppiæ per Westfalicam Rheni ripam & Boructuarios quam latissimè fuisse diffusam, quo in tractu Bar-

ctu Barbari tot Christianorum cœtus & cœnobia, in quæ bacchārentur repererunt. Ripuaria hæc transRhenum fuerit provincia Francorum imperio vel ante Carolum Regem comprehensa, eoq; Christianis sacris dudum exculta.

Opportunius inter hæc ex Hispanico bello advenerat Antisiodorum Carolus ac postquam Saxonum rebellionem illatasq; Christianis clades certis accepit nuncijs, confestim Orientales Francos & Alemannos cum expeditis legionibus ire jubet in perduelles refrenandos; mox & selectorum militum agmina submittit, qui transito Rheno hostem barbarum Francorum finibus exturbent; ipse Heristallum ad Mosam concessit cum reliquo exercitu in hiberna. Saxones ubi Carolum in Franciam redijsse didicerunt, reflexis à Rheni ripâ castris per Loganæ tractum in Hassiam procedunt lento onerum & prædarum pede; nec alio consilio magis opportuno, quàm ut cum spolijs in Saxoniam tutò se reciperent. Franci Orientales & Alemanni rem segnius egêre; at quæ à Caroli exercitu expedita erant agmina, festinatis itineribus per vestigia hostium accelerando ad Adranam flumen tandem consequuntur, sistuntque in Liheſi vico ad pugnam, prius quàm amnem trajicerent (poëta vetus Baddenfeldum appellat locum) Saxones quàm feroces antè in Christianos, tam vecordes conscientia scelerum, non ad prœlium sed lanienam objiciuntur, tantâ ibi strage cæsi à Francis, pauci ut superstites in Saxoniam per abrupta montium redierint. Hac victoriâ servati per Hassiam Christiani, quam Saxones haud secus quàm alia Francorum loca prædæ & sævitiæ destinaverant; jam enim adeo consternati erant ad hanc Barbarorum irruptionem inter cæteros Fuldenses Monachi, ut fugam circumspicerent, pro nullo thesauro magis solliciti, quam corpore D. Bonifacij, quod in quartum & vigesimum annum apud eos quieverat. Jam & Sturmio Abbas desertâ, quam cœperat, culturâ apud Saxones, se Fuldam receperat; Saxonesque cùm in Loganæ tractu considerent, comperti sunt agitasse consilia de occupando Fuldensi cœnobio, trucidandisque omnibus in eo religiosis viris; ad quam certam famam Sturmio corpus D. Bonifacij exportandum suasit, quocum Monachi Hamelsburgum ad munitum locum profugêre, ipse in Weteraviam secessit; eâ in fuga dum intelligunt Saxones à Francis cæsos ad Adranam amnem, Fuldam redierunt cum pignore sacri corporis. Tam hæc Ægilis narratio conspirat cum ijs, quæ ex D. Ludgero & Francorum annalibus retulimus, quàm certos nos facit ante hanc Saxonum irruptionem ad Rhenum à Sturmione atque alijs sacerdotibus excultam esse hanc Meridionalem Diœcesis Paderbornensis regionem; atque is laboris fructus etsi hac procella turbatus, altero tamen mox anno, ut referam, est resumptus, cœpitque firmari ampliarique Christi religio per diœcesin nostram,

Carolus ex Hispania redux mittit copias in Saxones, ipse in Heristallo hibernat.

Clades Sacrilegorum Saxonũ.

Ægil in vita Sturmion. Brouverus in notis ad eand. & in annal. Fuldens.

Fuldenses fugiunt cum corpore D. Bonifacij.

nostram, tanto cæteris Westfaliæ locis opportuniorem, quanto propiorem Hassiæ jam Christianæ.

An. Christi 779. Regni Franc. 12. Longob. 6. Belli Saxon. 8. *Auctor. Vitæ Caroli. Annal. Franc. Adelmi, Astronomi, Pithæi. Canisiani. Poët. Anonymus Regino.*

Carolus interim hibernos menses Heristalli ad Mosam exegit; ibi enim Natalem Christi, ibi Pascha lætum festumque habuit. Inde Compendium est profectus ad certa negotia expedienda. Quo ex itinere regressus occurrentem sibi habuit Ducem Spoletanum cum muneribus, hic enim Rogaudi casu perculsus ultro se in Caroli fidem dedit. Heristallo subinde Marcodurum (quod oppidum Duriam perpetuò scribunt annales Francici) accessit, Rheno & Saxoniæ propior futurus. Ac priusquam in perduelles Saxones cum exercitu moveret, synodum pro instituto majorum Marcoduri habuit, ad Ecclesiæ leges, ad ritus & populi mores formandos. Convocati ad eam Episcopi, Abbates, & Regni Austrasiæ proceres; & quoniam hæc fere sola ex superioribus ad nos pervenit integra, operæ pretium erit hoc loco quædam ex his præscriptis legibus in conspectum dare. Suffraganei Episcopi Metropolitanis suis secundum Canones subjecti sint, & ea, quæ in ministerio suo emendanda cognoscunt, prompto animo corrigant. Episcopi ubi in præsens ordinati non sunt, sine mora ordinentur. Monasteria quæ regularia fuerunt, vivant secundum regulam suam: similiter monasteria puellarum ordinem sanctum custodiant, & unaquæque Abbatissa sine intermissione in suo Monasterio resideat, nec duo simul monasteria administret. Episcopi intra Parochiam suam potestatem habeant in Presbyteros & clericos suos, ut secundum canones de ijs statuere possint. Episcopis facultas sit emendandi puniendique incestuosos: ijsdem viduarum cura correctioque intra suam Parochiam commissa sit. Nulli fas sit Clericum alterius recipere, nec ordinare in aliquo gradu sine commeatu Episcopi. Decimas quisque suas donet, ut per Episcopi jussionem dispensentur. Homicidæ ceterique rei, qui per leges damnati sunt mortis, si ad Ecclesias confugerint, non excusentur, neq; victus eis istic præbeatur. Qui perjurium fecerit, manum perdat, neque aliter crimen redimi permittatur. Mancipia vendantur in præsentia Episcopi, aut Comitis, aut Archidiaconi, aut Centenarij, aut Vicedomini, neque extra Marckam distrahantur. Multa ejusmodi viginti quatuor leginibus mense Martio in hac synodo Episcoporum, Abbatum & illustrium virorum, de latronibus, de censu & tributarijs, de loricis atque armis extra Regnum non vendendis, de comitibus, Vassis, feudis, tributarijs Ecclesiarum, securitate itinerum, de justitia per Comites administranda salubriter sancita sunt.

Carolus ante expeditionem in Saxoniam Marcoduri seu Duriæ Synodum agit. *Tom. 18. Concil. Paris. Capitularia Caroli apud Lindebrochium. Vitus Amersbachio, Sirmondus in notis ad concil.*

Leges Synodi Marcoduranæ seu Duriæ.

Solutis Comitijs Carolus omnia maturavit ad Saxonicam expeditionem, qua nihil ardentius habuit, ob perfidiam & immanem crudelitatem in Christianos exercitam. Quocirca arma & vindicta primùm in Westfalos conversa. Ita enim Saxoniæ scriptores hanc

Carolus in perduelles Westfalos movet.

Saxo-

Saxonum gentem compellant, & à ceteris distinguunt, quòd hi principes hujus rebellionis deprehensi sint. Utque in ipsa Westfaliæ viscera penetraret Carolus Rhenum trajecit eo loco, ubi Luppia se in Rhenum evoluit, ac post celebre Wesaliæ oppidum emersit; sive ex vico, quem ob id Canisiani annales Lippehaim dicunt; sive ex præmunito jam dudum castrorum loco in complexu fluminum, ex quo à bellis Romanorum primus semper planusque in Westfaliam ingressus patuit. Ibi transportato in hosticum solum exercitu, Westfali ad Caroli adventum se in arma colligunt, satis gnari aut dimicandum fortiter, aut extrema sibi ex conscientia patratorum scelerum subeunda esse. Castra metantur ad Bucholdiam, loco inter Wesaliam & Coesfeldiam, fagina silva incluso, ubi & Cæsium nemus olim monstratur tot Romanorum cladibus celebre. Ibi se Westfali inter paludes & impeditos saltus objecere. At postquam didicere Carolum cum ingenti exercitu transisse Rhenum, ac totum militiæ Francicæ robur Westfalis in conspectum venit, Victi prius metu quàm ferro, per avia nemorum & paludum se in fugam abjecerunt; ac tanta mox ceteros trepidatio incessit, ut desertis etiam munimentis se in interiora reciperent. Igitur Carolus incruento bello Westfaliam ingressus, primùm in profugos auctoresque rebellionis inquiri jussit ad perfidiæ pœnam repetendam; Inde libere pervagatus regionem, omnia spolijs, incendijs & cædibs pervastavit. Quo calamitatis aspectu fracti feroces homines, mittunt, qui clementiam Regis appellent, ac supplices omnem provinciam suam Francis submittant. Non his fidebat Rex toties perjuris, nisi fidem denuo jurarent, atque obsides darent; quibus acceptis, miseratus innocentum sortem, qui à Widekindo ac primoribus gentis se abductos querebantur, Westfalos omnes in gratiam recepit. Quo loco hunc conventum habuerit Carolus scriptores non prodidêre. Nec dubitaverim ex eo itinere, quo ad Visurgim perrexit, Carolum invisisse Mimigarnefordiam D. Suiberti fama & Christianorum cœtu olim celebrem, ibique conventum egisse, ac simul Episcopatus sedem designasse, ubi post à Carolo Basilica exstructa, & urbis Monasterienſis initia consurrexerunt. Nec enim verisimile Carolum M. ullo in loco sedem Episcopalem collocasse, quem non prius inspexerit. Rebus inter Westfalos compositis, Carolus cum insultante exercitu ad Visurgim progressus, castra posuit loco, quem alij Francorum scriptorum (a) Medufalli, ali (b) Medofaldi, alij (c) Mediofalli, quidam (d) Nudufalli appellant. Locus hactenus irrepertus; ac tametsi Francorum annales ad Visurgim collocent, auctor tamen vitæ Caroli Mediofalli in medio Westfalorum collocare est visus, quem annales Fuldenses, perinde ut Pithœani, designare videntur, ubi primus, de quo diximus, congressus pacisq; conventus fuit. Quam opinor causam fuisse, ut non ne-


Westfali nomen. Carolus ad Ostia Luppiæ Rhenum transit. *Adelmus Lippiam vocat. Rolevinguſ Lippekant.* Westfali prope Bucholdiam se congregant in arma. *Adelmus* Buocholt. *Astron. & Regino* Bucholt. *Auctor vitæ Caroli Annal. Canis.* Westfali fugitivi. Carolus Westfalorum conventum habet & supplices in gratiã recipit. Carolus verisimiliter Monasterium adijt.

(a) *Astron. Annal.* (b) *Canis. Annales.* (c) *Auctor. vitæ Caroli.* (d) *Adelm. Berthius in tabulis.*

mo Mimigardiam Westfaliæ interpretetur. Utcunq; se ista habeant, Carolus certè hoc anno Paderbornæ commoratus, ut docet diploma Cœnobio S. Maximini prope Trevivos datum, quòd hîc subjicimus.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Notum sit omnibus in Christum fideliter credentibus Regibus, Episcopis, Ducibus, quomodo ego Carolus gratia Dei Rex Francorum, Longobardorum, ac Patritius Romanorum, pro remedio animæ meæ atque stabilitate Regni nostri Sanctorum Monasteria sub meo regimine constituta taliter volo per successiones temporum manere illæsa, qualiter per Antecessoris mei privilegia inveni esse firmata. Proinde quia abbaziam S. Maximini in privilegio mei genitoris Pipini sub ipsius Mundiburdio constituta reperi, Ego quoque delibero testamentum facere, per quod ipse locus atque Monachi ibi conversantes sub nostra defensione cum quiete valeant vivere et orationi vacare. Quapropter Werinolffo Abbati de eodem Monasterio supradicti Confessoris Christi, quod est constitutum in suburbio Treveris, atq; dedicatum in honore sancti Johannis Apostoli et Evangelistæ, monachisq; in eodem loco Christo famulantibus regali authoritate seu potestate concedimus, ut habeant in secula post nos futura, liberam potestatem eligendi Abbatem inter ipsos monachos, si autem ibi non potest inveniri, eligant sibi, ubicunq; voluerint. Insuper nostra præceptione constituimus, atque inconvulsè firmamus, ut nullus Regum nobis succedentium, vel alia persona aliqua contra eundem locum, vel monachos in tota abbazia ullam potestatem exercere præsumat, nec thelonium usquam à navibus eorum exigat, seu placitum teneat, sine jussione et petitione Abbatis, sed securè et cum pace maneat locus ille sub nostro, et Successorum nostrorum Mundiburdio. Et ut istius chartæ authoritas firmior per tempora habeatur, nostræ manus signaculis eam affirmare decrevimus, et annulo nostro firmari jussimus.

Signum Caroli glorioſissimi Regis
Rudo relegi. Data mense Augusto
Anno XI *Regni nostri.*
Ata Patresbronna Fisco nostro, super ipsa.



Carolus ad Visurgim progressus, alterum Angario-

Seu jam Paderbornæ, seu alibi, alterum ad Visurgim Carolus conventum indixit, ad quem omnes Angariorum & Ostfalorum primores, gentisque legati se Regi stiterunt. Omnis enim circum regio tanquam eluvione superfusa, Francorum milite plena erat, &

Widekin-

Widekindus auctor rebellionis se in latebras Daniæ retraxerat. Ibi igitur Carolus cùm per aliquot dies stativa haberet, legatis coram exprobavit perfidiam, & crudelia, quæ à perduellibus anno superiore patrata essent, scelera. Ad quæ cùm illi supplices veniam deprecarentur, Carolus, qua erat clementia fiduciaque supra gentis perfidiam, ignovit; nec tamen abs se dimisit prius, quàm obsides darent, & sacramentum fidei dicerent. Ita omnem hanc gentem in fidem denuo recepit, & Christianam religionem ut biennio triennioque antè convenerat, revocatis sacerdotibus & Evangelij præconibus liberam confirmatamque reddidit. Quam in rem inter ceteros quoque Carolus D. Sturmionem Fulda evocavit; sed is jam senio & laboribus præfractus invalidusq; ad docendi munus, jussus à Carolo Eresburgum se recipere ad quietem & loci tutelam. Ubi cùm gravi morbo tentaretur, Carolus qui de emerito viro sollicitus erat, medicum illi suum Winterum submisit, quocum Fuldam delatus est ad Monasterium; sed fallente medici arte, & morbo indies invalescente, convocatoque fratrum cœtu, ad postrema monita inter suorum suspiria XVI. Calend. Januarij sanctissimè vitam clausit. Vir sanè Apostolicus, qui ab anno DCCLIV. Pipino etiam Rege, jam Saxoniam excolere cœpit; unde assiduo docendi peragrandique labore efferas gentes ad Christi religionem perduxerat. Primus etiam inter Evangelij præcones, qui proscripto Idolorum cultu hanc diœcesin nostram Paderbornensem Christi doctrinâ illustrare, in eaque templa erigere, & cœtus convocare instituit. Inde haud secus quàm D. Bonifacius Thuringorum & Saxonum Apostolus est habitus; quemadmodum & D. Ludgerus scripsit, virum hunc vicinas circum regiones Monachis & electis doctoribus replêsse. Successor ei delectus Bangolphº ex Monacho ejus Cœnobij secundus Fuldensium Abbas.

rum & Ostfalorum Conventum habet, perfidis ignoscit, & obsides accipit.

B. Sturmio æger Eresburgum remittitur. Sturmionis mors. *Aegil. in vita Sturm. Brovverus in fider. illust. ac notis ad eandem Idem in antiq. Fuld.*

At Carolus, postquam, disjectâ rebellionis procellâ, Saxonum animos ad quietem & libertatem Christianæ religionis reduxerat, castellaque præsidijs firmârat, cum reliquo exercitu Saxonia excessit, iterque per extrema diœceses Paderbornensis Eresburgum, atque inde per Hassiam & Weteraviam capessendo ad Rhenum delatus, Hyemem Wormatiæ transegit. Ibi Natalitia Christi, ibi solemnia Paschæ celebrata in medio Germaniæ, ut tanto propior Saxoniæ curas intenderet; quam hoc anno octuagesimo supra septingentesimum ex prospero belli successu, & prona totius gentis submissione constitutum habebat in certam aliquam provinciæ formam & firmas Episcoporum diœceses redigere. Eò Episcoporum, eò procerum consilia per hyemem agitata: eò & Carolus per primam anni opportunitatem, & veris initia cum ingenti exercitu & præsulum comitatu Saxoniam denuo ingressus; susceptoque per Hassiam itinere Eresburgum pervenit. Castrum jam eo loco præsidijs firmatum diximus,

An. Christi 780. Regni Franc. 13. Longob. 7. Belli Saxon. 9. Carolus ab expeditione Saxonica Wormatiæ hibernat. Carolus cum exercitu in Saxoniam redit.

Aegil. in vita Sturm. Carolus Eresburgo ad Luppiæ fontes accedit, multique rursum baptizantur.

diximus, urbemque etiam Ægil adjicit. Sed Eresburgo in interiora Saxoniæ digressus, ad Luppiæ fontes consedit cum exercitu: confluxitque rursum ingens Saxonum multitudo, quæ, ut Gobelinus est auctor, aquâ Baptismatis est abluta. Sed nihil per hæc stativa celebrius, ac synodus à Carolo istic congregata, quam Lippiensem, acta Conciliorum appellant; quanquam parum interfit Lippiensem an Paderbornensem secundam dicas; idem enim loci complexus intra hocce spatium, quo Luppiæ & Paderæ fontes sibi prope junguntur. Synodi hujus testem adducunt Parisienses Crantzium, cùm hoc multo antiquior sit auctor vitæ Caroli, & Regino, ac deinde Gobelinus noster, ex quo multa producit Crantzius. Sed hi postremi maximè opportuni Baronio & Parisiensibus, quod ijs auctoribus fistant nobis, quid in ea Synodo pertractatum actumque sit; id enim cùm Francici scriptores qui bellica tantum Caroli tradidêre, prætermittant, ea ex ceteris scriptorum monumentis explenda sunt. Constat autem primùm in hac synodo ad fontes Luppiæ litem, quæ inter Assuerum Prumiensem Abbatem, & Weomadum Trevirensem Archiepiscopum de Cella D. Goaris agitabatur, consequentibus Regem utriusque partis legatis decisam esse, ac tandem Carolum discussa causa Cellam & oppidum adjudicasse Abbati. Accessit dein sub hoc tempus Paderbornæ Carolum Wigtrudis, è prima Saxonum nobilitate matrona. Hæc per lachrymas advoluta ad pedes Regis queritur, post ereptum recenti funere maritum, & quod multò acerbius erat, sibi à mariti fratre per vim illatum esse stuprum; rogare igitur Regem ut flagitij hujus se vindicem, & filium, quem honestissimo toro susceperit, in clientelam admittere velit. Rex benignè solatus viduam, filium in tutelam suscepit; ac mox salutaribus undis ablutum ipse è fonte Baptismatis sustulit, omnique cura providit ut in Christiana religione educaretur. Hic ille Meinulphus egregia indole puer, qui pòst in Clerum Paderbornensium cooptatus condidit Monasterium virginum Bodecense, interque primos Saxoniæ flores sanctimonia vitæ & miraculis clarus, Divorum numero adscriptus est. Verùm cùm Badurado secundo Paderbornensium Episcopo in disciplinam primùm traditus memoretur, ad posteriora Caroli tempora hæc potius retulerim.

Auctor. vitæ Caroli Regino. Synodus Lippiensis seu Paderbornensis secunda. *Wendelino in actis D. Goaris. Brouverus lib. 7. Annal. Trevir. Gobelin. in vita Meinolphi.* Wigtrudis D. Meinolphi mater adit Carolum, questa de stupro sibi per vim illato. Meinolphus Carolo susceptore baptizatur. *Vita Meinulphi apud Brouverum.*

Multa præterea in hac Synodo salubriter constituta ad firmandam Christi Religionem inter Saxones; ac nihil inter hæc illustrius, quàm quòd post conditum Episcopatum Osnabrugensem novi aliquot Episcopatus instituti sint. Quanquam non desint, qui eam institutionem Episcopatuum, fluctuante adhuc belli fortuna inter Widikindi arma, ad aliam Paderbornensem Synodum, quæ quinquennio ab hinc habita est à Carolo, referri velint. Nihil hac super re certius, quàm nobiles illos per Saxoniam Episcopatus à Carolo institutos

esse

esse; verùm nihil obscurius, quàm quo quisque anno cœperit. Tanta hîc vetustatis caligo, tanta fastorum scriptorumque dissensio inde tam incertus ordo, quo quisque post Osnabrugensem secundus, quis tertius quartusve sit. Interim quantum scriptorum quorundam testimonijs ac monumentis niti fas est, hoc anno novi aliquot Episcopatus aut designati aut conditi; qui deinde in proxima Paderbornensi Synodo, ac post Widekindi ad Christianam religionem transitum confirmati, & in suos limites descripti sint; magnorum enim operum, ut perficiantur, non unius anni labor est. Sanè Mindensem Episcopatum hoc anno condi cœptum vetus testatur versus

En septingentis, Octoginta simul annis
Ecclesiæ Mindæ locus aptus conditur inde.

Ita non incongruè Halberstadiensis Episcopatus exordia ad hunc annum ex Dithmaro Episcopo referas; ita enim probatus ille scriptor: *Ludgerus frater Hildegrimi Cathelaunensis Episcopi, sanctæq; Halberstadensis Ecclesiæ rectoris primi, quàm tenuit* XL & VII *annos, discedens ab hoc sæculo regnante tunc Ludovico Imperatore Pio, Domin. Incarnationis* DCCCXXVII *anno.* A quo obitus anno si ceteros, quos in Episcopatu exegit, retro numeres, hic de quo agimus, annus DCCLXXX, Episcopatus ejus initia dabit. Sedes autem Episcopatus primo Salingstadij, quod nunc oppidum Osterwicum dicimus, à Carolo constituta, ex quo postea ab ipso Hildegrimo Halberstadium, anno Christi DCCCIX, uti id auctor Chronici Mindensis perhibet, translata, quo simul fides alterius Chronici suspecta redditur apud Browerum, asserentis Hildegrimum anno Christi DCCCXVII, excessisse è vita. Hic etiam, si Crantzium atque alios passim consulas, Halberstadiensis Episcopatus post Osnabrugensem secundus censetur, quem Carolus condiderit, tanquam illic possessionem Christianæ religionis in Orientali quoque Saxonia capturus.

Episcopatus hoc anno nonnulli aut instituti aut confirmati.

Mindensis Episcopatus initia.

Chron. Mind. Rolevingus lib. 2. c. 8. Dithm l 4. Conringius in Helmst. p. 127.

Halberstadiensis Episcopatus initia.

Chron. Mind apud Meibom. Brouverus in notis ad vitam D. Ludg. c. 34.

Inde Paderbornensis Episcopatus ad hunc quoque annum sua initia porrigit; quæmadmodum id Gobelinus perhibet. *Erexit* enim *Carolus*, inquit ille, *quandam Ecclesiam in Paderborna, quam commisit Episcopo Wirtzenburgensi, donec de Episcopo posset eidem loco providere, et hæc Ecclesia incepta est anno septingentesimo octogesimo.* Eadem in vita D. Meinulphi nostri memorantur; crediderimque D. Burchardum Herbipolensem Episcopum hac expeditione in comitatu Caroli fuisse, eique quæ Paderbornæ Synodus est habita, præsedisse inter Sacerdotes. Nec tamen hujus Episcopatus prima sedes Paderbornæ fuit, sed Heristalli ad Visurgim, tutiori intra castellum loco collocata, ubi Carolus exinde castra & hiberna habuit in prærupto ad Visurgis ripam monte, præmunitoque Francorum præsidio; uti id etiamnum rudera monstrant terris effossa; eratque hic locus ad confinia Hassiæ, ex quo urgente belli periculo perfugium esse poterat sacerdo-

Paderborn. Episcopatus initia.

cerdotibus; hinc Paderbornensis Episcopatus subinde Heristallensis scribitur à nonnullis; quanquam, ut dicemus, paucis istic annis, nec ultra quinquennium fere constiterit.

Monasterienses Episcop. initia.

Monasterienſis Episcopatûs initia paululum obscuriora; quæ tamen ad hæc tempora facile revoces, seu quod pars illa Westfaliæ Rheno vicinior, ac prius subacta in tutelam Francorum venerit: seu quod in vita D. Ludgeri, quæ à Brovvero est vulgata, memoretur Bernardus quidam religiosus Abbas Mimigardiæ à Carolo M. impositus rector, priusquam D. Ludgerus anno Christi DCCLXXXVIII. à Carolo M. evocatus sedi illi præficeretur; quanquam nonnisi devicto Widekindo id factum indicet scriptor ille. Opportunum ad id vetus castrum Saxonum à Longobardorum bellis Mimigardiæ exstructum, in eo collis loco, ubi post Basilica & Collegium Cathedrale exstructum hodiedum conspicitur. Invitavere deinde Carolum ad hanc sedem Episcopalem maturandam fundamenta Christianæ religionis olim à S. Suiberto cœpta, uti & is in eodem castro ad Alpham fluvium ædem D. Paulo consecratam erexerat. Ac nihil tum Carolo usitatius, urgentibus adhuc belli Saxonici periculis, quàm Episcoporum sedes in præmunitis castellorum locis collocare. Ita Osnabrugi, Heristalli, Schydræ; ita alibi Episcoporum domicilia quæsita à Carolo, cùm nondum oppida & urbes sese in inculta Saxonia offerrent. Bremensis, Verdensis, & Hildesimensis Episcopatus aliquanto post institutus; tametsi Willehadus primus Bremensis Episcopus altero ab hinc anno è Drentia evocatus in Wigmodiam, quæ pars est Bremensis Episcopatus haud ignobilis, ubi per septem annos presbyter Episcopi auctoritate, munus sacrum administrare cœpit, donec tandem Episcopus consecraretur. Unde ejus Episcopatus exordia passim ab anno Christi DCCLXXXVIII. capiuntur, tametsi ex prioribus annis anteverti possint.

Vita S. Willehadi apud Philip. Cæsar. Surium & alios. Ann. incerti auctoris apud Lindebrochium & Maderum. Chron. Mindens. ad ann. 789. revocat. Gryphiander. Winckelmannus alique.

Verùm utcunque hæc de Episcopatuum per Saxoniam initijs capiantur, graviorem nobis hic litem intendunt hæreticorum quidam auctores, ausi palam scribere, nullum unquam à Carolo M. in Saxonia Episcopatum esse conditum; quòd omnes illos primos Episcopos tantum Parochos, & Episcopatus Parochias seu paræcias fuisse velint, sine diœcesium & limitum descriptione, sine suprema ordinis potestate, sine jurisdictione sacra in alios Pastores & Sacerdotes; prorsus ut similes fingant Episcopos ministris suæ hæresis, hierarchiâ Ecclesiæ in anarchiam conversâ. Quibus ut ego occurram, necesse habeo primùm quædam veterum scriptorum testimonia in medium adducere. Inter hos sisto primùm, D Rembertum in vita S. Ansgarij c. 9. fidum cumprimis testem. *Karol⁹ Augustº omnem Saxoniam ferro perdomitam, et jugo Christi subditam per Episcopatus divisit.* Ægil, Abbas, Fuldensis, discipulus D. Sturmionis æqualis temporum illorum,

Hetero-doxorum error cõfutatus, qui negant ullos à Carolo M. institutos esse Episcopos.

Ægil. in vita Sturmionis apud

Caro-

Carolus inquit, *congregato grandi exercitu, invocatoque Christi nomine, Saxoniam profectus est, assumptis universis Sacerdotibus, Abbatibus, Presbyteris, et omnibus orthodoxis atque fidei cultoribus, ut gentem, quæ ab initio mundi dæmonum vinculis fuerat obligata, doctrinis sacris mite et suave Christi jugum credendo subire faceret. Quo cùm Rex perveniſſet, partim bellis, partim suasionibus, partim etiam muneribus, maximâ ex parte gentem illam ad Christi fidem convertit. Et post non longum tempus totam provinciam illam in Parochias Episcopales divisit.* Auctor qui translationem S. Viti ex Gallia in Saxoniam ævo suo descripsit, *convocavit*, inquit, *Carolus M. omnes, qui sub ditione suâ erant, majores Sacerdotes et Principes, atque studiosissimè quæsivit, quomodo veram fidem veramque religionem in universo regno suo firmaret; quæsivit etiam sacerdotes bonæ spei, quos in Saxoniam dirigeret, qui illos secundum Ecclesiasticam fidem docerent, domos Episcoporum atque Ecclesias constituerent. Sed cùm omnem ordinem Ecclesiasticum in illa regione tradidisset, qualiter verò ibidem Monasticam religionem institueret, invenire nondum potuit.* Adeo Episcopi Saxoniæ ante Monachos & collegia Clericorum ante cœnobia. Planius auctor qui translationem D. Liborij ex Gallia Paderbornam nobis tradidit. *Carolus M.* ait, *ut se magis Christianæ religionis, quàm regni sui dilatandi causâ, tantæ rei difficultatem aggressum ostenderet, Ecclesias per omnem regionem* Saxoniæ, *ad quas rudis in fide populus confluere doceretur, et Sacramentis cœlestibus initiari consueſceret, sub quanta potuit celeritate construi fecit: atque Parochias diligenti ratione suis quasque terminis servandas designans, quia civitates, in quibus more antiquo sedes Episcopales constituerentur, illi penitus provinciæ deerant; loca tamen ad hoc, quæ et naturali quadam excellentia, et populi frequentia præ ceteris opportuna videbantur, delegit.* In hunc modum scriptor etiam qui Meinwerci Paderbornensis Episcopi res gestas consignavit. Gens Saxonum quò ferocior, eò difficilius compulsa ad religionem; at postquam jugo fidei est subjecta, facta est Sacerdotibus tributaria, quæque raptu aliorum vivere solita, cœpit pro Christi amore sua tribuere. *Hinc destruuntur fana Idolorum: exstruuntur oratoria sanctorum; designantur Parochiarum termini: constituuntur Episcopalium sedium in locis congruis tituli; in quibus rudis adhuc in fide populus, ne ad perfidiam pristinam relaberetur, salutaribus monitis imbueretur.* Helmoldus scriptor, postquam debellato Widekindo Saxoniam subactam, & in provinciæ formam descriptam enarrasset, retulisſetque eà conditione Saxones à Carolo in gratiam receptos esse, ut abjecto dæmonum cultu Christianæ religionis Sacramenta susciperent, essentque tributarij, & vectigales, omnium suorum jumentorum & fructuum decimas Sacerdotibus persolvendo, prorsus ut ea ex diplomate Bremensi exscripsisse videri possit: *Divisa est igitur* (subjungit) *Saxonia in octo Episcopatus, et dignissimis pastoribus subjecta.* Haud aliter Adamus Bremensis & Albertus Stadensis

Brouverum in Sid. illust.

Auctor. translat. D. Liborij lib. 2. c. 1.

Adam. Bremens. l. 1. c. 8

Abbas Stad ad ann. 788. Rolevingus lib. 2. c. 8. Eggehardus in Chron. Hildes. apud Brouverum in fid.

densis Abbas unâ veritatis voce post Widekindi conversionem à Carolo actum scribunt. *Tum demum*, inquiunt, *Saxonia subacta est, et in provinciam redacta; quæ simul in octo Episcopatus divisa, Moguntino et Colonienſi Archiepiscopis submittitur.* Ex his Eggehardus Abbas, Rolevingus, Gobelinus, Crantzius & innumeri alij eadem tradiderunt; præterquam quòd Gobelinus septem tantummodo sub initia hæc Episcopatus à Carolo institutos scribat, omisso Bremensi, quem omnes ad hæc tempora revocant. Sunt autem hi Carolini Episcopatus, Osnabrugensis, Halberstadiensis, Paderbornensis, Mindensis, Monasterienſis, Bremensis, Verdensis, Hildesiensis; ex quibus tanquam seminarijs Apostolicis Christi religio per Saxoniam propagata est. Aucti pòst à Carolo ad denarium numerum, Schidrensi videlicet, qui aliò atque aliò, ut dicemus, translatus est; & Hamburgensi, quem postremum Carolus adjecit. Verùm quòd hi imperfecti relicti sint, alter mox à Ludovico Pio, alter ab alijs Imperatoribus absolutus est. Hoc nunc illud est, quod de Saxoniæ Episcopatibus Anglicus etiam scriptor Wilhelmus Malmesburienſis retulit. *Carolus M. pro contundenda gentium illarum ferocia omnes penè terras Ecclesiis consultò dedit.* Verùm quid hac super re cum quibusdam hæreticorum scriptoribus contendimus, quæ in clarissima omnium luce posita sunt: expendant Caroli M. diplomata, quæ ex Osnabrugensi, Bremensi, & Verdensi supersunt, & intelligent Carolum palam fateri se hosce Episcopatus instituisse, & suis limitibus circumscripsisse, quæ nos suo loco integra recitabimus: evolvant omnia monumenta, & Cæsarum posterorum diplomata, Episcopis Saxoniæ data, & intelligent, omnes Cæsares sese referre ad Carolum M. cujus liberalitati in augendis Episcoporum bonis, & tuendâ jurisdictione insistant; percurrant omnium Episcoporum fastos, & cognoscent omnes retro se per continuam successionem ad primum aliquem à Carolo M. impositum Episcopum reducere, Osnabrugenses ad Wihonem, Halberstadienses ad Hildegrimum, Paderbornenses ad Hathumarum, Mindenses ad Hercumbertum, Monasterienses ad Ludgerum, Bremenses ad Willehadum, Verdenses ad Suibertum, alios ad alios Carolinos Episcopos.

Lib. 5. de gest. Reg. Angl.

At inquiunt, nullus Francorum scriptorum, à quo res Caroli M. perscriptæ, & in annos digestæ sunt, neq; Eginhard' ullibi meminit Episcopatuum à Carolo in Saxonia conditorum, quod tamen in re tam memorabili non intermisissent. Ita quidem id factum agnoscimus; verum illi in brevitatem annalium & in res bellicas ac politicas tantùm intenti scripsêre, alijs relinquendo res Ecclesiasticas narrandas. Et si quis advertat animum, recognoscet ille unam esse annalium Carolinorum, antiquissimum exemplar ab Eginardo, ut censent, conscriptum, ex quo ceteri deinde sua exscripsêre; quò factum,

ctum, ut primi incuria ceterorum quoque foret. Et quàm multa in illa annalium brevitate omissa ex Caroli M. rebus præclarè gestis? ut sunt synodorum decreta, cœnobia condita, aut dotata, Basilicæ cum collegijs Clericorum erectæ, scholæ per Germaniam & Saxoniam institutæ, & quæ hujusmodi sunt pietatis ac religionis opera, passim ex ceteris monumentis posteritati cognita. A Carolo M. deinde judicium occultum per Westfaliam institutum, debellata Saxonia, impositi Duces, Comites limitum præfecti, datique Episcoporum advocati. At quota horum mentio in annalibus Francorum? Ante Caroli tempora conditus celebris ille Episcopatus Ultrajectensis, & dotatum collegium Sacerdotum: instituti à Bonifacio tres Episcopatus per Franconiam, Thuringiam & Hassiam, multaque ejusmodi aut à Francorum Regibus, aut Caroli majoribus inchoata de quibus tamen in annalibus Francorum altum est silentium. Ne ille imperitus, qui ab uno genere scriptorum omnia requirit.

Urgent in hanc rem; quos nos Episcopatus dicimus à Carolo M. per Saxoniam erectos, ceteri veterum scriptores, & Caroli diplomata Parochias & Ecclesias appellant; ex quo confici volunt Episcopos Carolinos non nisi unius oppidi aut urbis pastores rectoresque esse institutos. Verùm qui ita loqui audent, longè majorem ostendunt inscitiam. Quid enim in Carolinis legibus? quid in veterum conciliorum actis? quid apud priscos scriptores frequentius, quàm Parochiarum nomine designari Episcopatus ac diœceses; perinde ut alij Parochias Episcopales & Ecclesias appellant. Somnia hæc sunt, nec digna, quæ refellantur. Id universim hac in re statuendum, Carolum M. non aliam per Saxoniam introduxisse Christianam & Catholicam religionem, quàm in tota Francia & orbe Christiano cum suprema potestate ordinis & jurisdictione Episcoporum acceperat, & quis Franciam, aut quis ullum in Ecclesia Catholica Regnum sine Episcopis, & Episcopatibus conditis nobis finget, ideo & Carolus debellatam abs se Saxoniam inter Episcopos continuò divisit: quibus cum nihil commune habent nostro ævo hæreticorum ministri, sive Superindentes illi, sive Prædicantes sese ferant. Sed ad Carolum nos revocat abrupta parumper narratio.

* Carolus à Synodo Paderbornensi per Visurgim transit in Ostfaliam, & ordinat statum provinciæ.

*Synodo ad fontes Luppiæ peracta, Carolus cum exercitu Visurgim transgressus in Orientalem Saxoniam movit, consediteque ad Ovacrum fluvium: ibi omnium Orientalium Saxonum proceres ac populi, uti imperatum erat, convenêre Regem; ex quibus ingens eorum multitudo in loco qui Horheim dicebatur, se fonte Baptismatis abluendam obtulit; & quia terror Francorum attraxerat, pleriq; ficta magis quàm syncerâ in Christi religionem mente, Sacramentum Baptismi admisêre. Inde ad Albim promotis castris ad Horæ & Albis confluentes stativa habuit; evocatisque ad se ex ulteriori ripa

Multi ad baptismũ se offerunt.

Carolus ad Albim progressus cum exercitu,

Sclavorum, & citeriore Saxonum proceribus, utramque inter se gentem composuit, cum Sclavis amicitiam, cum Saxonibus fœdus sanciendo. Duo hac expeditione inter Ostfalos memorabilia Carolus fecisse traditur; nam bello simul superstitioni indicto, primùm celebre gentis Idolum, cui Krodo nomen erat, comminuit. Senis erat effigies supra piscem stantis, quæ rotam & urnam tenebat manu, quarum illa concordiæ, hæc fertilitatis erat Symbolum. Multa de hoc Idolo Crantzius retulit. Alterum Caroli opus haud minus glorioſum. Etenim quam ad Christianæ religionis exordia primam in Ostfalia Episcopatus sedem ordinârat, in ea Hildegrimum D. Ludgeri fratrem primum hoc anno constituit Episcopum, nisi Dithmarus nos supra relatus fallat; quanquam haud multò pòst eundem Hildegrimum ad Widekindi irruptionem in Frisiæ partes nobis unà cum D. Ludgero fratre fugitivum & Romam proficiscentem sistat Altfridus, & qui apud Browerum vitam D. Ludgeri conscripsit: sive jam Hildegrimus Episcopatum suum adierit, sive postea cùm alijs è Saxonia rursum ejectus fuerit. Aggressus hæc Carolus per id tempus, quòd vastis in his regionibus jam multa gens Francorum potentiam auderet lacessere, quod & in Thuringia & Hassia Franci vicinos circum Barbaros dominatu armorum continerent. Adjecit deinde Carolus Helmstadium novennio pòst, novum Christianæ religionis seminarium D. Ludgeri & Hildegrimi operâ erigendum, de quo tempori memorandum erit.

Crodo Idolum Saxonum

Crantzius lib. 2. Saxon. c. 12.

Dithm. l. 4. Altfridus c. 3. in vita Ludg.

Ceterum Rex sacris profanisque rebus per Ostfaliam ordinatis, regressus est in Franciam. Ac postquam totam Saxoniam complexus esset animo, alios Episcopatus instituendo, alios confirmando, alios designando, cum Hildegarde conjuge & liberis iter in Italiam suscepit, voti exsolvendi causa, ut Francorum annales perhibent; quod haud aliud censuit Baronius, quàm ut ea, quæ in synodo Paderbornensi constituta erant, quæq; de Episcopatibus ex concilio Sacerdotum ordinârat, coram pertractaret cum Adriano Pontifice, Christo ac D. Petro Saxoniam ex integro oblaturus: simul ut de Italiæ statu disponeret, cui jam partita Reip. cura Pipinum filium imposuerat Regem.

Carolus voti causa cum Hildegarde & liberis secundam profectionē Romam suscipit.

An. Christi 781. Regni Franc. 14. Longob. 8. Belli Saxonici 10. Romæ Pascha celebrat

Igitur anno jam in hyemem prolabente acceleratum est iter; ac Ticini Natalitia Christi celebrata, totaque hyems in veteri & regia Longobardorum urbe exacta. Inde Romam majori desiderio festinatum à Carolo, ut Pascha celebraret cum Adriano Pontifice, amicorum inter mortales intimo, filiumque Pipinum ei Baptismi unda abluendum sisteret. Mirum quo honore Adrianus exceperit Carolum, & quo uterque amore in amplexus venerit. Pontifex memor beneficiorum, quibus Romana Ecclesia à Carolo exornata erat: Carolus pro observantia in Romanam Petri sedem nihil in se desiderari voluit,

voluit,quæ à religiosissimo Rege expeti poterant. Quam in rem Eginhardus,cujus verba hic reddo: *Carolus*,inquit,*colebat præ cæteris sacris et venerabilibus locis apud Romam Ecclesiam Beati Petri Apostoli, in cujus donaria magna vis pecuniæ tam in auro quàm in argento, nec non et gemmis ab illo congesta est : multa et innumera Pontificibus munera missa. Nec ille toto regni sui tempore quicquam duxit antiquius, quàm ut urbs Roma sua opera suoq; labore veteri polleret auctoritate; et Ecclesia S. Petri non solùm per illum tuta ac defensa, sed etiam suis opibus præ omnibus Ecclesiis esset ornata atque ditata.* In vicem horum meritorum Adrianus Pontifex Pipinum filium sacris undis abluit, alteroque die, quæ Dominicæ resurrectioni erat consecrata, magnâ omnium, qui frequentes aderant, approbatione & lætitiâ, Pipinum Italiæ, & Ludovicum Aquitaniæ reges inunxit. Quàm hæc præclara sunt Caroli in Pontificem & Romanam sedem observantiæ argumenta, tam insana reputes eorum judicia,qui scriptis ætate nostrâ libris Carolum Lutheranæ religioni adscribunt. Et cur non alius quisque hæc ex eadem stultitia suæ sectæ vendicet,ut Carolum nobis aut Zwinglianum aut Calvinianum aut Arminianum fingat? Sanè verò si Saxoniæ Principes tam sanctè coluissent Pontifices, quemadmodum Carol⁹ Adrianum & Leonem, nunquam Lutheri hæresis caput erexisset ex sinu Saxoniæ,quam Carolus M. tanto labore & sanguine ex cultu Idolorum Christo primùm asseruit. Nec per alios hoc opus Evangelij confecit,quàm per consecratos Episcopos & Romanæ religionis sacerdotes, quæ nunc narrando persequimur.

cum Hadriano Pontifice. *In vita Caroli.* Roma exornata donis à Carolo. Hadrian⁹ Pontifex unum Caroli M. filium baptizat, duos deinde alios inungit Reges.

Et Carol⁹,postquam cum Adriano Pontifice multa pertractasset de statu Saxoniæ, de Episcopis imponendis, de Christi religione inter Barbaros firmanda,de legatis ab utroque ad Thassilonem Bojariæ Ducem mittendis (ne quid ruptâ fide turbaret in Germania,dum ipse salutari bello Saxoniam Christo submitteret) in Franciam Germaniamq; regressus, Wormatiæ cum aula & Regni proceribus substitit; quò & Thassilo Bojariæ Dux accessit Regem,datisque XII obsidibus,fidem juravit; quam tamen seu à Luitpranda Conjuge Desiderij Longobardorum Regis filia, seu à Widekindo jam dudum infesta consilia agitante inflammatus non multò pòst fefellit. Hyemem exin Carol⁹ exegit Carisiaci in villa, ubi Natalium Christi & Paschatis dies ex sacro quietis recessu celebres habuit.

Thassilo Dux Bavariæ jurat Wormatiæ Carolo fidem.

Processerat jam annus Christi septingentesimus octogesimus secundus in vernum tempus, quo Carolus cum exercitu ex Francia ad Rhenum movit, Saxoniam intraturus,non tamen prius, quàm viror camporum pabula equis daturus notaretur; ideo prius Coloniæ Agrippinæ,quòd auctor vitæ Caroli consignavit, Synodum habuit. Inde exercitum trans Rhenum traduxit in Saxoniam, eâ opportuni-

An. Christi 782. Regni Franc. 15. Longobar. 9. Belli Saxon. 11.

Carolus in Saxoniam movet cum exercitu. *Auctor vita Caroli. Annal. Franc. Adelm. Astronom. Pithæi & Fuld. Canisiani. Anon. Poët. Regino & alij. Crantz. lib. 2. Saxon. c. 13.* Carolus prius Coloniæ Synodum agit.

Tertiaq; Paderbornensis Synodus. *Auctor. vitæ Caroli Annal. Canis. Poët. Anon.*

tate, quòd pons istic adhuc constiterit vetusto opere Constantini M. ex secto lapide flumini impositus. Ab Rheno Carol⁹ ad Luppiæ fontes processit, tertiamque Synodum Paderbornensem indixit. Plerique Francorum scriptores generalem totius Saxoniæ conventum fuisse memorant, ad quem Westfaliæ, Angariæ & Ostfaliæ primores populique evocati magnâ frequentiâ convenerunt: uno rursum Widekindo desiderato, qui ad Danos profugus novam belli nubem cogebat, quæ haud multò pòst soluta totam Saxoniam concussit. Interim Carolus in Comitijs Paderbornensibus nihil sollicitius habuit, quàm ut ea, quæ Romæ convenerant cum Adriano Pontifice, exequeretur, & per Episcopatus à se constitutos Christianam religionem confirmaret, statumque Reipublicæ componeret. Multa ex hac celebri Synodo referre operæ prætium esset, ni acta intercidissent. Id constat, dum Franci, castris ad Luppiæ fontes positis, magnam æstatis partem exegêre, accessisse ad Carolum Sigefridi Danorum Regis legatos; post illos Claganum & Jugurrum Hunnorum principes, quos ferox gens illa ex remotissimis oris pacis & amicitiæ causa miserat. Utriusque gentis legatos Carolus honorificè excepit, audivitque. Dani aut pro Widekindo exule tractasse, aut explorandi causa advenisse creduntur. Soluto conventu, Carolus exercitum reduxit per Rhenum in Franciam; nec ultra quicquam de hac expeditione repræsentant annales Francorum. Et Carolus armis molestus esse noluerit Saxoniæ, quam paciscendo accipiendoque ampla gentis promissa, victam tutamque se possidere arbitrabatur: nec aliud supereſſe ad gentis quietem, quàm ut descriptis diœcesium finibus, introductis Episcopis, evocatis in Parochias Sacerdotibus, sponte cum accepta religione in obsequium veniret, quòd nullâ re arctius quàm religione illigari crederet mortalium animos. Sanè quos Barbaros sœpè nulla armorum vis domuit, hos vera demum Numinis cognitio metusque regentum imperio subjecit.

Carolum Paderbornæ convenêre Legati Regis Daniæ, & Hunnorum.

Widekindus Saxoniam concitat ad arma.

At vix dum Carolus ante adultam æstatem cum exercitu Saxoniâ excesserat, cùm Widekindus fax belli è latebris Danicis prorumpit, Saxoniam oberrat, & notos Satraparum populariumque animos clandestinis consilijs ad rebellionem sollicitat; quàm in rem pollicitus, adesse sibi Danorum & Nortmannorum auxilia; erantque hi in armis, proni ad omne Widekindi imperium, si conspirarent auderentque eadem Saxones. Et Widekindus qua pollebat apud populares auctoritate, alios post alios in societatem belli protraxit. Exciti etiam Sorabi, nota Sclavorum natio inter Albim & Salam incolens, per quos conspiratio primùm erupit, dum hi ex altero Saxoniæ latere Thuringiam Saxoniamque ingressi, direptionibus, cædibus, flammis obvia quæque devastant. Quibus ad Carolum relatis, jussi sunt tres legati bellici, Adalgisus cubiculi Regij præfectus, Geilo Comes stabuli,

stabuli, & Woradus Comes palatij cum expeditis turmis ire in Sorabos, & ex itinere Orientales Francos & Saxones evocare in armorum conjunctionem; adeo tum ipsis Saxonibus tanquam adscriptis in militiam suam fidebat Carolus. Jamque intratâ Saxoniâ, non multum itineris emensi erant, cùm Saxones rebellasse, ac duce Widekindo ad bellum inferendum paratos intelligunt. Omisso igitur itinere, quo in Sorabos eundum erat, ductis secum Francorum Orientalium copijs adversus Saxones, quos ad inferiorem Visurgim didicerant collectos, procedunt; quo in itinere occurrit illis Theodoricus Comes Carolo cognatione junctus, qui & ipse cognitâ Saxonum defectione copias militares in Ripuaria contraxerat, ibatque suo ductu in Saxones. Is festinantibus Adalgiso ceterisque legatis consilium dedit, ut prius quam in aciem descenderent missis exploratoribus cognoscerent, ubi & quantus hostium esset exercitus, aut quid rerum agerent. Postea verò quàm didicerunt Saxones castra metatos esse in Septentrionali latere montis Suntal (quem alij prope (a) Mundenam oppidum Brunswicense, alij certius prope (b) Mindam nobis monstrant, ubi locum vallem Solis appellant) & ceteris deinde diligenter exploratis, placuit Theodoricum cum suis copijs in citeriori ripa considere: Geilonem cæterosq; transmisso flumine in ulteriori ripâ castra collocare, quo facilius montem circuire, hostemque inclusum arctare possent. Ita bina castra modico fluminis intervallo posita, convenitque ut ipsi nihil prius moverent, sed ex utra parte hostis vim faceret, alteri auxilio occurrerent, simul à fronte, simul à tergo incursando. Sed rem, quæ bono consilio erat constituta, turbavit ambitio & ducum discordia. Honore militari Geilo, Regiâ cognatione Theodoricus anteibat, cui & Saxoniæ provincia data erat à Rege. Veriti proinde Duces, qui Visurgim transierant, ne si Theodoricum prælij socium facerent, gloria ex re feliciter gesta ad ipsum recideret; quare eo nec monito, nec consulto, temere in hostem movent, proruuntque solutis ordinibus, tanquam ad prædam fugientemque hostem irent; sed illum primâ luce sub signis stantem paratumque ad pugnam repererunt, numero etiam & consilio superiorem. Ac Saxones ubi conspexêre Francos tumultuario in se impetu procurrere, Widekindus hortatus suos, signa inferri jubet, seque intuentes pugnam capessere. Ejus ductu itum tam compositis ordinibus, quàm pugnacibus animis in Francos. Et brevis dimicatio fuit: circumventi mox Franci, disjectique ad primum incursum, nullo glorioforum Ducum vel prælium reparante, vel fugientem militem sistente: in qua quisque fuga deprehensus obtruncatur: cæsi prope ad internecionem Franci omnes. Absumpsit ea clades hostili ferro Adalgisum & Geilonem legatos, quatuor præter eos Comites, viginti claros è prima nobilitate viros; ex quibus facilis de ceteris conjectura,

Carolus tres belli duces cũ copijs mittit in Saxoniam.

Suntal. Adelm. Annal. Canis. Sontal. Annal. Astron.

(a) *Reinecc. in notis ad poët. anõ.*

(b) *Cleinsorgius. Wittius. Veldius. Grothusius.*

Clades Francorum ad Visurgim accepta à Widekindo.

jectura, ut totum illud belli robur eo congressu obtritum sit, paucis tantummodo servatis, qui per fluvium se ad castra Theodorici receperunt. Multi etiam ultro obtruncari maluerunt, quàm ignominia notati redire ad suos. Tam fœda Francico nomine hæc clades fuit; ac nihil adhuc omni bello, quod in decimum annum trahebatur, Francis funestius accidit. Theodoricus utrumne se cum suis ad Rhenum receperit, an præmunitis castris se incluserit, dum Carolus subsidio veniret, incompertum ex Francorum scriptoribus. Sanè Carolus postquam suorum stragem accepit, justo dolore atque ira commotus, omnem quem in propinquo habebat, contraxit exercitum, quocum sine cunctatione ante anni exitum acceleravit in Saxoniam, exercitu apud Ubios atque ostium Luppiæ traducto per Rhenum. Ac Rege ipso ducente copias, per mediam Westfaliæ regionem perventum est ad Visurgim; castraque Rex inter Aleræ & Visurgis confluentes explicari jussit, nullo jam hoste amplius ad Regis præsentiam per Saxoniam se ostentante. Carolus ut rebellionis & patratorum scelerum judicium institueret, vindiciasque ad gentis perfidiam castigandam exposceret, conventum istic procerum populiq; indixit, in quo postquam magno numero Saxones se stitêre, Carol⁹ in hunc modum eos affatus est. *Quousque tandem, Saxones, nostra patientia pertinaciam vestram, indulgentia perfidiam, clementia ferociam, condonatio tot scelerum perduellionem feret? Bellum adversus gentem vestram jam in decimum annum gerimus, semper provocati; quis enim hactenus annus sine novâ rebellione vestrâ. Adeone ludibrium vestrum Franci? aut quæ gens sub Sole tam contemptrix humani divinique juris? Pacta nobiscum ritu gentium facitis, obsequium juratis, sacramentum fidei dicitis, sed non ultra hæc apud vos firma, quàm Francicus exercitus in conspectu vestro consistit; is ubi per Rhenum à me reductus, vos ad conjurationem, ad rebellionem, ad arma resilitis mortalium fallacissimi. Quo tandem hæc prorumpent? an perpetuum nobis bellum erit cum vestra perfidia? toties rei, toties supplices recepti in gratiam ludificatis Majestatem nostram. Libertatem Christianæ religionis nobis juratis, et in nullos magis quàm in Christianos Sacerdotes desævitis; tanquam illi mortalium sint facinorosissimi, quos ex innocentia vitæ inter vos comprobatæ sanctissimos vobis submittimus magistros, et doctores. Non hîc repetam spolia, cædes et injurias superiorum temporum; tantùm memores vos esse volo, quâ sævitia ad Rhenum nuper, quâ per Hassiam, quâ per Frisiam intra fines Regni nostri grassati sitis in ædes sacras, in Sacerdotes et consecratas Deo virgines, nec tamen hæc aliter ulti sumus, quàm importato ad terrorem exercitu, et repetitâ fœderum pacificatione. Liberi estis populi, et hanc unicam rebellionis causam obtenditis, libertatem videlicet gentis vestræ, quam nos neque armis nostris, neque religionis nostræ cultu vobis adimemus; sed credite mihi, quantum perfidi et perjuri lacessitis arma Francorum, tantum victi demum servitutis vobis posterisque imponetis. Quid exposcitis tandem à Fran-*

Carolus ulturus suorum cladem accelerat in Saxoniam.

Carolus Castra ponit ad confluentes Aleræ & Visurgis.

Oratio Caroli in conventu Verdensi.

Francis? quòd non ultra offerimus, et supra spem ac vota etiam vestra largimur. Cum omnibus totius Europæ nationibus Christianis et Barbaris fœdus et pacem colimus, tantùm vobiscum, et cum gente Saxonum nihil stabile, nihil sociale, nihil humanum nobis esse licet. Tanta nimirum vestra est perfidia, tanta ferocia, quæ nec veniæ facilitate conciliari, nec consortione religionis placari, nec legibus æquis flecti, nec fœdere ullo intra conventa pacis contineri, nec armis se frangi sinit. Quousque imus in mutuum sanguinem belluarum instar? quæ tamen facilius se quàm vos tractari sinunt. Rebellastis denuo sine causa, arma intulistis perduelles sine ulla ad me delatâ querimonia, trucidastis binos legatos meos, quatuor Comites, nobiles genere belloque viros supra viginti, et totum illud agmen militiæ meæ, hæc illa fides vestra jurata ad fontes Luppiæ, et toties in conventis publicis? Video ego Saxones clementiam meam esse invitamentum perfidiæ vestræ, alimentum ferociæ; vos ego judices, vos testes ex conscientia facinorum appello; si hæc Franci patrassent in Saxones, quæ vos in Francos, quibus non suppliciis nos obnoxios deputaretis? Sed bene consuluit fortuna, quo minus eam potentiam armorum dederit vobis in capita nostra, quam nos in vestra modò habemus; vestrum nunc erit aut gentis totius excidium, aut paucorum supplicia velle. Ad ejusmodi Regis monita ac minas Saxonum proceres populusque incusare Widekindum, hunc cum Danicis & Nortmannis copijs advenisse concitorem suæ gentis, hunc Ducem ceterorum, hunc omnis mali causam prædamnare. Non illo contentus Rex jussit sibi sisti quotquot Widekindi castra secuti, arma Francis intulissent; alioqui ni facinorosos dederent, uno omnes supplicio, sontes insontesque, perituros. Territi Saxones indignatione Regis, ac veriti cumprimis, ne iram Regis in totius gentis exitium provocarent, quatuor virorum millia & quingentos, qui castra Widekindi secuti fuerant, sistunt Carolo. Stabant rei ad tribunal Regis, & quam toties experti erant, clementiam supplices appellabant pro condonatione scelerum. Sed conversâ clementiæ scenâ in severitatem, Carolus, quæ in concilio bellico decreta erat sententia, jubet pronunciari, quæ ejusmodi fuit; ut quotquot sumptorum armorum adversus Francos comperti essent, ipsorum judicio capite mulctarentur: ita eodem die & loco quatuor millium virorum & quingentorum capita per carnificum manus sunt demessa. Supplicij locus ipsa Verda nominatur, ubi post Episcopi sedem esse voluit. Cruentum profectò spectaculum & alienum hactenus à Caroli mititate supplicium. Sed ejusmodi severitatis exemplo toties perfidorum rebellio, & perduellium sævitia refrænanda erat, ne per impunitatem scelerum irent in novam audaciam, & barbarorum supplicio desisterent aliquando esse barbari; quando Regum Ducumque clementia non in ipsorum modò, sed in illorum, qui parere debent, ingenijs est sita. Benigni etiam Principis est clementiæ terminos transgredi, ubi condonata sæpius scelera nec metum amplius,

Carolus M. quatuor millia, & quingentos rebelles Saxones ad Aleram flumen capitali supplicio afficit. *Curtius de Alexandro.*

nec

Carolus reducit exercitũ, & Theonis villæ hibernat.

nec finem habent. Nec tamen hoc severitatis exemplo ita repressi sunt Saxones ad obsequium, quin altero mox anno rebellionem cœptaverint. Sed his gestis Carolus tanquam Saxoniæ jam securus, reducto per Rhenum exercitu, Theonis villam ad hiberna concessit, ubi & Christi natalitia & Pascha solitâ celebritate peregit.

Vita Willehadi per Philippum Cæsarem edita ex antiquo Hamburgensi codice c. 7. & 8. Altfridus in vita S. Ludg. c. 3. Othelgrimo in eadem apud Brovv. in notis ad eandem. Adamus Bremens. in histor. Cæsar in notis.

Cœpit eodem adhuc anno Widekindus barbarum in modum sævire in Christianos, tam victoria superiori inflatus, quàm supplicijs Saxonum accensus in vindictam; quæ etsi Francici scriptores transilierint, res tamen nobis comperta ex Altfrido tertio Monasterienſium Episcopo, ijsque auctoribus, qui res D. Willehadi & D. Ludgeri ex eodem prope sæculo conscripserunt. Primus Widekindi Saxonumque furor versus in Wigmodiam, quæ pars est Bremensis diœcesis trans Visurgim in Saxonico solo, quam à biennio excoluerat Christianis legibus D. Willehadus cum sacerdotibus, in eosque ob hanc causam primum sævitum. Trucidatus Bremæ Gerwalus cum socijs, Folcardus presbyter cum Emmingo comite suo in pago Leri, Benjaminus in Cibhriusti, Atrebanus clericus in Thiatmaresgaho, alij alibi etiam ad Albim aut interempti aut quæsiti ad necem. Willehadus, in cujus caput primò conjuratum erat, conscensâ navi Frisiæ littus legit, & divina providentia morti subtractus evasit. Inde feroces Saxones, duce Widekindo, delati in Drentiam & Tuentiam, omnem Transisulaniæ Frisiæque regionem ad Flevum usque flumen spolijs & cædibus funestârunt; incensæ ædes sacræ, Sacerdotes sedibus suis ejecti, Frisones Christiani quotquot reperti, coacti sunt Christianam religionem ejurare, & Idolis pristino gentis more litare. Quâ procella cum tot laborum messis obtereretur, Albricus Trajectensium Episcopus dolore consumptus obijt: Ludgerus qui locis illis Frisiæ in septimum annum præerat, collecto sacerdotum ac discipulorum grege tempestiva fuga se in tutum recepit; & quia spes proseminandi Evangelij hac Saxonum tempestate præscisa erat, multique etiam Frisones in hanc belli societatem unâ cum Danis & Nortmannis se dederant, quo Christianum nomen in ijs regionibus delerent, Ludgerus assumpto in comitatum Hildegrimo fratre, & Gerberto, quem cognomento Castum dixêre, Romam profectus est. Eodem & Willehadus iter instituit, unáque cum Ludgero, quemadmodum Adamus Bremensis scripsit, Adrianum Pontificem adijt, cùm prius ex itinere Pipinum Caroli M. filium Longobardorum Regem salutassent. Benignè eos suscepit Adrianus, multisque solatus spem novam concipere jussit, fore enim ut disjecta hac Saxonum procella brevi serenitas illuceret, reditusque ad pristinos messis fructus patefieret. Inde Ludgerus ad Cassinense cœnobium recessit: Willehadus in Franciam reversus, Epternaci in D. Willebrordi cœnobio delituit, quo & discipuli à Widikindi clade superstites se ad magistrum suum collegerunt.

Widekindus post supplicia suorum sævit in Christianos.

Widekindus Drentiam & Tuentiam vastat.

Willehadº & Ludgerus ejecti, Romã proficiscuntur.

Adamus Bremens. Vita Willehadi c. 8.

runt. Prima hæc Ludgeri profectio Romana est, quam inde confundit auctor vitæ à Browero editæ, quòd diversa ab eâ sit, quam Leone Pontifice Romam suscepit, ut hæc ipsa ratio horum temporum satis evincit. *Bollandus in notis ad vitam D. Ludg. Meibom in Helmst.*

Interim haud nescio non deesse, qui cum Bollando hanc Widekindi irruptionem sævitiamque in Christianos ad annum Christi septingentesimum octogesimum quartum referant, turbatâ Chronographiâ; sed is error satis compertus ex scriptore rerum à Willehado gestarum, à quo accurata temporum ratio est habita, quæ in alijs desideratur. Nam cum Willehadi biennium docendi in Wigmodia, quod Ludgeri septennium fuit in Frisia, claudi dicat anno Christi 781. alteroque post anno Widekindus irruperit in Wigmodiam & Transiselaniam, turbatis Christianorum cœtibus, haud alio quàm ad hunc ipsum annum hæc Widekindi irruptio & fuga Willehadi ac Ludgeri revocari poterit. Quocirca & Browerus primam D. Ludgeri profectionem Romanam ad hunc annum reducit. Opponitur hîc nobis Adamus Bremensis, eò quòd Willehadum unà cum Ludgero anno rebellionis Saxonum XII. Romam venisse scribat. Sed is auctor, ut multi alij, exordia belli Saxonici ab exordijs regni Caroli deducunt, cum Carolus demum anno regni secundo, aut, ut alij numerant, tertio bellum Saxonicum cœperit. Haud tamen negaverim Widekindum ab hoc anno Christi 782. in consequentes adhuc annos, quibus adversus Carolum pugnavit, irruptionibus Saxonum turbasse Frisiam, quod annales à Bollando adducti dicere sunt visi. Quibus positis, roboratur nostra Chronographia, qua diximus ante biennium in Paderbornensi synodo constitutum à Carolo de Episcopatibus, & Willehadum Bremensi Ecclesiæ impositum, quam deinde septem annos ex Sacerdotali gradu simulque Episcopi jurisdictione administravit, quod auctor idem exsertè docet. *Bollandus in comment. ad vitam D. Ludgeri §. 3.* *Vita Willehadi c. 7. & 8.* *Brovverus in notis ad vitam D. Ludg. & de Chron. ejus.*

Consequitur nunc annus Christi DCCLXXXIII, cruento prælio inter Carolum & Widekindum clarus. Quippe Saxones, qui hactenus pro libertate tam pertinaciter pugnaverant, ubi conspexêre tam inexspectatâ severitate, & tot suorum ad Visurgim supplicijs secum agi, resumptis ad rebellionem animis conspirant. Nec paucorum, sed totius gentis hæc conjuratio fuit, atrocior quàm unquam antè. Adeo dolor cruenti spectaculi exasperârat omnium animos; ac nullum vehementius, quàm Widekindum Angariorum & Westfalorum Ducem. Hinc ille per hyemem colligere Danorum & Nortmannorum copias, appellare Danorum Regem pro subsidio, maturare ex Daniæ latebris reditum in Saxoniam, convocare in consilium gentis totius primores, ad quos inflammandos hunc in modum prolocutus est. An. Christi 783. Regni Franc. 16. Long. 10. Belli Saxon. 12.

Oratio Widekindi ad Saxones.

Pugnavimus hactenus cum Francis pro libertate gentis nostræ, et veteri Deorum cultu; nunc si unquam justa belli causa, vel ipsa necessitas nos admonet arma induere, nisi in extremam servitutem et gentis probrum, venire libeat. Nam quæ hactenus bella gessit Carolus Rex Francorum adversum nos, non ultra processerunt, quàm ut tributa exigeret, castella quædam firmaret præsidiis suis, Christi religionem persuaderet, bona fortunasque eriperet, vastando agros, spoliando vicos, abducendo pecora; modò in ipsa corpora, quæ hactenus libera retinuimus, desævit. Quàm illud cruentum et inauditum in gente nostrâ crudelitatis spectaculum? uno die ad Aleram flumen quater mille et quingentos viros carnificum manibus trucidari, haud alia ex culpa, quàm quòd castra mea, vestraque arma, pro libertate et gentis suæ decore secuti sint. Ferrem ego lenius dolorem si aut victi in acie, aut capti bello, aut dediti ex flagranti pugnâ ad supplicium postulati fuissent; jam verò cùm obsidum in modum à vobis sint oblati, ultroque se stiterint supplices pro condonatione, qui aut fugere aut transire ad me poterant; immane quantum crudelitatis exemplum, quod nullus unquam hostis in gentem nostram patrare ausus fuit. Et quo in loco id ausus Carolus? in media Saxoniâ, in libera gente, in conspectu vestro, ut vulnus ad dolorem vestrum tanto sit acerbius, ad vindictam inflammatius; si modò Saxones nondum esse desiistis, qui ex æquo Martis campo hactenus pugnando gloriam gentis vestræ æquastis cum Francis. An nos Franciam ingredimur, an illi Saxoniam? ut in nostris sedibus tam crudeliter nos tractent? nemo unquam in mancipia sua tam dire sæviit. Itane in hac laniena illa est libertas, quam Carolus per delinimenta verborum nobis toties promisit? Nimirum his dolis circumvenimur, ut eadem crudelitate Franci desæviant in capita nostra. An non per virtutem emori præstat, quàm ejusmodi Francicum subire jugum? quod conjugibus nostris, quod liberis, quod posteris non aliud relinquemus, quàm servitium et supplicium. Romani ceteræque hostium post victoriam intra prælii locum terminabant gladii licentiam, furoremque belli, extra illum quæ unquam carnificis manus admota in insontes milites? Causa belli æqua an iniqua sit, non est militis expendere ad libramenta rationum: culpa si qua fuit, mea et vestra fuit, qui imperavimus, in nos hæc supplicia convertant Franci. Et quæ bellandi furia victores à victis, inermes ab armatis trucidari? armis nos sternant prius si milites sint, quàm lictores esse velint. Perfidos nos incusant Franci; at quæ gens in orbe terrarum fallacior Francis? qui omnis belli sui causam non aliam habent, quàm dominandi libidinem; hac illi omnes trans Rhenum Germaniæ provincias regno suo subjecêre, nos Rheno hactenus disjuncti restamus; ideo tributarios nos primum subjecere, ut postremùm servos et mancipia sua facerent, quæ nunc Caroli Regis sunt machinamenta. Scio commune monitum, Francum amicum habeas, non vicinum; sed non tam vicinitas, quàm inexplebilis dominandi cupiditas nos sine bello quietos non sinit, nisi ultra in commune Regni spolium venire lubeat. Haud minor nobis à religione Francorum imminet pernicies, eam nobis verbo offerunt liberam, re imperant; quorsum enim

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

enim Saxonia descripta in tot diœceses Episcoporum, designatæ Christianorum parœciæ, introducti tanto numero Sacerdotes et Monachi; quorum jurata professio non est alia, quàm fana nostra subvertere, simulacra Deorum comminuere, patrios ritus abolere, populos metu, dolo, et minis ad Baptismi lavacrum pertrahere; in quo primùm omnis Deorum nostrorum cultus est ejurandus, ut in sua religione juratos teneant, ex eoque vinculo ad obsequium et formam regni sui fingant et constringant. Testis Thuringia, Hassia, Frisia, Belgica, et omnes circum provinciæ. Enim vero vulgus nullâ re efficacius movetur quàm superstitione, et semel captum blandis Christianorum ritibus bellum tenacius pro Christo movet, quàm pro Diis nostris unquam fecerit. Dubitem equidem majus ne nobis periculum sit à Francorum armis, quàm à Christianorum religione. Tandem sumite animos, quibus patrii Dii, et antiquissima Numina, quibus tam salus quàm gloria sunt carissima. Liberi populi sumus Saxones, nullius unquam Cæsaris aut Regis aut Principis exteri imperium passi; cogitate majores et posteros; fœdum nobis à Carolo primum jugum accipere, qui gentis libertatem adversus tot Francorum Reges tot sæculis defendimus: fœdius, nostra inertia posteris primam servitutem reliquisse. Hactenus dissensionibus nostris et discordiis Franci superiores; nunc si conspiremus, omnia victoriæ incitamenta pro nobis sunt: adsunt nobis Dani, Nortmanni, Sclavi, et omnes trans Albim bellicosæ gentes, quibus communis nobiscum belli causa est; nam victis nobis, illi se Francorum servituti proximos agnoscunt. Sanè Francos vinci posse, recenti ad Visurgim prælio monstratum est, quo legatos Caroli, quo Comites, quo florem nobilitatis prostravimus. Hæc nobis felicioris belli auspicia Dii nostri esse voluerunt. Nemo nisi victor pace bellum mutavit. Gentis nostræ libertas majorum armis est parta, nec aliter quàm per arma nostra servabitur. Me hortatore, me duce vestro, audete tandem concordibus animis aspirantem fortunam experiri, ulciscique barbarum illud Caroli facinus; aderunt insontes cæsorum manes, auxilia et consilium belli nostri. Hæc & similia ubi dixerat Widekindus in congressu Satrapa-

Saxones duce Widekindo extremùm conspirant contra Carolum & Francos.

rum & nobilium, accensi omnium animi ad renovandum bellum adversus Francos; remissique singuli qui aderant, ad gentis suæ provincias. Una mox animorum conspiratione Westfali, Angarij & Ostfali extremis viribus commune bellum apparant: affluebat omnium ordinum multitudo ad suos quæque duces & Satrapas, milites bello clari, juvenes & crudi senectute viri, majori quàm unquam antè exacerbatione in Francos exciti. Nihil jam uspiam Christianis tutum, præterquam in castellis & præsidijs Francorum. Quæ postquam maturè iteratis nuncijs relata sunt ad Carolum Heristalli versantem in hibernis, nihil quoq; ille sollicitius habuit, quàm per hyemem instaurare exercitum, quocum primo vere in campum prodiret. Ac postquam justa funebria Hildegardi conjugi persoluta fuêre, abrupto luctus spatio, quod militis est, armatus in Saxoniam processit, rectaque per Westfaliam traducto exercitu in hostem movet.

Engolism. Teotmalli. *Astron.* Tietmalle. *Adelm.* Theotmelli *Canisian.* Theodwaldi. *Regin.* Thiatmalli. *Pithœan.* Thiotmellie. *Eginard.* Osneggimons.

Ex itinere comperit hostem in Teutonicis montibus considere. Locus, ut varij consignârunt annalium Francorum scriptores, prope Dethmoldiam est, in comitatu Lippiensi. Præerat Saxonum militiæ Widekindus, sciens locorum & populorum; qui quòd isthinc haud procul inter Angarios paternam sedem haberet, eò confidentius bellum in meditullio gentis suæ apparabat. Sed Carolus qui omne momentum rei bene gerendæ in celeritate ponebat, per ericeta Sinedi festinando, cum expeditis legionibus juga montium conscendit. Mox ubi & Saxones ad prælium paratos conspexit, militem quoque suum in ordinem componit, acieque instructa ipsos præiens ducit in hostem, primumque Francos signa inferre jubet. Pugnatum acerrimè, hinc Carolo, inde Widekindo suos inflammante: simul peditum, simul equitum congressus: Franci acriter instant, & Saxones haud timidè resistunt repelluntque. Diu ancipiti prælio certatum; hi numero, illi virtute superiores; & Francis primùm nutantibus, Carolus ad cœlum respiciens, opem divinam implorat. Mox Saxonum acies labi; tum uno impetu incumbentes Franci Saxones in fugam compellunt, cædunt, sternunt, proterunt, tantaque hostium strages facta est, pauci ut ex innumerâ Saxonum multitudine, quod Francorum annales perhibent, incolumes evaserint: & Carolo visum melius trucidari, quam in novam rebellionem reservari. Memorabilis ejus diei pugna, clarior victoria, cœlesti magis quàm humana parta manu. Quam in rem Franci memores beneficij ædem istic sacram postmodum erexêre, cui à sancto auxilio nomen datum. Ac Romana si cum Francicis componas, idem hic locus in montibus Teutonicis vix semihoræ spatio disjunctus ad Dethmoldiam, in quo Arminius Q. Varum & Romanas legiones cecidit, & quo Carolus Widekindum & Saxones fudit; à Romanorum clade campus victoriæ hodiedum appellatur, à Saxonum strage, mons auxilij cœlestis nomen obtinet; eò etiam postrema victoria celebrior, quòd à Christianis contra Barbaros triumphatum. Hic ille mons, quem Eginardus ab hoc prælij loco Osnegge ad Thietmelle compellat, nisi ex Cæsarum diplomatis jugum potius montiumq; tractum dicere libeat, ex quo Wihoni Osnabrugensium Episcopo donatione Caroli M. pars magna cessit; uti totus hic victoriæ locus Paderbornensium Episcopis paret, à quibus feudi titulo nunc possident Lippienses Comites. Is nimirum Caroli M. gratus in Deum & liberalis in Ecclesiam fuit animus, ut quibus in locis ope cœlesti victoriam adversus Saxones obtinuerat, eadem post Episcopis & Ecclesiæ donaret, aut jurisdictione eorum subjiceret.

Prælium Caroli cũ Widekindo ad Detmoldiam. Victor Carolus ad Dethmoldiam. *Poët. Anonym.* *Crantz. l. 2. Saxon.* *Reineccius ad Poët. Chron.* Sacellum Adjutoris Sanct. Hulffe. Osnigi. *Diploma Caroli in Monum.* *Diplom. Paderborn.*

Annal. Francor. *Adelmus in Annal.*

At Carolus Rex parta tam insigni victoria retro paululum per aliquod Leucas ex montium jugis cum exercitu in planitiem recessit; ac Paderbornæ castra metatus circum fontes, in amœnissimis locis

locis aliquamdiu consedit; tum ut sauciorum militum curaret vulnera, fatigatorumque corpora reficeret: tum ut alteram ex Francia & ab Rheno venientem exercitus partem exspectaret, jungeretque in validius belli corpus; certus enim Rex, ac Numine divino etiam agitatus, ad debellandam Saxoniam. Et verò dum Paderbornæ instaurat exercitum, nunciatur Regi, Saxones in finibus Westfalorum ad Hasam fluvium se collegisse in arma, ac novo istic validoq; exercitu congregato, certò constituisse acie confligere, si quidem auderet Carolus fortunam denuo experiri. Hoc nuncio accensus Rex ad rebellium audaciam comprimendam classicum cani jussit, associatisque quæ advenerant legionibus, in novum militiæ robur cum omni exercitu Osnabrugum acceleravit. Haud procul inde ad Hasam fluvium castra firmaverat Widekindus, quò quicquid rebellium erat Westfalorum Saxonumque, & quicquid ex Danicis, Frisicis ac Septentrionalibus populis evocatum erat, se intra breve tempus consociârat in formidabilem belli multitudinem, tanquam extremum pro libertate gentis pugnaturi. Et Carolus cùm de summa rei agi, videret, haud segnius omne quoque robur belli contraxit; ac milite in ordines atque aciem composito, processit in hostem. Widekindus ubi & ipse Francorum adventum accepit, è castris educit exercitum, explicatumq; per Satraparum & præfectorum agmina, objecit Carolo, vindictæ incertum an pugnæ cupidior. Contra Carolus eo flagrantior prælij, quo magis & causa belli, & Numinis auxilio, & virtute exercitatorum militum fisus se pro religione pugnaturum intelligebat, aususque primo hostem aggredi & signa inferre. Commissis in prælium legionibus, decertatum pertinaciter, Carolo semper in prima acie obversante, hortanteque singulos; visusque est simul & strenui militis & boni Imperatoris munus explere. Nec segnior Widekindus, animare Saxones, adesse laborantibus, instaurare ordines, depulsos in aciem reducere. Multas diei horas tenuit cruentum prælium intra vulnera & cædes partium. Pòst ubi robusta Francorum vis illata, cessêre Saxones, ruptaque acie in fugam se averterunt. Tum verò cædibus & clamoribus misceri omnia, sterni obvios, trucidari pecorum in modum profugos. Nec pugnæ finis fuit, quàm aut cæsi omnes, aut capti venirent in manus Caroli. Refert auctor vitæ Caroli eo in prælio cecidisse sex millia Saxonum, alij innumeram multitudinem prostratam narrant, quidam ad internecionem deletos perhibent Saxones. Captivorum ingens fuit numerus, & præda magna relata; ea tamen suorum strage VVidekindus superstes fuga se subtraxit primùm in arcem, quam ad Visurgim habebat; inde postquam Carolum sibi inhærere sensit, in Daniam rursum profugit, Caroloque exinde Saxoniam hac insigni pugna debellatam reliquit. Lubet ipsum Eginardum audire: *Hoc bello licet per multum*

Carolus à pugna Castra Paderbornæ collocat.

Widekindus ad Hasam fluvium recolligit Saxones, eodē contendit Carolus.

Prælium alterum ad Hasam fluvium haud procul Osnabrugo.

Victor Carolus.

Widekindus ex prælio evasit.


Eginardus

in vita Caroli. *tum temporis spatium traheretur, ipse non Amplius cum hoste quàm bis acie conflixit: semel juxta montem, qui Osneggi dicitur, in loco Theotmelli nominato: et iterum apud Hasam fluvium, et hoc uno mense, paucis quoque interpositis diebus. His duobus præliis hostes adeo profligati ac devicti sunt, ut ulterius Regem neque provocare, neque venienti resistere, nisi aliquâ loci munitione defensi auderent.* Nihil his Caroli gloriæ imminutum; nam etsi bis in acie stetisse scribat, in ceteris tamen prælijs ipse præsens, copiasque in hostem duxit, uti id à Francorum scriptoribus relatum est.

Wittius in Chron. Locum hujus prælij etsi quidam ad Haselunam, quidam ad Dreppenum vicum in Comitatu Diepholdico designent intra VVestfaliæ fines; nihilo tamen certius quàm haud procul Osnabrugo decertatum esse; ibi enim ex tradita majorum fide monstrantur adhuc castrorum vestigia, quæ VVidekindus istic habuit; celebrantque incolæ ob hæc VVallenhorstium, & Bocholtium vicum, & Rullam virginum collegium, tanquam certa castrorum conflictusque monumenta haud procul ab Hasæ amnis ripis. Ibi decretoria pro religione pugna cum Saxonibus; ubi Carolus primum Saxoniæ Episcopatum S. Petro vovit & condidit. A victoria visus est deinde Carolus Saxoniam in provinciæ formam redigere, Episcoporum sedes partiri, basilicas palam erigere, Episcopos sedibus suis imponere, Sacerdotum collegia condere, liberam Evangelij doctrinam pronunciare, gentes ad lavacrum baptismi invitare, fana & simulacra Deorum demoliri, aras impiorum sacrificiorum subvertere; inter quas memorant longâ majorum fide grandem illum lapidem, qui Osnabrugum inter & VVallenhorstium ac prælij hujus locum hodiedum conspicitur in jugo montis & opaco luco, quibus in locis plerumq; conventus & sacrificia agitabantur. Vasta sanè moles impolito opere, in formam mensæ; mireris qua arte, quibus humanis viribus & machinis in jugum montis attracta lapidis moles; quippe tres pedes crassa viginti septem longa, novem fulcris subnixa, quibus à terra tres pedes erecta, sed quatuor rupturis convulsa; quod à Carolo Francisque dum istic adversum VVidekindum pugnarent, factum opinantur. Ego hic figuram lapidis, quam non sine admiratione conspexi, oculis subjicio, quo quis spectando simul legendoque hæc æstimet.

Carolus à prælio victor aras & fana evertit, & Christi religionem libere introducit.

Grandes in Westfalia lapides aut heroum sepulchra, aut aræ sacrificiorum.



Multa

Multa hujusmodi saxa reperies per inferiorem VVestfaliam, cumprimisque in Embslandia, haud secus quàm in Drentiæ & in Regis Daniæ provincijs. Varia de his scriptorum judicia, quæ eò fere inclinant, ut heroum sepulchra esse velint; quale Surboldi Regis apud Humelingos planis grandibusque lapidibus intectum, sub quêis integer grex ovium à pluvijs tutus quiescit. Quanquam alibi grandes silices in cumulum congesti, sub quibus urnæ ossium, scruta, exesaq; supellectilia effodiuntur. Sed mihi eorum sententia cum Guicciardino atque alijs probatur, qui partim heroum tumulos, partim aras genticæ superstitionis censent; quando & super ipsa sepulchra à Barbaris victimas esse immolatas satis compertum ex variarum gentium moribus & antiquitatum monumentis; quanquam illa plana saxa, quæ in formam mensæ ac tabulæ reperimus in lucis ac montibus, solis sacrificijs erecta crediderim, arasque ad quas statis diebus cœtus populi collecti, & sacrificia per genticos Sacerdotes immolata sint. Eò & Clemens Alexandrinus: *Quæ prius hominum sepulchra fuerunt, magnificentius templorum appellatione vocata sunt*, & quæ heroum fuere simulacra, istic cœperunt ut Numina coli; quemadmodum sacer scriptor inde inanium Deorum cultum à primâ sui origine deducit. Igitur ut Carolus Eresburgi fanum ac simulacrum Martis subvertit; ita in saltu Osnabrugensi aram hanc sacrilegam, cum ex templo submovere non posset, frangere cœpit, ne quod genti VVestfalæ, superstitionis suæ cultusque tenacissimæ, invitamentum maneret aut posteris memoria. Quamobrem per VVestfaliam nulla fana, nulla simulacra, nulla ejusmodi superstitionum monumenta, præterquam in tumulis hisce visuntur; quorum in locum Carolus, ut fama fert, ad semitas & viarum transitus & per agros crucis signa depingi erigique jussit; aras autem & Sacerdotes & sacrificia vera quærere in Christianorum templis; uti per omnem Saxoniam tam vetustæ sunt aræ in basilicis, quàm vetusta est Christianorum religio à Carolo primùm & Episcopis invecta. Sed ut cetera prætermittam redeamque ad prælium cum VVidekindo; inter vetustissima Osnabrugensium monumenta tradunt incolæ VVallenhorstense templum haud procul ab Hasa & hujus prælij loco; ut facilè mihi persuaserim Carolum istic ob memoriam tam celebris victoriæ ædem sacram condi jussisse; haud secus quàm ad Dethmoldiam sacellum Auxilij divini collocari voluit.

Guicciardin. in Belg. Ubbo Emm. l. 1. hist. Fris. Olaus Wormius l. 1. c. 6. Mon. Dan. Conring. de antiq. Helmstad.

Ceterum Carolus ut præsentis victoriæ fructum terroremque proferret, ab Hasa ad Visurgim cum exercitu processit; ac primò VVidekindum insecutus, arcem, quam ad Visurgis flumen Mindæ habebat, circumsedit; ex qua cùm ille certè se subduceret, in Daniam rursus & pristinas latebras profugus, Carol⁹ exercitum per Visurgim traduxit, omnemque illam Ostfalorum regionem intra Albim & Vi-

Annal. Mind. Cranz. l. 1. Metrop. c. 9.

Carolus Visurgim victor transgreditur.

Adelmus & cæteri Francor. Annal. Anonym. Poëta.

& Visurgim peragravit; & quia magna pars procerum ac populi Widekindo se conjunxerat, agros eorum spolijs & depopulationibus permisit: nihil ferro flammâque intactum, quo Francicus miles traductus. Qua calamitate permoti Ostfali supplices se denuo Carolo ad omne obsequium & imperata stitêre. Postremum ad ipsum Albim progressus, Sorabis ac Sclavis, quòd superiori anno Thuringiam vastando incursassent, trophæa victoriæ ostendit, metuq; armorum intra fines suos continuit. Inde cùm jam anni tempus hiberna moneret, reflexo itinere ad Rhenum profectus, Wormatiæ Fastradam Rudolphi Comitis Orientalis Franciæ filiam duxit, qua cum Heristallum ad Mosam discessit in hiberna; ubi & Natalem Christi diem & Pascha priscâ majorum celebritate peregit, animo semper ante ceteras curas in bellum Saxonicum intentus. Amissa hoc anno conjux Hildegardis, elata Bertha mater, ducta nova conjux; at nihil funera, nihil novi amores Martium Caroli animum turbârunt.

Carolus ad Albim progressus Saxones supplices habet.

Fastradã ducit conjugem, & cum ea Heristalli ad Mosam est in hibernis.

Aderat jam annus octogesimus quartus supra septingentesimum in vernum tempus progressus, cùm nihil Carolo sollicitius fuit, quàm ut educto ex hibernis milite Saxoniam repeteret. Ac mira Dei providentia erat, Franciam per id tempus ab intestinis motibus, exterisq; gentium bellis quiescere, quo partæ victoriæ insisteret Carolus, bellique Saxonici reliquias, ut annalium scriptores memorant, tanquam in fumante adhuc incendij igne comprimeret. Nunciatum quippe fuerat Regi, Saxones, cumprimisque Westfalos, à superioris anni cladibus nondum quietos machinari nova rebellionis consilia, superesse arces & castrorum munimenta in quibus se præmunirent, sollicitari vicinas circum gentes in auxilium, interque eos Frisios convolare, ultro arma & viros offerendo (nam partem Frisiæ rebellasse auctor est Engolismensis) Major à Widekindo metus erat, ne homo à cladibus semper furiosior ex Daniæ latebris cum novis Barbarorum copijs erumperet, & si furori spatium daretur, multò atrocius bellum instauraret. Hæ Carolo maturandi causæ fuerunt. Igitur per verni temporis initia exercitum trans Rhenum traducit ad locum, quem aliqui Francicorum scriptorum Lippeheim, vocant, vicum nempe ad Confluentes Luppiæ & Rheni, de quo supra relatum, ubi nunc Wesalia consistit. Inde cum exercitu in Westfaliam effusus latè pagos & regionem undequaque spoliando evastandoque peragravit, nullo se hostium ostentante in armis; quòd ad terrorem grassantis exercitus incolæ aut in silvas & paludes se abdiderant, aut profugi cum uxoribus & liberis se in Frisiæ oras retraxerant, aut intra arcium munimenta delitescerent. Ex his quia munitio Dromi infesta restabat (Dreini opinor pagi fuit, ut Poëta vetus dicere visus) aut in Cappenbergensi aut Strombergensi edito colle; nam ad Strommingi, quod Strombergam opineris, post Carolus consedisse scribitur ab

Carolus in Saxoniam redit ad reliquias belli comprimendas, domandosque Westfalos.

Rhenum transit ad ostium Luppiæ.

Adelmus Auctor vitæ Carol. Annal. Camis.

Dromi munitio expugnata.

S. Ludgerus v. S. an Epist.

eodem

eodem S. Ludgero. Ad Dromi igitur munitionem expugnandam ductus est à Carolo exercitus, admotisq; machinis castellum laceratur; intrant per ruinas Franci cæsis, ejectisq; Westfalis. Locus pòst totaq; Dreini regio Carolo filio cum parte exercitus ad tutelam Westfaliæ commissa est. Ipse Rex cum robore exercitus ad Visurgim progressus castra posuit ad locum, quem alij (a) Huculbi, alij (b) Huculum & (c) Huculim, alij (d) Uculbi nominant; sed hactenus is incompertus est. Istic certè dū versaretur in Westfalia, impeditus est continuis cœli pluvijs & aquarum inundatione, quo minus expeditionem in Aquilonares Saxoniæ provincias, ac Frisiam etiam rebellantem promoveret. Itaq; mutato consilio iter in Thuringiam convertit, circumductoq; exercitu in eam campestrem Saxoniæ partem penetravit advers⁹ Sclavos, quæ Albis & Salæ fluminibus intercipitur, quo delatus omnem circum regionem incensis villis depopulatus est; castraq; subinde ad Stainfurt, mox Schoningæ (quam Francici scriptores nunc Schannicum, nunc Schaningi, nunc Schalingi vocant) metatus est. Ibi postquā Ostfalorum conventionem habuit, castigatâ superioris anni rebellione, pristina pacis fœdera confirmavit. Lenior semper Ostfalorum quàm Westfalorum gens: ideo ex ijs regionibus matura adhuc æstate reduxit exercitum ad Rhenum, Wormatiæque consedit aliquamdiu.

Dreini regio commissa Carolo filio Caroli, ipse ad Visurgim tendit. Huculbi. (a) *Adelmo & Astronō.* (b) *Annal. Camisian.* (c) *Auctor. vitæ Caroli & Regino.* (d) *Poëta Anonym.* Sclavos vastat. Schoningæ Ostfalorum conventus.

Inter hæc Caroli Regis filius Carolus, indole bellica inter fratres patri quàm simillimus, quem ad Luppiam in regione Dreni Westfaliæ præfectum reliquerat, oppugnatur à Westfalis; rati enim per absentiam Regis juvenem facilè opprimi, & Francicum adeo jugum exui posse, ad arma convolant; rapti in societatem Frisij, & qui trans Isalam incolunt populi. Evastaverat haud multum antè totam Westfaliam Rex, & in paludum & silvarum latebras compulerat; ex quibus tamen perrinacissima gens se brevi in validum belli robur contraxit, ausa ultro Francos adoriri. Nec segnior Caroli fili⁹, collecto quò valebat equitatu, hostibus se intrepidè objicit, invectusq; cum equitum turmis, hostem ad primum congressum sternit fugatq;. Cæsi eo prælio supra septem millia Westfalorum & Frisonum. Quâ insigni potitus victoria præclaroque tirocinij militaris edito documento, cum gloria ac triumpho Wormatiam se ad patrem contulit. Locus prælij Dreni pagus appellatur à Francicis scriptoribus, quod nomen etiamnum retinet ex oppido Dreinsteinfurt; quanquam pagi nomine tractus regionis à priscis designetur, ac totus simul ille fuit, quantum per diœcesin Monasterien sem Luppiæ ripis prætenditur, quem alij Drangni, alij Daignum, Poëta noster rectius Dreini pagum nominat, quâ appellatione vetustæ etiam tabulæ consignant. Francorum militum corpora, qui eo prælio ceciderunt, sepulta ubi Gleina in Luppiam influit; quo loco ædes sacra pòst erecta à Carolo; increscente dehinc affluentium pietate, cœnobium virginum sacello circumpositum, quod hodiedum Capellæ nomen retinet.

Carolus Caroli filius in Westfalia relictus Westfalos & Frisios prælio vincit clade septem millium. *Auctor. vitæ Caroli.* Locus pugnæ Dreini pagus. *Anonym. Adelmus. Regino corruptius. Dragini. Annal. Camisian. Dragini.* Capellæ ac virginum cœnobij origo ad Luppiam.

Eldach homo Westfalus hoc bello Saxonibus militans ope D. Suiberti mirabiliter sanatur. *D. Ludger. epist. ad Rixfridum.*

Haud minus illustre, quod D. Ludgerus ex hoc prælio Caroli filij memorat; quanquam annum prævertisse narrando censeri possit. Militabat inter Westfalos, quos à Caroli filio obtritos diximus, homo Christianus, ortu Paderbornensis, ac per vim à Satrapa suo ad bellum protractus. Nomen illi gentile Eldach, ex quo deinde Baptismum susceperat, Bruno dictus, vir opulentus ac strenuus, animoq; militari & factis clarus inter suos. Is postquam ex miserabili Ogelli Satrapæ popularis sui, simulq; ex Occonis & Nothelini casu, de quo supra relatū, quòd hæc præsens spectârat, singularem induerat pietatis sensum erga D. Suibertum; ejus rei gratia in more habuit, quotidie orationem dominicam & salutationem angelicam recitare, rogareq; unicè Divum, quo sibi patronus in omnem vitæ casum & salutis periculum adesset. Ubi verò in prælio adversus Caroli filium hasta transfossus à Franco procubuit semianimis, jacuitq; inter cæsorum cadavera volutatus, opem D. Suiberti multò impensius implorat, voto etiam addito, si vita sibi servaretur, Werdam se venturum supplicem gratumque. Vix dum hæc precatus, cùm D. Suibertus pontificali habitu & multo splendore circumfusus adstitit, pedoq; pastorali contingens miserum, non morieris, inquit, ex hoc lethali vulnere, vitam enim longiorem tibi impetravi à Deo, tu modò promissa exple; ac mox impresso Crucis signo erexit. Hæc quia post prælium spectabantur à Francis, attoniti ad insolitum lucis fulgorem advolant, & quâ ope D. Suiberti servatus sit, narrantem cum stupore audiunt, miseratiq; casū exsanguis viri, vulnera obligant, & in hospitium deportant. Ea quoq; res postquam ad Carolum Regem postea est relata, jussit hominem ad se perduci, narrantem audit, D. Suiberti ope restitutum videt, & mox alio beneficio exornatum ex captivo liberum pronunciat. Ille verò Werdam profectus omnem vitam in servitio D. Suiberti exegit. Et Carolus Rex tanquam hoc prodigio simul à Deo accensus exinde Pipini patris liberalitatem ac pietatem in D. Suibertū æmulari cœpit. Victis post Westfalis & Angarijs Werdam instaurare, revocare fugatos Sacerdotes ad Collegiū, basilicam donis ornamentisq; decorare, elargiri ex fisco prædia & bona, quibus sacer ille locus multum locupletatus est.

Carolus abruptis hibernis ad Visurgim movet, castris

Sed in præsens hoc compertum miraculum inter cetera Carolo simul hortamento fuit ad repetendam eodem anno expeditionem adversus Westfalos & Angarios. Quippe cognita horum populorum rebellionis insolentia, hiberna, quæ VVormatiæ cœperat, abrumpit; revocatoque similiter milite, ad inferiorem Rhenum properat, & obrigescente licet jam hyeme VVestfaliam unà cum Carolo filio intrat. Quam molestum militi Franco iniquissimo anni tempore per impedita & aspera VVestfaliæ loca traduci, tam latè licenterq; deprædationibus ferro flammaque sævitum ad exscindendam toties rebellem gentem, mirum ut sit post tot expeditiones & cædes repertos

tos adhuc fuisse, qui aut rebellare possent, aut in quos furor bellicus grassaretur. Sed ad Visurgim & montes Teutonicos se contraxerant rebelles Saxonum; ideo Carolus percursatâ regione, transcensisque montibus, in medio latitantium hostium castra ad Ambram fluvium posuit in pago Huetagoe, ac villa vicoque Luidi, eoque in loco primùm inter Saxones Natalem Christi celebravit, quòd ex consilio bellico Wormatiæ decretum esset ad perdomandam gentem in hiberna in Westfalia peragere. Haud procul inde castrum Saxonum Schidroburgum, sed diverso in pago, quem Wazzaganin nominant. Utrumque hunc locum, quòd Ambra intra eosdem montium sinus præterlabatur, Carolus suis castris complexus. Valla & vestigia Schidroburgi hodiedum visuntur, ubi in adverso editoque montis jugo olim castrum Arminij haud minus spectabile ex ruderibus suis. Præter Ambram, qui nunc Emmera dicitur, infraq; Ludæ oppidum se in Visurgim effundit, Carolum oblectârunt Pyrmontanæ aquæ in conspectu Ludæ, acore & medela celebres. Uterque locus Luda & Schidroburgum, quia intra diœcesin Paderbornensem, hic sacra, ille utraque jurisdictione comprehensus, ideo Ferdinandus Princeps inter Monumenta sua celebriorem fecit; & quia dignum posteritate inscriptionis carmen, hîc, ut in ceteris præstiti, exhibeo.

circum Ludam positis, ubi Natalem Christi celebrat.

Ambra fluvius.

Annal. Canis. villam *Lutundi.*

Regino Lindis pro Liuhndi.

Schidroburgum.

LVDA. AD. AMBRAM
MEMORIÆ. SACRUM.

HIC. UBI. LUDA. VETUS. JUCUNDÆ. MARGINE. RIPÆ
URBS. SEDET. ET. CULTOS. AMBRA. PERERRAT. AGROS
AMBRONES. HABITASSE. FERUNT. QUOS. CIMBRICUS. OLIM
MILITIÆ. SOCIOS. TRAXIT. IN. ARMA. FUROR
ILLIS. ARMINII. SUCCEDENS. ARCE. PROPINQUA
GENS. TENUIT. VALIDA. SCEPTRA. CORUSCA. MANU
ANNUA. SACRA. PIO. CAROLUS. DEIN. MORE. FREQUENTANS
NASCENTEM. COLUIT. SUPPLICE. VOCE. DEUM
ET. SCHIDROBURGUM. PROPIUS. DUM. SAXONA. BELLO
FULMINAT. HOC. POSUIT. FRANCICA. CASTRA. LOCO
HÆC. OLIM. DECORI. FUERINT. NUNC. PROXIMA. LUDAM
CONCELEBRAT. NOTÆ. VENA. SALUBRIS. AQVÆ

FERDINANDUS. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS
COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S.R.I. PRINCEPS. COMES
PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO
DE. FURSTENBERG.

LUDÆ. AD. AMBRAM. PERANTIQVÆ. AMBRONUM. ET
CHERUSCORUM. SEDI. CAROLI. MAGNI. CASTRIS. IN. QVIBUS. AN. DCCLXXXIV
CHRISTI. NATALEM. EGIT. ET. PYRMONTANÆ. ACIDULÆ. VICINITATE
CELEBRATÆ. M. H. P.

Astron. Dekidroburg. *Adelm.* Skidroburg.

At Schidroburgum, quod tam vario sono vocis Francici annales prodiderunt, ac postremum Schyræ & Schidræ nomen retinuit, sede etiam Episcopi à Carolo M. designatâ, celebre fecerunt Annales Mindenses alijq; scriptores. Locus olim cultior, quàm modò conspi-

Annal. Canis. Kidriburg. *Poëta vetus* Skideronburg.

Regino Richrisburg. Chron. Mind à Meibomio editum. Henricus de Hervordia. Rolevinc. de laud. Westf. Scheidel in Chron. & discept. Magd. Piderittus in Chron. Lip. p. 2. Monument. Paderb.

ciatur; multi enim circum Ludam in Pyrmontano comitatu vici (quorum ne vestigia quidem ex bellis) ut Carolus istic in montibus Teutonicis sedem Episcopi figere voluerit ad excolendos Angarios, duram inter Saxones gentem; ideoq; Albertum quendam rarâ sanctitate virum impositum volunt. Sed brevis istic statio Episcopi & commutabilis sedes. Nam per Brunonem & Tanquardum Saxones primum in Vallersleve ad Ericam; inde per Henricum primum in Vrose oppidum Northuringiæ, ac tandem per Ottonem Magnum Magdenburgum translata, atq; ita ex humili loco ad Archiepiscopatus splendorem transvecta est, non defraudato Carolo M. ne quis ex ijs, quos ille instituerat, Episcopatus extingueretur; quod nostrâ primum ætate urgentibus Suecorum Saxonumq; prævalentium armis permittendum fuit, postquam ab avita majorum religione descitum est ad hæreses; tantumq; in extinguendis Episcopatibus laboratum, quantum religiosissimi olim Cæsares à Carolo M. in ijs erigendis dotandisque inter se contenderunt.

Schidra sedes Episcopi à Carol. M. designata.

Albertus Sacerdos ei impositus, inde sedes hæc Episcopalis aliò atque aliò translata.

Transactis ad Ambram Christi Natalitijs, Carolus cum exercitu movit ad inferiorem Visurgis ripam, consedit; ad Remiam vicum, qui nunc Reme pagus, ad Warnæ ostia in Visurgim defluentis, medio prope inter Vlotam & Mindam loco; ibi Pipini Regis ac patris castrorum vestigia veneratus est, quem istic cum exercitu constitisse diximus, bello eodem adversus Saxones triumphantem. At Carolo constitutum erat præsenti expeditione transire Visurgim, omnesq; inferioris Saxoniæ regiones, quæ VVidikindo se associârant, populando urendoq; percursare, ac populos armorum terrore & extremis calamitatum malis ad obsequium deducere. Sed hæc Caroli consilia intervertit continuata cœli tempestas; fœda quippe hyems ejus anni pluvijs nivibusque inciderat, quibus & amnes inflati, & regio aquarum inundatione superfusa non sinebant exercitum traduci per humentia ad Septentrionem loca. Et jam bina ejus anni per Rhenum expeditione in Westfaliam factâ miles fatigatus attritusque erat. Tum multò consultius habuit Carolꝰ ipsam Westfaliam perdomare, fomitemq; omnis rebellionis istic prius extinguere, quam trans Visurgim incerto belli eventu exercitum transportare. Quare reflexo ab Remia itinere cum milite Eresburgum ad hiberna concessit, quò & Fastradam conjugem liberosq;, delinimenta laborum, evocavit, castraque militi ad hibernandum circumposuit, advectâ ab Rheno & vicinis locis annonâ. Prima hæc memorantur hiberna, quæ Carolꝰ in Saxonia habuit. Uterq; locus tam Luda ad Ambram fluvium, ubi Christi Natalitia, quam Eresburgum ad Dimolam, ubi Pascha celebravit Carolus, intra fines diœcesis Paderbornensis; hic comitiorum hactenus celebrium, hic frequentior Martis campus, tanquam Carolum priscis Romanorum vestigijs insistentem conspiceres, quibus militiæ palæstra & hiberna militum ad Luppiæ fontes, & hac potissimum regione intra Visurgim & Rhenum delecta sunt.

Auctor. vitæ Caroli Rimia. Annal. Caniſ. Rimit. Aſtrõ. Rimi Adelmus Rumi. Male Regino Adrena.

Carolus Eresburgi primum hibernat in Saxonia, ibi Pascha celebrat, eò Fastradam Reginam evocat.

LIBER

LIBER VIII.

SAXONIÆ & WESTFALIÆ CHRISTIANÆ.

FElicem tandem cum Carolo ingressi sumus annum Christi octogesimum quintum supra septingentesimum, belli Saxonici decimum quartum, quo Westfalia demum debellata, Francorum Regi, & Christianæ religioni se submisit. Tot nimirum continuatis annorum expeditionibus, tantoque Francorum & Saxonum sanguine stetit, priusquam vel una hæc intra Rhenum & Visurgim provincia sese subigi pateretur. Bellum quidem satis longum, si ex una provincia, totis Francorum viribus oppugnatâ, æstimes; sed eò tamen illustrior Caroli gloria, id demum ab eo confectum hoc brevi temporis spatio, in quo tot Romani Imperatores, tot exinde Christianorum Cæsares, & Francorum Reges, omnibus ab Augusto Cæsare ad hunc diem retro sæculis, frustra decertârunt, antequam vel unicum hoc interioris Germaniæ propugnaculum Rhenum inter & Visurgim expugnarent. Haud ignoro triginta tres annos ab Eginardo nobis consignari, quibus Saxonia demum debellata traditur à Carolo; verùm illà annorum periodo scriptor hic comprehendit ea bella, quæ exinde Carolus in reliqua trans Visurgim Saxoniâ atq; trans Albim exegit. Westfaliam intra decimum tertium annum subjectam nunc dedimus. Nam quod exinde cis Visurgim apud nos in campo Sintfeldico bellum memorabitur, id paucorum rebellium audaciâ, non communi gentis conspiratione atque armis gestum fuit. Et res sanè ad posteritatem memorabilis: bellum quod Carolus primo in Westfaliam ingressu Eresburgi & Paderbornæ cœpit, id Eresburgi & Paderbornæ finitum est, ut vel inde utrumque locum tam liberaliter Deo consecrârit, in quo & prospera belli auspicia, & multo feliciorem belli exitum habuit.

An. Christi 785. Regni Franc. 18. Longob. 12. Belli Saxon. 14.

Haud multum quietus Eresburgi Rex; nam postquam Fastrada conjux cum regijs liberis advenit, arcem fido firmoque militari præsidio

Carolus M. West-

faliam evastat,& ad obsequium deducit.

Ann. Franc. Pith. Adelmus. Astronom. Auctor. vitæ Carol. Poët. Anonym.

sidio ad tutelam suorum præmunivit, ipse cum expeditâ militum manu VVestfaliæ pagos ingressus est populandi causa: idem jussi alij militum præfecti facere; quarè alij aliò diversis agminibus subsecuti, totamque regionem inter se partiti, latè libereq; quaquaversum palantes effunduntur. Tum omnis inter Rhenum & Visurgim Westfalia direptionibus, incendijs ac cædibus miserandum in modum evastata; incertumque utrum hyems inquietior Francis, an Westfalis calamitosior fuerit. Castra repleta spolijs, provincia exinanita incolis, ac propè in solitudinem redacta; non quies, non securitas ullibi, nisi in raris nobilium arcibus, aut nemorum latibulis, aut fuga in vicinas regiones. Hoc tandem extremo malorum aspectu atque ultimo necessitatis telo fracti Westfali supplices se Regi sistunt, ultroq; Christianæ religioni, & imperio Francorum se suaq; omnia submittunt. Quæ nisi processissent, constitutum erat Regi non prius cum exercitu excedere Westfaliâ, quàm aut gentem ferro exscidisset, aut in alias regiones cum uxoribus & liberis deportasset; nam & ipse pertæsus tam molestum bellum, quo hactenus in decimum tertium annum gesto haud aliud prope confecerat, quàm ut in novam rebellionem pertinacissima gentis capita aleret. Veritus deinde, ne si longius protraheret bellum, plus probri quàm gloriæ pareret, & Christianam religionem inter Barbarorum ludibria & supplicia relinquere cogeretur: ideo per has extremas clades itum in gentis perniciem, quo tandem duæ res inter se diversissimæ, exitium & salus, convenêre; cœpitque exinde Westfalia ex Barbara fieri Christiana, & quæ gens omnium pertinacissima fuerat, incredibili mutatione, religionem Christi ferventissimè primùm amplecti.

Carolus Pascha celebrat Eresburgi.

Willehadus Carolum M. convenit Eresburgi.

Vita Willehadi c. 9.

Ludgerus redit ex Italia in Saxoniâ.

Vita S. Ludgeri apud Brouver. c. 14. Altfrid. c. 4.

Vastatâ VVestfaliâ, Carolus Eresburgum redijt ad Pascha celebrandum, quod primum hoc anno inter Saxones egit. Per id tempus VVillehadus, ut auctor vitæ ejus memorat, Epternaco è latebris suis ad famam triumphantium armorum egressus, Carolum Eresburgi in castello Saxoniæ adijt; quem benignè Carol⁹ cum socijs excepit; cumque vir sanctus se ultro offerret ad repetendos Evangelij labores, delectatus Carolus viri promptitudine, Cellam ei, quam Justinam dixêre, in Francia donavit cum prædijs ac bonis; quò tanquam in proprium peculium cum Sacerdotibus se reciperet, si qua denuo procella eum ejiceret è Saxonia. Tam largus gratusque Rex in operarios Evangelij. In præsens autem voluit Rex VVillehadum redire in VVigmodiam, & quam acceperat Bremensem diœcesin excolendam; retentus interim est apud Carolum ad Paderbornensem Synodum. Evocatus quoque per id tempus ex Italia D. Ludgerus, seu ab ipso Rege per Alcuinum, seu ultro etiam cognitâ Caroli victoriâ, & serenitate Saxoniæ, reditum maturâvit. Nec enim ultra biennium & sex menses in Italia versatus redijt in patriam suam (uti Altfridus nobis est

bis est auctor) & VVillehadi exemplo Evangelij labores resumere festinavit; quem ante biennium, sæviente per Frisiam Widekindo, in Italiam cum Willehado profectum diximus; & Carolus cui viri sanctitas laboresque in Frisia cogniti erant, in hac novâ Saxoniæ messe & doctorum indigentia evocandum censuit. Nihil enim Carolo per id tempus sollicitius fuit, quàm ut subactâ Westfaliâ, apertáque Saxoniâ, Evangelij præcones ac dignos Apostolico munere viros undique conquisitos accerseret, & firma rerum constitutione Episcopos cœptis à se sedibus imponeret. Quam in rem Eresburgo digressus est Paderbornam, advectoq; ex Francia commeatu & omnium rerum annonâ, celebrem mense Majo ad fontes Padere Synodum denuo habuit: jussique non modò adesse Præsules & Sacerdotes, qui aulam sectabantur, sed & militiæ duces, Comites, consiliarij periti legum, omnisq; Westfaliæ senatus & populus; prætereaq; novi Episcopi, quos Saxoniæ præstitueret. Acta hujus Synodi licet cum alijs interciderint, nihil tamen verisimilius à probatis auctoribus assertum, quàm in ea totius Westfaliæ & Angariæ consensione ejuratam esse omnem cum Widekindo ac rebellium capitibus societatem belli, transisseque Westfalos & Angarios novo fidei Sacramento dicto in potestatem & imperium Francorum: interq; decreta sancita primùm libertas Christianæ religionis, proscripto Idolorum cultu, cœptaq; Saxonia in provinciæ formam redigi: impositi duces militiæ, Comites & Præfecti, ordinataque Respublica haud secus, quàm devicto Desiderio Longobardorum Rege in Italia fecerat Carolus ad formam legesque Imperij Francici: arces & castella præmunita præsidijs: descriptæ Ducum regiones, quas militia tenerent, Marchiarum limites, quos Marchas dixére, Comitum pagi per quos jus dicerent: data pro meritis feuda in militare obsequium: præscriptæ sacræ profanæque leges; multaq; ejusmodi salubriter constituta ad rebellem toties populum in fide regni Francici continendum. Ejus rei gratia, ut quidam volunt, in hac Synodo Paderbornensi occultum illud secretumque judicium, quod Vemium passim vocant, severis illis legibus est præscriptum, cœptumq; cumprimis per Westfaliam exerceri. Sed rem nullam majori cura & sollicitudine complexus Rex, quam religionem. Hinc quod ante quinquennnium cœperat, hoc anno, & hac Synodo Paderbornensi confecit; Saxoniamque inter Episcopos divisam certis simul limitibus descripsit, quibus Episcoporum diœceses continerentur, simul ex hac Synodo Paderbornensi, qui aderant, Episcopos suis sedibus aut reddidit aut imposuit. Inde Wiho Osnabrugensi, Willehad° Bremensi, Hercumbertus Mindensi, Hildegrimus D. Ludgeri frater Halberstadiensi, Suibertus Verdensi, Bernardus Abbas Mimigardevordensi, Albertus Schidrensi Ecclesiæ est præstitutus. Burchardo Paderbornensis Ecclesia mansit vicario

Carolus W. Synodum agit Paderbornæ. *Auctor. vitæ Caroli. Adelmus in annal. Astron. in annal. Camsian. Annal.*

Carolus per Westfaliam sacra profanaque ordinat. *Sigonius de regno Italiæ.*

Secretum judicium hoc anno institutũ fertur.

Episcopi Saxoniæ impositi.

Dithm. Mersbur. lib. 7. Adam. Bremens. l. 1. c. 9. Helmoldus lib. 1. Chron. Schlav. c. 3. Crantzius Gobelin.

vicario adhuc munere gubernanda, quàm ille jam senio prope confectus, ut fasti Herbipolenses nos docent, Megingaudo & Bernulpho, alij post alium administrandam commisit. Viri omnes eruditione, virtutum commendatione, & sanctimonia vitæ celebres, quos magno delectu conquisitos admovit Carolus. Atq; hi octo illi sunt Episcopatus, quos pleriq; scriptorum, ut supra à nobis relatum à Carolo primùm institutos agnoscunt. Diœceses partim Moguntino, partim Colonienſi Archiepiscopis ac Metropolitanis suis subjecit; ut vel inde Hierarchiam Ecclesiæ recognoscant à Carolo tam religiosè cultam servatamq;, qui nostra demum ætate per tot hæreses anarchiam invexêre. Atque ut ex hac Synodo post discussam belli tempestatem, debellatamque Westfaliam, Episcopos hosce aut redditos aut impositos esse dicam, persuadent primùm Verdenſis Ecclesiæ fundationum tabulæ, quas anno ab hinc proximo consignatas à Carolo producemus, ex quibus de ceteris, quæ interciderunt, facilis conjectura est; tum scriptorum auctoritas, qui cum auctore translationis D. Liborij, cum Helmoldo, Alberto Stadenſi, Adamo Bremenſi, Dithmaro, Gobelino, Crantzio, post victum Widekindum Saxoniam in provinciæ formam redactam, & in Episcoporum diœceses distributam memorant; cumprimisque quòd omni bello Saxonico nihil contentius urserit Carolus, quàm ut Saxoniæ Episcopi & sacerdotes imponerentur ad barbaras gentes Christianis legibus imbuendas mitigandasque, quas hactenus tot importatis exercitibus atque armis domare non licuit; quam causam passim ipse Carolus in donationum tabulis attulit. Præclarè Wilhelmus Malmesburienſis Anglia scriptor hujus etiam rei rationem supra dedit, vel ideo *Carolum M. pro contundenda gentium illarum ferocia omnes penè terras Ecclesijs contulisse*, quòd persuasum haberet, *sacri ordinis homines non tam facilè, quàm Laicos fidelitatem domini rejicere; præterea si Laici rebellarent, posse eos excommunicationis auctoritate et potentiæ severitate* ab Episcopis *compesci*. Et tamen ausi quidam hæreticorum per impudentiam palam scribere, verisimile esse, ne unum quidem Episcopatum à Carolo M. in Saxonia conditum esse. Quid ergo primi illi Episcopi? Wiho Osnabrugenſi, Burchardus Paderbornenſi, Willehadus Bremenſi, Hildegrimus frater D. Ludgeri ex Catalaunenſi Episcopatu Halberstadienſi, Hercumbertus Mindenſi, Suibertus Verdenſi, Ludgerus Mimigardefordenſi, Hildesimenſi Guntherus, è Rhemenſi collegio Canonicorum à Carolo cum alijs Sacerdotibus in Saxoniam traductus, Hamburgenſi Eridagus, Schidrenſi Albertus sacerdos, Ecclesiæ à Carolo præstituti, quando multorum ex his consecratio in Episcopos ex anno certo & die consignata est, ut tempori ex fastis & scriptoribus comprobabimus. Ficta hæc & inania Episcoporum nomina erunt, ficta consecratio; perinde si Duces Saxoniæ nomines sine Ducatu, sine Comitatu. Mittamus tam insipida ac delira. Faci-

Malmesb. l. 5. de gestis Regũ Anglorum.

Albericus & ex eo Chron. Mag. Belg. ad an. ch. 795. Brovverus in not. ad vitã Meinvverci.

Facile quoq; mihi persuaserim in hoc Paderbornensi conventu procerum Francorum ac Saxonum, aut alibi per hæc tempora vetustas illas Saxonum leges à Carolo sancitas esse, quas Heroldus primùm in lucem produxit, & Lindebrochi in⁹ volumen aliarum gentium, quæ Francico imperio continebantur, bonâ fide retulit. Fateor nulla temporis ratio in ijs prodita, nisi quòd jam Ostfalai, Angrarij & Westfalai in regnum Francicum cessisse memorentur; nihil quippe Carolo sollicitius fuit, quàm religione per Episcopos & Sacerdotes introductâ, politicum quoque gentis statum formare; ac ne à se præscriptis offenderentur, plerasq; ex vetustis atque ipsiusmet gentis legibus transumpsit, accommodavitque ad Christianorum mores; ideo rudi & semibarbaro adhuc populo apparent præscriptæ, quales ipse habuit, usu ac consuetudine magis quàm ex scriptis tabulis, quando ante Carolum M. nulla literarum secreta Saxonibus cognita. Interim suas habuerunt leges, quemadmodum vetus Poëta Arnulpho Cæsare scripsit.

Leges vetustæ Saxonum.

Cap. 3. de conjuratione.

Cap. 7. de dote.

Cap. 18. de solidis.

Permissi legibus uti
Saxones patriis,

Et quantum ex his legibus colligas, aliæ Ostfalorum, aliæ Angrivariorum, aliæ VVestfalorum fuerunt, tanquam in triplici Republ. quæ urgente bello in unam armorum societatem convenit; nec tam barbarus unquam populus sine literis, quin prisco Germanorum more Remp. præclaris legibus & Christianis etiam admirandam habuerit: æstimabit hæc, qui Cornelium Tacitum de moribus Germanorum pervolverit.

Capita harum legum sunt de vulneribus & mulctis, de nece illata, de conjuratione in Regem ac Regnum Francorum, de furtis, vi & incendijs, conjugijs, hæredibus ac viduis, de dote & acquisitis, raptu mulierum, delictis servorum, damno per casum illato, de læsis animalibus, traditionibus, exulibus ac solidis: Christianæ quoque religionis in his non obscura mentio, quando capite secundo, lege VIII ita præscribitur.

* al. Furaverit.

*Qui in Ecclesia hominem occiderit, vel aliquid *furatus fuerit, vel eam effregerit, vel sciens perjuraverit, si infra patriam factum fuerit, capite puniatur.*

Lege IX. ejusdem capitis sancitur in hunc modum.

Qui homini ad Ecclesiam, vel de Ecclesia pergenti die festo, id est, Dominica Paschæ, Pentecoste, Natali Domini, Sanctæ Mariæ, Sancti Joannis Baptistæ, Sancti Petri, Sancti Martini insidias posuerit, eumque occiderit, capite puniatur, si infra patriam fuerit. Sin autem in quali loco, secundum illorum legem, si non occiderit, tamen insidias fecerit, bannum solvat de reliquis.

Carolus trans Visurgim in Ostfaliam transit.

Quas exinde leges ad annum Christi DCCXCVII Saxoniæ nostræ partibus à Carolo M. præscriptas dabimus, ea multò sunt politiores, temperatioresque ad Christianos mores; ut hæ antiquiores videri possint.

Auctor. vitæ Caroli Bardingaum. *Astron.* Bardengau. *Poeta* Berdango. *Ansegisus* Bardenwick. *Henricus de Hervordia.* *Michael Eranius.* *Petrus Albinus.* *Lindenbrochio in hist. Caroli.* *Meibomius in Bardowico.*

Rebus in hunc modum per Saxoniam compositis, peractisq;, quæ ad conventûs rationem pertinebant, uti hæc Adelm⁹ expressit, Carolus cum exercitu trans Visurgim movit, nulloq; hostium obstante, Bardovicum pervenit. Celebris is, si quisquam, Saxoniæ locus trans Visurgim in Lunenburgensium agro, & sæpius exin à Carolo frequentatus, ideoque ab Ansegiso in constitutionibus Caroli M. memoratus, quem Francici negotiatores frequentârint; ut vel inde opinentur nonnulli Carolum istic Episcopi sedem aliquando meditatum. Castra Barduici Carolus posuit, substititque cum aula, ut istic cum Ostfalis transigeret in conventu procerum, quemadmodum Paderbornæ cum Westfalis fecerat, totamque Ostfalorum regionem intra Visurgim & Albim regno Franciæ & Christianæ religioni submitteret; quod sanè felicissimo eventu peractum. Accessere è tota Orientali illa provincia Saxonum proceres, & perpetuam fidem obsequiumque jurarunt. Tum verò convenit, ut exinde, quod scriptores toties celebrant, Franci & Saxones, gens una & populus unus, in unum regni & Reipubl. corpus recepti censerentur; factáque Christianæ religionis libertate, Episcopi & Sacerdotes introducerentur; fas proinde esset cuique incolarum ad Christi sacra transire. Multa ejusmodi in hoc conventu statuta, quæ jejuni Francicorum annalium scriptores prætermiserunt. Desiderabatur in hoc congressu Orientalium Saxonum VVidekindus & Albio rebellium duces; quos cùm Carolus didicisset trans Albim oberrare per latebras suas, ne quid deinceps turbarent in pacata à se Saxonia, misit ad eos è Saxonicâ nobilitate legatos, qui suaderent, ut omissa perfidia, Regis se fidei & clementiæ committerent, Regemque coram adirent; fore enim ut non modò delictorum condonationem ab Rege, sed & ampla præmia honoresque consequerentur, idque se ex regia voluntate & clementiâ, quam experirentur, offerre. At Widekindus & Albio tot facinorum sibi conscij multum hæsitabant se Regi sistere; gratam quidem impunitatem sibi esse inquiebant, sed ad fidem velle sibi obsides prius dari, quàm se Regi sisterent. Annuit Rex, & per Amalwinum unum ex aulæ proceribus obsides illis transmittit; quibus acceptis, Amalwinum secuti ad Carolum se conferunt. At Carolus jam Saxonia excesserat, transmissoq; per Rhenum exercitu, Attiuiacum in Austrasiam concesserat; ubi & hiberna, & Christi Natalem, & Pascha exegit; quò Regem cum Amalwino consecuti sunt Widekindus & Albio ad Baptismi lavacrum; uti id Francorum annalium scriptores una consensione perscripserunt. Quocirca non satis demirari

Widekindus & Albio Saxonum duces invitantur per legatos ad pacem.

Widekindus Carolum sequitur Attiniacum, ubi baptizatus asseritur. *Auctor vita Caroli.*

eorum

eorum dissensionem libet, qui aut Wolmerstadij ad Ocram fluvium, aut Barduici, aut Mindæ, aut Attendorij in Surlandia (quasi ex Attiniaco Franciæ Attendorium fabricari liceat) aut Wittenbachij apud Fuldenses Widekindum fonte sacro ablutum volunt. Reperies etiam qui ad fontes Luppiæ id factum velint. Albertus Stadensis apud Timachum renatum asserit; sed quis iste locus nondum quisquam prodidit. Osnabrugenses nobis monstrant vicum Belen, ac veterem in eo fontem Baptismatis, quo renatum contendunt, quem deinde locum Betlehem appellari voluerit VVidekindus, eò quòd istic Christo primùm renatus sit; adjuti credo auctoritate Rolevingi, qui Attiniaci primùm rudimentis fidei imbutum tradit, Belæ verò tinctum salutaribus undis. Sed hæc ipsa dissensio scriptorum facilè singulos refellit, ut fidem asserat nobis consensio Francicorum scriptorum, qui Attiniaci Baptismi aquâ ablutum tradunt; & hi ipsi scriptores Francici, cùm solemnibus Paschatis diebus id factum scribant, ac nullibi hactenus trans Rhenum præterquam Eresburgi hoc anno Carolus celebrârit Pascha, convenientius Eresburgum aut Paderæ fontes nominare oportebat.

Astron. Annal. Canisian. Annal. Regino. Poeta vetus. Fabricius de orig. Saxon. Crantzius l. 2. Saxon. c. 23.

Nec minorem nobis injicit difficultatem Crantzius. Narrat is ex veteri Saxonum Chronico, & recepta inter Saxones fama, VVidekindum, ut sacra Christianorum exploraret, per sacros Paschatis dies mendici habitu miscuisse se mendicorum gregi, qui stipem à Carolo accipere solebant, ac mox ex curvo manus digito, qua stipem acceperit, agnitum deductumque ad Regem; à quo rogatus cur tam abjecto habitu consederit inter mendicos, respondisse volunt, curiositate id à se factum, quo Christianorum sacra exploraret; cúmque Carolus exquireret, quid in ijs observasset? Videbam, inquit, dum ad sacram mensam accederent, Christianis singulis è purpurati Sacerdotis manu speciosum puerum præberi, qui in aliorum ora vultu admodum læto, in aliorum tristi & aversо ingrederetur. Ad quæ Rex: Bene, inquit, plus tibi quàm Sacerdotibus ac nobis ostensum est, vidistique discrimen, quo digni indignique sacratissimum Christi corpus sumant. Fidem huic prodigio non demo, etsi prisci ante eum scriptores hac super re sileant. Multa ejusmodi famâ & tradita narratione fidem obtinent; sed locus tempusque obscura. Wolmerstadij ad Ocram fluvium id factum scribit Crantzius Paschalibus festis. At nunquam istic Pascha habuit Carolus, nec ante Widekindus in conspectum Caroli venit, quàm Attiniaci ad Baptismum accederet, ibi igitur id fieri oportuit. Sed cur alienum istic habitum induit, cui in suo id licuit palam spectare? nisi fortè Ludæ ad Ambram, dum Carolus istic Natalitia Christi perageret, aut dum Eresburgi, aut Paderbornæ, ut quidam volunt, Pascha celebraret, hæc tectus viderit, quibus exinde accensus primùm ad Christianam religionem se tra-

Petrus Damianus. Epist. ad Meinhard. Episcop. Baron. ad ann. Christ. 779.

hi sensit. Multa ejusmodi per se vera tenemus, quæ locorum & temporum erroribus permiscent scriptores. Juvat hic aliud non dissimile adscribere ex Petro Damiani. Carolus postquam quindenis prælijs cum Saxonum Rege decertasset, eundem deinde captivum ac nondum Christianum invitavit ad Palatium, ac dum ipse Rex solio sublimis accumberet mensæ, pauperes verò, quos alebat, humili admodum loco assiderent, observasse id Saxonum Regem ex adversâ mensâ, ac per ministrum percontatum à Carolo, quo Christianæ legis aspectu pauperes abjiceret humi, quos Christus pari cum ceteris honore tractari velit? aut qua lege Christi expetant Franci colla Saxonum sibi submitti? Ad quæ Carolus erubuisse fertur, ab Ethnico homine sibi Christi legem objici. Et quis hic Saxonum Rex præter VVidekindum, quocum quindenis prælijs pugnavit? aut ubi Carolum prius adijt VVidekindus, quàm Attiniaci in ipsa Francia; quemadmodum hæc à Godefrido Lotharingiæ Duce & Marchione ex Lotharingicis annalibus sibi Petrus Damianus relata profitetur.

An. Christi 786. Regni Franc. 19. Longob. 13. Belli Saxon. 15. Annal. Franc. Auctor. vitæ Caroli. Isaac Pontan lib. 1. rerum Danic. Merssæus.

At cetera de VVidekindo & rebus à Carolo gestis certiore narrantium fide reddamus. Attiniaci igitur hoc anno octuagesimo sexto supra septingentesimum, VVidekindus & Albio, unáque aliquot Saxonum proceres, ut Francorum annales memorant, solemni ritu per sacros Paschatis dies ad fontem Baptismatis adducti ablutique sunt. Addunt Saxonici scriptores ipsam simul Gevam VVidekindi conjugem eadem salutari unda ablutam, Carolumque VVidekindi susceptorem adstitisse, Gevæ Fastradam Reginam, Baptismi ritus à Lullo Moguntino Episcopo administratos; quanquam alij id munus Hercumberto Mindensium, alij Hildegrimo Halberstadiensium Episcopo tribuant, de quibus nihil certi pronuncio, quia nullo veterum scriptorum testimonio possidemus. Id tamen constat nihil Baptismo Widekindi ac ceterorum procerum omni bello Saxonico jucundius optabiliusve fuisse, postquam ex infensissimo & ferocissimo Christianorum hoste repente ferventissimus Christianus, & Christianorum defensor est conspectus, Pauli instar, qui cum Baptismo barbaros animos exuit, & Leonis Saxonici ferociam in mansuefacti agni commutavit indolem. Læta omnis Germania & Francia; quantumque sibi Carolus, tantum Carolo gratulatus Adrianus Pontifex, quo hasce Adriani literas potissimum referas.

Tom. 18. Concil. Paris. inter Epistolas Adriani fol. 74. Epist. Hadriani Papæ gratulantis de Saxonia victa.

EPISTOLA VIII.

HADRIANI PAPÆ I. AD CAROLUM MAGNUM.

Domino excellentissimo filio, nostroq; spiritali compatri, Carolo Regi Francorum & Longobardorum, atq; patricio Romanorum, Hadrianus Papa.

PRæstolatos, nimisq; nobis optabiles regales vestros suscepimus affatus per fidelissimum vestrum latorem atq; missum, videlicet Andream religiosum Abbatem,

Abbatem: quos referantes reperimus in eis de vestræ præcelsæ regalis potentiæ, et comparis, sobolisque vestræ, seu cunctorum præcipuorum vestrorum nostrorumque fidelium sospitate, et incolumi ac sincerissima prosperitate: in quibus Redemptori mundi consuetas retulimus grates. Magis autem inibi de vestris à Deo præsidiatis regalibus triumphis comperientes, qualiter sævas adversasque gentes, scilicet Saxonum, ad Dei cultum, et suæ Sanctæ Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ rectitudinem fidei perduxeritis, atque Domino auxiliante, et Petri Paulique Apostolorum Principum interventione suffragante, sub vestra eorum colla redacta sunt potestate ac ditione, eorumq; optimates subjugantes, divinâ inspiratione, regali annisu, universam illam gentem Saxonum ad sacrum deduxistis Baptismatis fontem. Unde nimis amplius divinæ clementiæ retulimus laudes, quia nostris vestrisque temporibus gentes paganorum in veram et magnam deductæ religionem, atque perfectam fidem, vestris regalibus substernuntur ditionibus. In hoc quippe freta vestra à Deo fundata existat potentia, quia si, ut pollicita est, fautori suo Beato Petro Apostolo, et nobis, puro corde atque libentissimo animo adimpleverit, maximas ac robustiores illarum gentium suis præcipuis suffragiis vestris substernet pedibus, ut nemine eos persequente, vestris regalibus subjiciantur potentiis, et maximum fructum in die judicii, ante tribunal Christi, de eorum animarum salute offerre mereamini dignissimum munus, et pro amore animarum lucra infinita mereamini adipisci in regno cœlesti. Illud autem, quod vestra regalis intimavit excellentia, ut in uno mense, vel in unâ die, pro hujusmodi operibus, scilicet stabilitatis vestræ victoria, laudes Deo gerentes caneremus, et una vel duabus feriis litanias perageremus; valde hoc nobis delectabile existit. Quatenus Apostolica exarantes censura decrevimus, in omnibus nostris partibus, quæ sub ditione spiritalis matris vestræ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ existunt, illico celebrari easdem una nobiscum disponentes emisimus, Domino protegente; videlicet vicesima tertia die, et vicesimâ sextâ, atque vicesima octava hujus advenientis Junii mensis, quæ sunt in primis vigiliæ beati Joannis Baptistæ, et natalis sanctorum Joannis et Pauli, nec non et vigiliæ beati Petri Apostoli. Similiter et vestra regalis potentia in suis dirigat universis finibus, seu transmarinis partibus, ubi Christiana moratur gens, similiter perficiendas triduanas litanias. Et ideo tale protelatum emisimus spatium, propter tam longinquas Christianas nationes ultra vestrum regale morantes regnum. Nos quippe non solum unam vel duas, ut nobis insinuastis, celebrandas litanias prævidimus; sed etiam pro vestra, ut soliti sumus, indesinenter orare excellentia cupientes, decrevimus perficere, et Redemptori mundi canere laudes, ut ipsæ gentes, quæ per vestrum regale certamen ad Christianam perductæ sunt fidem, usq; in ævum per vestrum maneant adminiculum, et nostris vestrisque finibus omnes repelli faciat ægritudinis morbos, et procul ejiciat pestilentiam, ut nostris vestrisque diebus populus nobis à Deo commissus in magna degentes ubertatis affluentia, simulque sincerissimæ sospitatis lætitia, longiori ævo una cum domna regina, vestraque nobilissimâ prole, mereamini

mini regni gubernacula perfrui, et in æthereis arcibus sine fine regnare, ut per vestra laboriosa certamina magis magisque spiritalis mater vestra Sancta Romana Ecclesia maneat exaltata. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat. Hæc Hadrianus.

Carolus Widekindum honoribus & bonis exornat. *Crantzius l. 2. Saxon. c. 24. Auctor. vitæ S. Ludg. apud Brouverum l. 1. c. 26.*

At Carolus ut pro fide data, regijsque promissis, Widekindum sibi & religioni Christianæ devinciret, non modò hereditarias illi arces possessionesq; reliquit, sed & multis honoribus & præmijs exornavit, ut Poëta vetus nobis est auctor; interque hæc, ut probati scriptores memorant, Ducatus Westfaliæ & Angariæ Widekindo donatus, jure hereditario ad posteros transmittendus. Quamobrem scriptor vitæ D. Ludgeri Widekindum jam Christianum Saxonum Ducem appellare visus. Vel inde tot illustres per Saxoniam Ducum familiæ, interq; eas etiam Sabaudiæ Duces se ad Widekindi stirpem referunt. Utcunque alij Duces & Comites temporanei fuerint domini ac ministri regum Francorum, sine hereditatis titulo per Westfaliam & Saxoniam, dum Caroli M. stirps staret; Widekindo certè extra ordinem cæterorum majus aliquid ob egregium illud & heroinum facinus susceptæ Christianæ religionis donatum à Carolo; quo cæteros Saxoniæ proceres ad eandem religionem invitaret, & regijs largitionibus occuparet animos, quos hactenus armis debellare non licuerat. Nec Widekindus & Albio ceterique Saxonum primores fefellêre Caroli consilia; nam ex quo Widekindus cum Baptismate Christi religionem est amplexus, nemo illo Duce constantior ferventiorque fuit in Christiana religione proferenda; impletumque in eo Apostoli oraculum, quantum excesserit delicti magnitudo, tantum abundaturam cœlestis gratiæ copiam. Quam in rem memorat Crantzius & Mindensium fasti, Widekindum statim ac divino lumine perfusus fuit, petijsse à Carolo M. proprium Sacerdotem, qui sibi res divinas administraret, & crebrius sacratissimum altaris ministerium perageret; credere jam se ea, quæ sibi in eo mysterio divinitus ostensa essent. Sortitus ad id simul Hercumbertum virum sanctissimum Episcopum Mindensem ex Abbate Corbeiensi, ut quidam tradunt, ad id munus à Carolo evocatum, quocum arcem suam, quam Mindæ ad Visurgim habebat, partitus; quæ deinde & suum & Episcopi domicilium simul esset, unde Mindam patrio idiomate compellatam censent. Additi circumpositi fundi, in quibus Basilica D. Petro & Sacerdotum habitacula construerentur, agriq; ad Cleri alimoniam. Magnificum deinde collegium Canonicorum cum nova Basilica ejus liberalitate in Angariæ vico & natali solo prope paternam arcem condidit, quod Dionysianum appellari voluit, eò quòd D. Dionysio Galliarum Apostolo dicatum. Multa hujusmodi Widekindi liberalitate Mindensi Ecclesiæ alijsque Ecclesiarum locis obvenêre, ut post Carolum Episcopatus ejus conditorem nulli plus

Widekindus liberalis in Ecclesiam. *Lib. 1. Metrop. c. 4.*

quàm

quàm suo Duci se debere agnoscat Ecclesia Mindensis. Quantum antè bellicis artibus, tantum pòst exornandis dotandisque Cleri bonis & consortio sanctorum virorum delectatus; quos inter & D. Ludgerum postea, uti Crantzius memorat, sibi perquam familiarem instructoremque rerum sacrarum habuit. Widekindum Albio ceteriique Saxonum primores æmulati. Et jam antè ex Satrapis Saxonum, uti supra relatum, Nothelinus atque Occo Christi fidem amplexi populorum animos attraxerant. Mirum quantum momenti horum procerum exemplum attulerit ad rem Christianam promovendam, quæ ad invidiam etiam & indignationem ceterorum trans Albim agebantur à Widekindo; miratique sunt unde illa rerum conversio, ut quem antè suæ pertinaciæ odijq; Francorum habuerant Ducem, modò Caroli consortem & Christianæ religionis conspicerent propugnatorem. Habent hoc generosæ mentes heroum, ut in quam partem se inflectant, in ea semper excellens atque eminens quiddam præstent.

At nihil in ista rerum commutatione optabilius evenire poterat Episcopis, quos Carolus diœcesibus imposuerat, quibus post ferrea illa bellorum & sævientium Barbarorum tempora, aureum quoddam sæculum illucescere cœpit. Quiescebat tota dehinc Saxonia, positis tandem armis, in altâ & firmâ pace; & quos hactenus formidabat omnis rebellionis concitores, cœpit cum Francis habere Christianorum defensores, hostesque veteris superstitionis. Tum verò Episcopi, qui & ipso aureo sæculo aurei Sacerdotes erant, exuto omni metu, diœceses suas in paræcias distribuere, Pastores & Sacerdotes præficere, libere Evangelij legem rudi populo exponere, obire diœceses docendo, fana & idola subvertere, templa construere, cœtus populi convocare, & Christianorum ritu Sacramenta administrare; in quo nihil visu jucundius, quàm innumerabiles hominum turbas, abjecto Idolorum cultu, ultro ad Baptismi lavacrum se offerre. Quanta gentis antè ferocia, tanta repente animorum commutatio, postquam admirabile illud lumen gentium cæcis ac delusis mentibus illucescere cœpit; vidissesque tum Saxoniam veterem non minus quàm transmarinam in Anglia decertare inter se de fervore Christianæ religionis; aut quantum ipsi Franci cum Clodoveo, tantum Saxones cum Widekindo ab utriusq; Baptismo ad Christi sacra concurrere; quemadmodum hæc inter ceteros vetustus scriptor rerum à Willehado gestarum commemorat; is enim ubi superiori anno Wigmodiam & ad suam diœcesin Bremensem à Carolo est remissus, cœpit publicè ac strenuè populum sibi subjectum docere, Ecclesias restaurare, probatos idoneosque Sacerdotes singulis quibusq; locis imponere, tanto sanè fructu, ut Saxones & Frisones earum regionum, qui ante exilium ejus promiserant se Christianos fore, modò certatim

Cap. 6. 7. 8. & 9.

certatim se ad Baptismum & Christi sacra offerrent; ex quibus de ceteris per Saxoniam Episcopatibus facilis conjectura est, modò idà ceteris quoque tam diligenter in fastos relatum esset. Quam in rem multum juvêre duces militiæ à Carolo relicti, Comites regionum, castellorum præfecti, limitum custodes & Marchiones, & qui Episcopis dati erant Advocati tutoresque libertatis. Quanquam ad hanc temporum felicitatem nihil magis desiderabatur, quàm Pastores & Sacerdotes, qui tam vastæ regionis populo per vicos sparsasque villas sufficerent. Quæ tamen Caroli Regis, quæque Episcoporum erat sollicitudo, evocati è vicinis Christianorum provincijs, & Sacerdotum collegijs, & Monachorum cœnobijs adjutores, qui messem colligerent, & parœcias implerent, nullo jam amplius hoste sacros labores obturbante; quo in genere multum debet Saxonia Fuldæ, Frislariæ, Herbipoli & fulgentissimæ D. Benedicti familiæ; tum Collegio Ultrajectensi, Colonienſi, alijsq; ex quibus Sacerdotum operæ Episcopis submissæ.

Vita S. Ludgeri apud Brouverum c. 16. Brouver. in not. adc. 8. Alfridus.

Nec segnius per id tempus laborabat in Frisia D. Ludgerus, quem Carolus M. superiori anno in eam provinciam miserat. Incolæ quippe seu Regis victoria adversus Widekindum & Saxones territi, seu vicinorum per Wigmodiam & Bremensem Episcopatum exemplo commoti, ultro se Carolo & Francorum regno submiserunt, petieruntq; sibi à Carolo submitti doctorem Christianæ legis, cujus idioma linguæ intelligerent. Gratum id Carolo fuit: delegitq; ad id opus D. Ludgerum, seu is Lothusa evocatus, quod Monasterium in Brabantia à Carolo regendum acceperat, haud secus quàm Cellam Justinam Willehadus: seu is ultro se Regi post reditum ex Cassino per id tempus ut diximus obtulerit, & ad pristinam, quam reliquerat, messem Frisiæ redire maluerit. Frisia enim maritima, uti Adamus Bremensis nos docet, per id tempus in XVII. pagos divisa erat, quorum tertia pars diœcesi Bremensi adscripta erat, & Visurgis ostio discluſa; reliqua Frisia palude Emisgoe & Amasi lacu terminabatur. In hac parte quinque pagi, Humercki, Hunnisgoe, Fivilgoe, Emisgoe & Fendgoe, noti etiam ex veteri apud Monasterienses tabula, cum Insula Bantia, D. Ludgerum primum Christianæ fidei magistrum accepere, in quibus excolendis, donec ex eis à Carolo Episcopus evocaretur, desudavit; ut vel inde Ecclesia Monasterienſis hos sibi ex Frisia pagos vendicarit, haud secus quàm Bremensis suos. Neq; pagi nomen, uti modò, vicum, sed circumscriptum terræ districtum denotabat, quo spatio regionis modò Satrapiæ & Comitatus designantur. Ita non modò Saxonia, sed tota illa Occidentalis & Orientalis Frisia se ultro Christo submittebat, Deo Barbarorum animos inflammante, ut omnis hæc ad Septentrionem regio traheretur in Ecclesiæ sinum; quando destinata apud se Deus habet tempora, quibus gentes ad sui cognitionem venire vult.

Pagi Frisij quos D. Ludgerus excoluit. Vita D. Ludgeri. Brouverus in notis. Ubbo Emmius alijq.

Inter

Inter hæc Carolus, quò propius Saxoniæ intentus esset, modò Wormatiæ ad Rhenum commoratus, quò D. Willehadum evocavit, & solemni ritu primum Bremensium Episcopum, tertio Idus Julij consecrari voluit, eoq; peracto, ad Episcopatum remisit, virum quem unicè ob sanctimoniam vitæ in amoribus habuit, amplisque ob id bonorum possessionibus, & locorum terminis diœcesin ejus circumscripsit. Modò Carolus Moguntiæ versatus, ubi in congressu trium Archiepiscoporum, Lulli Moguntini, Hildeboldi, seu, ut alij, Willebaldi Colonien sis, & Amalharij cognomento Fortunati Trevirensis multa pertractavit de Austrasiæ Regni incolumitate, de itinere Romano, de statu Saxoniæ, & religione per Episcopos firmanda proferendaque. Quam in rem præter alia fundationum diplomata, quæ per injuriam temporum intercid erunt, Verdensem Episcopatum suis limitibus circumscripsit, & Suiberto primo ejus loci Episcopo in manus tradidit. Haud dubium fecerim quin & ipse Suibertus Antistes, & alii etiam Saxoniæ Episcopi hoc anno aut Moguntiam aut Wormatiam evocati Carolum convenerint, ac tum fortè singuli Episcopatus Saxoniæ suis Metropolitanis perpetuâ lege ac constitutione attributi sint. Juvat nunc ipsas Caroli fundationis tabulas, uti ex Verdensis Ecclesiæ tabulario ad nos pervenerunt, adscribere, quò constet, quo consilio atq; instituto Carolus M. Saxoniam inter Episcopos diviserit; altero ab hinc anno Bremensis Ecclesiæ tabulas addituri, quas eadem prope forma eundemq; in modum consignavit Carolus: at Verdense diploma sic habet:

Vita Willehadi apud Philip. Cæsar. c. 9. Carolus Wormatiæ versatur, ubi Willehadus Episcop⁹ consecratur.

Diploma Verdensis Ecclesiæ à Carolo M. datum.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Carolus divina misericordia ordinante Rex.

CUm Domini nostri Jesu Christi virtute favente, bellorum victoriam nuper potiti fuerimus, si gratiarum in immensum actione in ipso et non in nobis gloriamur, et pacem in præsentiarum, et regni prosperitatem, in futuro autem pro meritis nos donari supernæ mercedis perpetuitate non diffidimus. Quapropter notum sit omnibus fidelibus in Christo, quod Saxones qui hactenus Deo et nobis ob suæ pertinaciam perfidiæ, semper cervice indomabili, et rebelles, obsecundare detrectarunt, modò tandem aliquando virtute Christi propiciante, bellorum instancia vicimus, et ad Baptismi graciam divinâ miseratione perduximus, ut gentes, quæ Dominum gloriæ non noverant, et regna, quæ nomen Domini non invocaverant, in lege Domini meditari die ac nocte adjudicavimus, et qui hucusque jugum Christi ferre minimè contendebant, Domino nostro Jhesu Christo et Sacerdotibus ejus, omnium jumentorum suorum, et fructuum terræ, et omnis agriculturæ decimas, et nitrituræ, simul in unum divites et pauperes, secundum Canonicam assertionem, et legalem cautionem constricti, de cætero persolvant. Terram autem eorum secundum antiquum Romanorum morem in provinciam redigentes, et in Episcopatus certo termino distribuentes, quandam aquilonarem illius partem, Domino nostro

Iheſu Chriſto, et ſanctiſſimæ ejus genitrici devotiſſimè obtulimus, et in loco Fardium vocato, ſuper Aleram fluvium, in pago qui dicitur Sturmi Eccleſiam et Cathedram Epiſcopalem ſtatuimus, et Mogunciensis Eccleſiæ Archiepiſcopatui, interventu Lullonis illius metropolis Eccleſiæ Epiſcopi, eam ſubjecimus. Inſuper et ad præfatæ ſtructuram Eccleſiæ in memorato pago cc. manſos, et quicquid ad ipſos manſos jure ac legitimè pertinere videtur, cum domibus et ædificiis, mancipiis, campis, pratis, ſilvis, cultis et incultis, aquis aquarumve decurſibus, viis et inviis, exitibus et regreſſibus, obtulimus, et totius hujus diœceſis incolas, divites, ac pauperes, decimas ſuas eidem Eccleſiæ, ſuoque diſpenſatori perſolvere, noſtræ regiæ Majeſtatis præcepto firmiter jubemus, et jubendo præcipimus, et legali ſanctione confirmamus. Statuimus etiam ut quaſcunque poſſeſſiones, et quæcunque bona, eadem Eccleſia in futurum, conceſſione Pontificum, largicione Regum vel Principum, oblacione fidelium, liberorum et ſervorum, ſeu aliis modis Deo propicio poterit adipiſci, firma ſit, et illibata permaneat. Præterea libertates et immunitates eidem Eccleſiæ concedimus. Decernimus quoque ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temere perturbare, poſſeſſiones ejus auferre, ablatas retinere, minuere, et aliquibus vexacionibus fatigare, ſed omnia ad integritatem conſerventur. Ut autem hæc confirmacionis ſententia, oblacioniſque donacio, rata et inconvulſa, et omni ævo intranſibilis permaneat, ex præcepto ſummi Pontificis et univerſalis Papæ Adriani, nec non Mogunciensis Archiepiſcopi Lullonis, et omnium qui inibi aderant, ſanctorum Pontificum, et Catholicorum Sacerdotum, et Alcquini inſignis prædicatoris, racionis conſilio, ſupra memoratam ſanctæ Dei genitricis aecclesiam, cum omnibus appendiciis, et donativis, Suitberto ſanctæ converſacionis viro, et immortalis memoriæ, coram Deo et apud homines commiſimus. Quem quidem in agro Dei laborantem, primum eidem aecclesiæ bonum militem Iheſu Chriſti præfecimus, ut populo adhuc rudi, verbi Dei ſemina, meſſem deinceps latura, ſecundum diſpenſatam ſibi ſapienciam, tanquam fidelis ſervus et prudens, in domo Dei adminiſtraret, et canonica ordinacione, et competenti, et aecclesiaſtica inſtitucione, aecclesiam ſibi delegatam, tam novellam plantaret atque rigaret, donec oracionibus ſervorum ſuorum interpellatus, omnipotens Deus incrementum daret. Veruntamen quia caſus præteritorum præſcios et cautos nos reddunt futurorum, ne quis ſibi aliquam in eadem diœceſi, avertendo regulam, adſcribat uſurpative poteſtatem, certo eam limite fecimus terminari. Terminos autem ejus firmos, inconvulſos, et per omne ſeculum inconvertibiles, Apoſtolicâ auctoritate, et noſtræ regiæ Majeſtatis præcepto circumſcribi præcepimus; id eſt: Wirraham fluvium, Fariſtinam, Bicinam uſque in VViemenam, à VViemena in paludem, quæ dicitur Culdenbach, deinde uſque quoque perveniatur ad Hoſtam, ab Oſta Uterva, Bivernam, VViſſenbroc, Aſebroc, Chiſſenmor, Quiſtinam, Motam paludem, quæ dicitur Sigesfridesmor, Mulenbach, iterumque Oſtam, Schneidbach, VVimaream, Haſulam, Steinbach, Liam fluvium, qui abſorbetur ab Albia fluvio, deinc trans Albiam, ubi

am, ubi Bilena mergitur in Albiam. Dehinc in ortum Bilene, inde ubi Travena absorbetur à mari, deinde usque quoque perveniatur ubi Pene fluvius currit in mare barbarum. Inde in ortum ejusdem fluminis. Hinc in Eldam. Dehinc in Albiam. Inde in rivum Alend, inde in rivum Bese, inde in Rodouve usque in paludem, quæ dicitur Rockesford. Inde in Horam fluvium, Callenvorde. Inde in ortum Horæ. Hinc in ortum Hisnæ. Hinc in rivum Scarback. Inde in ortum Geltbach, et ipsum rivum in descensu in Ursenam, et in ascensu Ursenæ in Wizenam, hinc in ortum ejusdem fluminis. Hinc in paludem, quæ dicitur Schnederebroch, hinc in Lernam, et per mediam paludem, quæ dicitur Camperebroch, et sic trans Aleram in Wirraham. Et ut hæc auctoritas hujus donationis et circumscripsionis nostræ in Dei nomine firmiorem et pleniorem obtineat vigorem, et nostris et futuris temporibus à fidelibus Christi verius credatur, et diligentius observetur, manu propriâ subscripsimus, et sigilli nostri impressione assignar jussimus.

Signum Domni

Sanctissimi  Caroli Regis

Luilo Archiepiscopus Moguncienſis recognovi.
Hildebaldus Archiepiscopº Colonienſis et ſacri Palatii Capellanus recognovi.
Amalharius Trevirenſis Archiepiſcopus recognovi.

Data III. *Kalendas Julij, Anno Dominicæ Incarnationis* DCCLXXXVI. *Indictione* * XII. *anno autem regni Domni Karoli* XIIX. *Actum Mogunciæ feliciter. Amen.* * *al.* IX.

Diplomatis veritas asserta.

Vetus & syncerum diploma; quod tamen haud aliter quàm Bremense oppugnant hæreticorum scriptores, quòd hîc annum Incarnationis præter stylum ac formam eorum temporum adscriptum legant; sed de his ad Bremense diploma rationem dabimus. Nec testium tempora discrepant. Vixit adhuc Lullo celebris ille Moguntinus Archiepiscopus; quamvis sint, qui hoc anno, mense Decembri velint excessisse è vita. Vixit & Hildebaldus Colonienſis Archiepiscopus, qui vitio exscriptorum quorundam Willebaldus notatur, atque ad annum 818. adhuc superstes fuit Colonienſium Archiepiscopus. Tantum in Amalhario lis, cujus Episcopatus exordia Browerus infra annum 800. rejicit; quem tamen D. Ludgerus cognomento Fortunatum anno Christi 796. apotheosi D. Suiberti in Cæsaris insula præsentem sistit. Quibus diligentiùs expensis hac super re certiùs P. Jacobus Masenius, qui Broweri historiam Trevirensem animadversionibus præclarè illustravit, ex Verdensi diplomate vacillare censuit chronologiam Archiepiscoporum Trevirensium, cùm Broweri calculo per id tempus Ricbodus præsederit Trevirensi

Serrar. in Mogunc. l. 4. in Lullo Archiep.

Ecclesiæ; cui Wazzo succesſerit, ac deinde Amalharius Fortunatus Wazzoni anno Christi 800. subrogatus sit. Adeo veterum Episcorum chronographia incerta & turbida apud illustres etiam scriptores; nisi pro Richodo nobis obtrusus sit Amalharius: aut Amalharius celebris ille ex disciplina Alcuini Choriepiscopus pleraque Archiepiscoporum munia expleverit: aut certè duo ejus nominis Archiepiscopi Trevirenses collocandi sint; nam præter hunc Amalharium etiam memoratur Amalharius Fortunatus, qui anno Christi 796. Apotheosi D. Suiberti interfuerit, alius qui Ludovico Pio Imp. altero post mortem Caroli M. anno legatus redijt Constantinopoli, uti Theganus retulit. Nam qui anno 832. Ludovico Imp. se Romam venisse scribit, Bollando diversus ab alijs est, scriptorque antiphonarius ex Clero Metensi apparet. Ac Sirmondum si quis consulat, intelliget is Amalharium jam ante annum 821. obijsse, quando eo anno Hetto Amalharij succesſor concilio apud Theonis villam interfuit. Certior nobis ex hoc Caroli diplomate Suibertus primus Verdensium Episcopus, ejusdem Alcuini, tum Turonensium Abbatis, commendatione Carolo percarus, magnique ob virtutum æstimationem habitus, longè alius à Suiberto Werdensi, qui cum S. Willebrordo ex Anglia Trajectum appulit, & Westfaliam Bructerosque Christi primùm doctrinâ illustrare cœpit, quem jam ante 50. annos cœlo illatum constat. Hic verò, de quo agimus, Suibertus, uti Crantzius perhibet, professione Monachus & abbas, natione Anglus, vir zelo Dei fervens & multis etiam miraculis clarus; ut vel inde Carolus tam magnificè in suo diplomate virum, qui inter mortales adhuc vivebat, immortali memoria dignum prædicet: nisi ad alterum simul Suibertum Apostolicum virum respexerit Carolus, cujus hic alter Suibertus consanguineus fuit, æmulusque sanctimoniæ. Quarè ipsum Crantzium non satis demirari libet, tam immemorem temporum, quòd Suibertum, qui cum Apostolicis viris sub Carolo Martello in Belgicam venit, ausus sit scribere à Carolo M. primum Verdensem Episcopum delectum, quem nunquam ille vivus Regem vidit; quo tamen errore Bellarminus, Bollandus, alijque se abduci permiserunt; quanquam Bollandus hunc Crantzij errorem post animadversum damnârit. Alius quippe Werdensis in Cæsaris insula Suibertus, alius Verdensis primus Episcopus, quæ nominis similitudo fefellerit Crantzium, & qui ejus errori inhæserunt; quâ de re toties à nobis supra relatum est inter res gestas D. Suiberti, quem jam dudum Pipinus Rex Caroli M. pater ex sepulchro & miraculis posthumis veneratus est cœlo adscriptum.

Brouver in annal. Trevir.

Suibertus primus Verdensis Episcopus à Carolo imposi-tus.

Suibertus hic diversus à Suiberto Insulæ Werdæ.

Crantzius in Metrop. lib. 1. c. 6.

An. Christi 787. Regni Franc. 20.

Constitutis per Germaniam rebus, redactaque per Audulfum militiæ præfectum Aquitaniâ ad obsequium, Carolus post acceptos Wormatiæ obsides iter in Italiam maturabat; tum ut cum Adriano

Ponti-

Pontifice conferret de Saxoniæ Episcopatibus à se institutis, tum ut novos in Italia motus comprimeret. Vix enim Saxonia pacata erat, cùm Aragisus Beneventanorum Dux propalam defectionum motibus infesta Pontifici arma intulit; quod ubi Carolus per nuncios Pontificis didicit, confestim tantâ celeritate Alpium juga per hyemem superavit, ut prius arma quàm adventum Regis in Italiam sentirent; Romamque ad visitanda Apostolorum limina ingressus, consilia rei gerendæ cum Pontifice communicavit. Inde in Campaniam deportato exercitu, delectaque Capuæ belli sede, Aragisum solo armorum terrore ad pacem petendam compulit; ultro enim ab eo missi obsides liberi, deditique populi, hoc unum flagitando, ne in conspectum Regis ipse venire cogeretur. Ita Carolus venit & vicit, incertum fama armorum, an armis potentior. Capua Romam ingressus Carolus, Pascha cum Adriano Pontifice celebravit. Multa tum coram pertractata inter suprema Ecclesiæ capita, Adrianum & Carolum, de publicis regni Ecclesiæque negotijs: auditi legati, quos Thassilo Bojorum Dux ad Pontificem miserat pro pace inter ipsum & Carolum; & cùm Carolus responderet non aliud se cupidiùs expetere, rogaretque legatos, quæ pacis hujus firmitas futura esset, & nihil illi responderent sibi hac super re à Duce commissum esse, advertit ex his Pontifex fraudem legationis, Carolumq; quod æquum foret, agere jussit. Salubriora in sacris convenerunt; nam præter approbatos à Pontifice Saxoniæ Episcopatus confirmatosque Episcopos, actum de publico Ecclesiæ cantu, qui à moderatione in absonum modum deflexerat, instaurando; atque is, ut ad Romana instituta vocisque temperationem revocaretur, dati sunt non modò cantores ab Adriano Pontifice, sed & Grammaticæ artis & Arithmeticæ, & humaniorum literarum periti viri ac magistri, quos Carolus secum in Germaniam deduxit. Adeo inter belli curas de sacris sollicitus Carolus, qui uno humero Rempublicam, altero Ecclesiam gestabat. Verùm nihil impensius habuit, quàm ut Scholæ in Germania ad excolendam juventutem per Episcopatus & Monachorum cœnobia refloresceret; qua cura maximè Saxoniam est complexus, quòd inculta gens ac fera duram adhuc spiraret barbariem, quæ legendi peritia & mansuetioribus artibus ad disciplinæ Christianæ legem emollienda esset. Quâ super re affertur præclara illa Caroli epistola ad Baugulfum Fuldensis cœnobij Abbatem, D. Sturmionis successorem, quam hic reddo:

Longob. 14. Belli Saxon. 16. Caroli Tertia profectio in Italiam. *Annal. Franc.*

Carolus Romam intrat & Pascha cũ Adriano Pontifice celebrat. *Engolism. in vita Caroli. Baron ad hunc ann. Brouver. in ann. Trevir. Binius.*

Carolus cantores & peritos Grammaticæ impetrat à Pontifice.

Scholas per Germaniam & Saxoniam promovet.

Tom 18. Concilior. Paris. Sirmond. Binius.

Carolus gratia Dei Rex Francorum et Longobardorum, ac patricius Romanorum, Baugulfo Abbati, & omni congregationi, tibi etiam commissis fidelibus oratoribus nostris, in omnipotentis Dei nomine amabilem direximus salutem.

Diploma Caroli de Scholis per Saxoniam erigendis.

NOtum igitur sit Deo placitæ devotioni vestræ, quia nos una cum fidelibus nostris consideravimus, utile esse, ut episcopia et monasteria nobis Christo

Christo propitio ad gubernandum commissa, præter regularis vitæ ordinem, atque sanctæ religionis conversationem, etiam in literarum meditationibus, eis qui donante Domino discere possunt, secundum uniuscujusque capacitatem, docendi studium debeant impendere: qualiter sicut regularis norma honestatem morum, ita quoque docendi et discendi instantia ordinet et ornet seriem verborum; ut qui Deo placere appetunt recte vivendo, ei etiam placere non negligant recte loquendo. Scriptum est enim: Aut ex verbis tuis justificaberis, aut ex verbis tuis condemnaberis. Quamvis enim melius sit bene facere, quam nosse, prius tamen est nosse quam facere. Debet ergo quisq; discere quod optat implere, ut tanto uberius quid agere debeat intelligat anima, quanto in omnipotentis Dei laudibus sine mendaciorum offendiculis cucurrerit lingua. Nam cum omnibus hominibus vitanda sint mendacia, quanto magis illi secundum possibilitatem declinare debent, qui ad hoc solummodo probantur electi, ut servire specialiter debeant veritati? Nam cum nobis in his annis à nonnullis monasterijs sæpius scripta dirigerentur, in quibus quod pro nobis fratres ibidem commorantes in sacris et piis orationibus decertarent, significaretur, cognovimus in plerisque præfatis conscriptionibus, eorundem et sensus rectos, et sermones incultos: quia quod pia devotio interius fideliter dictabat, hoc exterius, propter negligentiam discendi, lingua inerudita exprimere sine reprehensione non valebat. Unde factum est, ut timere inciperemus, ne forte, sicut minor erat in scribendo prudentia, ita quoque et multo minor esset, quam rectè esse debuisset, in Sanctarum scripturarum ad intelligendum sapientia. Et bene novimus omnes, quia quamvis periculosi sint errores verborum, multo periculosiores sunt errores sensuum. Quamobrem hortamur vos, literarum studia non solum non negligere, verum etiam humillima et Deo placita intentione ad hoc certatim discere, ut facilius et rectius divinarum scripturarum mysteria valeatis penetrare. Cum autem in sacris paginis Schemata, tropi, et cætera his similia inserta inveniantur, nulli dubium est, quod ea unusquisque legens tanto citius spiritualiter intelligit, quanto prius in literarum magisterio plenius instructus fuerit. Tales verò ad hoc opus viri eligantur, qui et voluntatem et possibilitatem discendi, et desiderium habeant alios instruendi. Et hoc tantum ea intentione agatur, quâ devotione à nobis præcipitur. Optamus enim vos, sicut decet Ecclesiæ milites, et interius devotos, et exterius doctos, castosque bene vivendo, et Scholasticos bene loquendo: ut quicunque vos, propter nomen Domini et sanctæ conversationis nobilitatem, ad vivendum expetierit, sicut de aspectu vestro ædificatur visus, ita quoque de sapientia vestra, quam in legendo seu cantando perceperit, instructus, omnipotenti Domino gratias agendo gaudens redeat. Hujus itaque epistolæ exemplaria ad omnes suffragantes, tuosque coëpiscopos, et per universa Monasteria dirigi non negligas, si gratiam nostram habere vis: et nullus Monachus foris Monasterio judiciaria teneat, nec per mallos et publica placita pergat. Legens valeat.

Matt. 12.

Genus

Genus hoc epistolæ ex earum numero est, quæ communes & encyclicæ dicebantur, quòd uno exemplo, paucis immutatis, ad ceteros mitterentur, quòdque Fuldensi Abbati imperatum, ut cum ceteris cœnobijs communicaret. Idem metropolitanis perscriptum. Satis id postrema pars ostendit, qua jubetur exemplum epistolæ ad omnes suffraganeos & Coëpiscopos transmitti. Et verò quàm impensa cura juventutis institutionem sibi sumpserit Carolus, cùm ex scholis Osnabrugi institutis, tum ex multis Synodorum decretis & Caroli legibus cognitum, quas inter hæc: *Symbolum, quod est Signaculum fidei, et orationem Dominicam discere semper admoneant Sacerdotes populum Christianum. Volumusque ut disciplinam condignam habeant, qui hæc discere negligunt, sive in jejunio, sive in alia castigatione. Propterea dignum est, ut filios suos donent ad Scholam, sive ad Monasteria, sive foras presbyteris, ut fidem Catholicam rectè discant, et orationem Dominicam, ut domi alios edocere valeant. Qui verò aliter non potuerit, vel in sua lingua hoc discat.* Lib. 5. capitul. 6. 95. Rursum alia lege Sancitum: *Scholæ legentium puerorum fiant, psalmos, notas, cantus, compotum, Grammaticam per singula Monasteria vel Episcopia discant. Sed et libros Catholicos bene emendatos habeant, quia sæpè dum bene aliquid Deum rogare cupiunt, per inemendatos libros malè rogant.* Lib. 1. capitul. c. 72. Et quæ in hanc rem multis sanciuntur; repertique ob id viri sapientes Eginardus, Lupus Ferrarienses, alijque qui hoc Caroli institutum inter egregia ejusdem opera retulerunt. Ac si ullibi id Caroli consilium salutare fuit, tum vel maximè in Saxonia; quæ cùm hactenus secreta literarum non didicisset, neque verum Deum cognovisset, ubi per Carolum & Episcopos introductæ sunt puerorum scholæ, cœpit à primâ ætate Christi legem cum literarum elementis perdiscere. Ac mirum quantum illa res barbarorum animos immutârit, ut ejurato Idolorum cultu, tam tenaciter Christianæ religioni, quàm ante superstitioni adhæserint. Discebant sacra nostra pueri à magistris, senes à pueris, parentes à filijs; recitabantur evangelia & Apostolorum scripta per vicos & cœtus hominum, audiebantur juvenum prælectione oracula; hærebant attoniti ad Christi doctrinam populi: damnabant veterem superstitionem ex cognitis dæmonum fraudibus, cœcitatem ex tenebris prioris vitæ, vitia & scelera ex castissima sanctissimaque Christi lege. Accedebant castissimæ religionis Christianæ cæremoniæ, sacrificium missæ sanctissimis suis ritibus populo explanatum, ordinatus sacer Ecclesiæ cantus, quo populus mirificè trahebatur. Novum hoc armorum genus erat, quò Carolus potentiùs quàm per bella Saxonum animos debellabat.

Monasteria ex suo instituto non sunt Scholæ

Salutare hoc Scholarum institutum, laudatumque semper in Ecclesia, ut non modò apud Clericos probatæ vitæ, sed in Monasterijs etiam ludi aperirentur; qua tamen in re multum falluntur hæretici nostrorum temporum scriptores, dum illico cœnobia omnia nil nisi

uti Heterodoxi fingunt.

nil nisi scholas ludosvè puerorum comminiscuntur, quo sanctissimum illud, religiosæ vitæ institutum proscribant; tanquam non multò sublimior finis instituti Monachorum ex cultu religionis, & divino servitio præscriptus sit, cui scholæ adscititium munus, ultroq; ex caritate susceptum in subsidium laborantis Ecclesiæ; ideo duplices olim Scholæ in cœnobijs Monachorum, aliæ interiores, in quibus ipsi Monachi atque adolescentes Deo sacrandi formabantur, quos hæc Caroli epistola monitoria maximè comprehendit: aliæ exteriores, in quibus nobilium & honestorum liberi ad omnem pietatem & disciplinas liberalium artium excolebantur; receptique etiam rudes per exordia inter Barbaros religionis, quibus literarum & Christianæ legis elementa sunt tradita. Hanc scholarum partitionem cùm alij, tum Eckerhardus Cœnobij S. Galli Decanus nos docet. Pòst ubi malo suo compertum est, per has exterorum Scholas turbari religiosam quietem, dissolvique rigorem sanctitatis, in plerisque Cœnobijs intermissæ sunt; ut de Cassino memorat Petrus Damianus. Hoc nimirum, illa Ludovici Pij Imperatoris lex sanxit Aquisgrani. *Non alia in Monasterio aperiatur Schola, quàm eorum, qui oblati sunt*, ut Deo in religione conscerati vivant. Non tamen ob id Cœnobia Monachorum abolita, aut in Scholas conversa, quod ex Heterodoxorum doctrina nostro primùm ævo factitatum est. Et quo obtentu simul Monialium Cœnobia ab ijs dissolvuntur? quibus nullæ unquam Scholæ, nec docendi munus adjunctum fuit; tanquam profugi Monachi ac Monialis in sacrilegum torum admissæ exemplum satis sit ad religiosæ vitæ cœnobia tollenda, quæ tanto numero & liberalitate à Carolo M. & Francorum Regibus sunt condita; quemadmodum hoc sanctissimum vitæ genus à primordijs Ecclesiæ, ad sublimiorem quandam Christianæ legis perfectionem, institutum est; atque inde majorum religione acceptum, à Patribus commendatum, & toto jam orbe diffusum magno Ecclesiæ bono invaluerat. Nec tum alius Monachorum ordo clarior fulgentiorque per Germaniam & Franciæ regna, quàm D. Benedicti, quorum religiosorum uno opere D. Bonifacius primùm Germaniam, Thuringiam & Hassiam restituerat, & pòst Saxonia maxima ex parte ad Christi fidem perducta est; ut vel inde Carolus M. Scholas tantopere Fuldensibus, ceterisque ejus ordinis cœnobijs commendârit, quo Apostolicos viros & Evangelij operarios ex ijs in subsidium Cleri & maturæ jam messis fructus colligendos evocaret.

Scholæ duplices in cœnobijs. *Brouver. Antiq. Fuld. lib. 1. c. 9.*

Tom. VI. Canisian. Antiq. lect. in vita B. Notkeri.

Petrus Damiano epist. 4. c. 16. In Collat. Abbatum Aquisg.

An. Christi 788. Regni Franc. 21. Longob. 15. Belli Saxon. 17.

Sed Româ Carolum ex tertio itinere reducamus in Germaniam. Nunquam ille eam urbem adijt, quin novo spiritu afflatus Saxoniam sibi aut armis domandam, aut Episcopatibus dotandis, aut salutaribus legibus excolendam sumpserit. Quantum alij Regum Francorum in proferendos Regni limites converterunt arma, tantum

Carolus

Carolus in firmanda per Saxoniam Christianâ religione (nec enim aliud modò supererat) occupatus. Igitur longum ex Italia iter emensus Wormatiam redijt, ubi Fastradam Reginam, liberos & aulam reliquerat; ac nihil antiquiùs habuit, quàm ut sacrorum Præsulum ac Regni procerum publicum conventum indiceret. Celebria hæc accessu omnium ordinum comitia fuêre, in quibus Rex, qua erat dicendi facundia, enarravit, quæ cum Adriano Pontifice pertractasset, qua celeritate Italiæ motus compressisset; supersse nunc in ipsis Germaniæ visceribus Thassilonem Boiariæ Ducem, fraudis Romæ per legatos, & rebellionis per arma, quæ in se induerat, compertum. Quibus expositis, una omnium optimatum sententia decernitur bellum; utque Thassilonem pari qua Beneventanum Ducem celeritate obtereret, triplici exercitu hominem est aggressus; jussusque Pipinus filius cum Italicis copijs ad Tridentinas valles, Franci Orientales & Saxones ad Danubium se movere, ipse cum tertio exercitu ad Lycum fluvium, quo Alemanni à Boijs terminantur, progressus, Augustæ in suburbio consedit. Thassilo ubi tot se armis ex omni plaga cœli, præterquam ab ortu, qua Hunni adjacent, circumsessum conspexit, pacem supplex petijt, datisque duodecim obsidibus (quorum princeps Theodo filius) delictorum in præsens veniam impetravit: ipse nihilominus dominatu exutus, jussique Boij Carolo Sacramentum fidei dicere, & in Regni Franciæ amplitudinem redire. Tam citò vincitur Bojaria, postquam tam serò debellatur Saxoniâ, quæ per id tempus non modò quieta, sed tota se permittebat Christianæ religioni imbuendam; ultroque Christi jugum accipiunt Barbari, dum Christiani rebellant.

Carolus Roma Wormatiam festinat, ubi Regni comitia aguntur.

Tassiloni Bavariæ Duci bellum decernitur.

Anno jam in hyemem inclinante Carolus exercitum ad hiberna remisit, ipse Ingelheimium concessit ad villam infra Moguntiam, ubi & Natalitia Christi, & solemnia Paschatis celebravit, hyemem totam exigendo. Interim nec à publicis vacuus Ingelheimij conventum sacrorum præsulum ceterorumque ordinum habuit; ad quem & Thassilo Boiariæ Dux evocatus cùm se Regi stitisset, crimine læsæ majestatis à Boijs accusatus est, quòd assidua flagitatione uxoris Luitbergæ, Desiderij Regis Longobardorum filiæ, Hunnorum gentem sollicitaret, & ad bellum, quòd ipse jam instruebat animo, concitaret. Alia plura objiciebantur dicta factaque, quæ infensum hostem retegerent, tam aperta ac certa, ut ad ea reus conscientia criminum obmutesceret. Nec mora, assensu procerum majestatis violatæ convictus damnatur capite. At Rex, qua erat clementia, mortis supplicium in civilem commutavit pœnam, Thassilonemq; una cum filio in Lauresheimense cœnobium detrusit, ubi per tonsionem sacram uterque initiatus vitam omnem in quiete & pietate exegit. Boij consortes sceleris in exilium acti, nec ullus in universa

Carolus Ingelheimij hibernat, ubi & natalitia Christi & Pascha celebrat.

Thassilo Ingelheimij in cõventu damnatur & in Monachum attondetur.

Eginard. in Carolo. Bojaria constitutus Dux, sed plures Comites urbibus ac locis singulis præfecti provinciam administrârunt, ad eum modum, quo Thuringiam, Alemanniam, Longobardiam, Saxoniam in provinciæ formam redegerat: tantum temporarius militiæ Dux, relictus inter Comites, qui urgente bello præesset, & copias provinciæ regijs conjungeret in hostem ituris. Quid Luitberga conjuge factum, turbidâ & inflatâ fœminâ, non prodidere auctores; Vero proximùm eam ad Hunnos profugisse, à quâ fortè gens illa incensa gemino exercitu in Forojulienses & Bojos prorupit, utrobique victa & prostrata, cumprimisque à Bojis cum ingenti strage trans Danubium rejecta. Hæc prima belli Hunnici fax longum deinde incendium datura, quo & Germania Saxoniaq; post Caroli bellum multis annis conflagravit.

Belli Hũnici semina.

At Carolus Ingelheimio Spiram concessit, multum ut apparet de Saxoniæ Episcopatibus perficiendis unà cum Hildebaldo Colonienſium Archiepiscopo sollicitus; quando hoc anno celebre illud diploma Spiræ consignatum à Carolo, quo Episcopatum Bremensem amplis limitibus circumscriptum regia liberalitate donavit Willehado ejusque successoribus Episcopis. Id quia cum Verdensi solum & Osnabrugensi ex primis donationum conditorumque per Saxoniam Episcopatuum Carolinis tabulis supereſt, unàque cum Verdensi diplomate nobis formam ceterorum, quæ periêre, exhibet, operæ pretium erit hoc loco tanquam ad communem Episcoporum causam adscribere, perinde uti ab Adamo Bremensi ex tabulis ejus Ecclesiæ primo est productum, ac deinde ab Alberto Stadensi, Crantzio, ceterisque scriptoribus vulgatum.

Adam. Bremen l. 1. c. 10 Albertus Staden. ad hunc ann.

Diploma Ecclesiæ Bremensis, & tabulæ fundationis.

IN nomine Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, Carolus divinâ ordinante providentia Rex. Si Domino Deo exercituum succurrente in bellis victoria potiti sumus, in illo et non in nobis gloriamur, et in hoc seculo pacem et prosperitatem, et in futuro perpetuæ mercedis retributionem nos promereri confidimus. Quapropter noverint omnes Christi fideles, quod Saxones, quos à progenitoribus nostris ob suæ pertinaciam perfidiæ semper indomabiles, ipsique Deo et nobis tam diu rebelles, quousque illius, non nostrâ virtute ipsos et bellis vicimus, et ad Baptismi gratiam Deo annuente perduximus, pristinæ libertati donatos, et omni nobis debito censu solutos, pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipsi tributarios et subjugales devotè addiximus, videlicet, ut qui nostræ potestatis jugum hactenus ferre detrectaverunt, victi jam (Deo gratias) et armis et fide Domino et Salvatori nostro Jesu Christo, et Sacerdotibus ejus, omnium suorum jumentorum et fructuum totiusque culturæ decimas ac nutrituræ, divites ac pauperes legaliter constricti persolvant. Proinde omnem terram eorum antiquo Romanorum more in provinciam redigentes, et inter Episcopos certo limite disterminantes, Septentrionalem illius partem, quæ est piscium ubertate ditissima, et pecoribus alendis habetur aptissima, pio,

Christo,

Christo, et Apostolorum suorum Principi Petro pro gratiarum actione devotè obtulimus: Sibique in Wigmodia in loco Bremon vocato, super flumen VVirraham Ecclesiam et Episcopalem statuimus cathedram. Huic parochiæ decem pagos subjecimus, quos etiam abjectis eorum antiquis vocabulis et divisionibus, in duas redegimus provincias, his appellantes nominibus, VVigmodiam et Lorgoe. Insuper ad præfatæ constructionem Ecclesiæ in supra dictis pagis LXX. mansos cum suis colonis offerentes totius hujus parochiæ incolas decimas suas Ecclesiæ, suoque provisori fideliter persolvere, hoc nostræ majestatis præcepto, jubemus, donamus et confirmamus. Adhuc etiam summi Pontificis et universalis Papæ Adriani præcepto, nec non et Moguntiacensis Episcopi Lullonis, omniumq; qui affuere pontificum consilio, eandem Bremensem Ecclesiam cum omnibus suis appendicijs VVillehado probabilis vitæ viro, coram Deo et sanctis ejus commisimus. Quem etiam primum ejusdem Ecclesiæ III. Idus Julii consecrari fecimus Episcopum, ut populis divini semina verbi secundum datam sibi sapientiam fideliter dispensando, et novellam hanc Ecclesiam canonico ordine, et monasteriali cõpetentia, utiliter instruendo, interim plantet et riget, quousque precibus sanctorum suorum exoratus, incrementum det omnipotens Deus. Innotuit etiam idem venerabilis vir serenitati nostræ, eam, quam diximus, parochiam propter barbarorum infestantium pericula, seu varios eventus, qui in ea solent contingere, ad sustentacula sive stipendia Dei servorum inibi militantium Deo, minimè sufficere posse. Quamobrem quia Dominus omnipotens in gente Fresonum sicut et Saxonum, ostium fidei aperuit, partem prænominatæ regionis, videlicet Fresiæ, quæ contigua huic parochiæ esse dinoscitur, eidem Bremensi Ecclesiæ, suoq; provisori VVillehado Episcopo ejusque successoribus, perpetualiter delegavimus retinendam. Et quia casus præteritorum nos cautos faciunt in futurum, ne quis, quod non optamus, aliquam sibi in eadem diœcesi usurpet potestatem, certo eam limite fecimus terminari, eique hos terminos, mare Oceanum, Albiam fluvium, Liam, Steinbach, Hasalam, VVimarcham, Schneidbach, Ostam, Mulinbach, Motam paludem quæ dicitur Sigefridesmor, Quistinam, Chesenmor, Aschbroch, VVisebroch, Bivernam, Uternam, iterumq; Ostam. Ab Hosta vero usque quo perveniatur ad paludem quæ dicitur Caldenbach. Deinde ipsam paludem usq; in VVempnam fluvium. A VVempna verò Bicinam, Farstrinam, usq; in VVirraham fluvium. Dehinc ab Orientali parte ejusdem fluminis viam publicam, quæ dicitur Hessevveg, Sturmegoe et Lorgoe disterminantem Sechbasam, Alapam, Caldhouva, iterumq; VVirraham: ex Occidentali autem parte viam publicã, quæ dicitur Folcvveg, Derve et Lorgoe dividentem, usq; in Huntam flumen. Deinde ipsum flumen, et Amrivum lucum sylvestrem, quem incolæ loci Wildloch nominant, Finolam, VValdesmoer, Berepol, Eddenri ad paludem, Emisgoe et Ostergoe disterminantem, Brustlacho, Biberlach, iterumque mare, firmos et intransgressibiles circumscribi jussimus. Et ut hujus donationis ac circumscriptionis auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propriâ subscripsimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.



Signum Domini Caroli Regis invictissimi.

Hildebald⁹ Archiepiscopus Colonienſis, et ſacri Palatii Capellanus recognovi.

Data II. *Idus Julii, Anno Dominicæ Incarnationis* DCCLXXXVIII. *Indictione* * XII. *Anno autem regni Domini Caroli* XXI. *Actum in Palatio Nemetenſi feliciter*, *Amen*.

* al. XI.

Veritas diplomatis asſeritur contra obtrectatores.

Præclarum diploma, & omni poſteritatis memoria dignum, ex quo denuo recognoſcas, quo ſalutari conſilio permotus Carolus Saxoniam, antiquo Romanorum more, in provincias diviſerit, ex ijsque diœceſes Epiſcoporum circumſcripſerit, & Chriſto magnam Saxoniæ partem ejuſque Sacerdotibus hereditariam donarit, quod in nullo regno, aut regione extra Saxoniam à ſe armis devictâ, præſtitiſſe memoratur. Ac ne decimas tantùm Epiſcopis ceſſiſſe quiſpiam contendat, recognoſcet hîc lector Septentrionalem etiam partem, piſcium copia & pecoribus alendis uberem, flumina videlicet, agros & prata, omnemque illam regionem Wigmodiæ Epiſcopo & Eccleſiæ à Carolo donatam eſſe, præter ea, quæ pro fabrica templi ſunt addita. Satiſque hoc diplomate præterea conſtat, hanc tam amplam diœceſin à Carolo pro ævi ejus uſu Parochiam appellari. Sed tanto vehementiùs hoc ipſum diploma Caroli oppugnant hæreticorum ſcriptores, perpetui illi poteſtatis Epiſcoporum hoſtes; neq; aliter Cruſius, Gryphiander, VVinckelmannus, ceterique ex illo numero ſcriptorum admittunt, quam ſuppoſititium & adulterinum, quod fallacia Catholicorum obtruſum ſit. Sed quibus rationum momentis nixi? Annus, inquiunt, Incarnationis Chriſti, præter ſtylum & characterem regiorum diplomatum, hic exprimitur, cùm non niſi per regni & imperij annos ejuſmodi diplomata conſignari videamus. Scio id Catholicis etiam ſcriptoribus nobis objici, qui id Carolo Craſſo Imp. demum invaluiſſe cenſent, eoque Rege, tabulas ejuſmodi primùm anno Incarnationis conſignari cœpiſſe. Quaſi verò qui hæc tam confidenter opponunt, omnia Caroli M. diplomata vidiſſent. Dabimus nos diploma Caroli ipſius manu & ſigillo conſignatum, quo D. Ludgero, adſcripto anno Incarnationis 802. Lothuſum donat. Ipſum hujus diplomatis autographum, quod nobiſcum communicârunt Werthinenſes, hodiedum monſtrare poſſumus. Producit Sigonius ex Muntienſi tabulario Caroli diploma in hunc modum: *Carolus divino nutu coronatus, Romanum regens imperium, ſereniſſimus Auguſtus, omnibus Comitibus, Gaſtaldis, ſeu cunctis Reip. per provinciam Italiæ à noſtrâ manſuetudine præpoſitis. Anno ab Incarnatione*

Anno Incarnationis conſignari literas etiam Caroli M. ævo uſitatum. *Lib. 9. ad an. 802.*

Sigon. lib. 4. de Regn. Italiæ in Carolo.

tione Domini nostri Jesu Christi DCCCI. Indictione IX. Quin ipsum Caroli M. testamentum apud Eginardum Anno Incarnationis à Carolo inscriptum legimus. Et quàm multa ante Carolum Crassum in hanc rem diplomata suppetunt, quæ nobis Alexander Wiltheimius, vir antiquitatum peritissimus submisit? Omitto cetera, ut non alienum videri debeat potuisse Bremense hoc & Verdense diploma, quod jam dedimus, anno Incarnationis consignari; præsertim cùm hic modus numerandi jam ante Carolum M. Bedæ usitatus in historiâ suâ; uti eruditè tradit Henschenius, & nos ex Caroli M. capitularibus & legibus, quas partibus Saxoniæ præscripsit Carolus, alijsque ejus ætatis monumentis ex adjecto Incarnationis anno observavimus. Quin apud Browerum Donationis tabula D. Bonifacij legitur Anno Incarnationis DCCXLVII. consignata subscriptaque D. Bonifacij, Burchardi Herbipolensis Episcopi, aliorumque Sacerdotum manu. Nihil frequentius apud Paulum Diaconum Carolo M. æqualem temporibus, qui & rationem hujus rei nobis reddit. (a) *Cessante jam*, inquit, *Romanæ urbis imperio, utilius aptiusque mihi videtur ab annis Dominicæ Incarnationis supputationis lineam deducere*; quod exinde diligenter celebris hic historicus haud secus quàm Beda, scriptor vitæ Ludovici Pij, alijque eorum temporum æquales fecêre. Sed largiamur gratis multa, idque etiam: non perinde in Regum diplomatis usitatum fuisse, & aliorum etiam manu annum Incarnationis Verdensi & Bremensi diplomati adscriptum: Ideone totum diploma suppositititium, aut rejiciendum? aut cui fingere etiam licuit diœcesis illius in hos locorum terminos descriptionem? Componat nunc mihi quis utrumque inter se diploma Verdense & Bremense, & facilè intelliget ex eodem scribendi tenore, & mente donantis, & gravitate rei utrumque Caroli esse. Producta hactenus fuêre in hanc rem à Crantzio, Miræo, alijsque scriptoribus bina Ecclesiæ Osnabrugensis diplomata, aut in dubium vocata sunt, ob jurisdictionem & ampla Episcoporum bona à Carolo donata; pòst ubi Ferdinandus Princeps & Paderbornensium Episcopus ipsum Caroli autographum, quod hodiedum supereſt, ex collegij illius tabulario impetravit, integrumque in Monumentis suis in publicum protulit, obmutuêre jactabundi illi oppugnatores. Sed illæ posteriores donationum tabulæ sunt, non conditi Episcopatus, & in suos terminos à Carolo descripti, literæ, quas hactenus videre non licuit, quòd cùm ceteris fortè injuria temporum interciderint. Eò magis hæc Verdensium & Bremensium diplomata nobis veneranda sunt. At in hocipso Bremensi diplomate adscripta indictio fallit; nam quæ hîc XII. ponitur, XI. est. Levis error ex unius notæ adjectione, quod aut exscriptoris aut typographi vitio factum facilè quis deprehendet; cetera quàm accuratè conveniunt? Neque Lullus Moguntinus

Brouver. in Annal. Fuld. l. 1. c. 4. Paul. Diaconus l. 2. de gestis Longob. c. 7

(a) *Lib. 17. hist. in Anastasio.*

Fuldens. an. Anno 786. Marianus Scotus. nus Archiepiscopus hìc perperam sistitur à Carolo, ut quidam falsò obtrudunt, quòd is anno superiori jam vita functus fuerit, successoremque Richolphum habuerit; sed ejus, dum viveret, & Adriani Pontificis consilio, hæc tantùm de Bremensi Episcopatu ac Willehado consilia agitasse commemorat Carolus, non stabiliviſſe diœcesin; ut mirum non sit, omisso Ricolphi nomine, Lullum solum diplomati insertum.

Bruschio in Mog. Metrop. anno 787. obijsse tradunt, vide Serrar. l. 4. Mogunt. hist.

Juvat nunc post conditos Saxoniæ Episcopatus, & Caroli diplomata, tria potissimum disquirere; quorum primum est, utrumne Carol⁹ Saxoniam à se debellatam in provinciæ formam redegerit, simulq; inter Episcopos diviserit. Id quidem in annalibus Francorum, quibus una semper meta fuit brevitas, non tam planè est proditum, perinde ut de Regno Longobardorum & Bojaria, victo Desiderio Rege & Thassilone duce, tenemus; nihil interim certius, postquam Saxonia in unum Regni corpus unumque populum traducta ab Eginardo traditur, Frisiam & Saxoniam Carolus haud aliter quàm suas æstimavit provincias; atque id est, quod tam explicatè Carolus in Verdensi & Bremensi diplomate contestatur, se more Romanorum Saxoniam in provinciam redegisse, ac certis limitibus inter Episcopos disterminasse; quemadmodum hoc ipsum in diplomate Comitis Trutmanni, quod modò referam, & ex eo, quod de tributis provinciarum Carolus sanxit, & quod ex bibliotheca Oldenburgensi producitur, confirmatius assertum est; ideo ut supra diximus, a Carolo Duces qui militiæ præessent, Comites qui jus dicerent, præfecti arcium castellorumque Saxoniæ impositi: ideo extra ordinem legati, quos Missos dixêre, in provinciam cum suprema & vicaria potestate missi: ideo judices ceteri, Scabini, centenarij, alijque ministri additi, quod facilè intelligent ij, qui Capitularia Caroli M. in tot legum libros digesta, qui & diplomata Episcopatuum, Cœnobiorum & Ecclesiarum pervoluerunt, quibus immunitas & exemptio datur, ne quis Dux, Comes, judex, aut regius minister quicquam sibi in eorum subjectos homines, bona & possessiones vendicet: quæ gratis præscriberentur, nisi jam à Carolo his ministris regijs impositis Saxonia ad regni Francici modum in provinciæ formam redacta esset. Ex his Westfalia producit Egbertum ducem suum D. Idæ conjugem, & Marchia Trutmannum Comitem, qui in mallo publico seu judicio ad universorum causas audiendas in villa Tremoniensi consideret, advocatumque omnium Sacerdotum se in eâ regione ferret. Id verò diploma cùm anno ab hinc proximo à Carolo sit datum, argumento est, jam Westfaliam in provinciæ formam esse redactam. Verùm haud levis nobis hic controversia obmovetur ab hæreticorum scriptoribus: Enimvero, inquiunt, si Saxonia ad hunc modum in provinciæ ordinem cessit, qua simul veri fiducia scribitur ex diplo-

Saxonia in provinciæ formâ more Romanorum redacta.

Eginard. in vita Caroli. Widekind. l. 1. Annal.

Vita D. Idæ.

ex diplomatis Caroli inter Episcopos certo limite disterminata; quasi verò Saxonia inter Rhenum & Albim tam angusta regio sit, ut non capiat decem Episcopatus suis finibus circumscriptos, & non simul plures Ducatus, Principatus, aliasque simul innumeras Dynastarum Toparchias. Ampliârunt postea Episcopi sub alijs Regibus & Cæsaribus diœceses. Accessere pòst alij Episcopatus Ottonis M. aliorumque principum largitate. Et quanta interim Ducatuum Principatuumve, quanta Comitatuum & Toparchiarum multitudo mansit in Saxonia? quin Magdenburgensis postea Episcopatus in Saxonia, jurisdictione bonorumque amplitudine cuivis Carolino Episcopatui par spectatus. Ut hæc Caroli descriptio in diœceses tam facilè fidem quàm locum habeat; nec pugnent inter se, describere Saxoniam in provincias regiæ potestati subjectas, simulque in Episcoporum diœceses, ab omni regali potestate absolutas; neq; dubium, quin jurisdictio sacra cujusque Episcopi latiùs se protenderit quàm Civilis. Cur autem Carolus Episcopos tam amplis simul bonis dotârit, secus quàm in ullo regno aut provincia à se debellata sit factum, causam reddit, quòd Saxones hactenus omnium Regum Francorum & progenitorum suorum armis indomitos non tam humanâ ope, quàm virtute Christi & beneficio cœlitum tandem difficili & ancipiti bello vicerit, quo demum sub jugum missi; *ideo se pro amore illius, qui victoriam contulerit, donasse Sacerdotibus omnium frugum et jumentorum omnisque agriculturæ decimas.* Non hîc stetit Caroli liberalitas, sed intra diœcesium limites, extraque illos etiam multa prædia, possessiones agrorum, vicos & castella plus quam regia munificentia est elargitus. Nec enim Carolum angustiore liberalitate in Episcopos Saxoniæ æstimare par est, quàm aut Carolus Martellus avus, & Pipinus pater fuerit in Ultrajectenses Episcopos; aut Franciæ Reges, in alios præsules, à quibus ampliſſimæ possessiones agrorum, villæ, vici, pagi, territoria, oppida, castella, Episcopis & Cœnobiorum Abbatibus donata sunt; uti hæc innumeræ donationum tabulæ & literarum monumenta nos docent. Monachis D. Benedicti familiæ Eresburgum castrum ad ingressum Saxoniæ dedit Carolus, cum eoque per duas in circuitu rastas omnem regionem: amplitudo hæc terræ est supra duorum in complexu milliarium Germanicorum, quando rasta id spatium est, in quo viator ab itinere defessus quiescere solet. Ampliora jam antè dederat Carolomannus Caroli patruus Fuldensi cœnobio. Wihoni primo Saxoniæ Episcopo datum omne regale & sæculare judicium supra servos, Liddones & liberos, & omnes utriusque sexus homines, quorsum hæc? nisi & agrorum possessiones, quos homines illi incolebant, simul donatæ sunt. Willehado Bremensi Episcopo, cui jam Cella Justina in Francia donata erat, ita præterea diœcesis circumscripta est, *ne quis in eam sibi po-*

Episcopis Saxoniæ præter decimas amplæ bonorum possessiones à Carolo data.

Diploma Caroli.

Grestenus.

Diploma Bremens. Vita Willehadi apud Cæsarem.

sibi potestatem præsumat; quo Carolus satis designat, agros & prædia & colonos prædiorum eidem Episcopo ad modum Osnabrugensis subjectos donatosque esse. Addita Willehado pars Frisiæ, in eaque tot pagi, ut si quis belli casus è Wigmodia & Lorgoa, ac suæ diœcesis possessionibus ejiceret, haberet alibi, quo se & Clerum aleret. Ea Caroli tam liberalitas quàm sollicitudo pro Episcopis fuit. Suiberto Werdensi Episcopo postquam ceterorum in modum diœcesis descripta, addit Carolus ducentos mansos in structuram Ecclesiæ. Carpunt ex hoc hæreticorum scriptores tenuitatem Episcoporum, tanquam totum in eo patrimonium Episcopi assignatum à Carolo, cùm mansos illos in fabricam Ecclesiæ adjecerit; tripartito enim bona Ecclesiæ designabantur, alia Episcopo & Clero, alia fabricæ Ecclesiæ, alia pauperibus; & hæc pro fabrica pars satis larga, cùm mansi prædia & minores villæ sint, in quibus colonus manere & familiam alere poterat, pendereque ex ea censum domino. Tam maligni hi diplomatum interpretes, quàm sacrarum literarum. Hathumaro Paderbornensium Episcopo post diœcesis descriptionem, ac ceteras possessiones largè attributas, adjectum est, castrum Driburgense cum circumposito territorio. Quæ D. Ludgero, præter Helmstadium, extra diœcesin in ipso Mimigardevordensi Episcopatu obvenerint Caroli largitate infra referam. Regia aliorum Episcoporum patrimonia nobis asserere liceret, si ut hæc suppetunt, ita ceteræ donationum tabulæ ad nos pervenissent. Non tamen hæc eò contendo, quasi omnia intra diœcesium limites bona Episcopis cesserint, cùm multa retinuerit Widekindus, multa primores Saxonum ex hereditariâ possessione, multa etiam Carolus servârit regno Franciæ, quæ per Comites administrata; ex quibus pòst Ludovicus Pius, ac cæteri inde consequentes Cæsares ampliſsimas Episcoporum donationes auxerunt; ut vel ex ijs compertum, quæ D. Henricus Imperator Meinwerco Paderbornensium Episcopo tam effusè dilargitus est. Id solùm confeciſse sat est, præter decimas, etiam amplas bonorum possessiones à Carolo donatas esse primis Saxoniæ Episcopis. At primi illi Episcopi, inquiunt, Apostolici viri erant, procul ab opum cupiditate, quorum unum studium & occupatio, circuire diœceses, & rudi populo Evangelij doctrinam tradere. Ita quidem se res habet; nihilo tamen minus intelligebant hi sapientes præsules, quantum sibi censuum atque bonorum opus esset ad suum decorem, ad Collegia Canonicorum, ad fabricas Ecclesiæ, ad cleri seminaria, ad ornatum templorum & cultum altarium, ad scholæ institutionem, ad parœcias & pastores animarum dotandos, ad Cœnobia & Xenodochia, ad pauperum subsidia, ad itinera & profectiones. Ita licet in summa parsimonia & modestia viverent Episcopi, procul à luxu posterioris ævi, hæc tamen à Carolo oblata admiserunt. Ita D. Willebrordus

Griphiander de Weichbold.

brordus tam opulentum patrimonium Trajectensi Ecclesiæ Caroli Martelli & Pipini dono: ita D. Suibertus Cæsaris insulam cum regijs prædijs, Bonifacius primas Fuldæ dotes, alijque sanctissimi præsules Regum donationes atque opes acceptârunt. Hujusmodi si tam sereno oculo aspicerent criminatores, quàm syncero animo integerrimi Cæsares donârunt, aut Episcopi erogârunt, æquius profecto de his pronunciarent. Nudam & pauperem inter Barbaros dotavit Carolus Saxoniæ Ecclesiam, quam divitem spoliavit ætas nostra, duobus tantum in Carolinis Episcopatibus ex denis integrè relictis: tertius divisus est, ceteri in principatus & Ducatus versi alienæ religioni cesserunt. Æquius hanc Caroli liberalitatem passi sunt Barbari, quàm aspiciunt Christiani.

Quomodo Saxonia à Carolo M. tributaria.

Alterum exquiritur, utrumne Carolus M. debellatam à se Saxoniam Episcopis & Sacerdotibus tributariam fecerit. Id enim cùm in diplomate Bremensi a Carolo assertum, tum aliorum consensu tenemus. Planè enim Carolus postquam ad Baptismi gratiam perduxerat Saxones, profitetur se *pristinæ libertati donatos, omnique censu solutos, pro amore eius, qui sibi victoriam contulit, tributarios et subjugales addixisse.* Quæ si ullibi, tum certè intra diœceses Episcoporum locum habent. Quod enim tributum Clotarius ceterique Francorum Reges Saxoniæ imposuêre, quodque hactenus tot bellorum rebellionumque fomes fuerat, id Carolus subactâ demum Saxoniâ, convertit in decimas omnium frugum & pecorum totiusque culturæ Episcopis & Sacerdotibus pendendas (si non novo etiam onere impositæ sunt decimæ) idque pro jure belli & rebellionis pœna sibi Carolus sumpsit, postquam toties ingenuorum jura, & omnem gentis libertatem toties abjurando, toties deinde perfidi ac rebelles ultro se hisce pœnis obnoxios damnatosque fecerunt; quæ tamen ita moderatus est Carolus, ut pro extremâ servitute, quam imponere poterat, tributa in decimas commutârit, ac Sacerdotibus, quibus jure divino debentur, attribuerit, jusseritque tam tenuis fortunæ homines quàm divites pendere, quo Christi jugum ferre, & venerari Sacerdotes Christianos discerent, qui regni Francici imperium tributumque hactenus detrectârant. Hac liberalitate Carolus se Deo gratum pro victorijs, & Sacerdotibus, quorum laboribus Saxonia Christo potentiùs quàm per arma parabatur, se devinctum reputabat: Magnæ vel in his decimis ac regiæ Episcoporum & Sacerdotum opes erant, quemadmodum id sapientes viri & legum sacrarum interpretes nobis ex veteris legis decimis tradiderunt. Et quantum ex Caroli & Ludovici Pij legibus æstimes, videntur hæ decimæ ad institutum Hebræi populi solis cessisse Episcopis & Sacerdotibus, & paroeciarum pastoribus, primumque illud fuisse eorum patrimonium communicatum, ex quo se alerent. Inde Caroli & Ludovici le-

Adamus Bremens.
Albertus Stadensis.
Auctor vitæ Meinwerci.
Helmoldus.
Crantzius.
Browerus in notis ad vitam Meinwerci.

Decimæ Episcopis & Sacerdotibus à Carolo M. per Saxoniâ attributæ.

gibus cautum, ne Parochi sine Episcopi voluntate decimas aliò avertant. Utrumne verò Carolus per totam Saxoniam intra diœcesium limites tantum decimas imperârit, haud ita facilè dixerim. Nec tamen ideo Saxonia ab omni alio tributo atque onere immunis fuit; quæ enim bello subacta regna & provinciæ, ijs annuũ tributum imperatum; quemadmodum C. Julius Cæsar devicta Gallia, ac ceteri Cæsares debellata Belgica & Germania id pro belli necessitate exegêre. *Nec enim quies gentium sine armis; neque arma sine stipendiis; neq; stipendia sine tributis haberi queunt.* Neque Carolus tam longo & æ-rumnoso bello victos Saxones liberiores esse voluit, quàm ipsi Francici censerentur. Hoc Heribannum, hoc tot Caroli leges, hoc regius fiscus, qui mulctis, tributis & vectigalibus constabat, testantur. Jamque eò processerat Caroli imperium, ut ad omnem etiam belli expeditionem Saxones non minus quàm ceteri regni Francici populi ex imperio Regis evocarentur; uti bello superiore adversus Thassilonem Saxones cum Orientalibus Francis exciti. Tenuit hoc tributi & Francici imperij onus ad Henricum Aucupem, postquam Caroli stirpe extinctâ is primùm Saxoniam prorsus liberam fecit; & quam quisque Regum beneficio habebat provinciam, eam uno cum ceteris hæreditario jure possidere cœpit. Sanè quantum hæc unquam tributa aucta remissaque fuerint, Episcoporum tamen, Sacerdotum & religiosorum hominum, Ecclesiæque bona ab his exempta fuêre. Sed & præter tributa alia per Saxoniam servitus in certo hominum genere; nam supra Adelingos, Frilingos & Frilassos, qui liberorum genera sunt, etiam Lassi, qui ad colendos agros relicti, & servitute quadam obnoxij fuerunt, etiam ante Caroli M. bella, ut quidam tradidêre, reputanturque à multis inter eos, qui passim in omnibus literarum monumentis Liddones, Lidi, Littones & Liti, ac patriâ voce Leudi nuncupantur : homines videlicet postremæ sortis, qui aut ita nati, aut ultro sè in hanc servitutem dedêre, uti hæc supra à nobis relata sunt. Carolus etsi Saxones pristinæ libertati se reddidisse pronunciet; id tamen servitutis genus adeo non imminuit, ut vel maximè intendisse feratur, cum primis in Westfalia, quam gentem reliquis magis perfidam & rebellem erat expertus. Nimirum ut quibus pernicioſa fuerat libertas, his servitus foret salutaris ad Christi legem accipiendam. Aliam nobis hujus servitutis causam reddit Henricus Herivordiensis, præclarus inter nostros scriptor, quod & auctor Chronici Mindensis retulit : Westfali nimirum toties rebelles cum armis ad obedientiam compelli non possent, Carolus seu post excisam toties gentem, seu post aliquot millia Westfalorum trans Rhenum deportata dispersaque per alias Franciæ provincias, in vacuos eorum agros traduxit incolas ex Francia, Eiflia, Hasbania, Arduenna, atque alijs locis, terramque Westfalorum eis perpetuò occupan-

Saxonia præter decimas alijs tributis obnoxia facta.

Crantzio l. 1. Saxõ. c. 7.

Sueton. in Cajo Julio Cæsar. n. 25.

Cerealis apud Tacitum, lib. 4. Hist.

Widekind. lib. 1.

Crantz. l. 3. Saxon. c. 1.

Hervord. l. de Memorab. nondũ edito.

cupandam tradidit : ea tamen lege, ut agrorum possessiones ac jus bonorum maneret penes Episcopos , aut Regem regiosque ministros. Justa à Carolo pœna, ad quam se ultro prædamnârunt; quippe toties victi toties jurârant, omni se libertate & ingenuorum jure exueret Carolus, si fidem denuo fallerent; quibus tamen nihil fallacius fuit. Libertatem igitur his Carolus ademit, ingenuis verò reliquit, certisque legibus & oneribus, quamvis duris admodum, dominis suis subjecit. Hi nunc Originarij passim coloni dicuntur, censenturque hanc servitutem inde trahere; longè interim diversi ab aliarum gentium mancipijs; cùm propria prædia agrosque retineant; ex quibus frumentum annuum , pecora & censum pendent. Multum ex his oneribus remisit Ludovicus Pius : Ita enim auctor vitæ ejus : *Saxonibus atque Frisonibus ius paternæ hereditatis, quod sub patre ob perfidiam legaliter perdiderant , Imperatoria clementia restituit. Quod alij libertati, alij improvidentiæ assignabant , eò quòd hæ gentes naturali feritati assuefactæ, talibus habenis deberent coërceri, ne scilicet effrenes in perduellionis procacitatem ferrentur. Imperator autem eò sibi arctius eos vinciri ratus, quo eis beneficia largiretur, non est spe sua deceptus.*

Utrum Episcopis à Carolo data sit cum possessionib⁹ jurisdictio politica.

Sed nunc altius quiddam ex Caroli munificentia & Episcoporum dignitate investigandum , utrumne Carolus M. primos Saxoniæ Episcopos, quos tantis opibus & privilegijs cumulavit, politica etiam potestate donârit, juraque, ut vocant, regalia dederit. Quâ in re, mirum quantum nobis certamen sit cum ijs , qui iniquis oculis Episcoporum opes & potentiam in Germania & Saxonia aspiciunt: quantumque hæreticorum scriptores hanc Episcoporum potestatem exagitent damnentque, tanquam abjectione suorum ministrorum , Episcopos & Præsules metiri demum necesse sit. Regale in Christi Ecclesia Sacerdotium est, & honoratius quàm in ullo legis statu; quemadmodum vile apud illos fuit, qui ex Schismate veteris Ecclesiæ à Jeroboamo Rege introducto cum hæresi desciverant, quique abjectos & vilissimæ sortis homines, ut ex sacris literis constat, ad sacrorum suorum munia admovere; secus quàm Deus ex certa Patriarchæ tribu Sacerdotes genere & dignitate aspectabiles deligi tantummodo voluit, Pontifices etiam haud multum opibus & dignitate regibus ducibusque suis inferiores. Eò nunc Christi Sacerdotium attolli oportuit, quod Pontificum & Episcoporum obtrectatores longè infra illud collocant, ut Jeroboami sacrificulis & suis ministris pares faciant; eoque jam procedunt, ut nullo jure velint Episcopis & Sacerdotibus potestatem eminentiorem permitti posse; cùm tamen planissimè constet in statu legis naturæ, qui divina ordinatione inspirationeque regebatur, Patriarchas simul Sacerdotes & familiarum Principes fuisse, in eoque Melchisedechum Regem & Sacerdotem proferri. Qui deinde consecutus est scriptæ legis status,

quot ex eo judices, Duces ac Reges simul summi Sacerdotes & Pontifices, Deo approbante & ordinante? & tamen illis regnum sacerdotale, nobis regale Sacerdotium est datum multò digniore & sublimiore potestate. Et si rem ipsam rationemque consulamus, quid obstat, quo minus utraque potestas sacra & civilis in eundem hominem convenire possit. Hic si quid valeant ingenio & eruditione hæretici ostendant reluctante natura rei, de quâ agimus, id pugnare: & si divina lex id quoque non prohibeat, quæ nihil contra legem naturæ sancit, quid vetat hujusmodi causas intervenire, ut jurisdictionem utramq; in uno homine conjungere tam utile & conveniens, quàm necessarium sæpe fuerit? Ipsi adversarii nostrorum temporum, dum nos damnare volunt, hoc ipsum probant; Reges enim & Principes suos utraque potestate donant, qua Rempublicam & Ecclesias suas regant, adeoque in reginas & fœminas transferunt, & tamen Episcopis abjudicant. Enim vero si jurisdictio sacra Episcoporum, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quæque civili multò est sublimior, eorum judicio possit communicari cum profanis Principibus & Reginis, quid impedit cur illa civilis potestas, quæ longè est inferior, non possit communicari cum Episcopis? quo argumenti genere Ferdinandus Princeps & Paderbornensis Episcopus hominem ex adversa religione jactantem aliquanto ad silentium repressit.

Igitur quod in veteri Ecclesia factum constat, Christi Ecclesiæ Christique Sacerdotibus subtrahi non debet; nam sæpe ejusmodi tempora, eæque potentum injuriæ intervenêre, ut id prorsus non tam ad exornandam Sacerdotij dignitatem, quàm ad conservanda Christi patrimonia, arcendasque hominum injurias necessarium fuerit. Inde à melioribus Ecclesiæ sæculis Pontifices etiam sanctitate spectati regalia admisere. Civilem principatum Alexandriæ gessit Cyrillus Episcopus, & ab eo Alexandrini Præsules de imperio urbis & Ægypti cum præfectis decertârunt. Quare Socrates *ex illo*, inquit L. 7. c. 7. *tempore Alexandrinus Episcopus præter sacri cleri dominatum, rerum præterea sæcularium principatum acquisivit.* Ex qua potentia & judicandi potestate ceteri Patriarchæ & Episcopi Orientalis Ecclesiæ sæpe conspecti, id vel ex Theodosij M. lege recognoscas, qua sancitum: *Ut omnes causæ, quæ vel prætorio jure vel civili tractantur, Episcoporum sententiis terminatæ, perpetuo stabilitatis jure firmentur. Nec liceat ulterius retractari negotium, quod Episcoporum sententia deciderit.* Hanc legem Theodosij M. Carolus quoq; M. inter suas recepit, & per Franciam Germaniamque servari voluit; adeo tum Episcopi judices in congressibus & tribunalibus civilium etiam causarum. Pontifices præterea Romani quibus opibus? quâ potestate exornati à Constantino M. ceterisque Imperatoribus & Regibus? Nimirum, quod à Browero sapienter observatum est, pressam gentilium Imperatorum

Tom. 20. Par. Concil. Capit. lib. 6. c. 281.

Augustin. Steuchus. Biblioth. Pontif. de potest.

multi-

multiplici & diuturna persecutione Ecclesiam Deus ita extulit, uti Reges quasi sceptris & diadematis seipsos spoliantes Pontifices & Sacerdotes denique Principes facerent. Sanè quos Ducatus, quas urbium castellorumque possessiones, ac suprema jura Pipinus Rex Romano Pontifici aut confirmârit aut donârit, satis ab alijs & supra à nobis relatum est. At nullo in regno Sacerdotium honoratius quàm in Gallia; laborante enim Romano Imperio, & per Gothos acciso, res publicas curârunt Episcopi, nunc prospere, nunc incautè; eò Sidonius ad Episcopos quosdam Galliæ: *Per vos mala fœderum currunt, per vos regni utriusque pacta conditionesque portantur.* Honorificentissimas illi ad Cæsares & Reges legationes susceperunt, urbiumque passim præfecti & moderatores fuerunt. Hinc qui Episcopi nomen nonnisi profanum tradunt cum Grotio, aut munus illud præfectotum urbium ad posteriora rempora trahunt cum Conringio, alijsq; Episcoporum obtrectatoribus, magnopere aut fallunt nos, aut falluntur. Succedentibus dein Francis, ut Dadinus vir eruditus scripsit, præfecturas, Comitatus, & alia Regalium insignia passim accepêre Episcopi & Abbates, maximè Caroli M. & posteriorum Principum munere. Pervolvat quis annales Trevirensium, Colonienſium, Moguntinorum, aliorumque Episcoporum, & reperiet jam ante Caroli M. tempora liberalitate Regum Francorum, Episcopos per Austrasiam, quod à Browero scriptum est, non minus opum & potentiæ, quàm sanctitatis & virtutis fama fuisse celebres. Dagobertus Francorum Rex *quidquid juris, aut regiæ superioritatis* in bona Argentoratensis diœcesis *sibi, aut suis quocunq; modo competeret, in Amandum, et ejus in præsulatu legitimos successores liberrimè transfudit.* Quæ Theodoricus Francorum Rex S. Vedasti Monasterio regalia dederit, testes sunt versus sepulchro Divi inscripti:

Regis larga manus, et Præsul Vindicianus,
Nobis regale dant et jus Pontificale.

Multa ejusmodi regalia D. Huberto Leodiensium Episcopo Caroli Martelli dono obvenerunt, quæ ejus diœcesis scriptores copiosè tradunt, interque hos vetus Poëta:

Illectus pietate viri, ingenioque sagaci,
Huberto imperium terræ, et jus contulit omne.

D. Burchardo sanctissimo Herbipolensium Episcopo, quem postea Paderbornensium Ecclesia primum vicarium etiam Episcopum habuit, donatione Pipini Regis ducatus Orientalis Franciæ, aut magna certè pars ex eo cessit. Inde successores non modò Episcopi, sed & Ducis titulo fulgidi, penes quos vitæ & necis jus fuit. Quam in rem testificandam, sacrificante Episcopo, nudus ad aram gladius poni solitus. Hoc vetus ille versus signat:

Herbipolis sola judicat ense stola.

Roman. Pont. Brouver. antiq. Fuld. lib. 1. c. 19.

Lib. 7. ep. 6.

Dadinus de Duc. & Comit. l. 3. c. 6.

Brouver. in Ann. Trev. l. 6. ad ann. 550.

Sigeb. Guilmann. in S. Amando Episc. Miraus in Chron. ad ann. 690.

Joan. Roberti in Paralip. ad vitam ejus.

Bruschius in catal. Episc. Herbipol.

Plani-

Trithem. de orig. Franc. in Pipino.

Planissimè hac super re Trithemius: *Pipinus*, inquit, *Rex ad justitiam S. Bonifacii Moguntini Archiepiscopi considerans fidem ac sanctitatem D. Pontificis Wirtzaburgensis Burchardi, quo mediante apud Papam urbis Romæ Francorum regnum fuerat assecutus, et quod Episcopium ejus adhuc novum temporalibus non satis esset provisum, de consensu filiorum suorum Caroli cognomento postea Magni et Carolimanni, simul et omnium procerum totius regni Francorum,... civitatem Wirtzburg cum omnibus proventibus et utilitatibus ejus regali munificentia donavit Ecclesiæ Cathedrali, hoc est sancto Burchardo Episcopo Wirtzeburgensi memorato, et ejus in perpetuam successoribus proprietatem. Castellum quoque Carlsburg cum villa, quæ Carlestat nominatur, et alia plura Ecclesiæ prædictæ contulit novus Rex Pipinus. Titulum quoque, et dignitatem cum emolumento Ducatus Francorum Orientalium idem Rex Pippinus dono dedit perpetuo Ecclesiæ Wirtzburgensi, et sancto Burchardo illius primo Antistiti, ejusque successoribus in perpetuum, quibus et potestatem dedit judicium ordinandi, et judicandi secundum legem et consuetudinem Francorum, in omnibus causis per universum Ducatum.* D. Adalhardus, Caroli M. Consobrinus & Corbeiensis in Gallia Abbas, teste Paschasio Radberto, loco Bernardi pueri, ac Pipini Regis filij, per sexenniumtotum administravit Longobardorum Regnum. Et quid vetet Episcopis committi suarum Diœcesium in politicis procurationem? quando etiam Abbatissis, ut tot Cæsarum diplomata docent, jurisdictio civilis data est, quam illæ per Advocatos administrare jubentur. Tædio sim, cetera si proferam, cùm ea regalium donatione ante Carolum M. plena sit Francia, Belgica utraque & Germania. Hæc continuata Regum Francorum, ex quo Christiani esse cœperunt, supra omnes prope orbis Principes fuit liberalitas: quantumque hi Ecclesiam & præsules Ecclesiarum locupletârunt, ornâverunt regalibus; tantum Deus quoque Regnum Francorum præ ceteris regnis ampliavit; donec Carolus M. accederet, tantumque felicitate & amplitudine regni superaret ceteros Francorum Reges, quantum veneratione Romanorum Pontificum, & liberalitate in Episcopos supergressus universos Christianorum Principes. Ac nulla donatione Carolus M. clarior, quàm quòd Saxoniam, tam longis & ærumnosis bellis victam, diviserit inter Episcopos & Sacerdotes, largissimâ Principum potestate donatos. Id tametsi ipse toties profiteatur in diplomate; non tamen sibi persuadere sinunt obtrectatores Episcoporum, qui post Lechmannum, Spirensis historiæ scriptorem, magno numero Episcoporum opes & potestatem exagitant, nixi cumprimis apologiâ Augustanæ confessionis, ac falso suæ hæresis principio; tanquam una sit politica potestas, quæ cum Sacerdotibus & Episcopis communicari nec possit, nec debeat. Interim factum agnoscunt: sed à quo Cæsare aut Rege primùm hac civili jurisdictione donati sint Episcopi Germaniæ, nec inter ipsos quidem

conver-

convenit. Plerique ad Ottonem M. hæc referunt; is enim, ut exploratum est, fratrem suum Brunonem Archiepiscopum Coloniensem ampla Principum jurisdictione decoravit; actum, verso rerum statu, imperioque post extinctam Caroli M. stirpem ad Saxones translato, Episcopos sibi id primùm vendicasse volunt, quod ceteri plerique Duces, Marchiones & Comites factitare videbant, hæreditaria possessione retinendo, quod vicario munere hactenus administrârant. Quemadmodum & in Gallia post emortuam Caroli M. progeniem regiam factum esse scriptores eorum perhibent. Sed hoc illi fecerunt, qui aut fiduciariorum ac vasallorum nomine, aut temporariorum ministrorum munere hæc possidebant: frustra in hanc partitionem Episcopi introducuntur, quibus jam dudum antè suæ diœcesis jura ac bona perpetuâ donatione obvenerant, quo minus his regnorum spolijs indigerent. Alij igitur ad Ludovicum Pium Cæsarem & Caroli M. filium hæc altius porrigunt, Helmoldi cum primis auctoritate subnixi: ita enim ille perhibet: *Postquam Carolus Francorum Rex, et Romanorum Imperator Augustus ad cœlos emigravit, Ludovicus filius eius successit ei in regnum. Qui paternis per omnia votis concordans, eadem liberalitate, qua pater ejus, erga cultum domus Dei, et omnem clerum usus est, amplissimas regni divitias ad decorem et gloriam Ecclesiæ intorquens, in tantum, ut Episcopos, qui propter animarum regimen Principes sunt cæli, ipse eosdem nihilominus Principes efficeret regni.* Sed hic mediæ ætatis clarus scriptor, dum Ludovicum Pium patris instituto Episcopos exornasse extulisseque scribit, ad Carolum M. potius hujus Principatus auctorem se retulit; & quantum ex ijs, quæ de Hamburgensi Ecclesia à Carolo M. cœpta subjungit, æstimaveris, haud aliud visus est dicere, quàm Ludovicum Cæsarem eo splendore & magnificentia Ansgarium primum ejus loci Episcopum, quo Carolus ceteros per Saxoniam, introduxisse. Nam Heridagus Presbyter vir sanctus, à Carolo M. Hamburgi collocatus, ut idem auctor retulit, ad Episcopi gradum & dignitatem non pervenit; neque Carolo Danorum & Nortmannorum bellis præpedito Episcopatum illum perinde ut ceteros perficere licuit, quod opus à Ludovico filio susceptum absolutumque. Ideo Ansgarium & successores ejus inter Principes Regni provexit, quod idem Carolum in alijs Saxoniæ Episcopis feciisse sciebat. Ita verò decem illi Carolini Episcopatus per Saxoniam Patris filijque munificentia ad suam absolutionem, simulque ad eandem principatus dignitatem pervenêre.

Bussieres in hist. Franc.

Helmold. lib. 1. c. 4.

Inde nunc mihi à Carolo M. hanc Episcoporum jurisdictionem & potentiam, qua per regalia Principes nominati sunt, antequam plerique alij hæreditarios principatus adirent, arcessere lubet. Non hic de ceteris per Germaniam Episcopis contendo, etsi par causa, cum id singulorum annalium scriptoribus incumbat proferre, ac multi

multi jam id egregiè præstiterint; nobis Carolini tantum per Saxoniam Episcopi propositi sunt, ijsque sua regalia asserere: Quam in rem nihil testatius certiusque, quàm ipsa Caroli diplomata, quæ ex Bremensis & Verdensis Ecclesiæ tabularijs dedimus. His verò cùm profiteatur Carolus se more Romanorum Saxoniam à se debellatam in provincias redegisse, atque in Episcopatus certo limite distribuisse (quemadmodum in ceteris quoque Episcoporum diœcesibus præstitisse haud dubium esse potest) argumento est hisce diœcesium & finium descriptionibus, collatisq; amplissimis prædiorum & vicorum & subjectorum hominum possessionibus ac decimis, regalium & Principatus initia fecisse, quæ post alijs Cæsarum donationibus nunc aucta, nunc confirmata sint. Hinc in Bremensi diplomate Carolus: *Ne quis, aliquam sibi in eadem diœcesi potestatem usurpet, certo eam se limite terminasse*: & in Verdensi *omnes se libertates et immunitates Ecclesiæ donare profitetur.* Inter quas prima est jurisdictio Episcoporum, qualis ævo illo jam recepta erat. Multò hæc explicatius in diplomate Carolino Osnabrugensi Ecclesiæ dato; id quod ex ipso autographo Caroli M. à nobis exscripto Ferdinandus Episcopus noster in Monumentis suis Paderbornensibus dedit, quodque tempori ad annum Christi 803. quo consignatum est, integrum recitabimus: nunc illa tantum sistimus, quibus Carolus M. profitetur se Wihoni primo Osnabrugensi Episcopo dare: *Omne regale vel seculare judicium super servos suos, et Liddones, et liberos, et omnes utriusque sexus homines ad eandem Ecclesiam pertinentes, quos modò possidet, vel deinceps acquisierit; et perpetuam de Regia potestate confirmare absolutionem, ita ut nullus judex publicus, Dux, Comes, vel Vicecomes vel Scultet⁹, sive Missi Dominici per tempora discurrentes loca ipsius Episcopatus ad placita habenda vel freda exigenda et parafreda, aut aliquem de præscriptis eidem Ecclesiæ pertinentem ad sua placita bannire, vel ad mortem usquam terrarum dijudicare, vel aliquo modo ullo unquam tempore aggravare audeant. Sed liceat præfato Episcopo, suisque successoribus, et suo advocato res prædictæ Ecclesiæ cum omnibus sibi pertinentibus quieto ordine possidere, ordinare atque disponere.* Quâ Caroli donatione & munificentia nihil ad jurisdictionem politicam Episcoporum desiderari poterat illustrius. Sanè verò dum Carolus ab omni potestate regiâ subjectos Episcopo homines ac bona absolvit, in quem alium quàm in ipsum Episcopum hæc potestas translata fingi potest? ut jam satis ex his constet regalia etiam jura Episcopis à Carolo donata esse. Rursum dum hac donationis tabula sancit Carolus, ne quis ex subjectis Episcopo hominibus quemquam mortis supplicio plectat, in quem alium hæc potestas translata quàm in Episcopum? nisi scelera horum demum impunita relinquere placeat. Sed indecorum, inquies, ejusmodi capitale judicium ferri ab Antistite sacrorum: Scio; hinc illi suos judices, Advocatos

catos & ministros habuerunt, quorum vicaria potestate hæc exercerentur; haud secus quàm modò Reges & politici Principes, atque etiamnum Archiepiscopi & Episcopi per ministros justitiæ hæc tractant. Hoc illud Caroli in aliâ lege de subjectis Episcopo hominibus: *Si de crimine accusantur, Episcopus primùm compelletur, ut ipse per advocatum suum, secundum quod lex est juxta conditionem singularum personarum justitiam faciat.* Quæ eò minus quispiam mirabitur, qui recognoverit, quantum Theodosius M. & ex ejus statuto Carolus M. supremis Episcoporum judicijs in decidendis controversijs detulerint; quâ super re extat illa utriusque Imperatoris præclara constitutio. Enimvero jam ante Carolum M. Episcopi Francorum regibus assidebant in publicis Regni judicijs. Id vel ex diplomate Clotarij Regis cognoscent. Recito id ex ingressu diplomatis. *Quotiescunque altercantum jurgia Palatii nostri judicia, nostrorumque fidelium ac Ecclesiarum seu Sacerdotum pro quarumcunque rerum negotijs noscuntur advenire, oportet nobis in Dei nomine juxta legum severitatem inquirere, ut deinceps nulla videatur quæstio renovari. Ideoque cùm nos in Dei nomine Mosalaco in palatio nostro una cum Apostolicis viris patribus nostris Episcopis, optimatibus, ceterisque palatij nostri ministris .... ad universorum causas audiendas, justoque judicio terminandas resideremus*, &c. Obtinuit inde mos in Regno Francorum, ut Episcopi in omnibus Regni comitijs, synodis & conventibus judices atq; arbitri ante Duces, Marchiones & Comites considèrent, sive in his sacræ, sive profanæ controversiæ tractarentur. Ne quid hîc addam de judicio palatij, in quo coram Rege & Cæsare causæ publicæ agitabantur decidebanturq; Episcoporum & Sacerdotum non minus quàm Comitum & Palatinorum ministrorum judiciis; quod ad ipsum Clodoveum refert Hincmarus Rhemensium Archiepiscopus. Nam ex quo clarissimus Ille Rex à D. Remigio fonte Baptismatis ablutus ad Christi sacra transiit, semper per Regum Francorum successiones in palatio fuêre Apocrisarij, ijque vel Episcopi, ut Angilramus Metensis Episcopus, & Hildebaldus Colonensis Archiepiscopus in aula Caroli M. vel alij ex Sacerdotum & cleri numero præstantes viri, ad quos causæ cumprimis Ecclesiasticæ uti ad cognitores & judices relatæ sunt.

Tom. 20. Concil. ex Capit. Caroli.

Bignonius in notis ad Marculph. lib. 1. c. 25.

Hincmarus epist. 3. c. 14. 15. & 16.

Verùm cur Carolus M. tam ampla regalium potestate donârit Episcopos Saxoniæ, causam ipse reddit, nimirum, *ut qui hactenus regiæ potestatis jugum ferre detrectârunt, victi divina magis virtute quàm suis armis Sacerdotibus parerent.* Idq; *se pro amore ejus, qui victoriam contulit, fecisse*, testatur; tanquam Saxoniam inter Episcopos divisam terram Sacerdotalem esse voluerit. Ac nescio an in ulla Germaniæ ac Francici regni provincia unquam regale Sacerdotium magnificentius quàm per Saxoniam conspectum fuerit. Censuit præterea Carolus Saxonum gentem toties sibi perfidam ac rebellem multò consultius

miti Sacerdotum imperio quàm aliorum dominantium, severitati & cupiditati committi, eosdemq; tutius populorum fore dominos, qui fidei essent magistri; nec prius indomitas gentes in stabilem obedientiam subigi posse, quàm per Christianam religionem mansuefacti exuerent ferociam; quando jam compertum per Germaniam erat æquius ferri à subjectis populis Episcoporum imperia, quàm Ducum & Comitum dominatus. Quam in rem Carolus tantâ sollicitudine sapientes & maturos viros delegit Episcopos, plerosque etiam nobiles, Francorum Regum more, ut à Bignonio observatum, quos rectores imponeret. Eò Crantzius: *Pontificibus Saxoniæ Carolus M. regalia donavit.* Planius in Metropoli; *Cùm persentiret optimus Rex, gentem duræ cervicis non ferre jugum terrenæ dominationis, partitus est provincias religiosis Christi Sacerdotibus, quos jussit Episcopos consecrari: quibus à summo Pontifice et legatis ejus, cùm attributus esset ensis ille spiritalis districtionis, ipse Carolus jus suum illis adjecit, ut haberent, quo contumaces et terrerent et distringerent.* Eò quoque nihil frequentius apud veteres scriptores, quàm Saxoniam in parochias, id est, diœceses Episcoporũ esse divisam. Accedebat Caroli votum. Nam ut longum & anceps cum Saxonibus bellum tandem prospere conficeret, Saxoniã Christo ac D. Petro obtulit, secus quàm devictis alijs hostium provincijs ac regnis fecerat; quemadmodum id à Luitprando & Gregorio VII. Pontifice traditum est, satisque adhuc ævo suo inter ipsos Saxones constare Pontifex scripsit.

Bignonius ad l. 1. Marculph. c. 5.

Crantzius l. 2. Saxon. c. 23.

Metrop. l. 1. in proœm.

Non eam quoq; Episcoporum potentiam atque opes ipsi Saxones ægre invitiq; ferre poterant, apud quos prisco Germanorum more Sacerdotes genticæ superstitionis honoratissimi erant, magnaque eorum in rebus publicis domi militiæq; administrandis auctoritas, quòd Deorum suorum ministros crederent; eò etiam non ex plebe, sed ex primâ nobilitate delecti; memoraturque à Tacito Segimundus Segestis Cheruscorum Principis filius Sacerdos apud aram Ubiorum, cujus soror Arminij conjux. Inde triplex ordo apud priscos Germanos Sacerdotum, procerum ac plebis. Nihil jam attinet Druides Gallorum, nihil aliarum gentium Sacerdotes proferre, quo magistratus sui honore in populo eminuerint. Et Carolus ne Christianę religionis Sacerdotes infra illorum dignitatem deprimeret, constituit majoribus etiam honoribus exornare. Quo illud non immerito referas ex Caroli lege Saxonum populo præscriptum: *Ut Ecclesiæ, quæ modò constituuntur in Saxonia, et Deo sacratæ sunt, non minorem habeant honorem, sed majorem et excellentiorem, quàm fana habuissent Idolorum.* Et Carolus cùm aliquando per malevolos in suspicionem venisset, tanquam Episcoporum honores & bona imminuturus esset; palam profitetur, se non modò adjutorẽ ac defensorem, sed eum, qui Episcoporum dignitatem & bona ad sublimiorem, quàm unquam

Tacit. de mor. Germ. Cluver. l. 1. c. 24. Tacit. lib. 1. annal.

Capit. Eccles. Carol. M tom. 20. concil. Paris.

quam antè fuerint, gradum per suos evehi velit; quod si ullibi, tum in Saxonia Episcopis præstitit: ac re ipsâ jurisdictione & opulentia bonorum Principes fecit, cùm ceterorum hæreditariorum Principum nomen adhuc in cunis versaretur. Proferant illi ejusmodi donationes Caroli, quales nos ex Osnabrugensis, Bremensis & Verdensis Ecclesiæ tabularijs sistimus. Nec dubium, quin ceterorum Episcoporum tabulæ pares fuerint ex divisa inter Episcopos Saxonia.

Et verò si hæc Episcoporum per Saxoniam jura regalia à Carolo Episcopatuum conditore non sint donata, ostendant singuli ex fastis aut diplomatis suis, à quo Cæsare primùm acceperint. Id cùm hactenus nemo præstiterit, haud aliud relinquitur, quàm à prima sui origine per Carolum communicata esse, auctaque deinde à ceteris Cæsaribus ac Regibus, haud secus quàm in Paderbornensis Ecclesiæ diplomate Ludovicus Germaniæ Rex, & Carolus Crassus se ad progenitorum avorumque suorum donationem referunt. Sanè inter hos Ludovicus Pius Imperator haud alia forma Badurado secundo post Hathumarum Paderbornensi Episcopo jura confirmat, quàm Carolus M. Wihoni Osnabrugensi Episcopo ceterisq; dederat; ne quis videlicet publicus Judex aut Comes, aut alius regiæ potestatis minister sibi quicquam in subjectos homines & possessiones Paderbornensis Episcopi vendicet. Haud interim ignoro Monasterienses Chronici scriptores ad Fridericum Barbarossam hæc referre, à quo Hermannus II. ejus loci Episcopus primùm Imperij Principis regalia obtinuerit. Sed hæc vulgi & imperitorum commenta sunt. Jam dudum antè Gerfridus secundus post D. Ludgerum Episcopus à Ludovico Pio Cæsare Neomagum evocatus inter Principes Imperij judex consedisse memoratur, cùm istic Rabani Fuldensis Abbatis controversia in publicis comitijs agitaretur. Et quid pro Episcopis hæc tantopere contendimus, cùm Abbates passim nobiliores per id tempus ejusmodi regalibus donati fuerint: Quin Carolus M. Eresburgi castellum & omnem illam per duas, ut scribunt, rastas, regionem Monachis D. Benedicti familiæ cum amplissima in subjectos incolas jurisdictione delargitus est, uti id tempori ex Carolino diplomate proferemus. Agnoscunt vel ipsi hæreticorum scriptores, hanc Episcoporum jurisdictionem ex Caroli M. decretis, quando ijs sancitum est, ut Episcopis æquè ac Comitibus ministerij regalis portio adscribatur: tum quòd judicum inspectio & ministrorū publicorum coërcitio illis committatur, quæ in Missis Dominicis, qui plerumq; ex Archiepiscopis & Episcopis delecti, majorem vim obtinent, ex communicata juris regalis potestate.

Diplomæ Eresburg.

Capit. l. 2. c. 12. l. 6. c. 313.

Libet nunc quæ adversarij obtendunt, paucis expendere. Episcopi, inquiunt, & sacerdotis est præscriptum à Deo sacrorum munus tantummodo tractare, nec profanis se negotijs implicare; quam in rem Imperator sanit: *Comites justitiam diligant et faciant, et quàm re-*

Lib. 2. c. 12.

ligiosè Episcopi conversentur et prædicent: et amborum relatu de aliorum ministeriis cognoscatur, uti pacem, concordiam et æquitatem servent. Quâ lege Comitum & Episcoporum munia discrevit, datiq; ob id à Cæsare advocati Episcopis, qui eos & tueantur, & munia eorum civilia bonaque administrent, quòd id Christi instituto & primorum Episcoporum exemplo traditum sit. Antiqua querimonia, ad quam ante quadringentos annos respondit Otto Frisingensis Episcopus sapientissimus scriptor, *non fortuitis casibus, sed profundissimis et justissimis Dei judiciis factum esse, ut Pontifices tantâ potestate subvecti imperarent; Utrum autem è duobus utilius et optabilius sit non tam facilè judicari; status quidem ille melior, iste felicior*, & ut Browero visum, *multò securior.* Sed ejusmodi tempora inciderunt, ut Episcopos etiam huic oneri humeros submittere necesse fuerit, quales causas Carolum & ceteros exinde Cæsares habuisse, haud dubitare fas est. Consecuta sunt pòst tempora ambitione & rapacitate potentum iniquissima; ac nisi Episcopi pro data sibi Principum potestate arma corripuissent, ne oppidum quidem aut prædium plerisque Saxoniæ Ecclesijs mansisset. Ingressa demum est hæresis, quæ uno spolio religionem & patrimonium Christi rapere cœpit. Tum nisi Episcopi se objeciissent, censuit Bellarminus totam Germaniam hæresi cessuram fuisse; tanquam Carolus & consequentes inde Cæsares præsago quodam & divino consilio Episcopos Germaniæ hac, de quâ agimus, potestate extulerint. Advocati cùm vicariâ Episcoporum potestate Episcoporum bona administrârint, jurisdictionem Episcoporũ non tam infirmant quàm comprobant. Pòst ubi istud Advocatorum hominum genus pro custodibus gregis se lupos tulit, cœpitq; Episcoporum patrimonia per inexplebilem cupiditatem in rem suam convertere, quantâ demum mole actum in exauctorandis illis Ecclesiarum harpijs. Atque hæc simul causa fuit, cur Episcopi, procurationem suorum bonorum sibi per alios magis fidos ministros sumere necesse habuerint.

Baron. ad ann. 789. S. Prosper de vita contempl. l. 2. c. 9. concil. Aquisg. II.

Hìc mihi potius illi, qui tantâ contentione oppugnant Episcoporum opes & potentiam, advertant animum, quam rapiendi licentiam invexerit maligna ætas. Nam si, ut præclarè Carolus M. ex D. Prosperi & sanctor. Patrum pronunciato rescripsit cuidam affectanti sacras possessiones, *Bona Ecclesiæ non esse aliud, quam vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum*, quid magnæ illæ heroum ac Cæsarum animæ dicturę, quorum regiâ liberalitate tot Episcopatus, collegia & cœnobia olim condita & dotata sunt: Vivi tot diras ex diplomatis donationum raptoribus imprecati sunt, ut post funera etiam feræ sequerentur vindiciæ. Quid accusaturi dicent tot Episcopi & Sacerdotes & religiosi viri, quorũ sudore & parsimonia aucta, quid Principes justiq; homines, quorum pietate & donationibus Deo consecrata? quod postremo horum omnium judex Deus pronuncia-

nunciaturus judicium? Nec minus crimen est spoliare bonis, quàm jurisdictione; quam Episcopi tanto æquius & securius possident, quòd & religiosissimi Cæsares fuerint, qui donarint, & sanctissimi Præsules, qui primùm acceptarint; horum mihi conscientia & judicium ante aliorum criminationem. Si qui Episcoporum, quod sæpe factum agnoscimus, sacra bona & potestatem averterint in luxum & ambitionem, nihil in omni rerum statu insolens; *vitia erunt, dum homines*, monet nos Tacitus Romanus scriptor. Quanquam ex Episcoporum jurisdictione per Saxoniam sublatâ integra malorũ Ilias consecuta, interq; hæc ipsi sacrorum ministri cùm liberi esse potuissent sub Episcopis, facti sunt servi civilium magistratuum. Hæc ipsorum toties audita querimonia, Lutherum quidem largè consuluisse suæ novæ religioni dando principibus Episcopatus & bona Ecclesiæ, Sacerdotibus concubinas, populo libertatem vitæ, sibi verò servitutem reliquisse sub jugo civilis Magistratus. Hic prodigium, in alijs supra omnes leges divinas & humanas liberalem fuisse. Longius processi, sed adversariorum provocatione; nunc à Bremensis Ecclesiæ narratione ad Monasterienſem me reflecto.

D. Ludgerus Monasterienſi Ecclesiæ proficitur.

Eodem hoc anno, in quo versamur, Bernardus religiosus Abbas, quem Carolus Mimigardefordensi Ecclesiæ, Occidentalibus Saxoniæ populis, præfecerat, excessit è vivis. Magnopere indoluit Carolus hunc sibi gentium doctorem virumq; Apostolicum morte præreptum; cúmq; circumspiceret omnes sibi notos à virtutum commendatione Sacerdotes, haud alium reperit digniorem, quem Mimigardevordensi Ecclesiæ imponeret, quàm D. Ludgerum. Hunc igitur ad se evocat ex Frisiæ pagis, quos, ut supra relatum est, ei ante biennium excolendos commiserat. Et quia per id tempus, uti Othelgrimus, aut quisquis est auctor vitæ D. Ludgeri apud Browerum, Trevirensis Ecclesiæ sedes morte Archiepiscopi vacua erat, Carolus Ludgero Archiepiscopatum Trevirensem obtulit; id verò tam sublime in Ecclesia munus Ludgerus recusavit suscipere, quòd diceret complures esse apud Treviros eruditione & vitæ integritate claros viros, quibus id munus imponi possit; se verò, siquidem ita Regi placeret, malle operam & laborem impendere in excolendis barbarorum Saxonum animis. Quo responso maximè oblectatus Carolus, quòd honoribus anteponeret labores, Mimigardefordensi Ecclesiæ primum præfecit Episcopum. Nihil hac super re Altfridus in vita D. Ludgeri. Quæ tamen, etsi vera reputem narrari ab hoc auctore, ægre compono; nam si Amalharius Fortunatus, Trevirensium Archiepiscopus anno Christi 786. subscripsit Verdensis Ecclesiæ diplomati, idemq; pòst anno Christi 803. interfuit Apotheosi D. Suiberti ad Cæsaris insulas, quomodo per hoc tempus Archiepiscopi Trevirensis sedes Amalharij morte vacua? Neq; Trevirensium annalium scriptores

res hîc nos expediunt, silentio hæc transgressi potius. Opinor interim Othelgrimum hæc non accommodasse tempori; quemadmodum & D. Ludgeri profectionem Romanam confundit; potuitque Ludgero anno 785. Archiepiscopatus hic deferri, quando ex Italia redux Carolum convenit, & Lothusam novamq; Frisiæ culturam suscepit. Multò certius Ludgeri Episcopatus ad hæc tempora referendus; cum enim is annos XII Presbyter, ut consensus scriptorum tradit, & annos VIII. consecratus Episcopus administrârit Ecclesiam suam, mortuusq; sit anno Christi DCCCIX. mense Martio, initia ejus Episcopatus ad hunc annum Christi DCCLXXXVIII, aut proximum redeunt, quantumvis Bollandus ad annum DCCLXXXXIII. rejecerit.

D. Ludgeri labor & successus in cõvertendis occidentalium Saxonum populis.

Ludgerus ubi auctoritate Caroli M. & Colonienſis Metropolitani sui Episcopatum ingressus, quo erat fervore Apostolico incensus, nihil antiquius habuit, quàm ut Mimigardefordiæ sedem Episcopi firmaret, Basilicamque & collegium cleri erigeret. Is enim locus à veteri Longobardorum castro & frequentia hominum celebrior, & à Carolo, ut ceteræ Episcoporum sedes, designatus erat. Inde ille, ut auctor vitæ memorat, totis viribus in conversionem Barbarorum populorum incumbere, diœcesin docendo peragrare, fana & Idola evertere, regionem in parœcias partiri, templa construere, eaque Christiano ritu consecrare, Sacerdotes, quos enutrierat, ex Frisia evocare in subsidium; effecitque suavitate morum & agendi inter Barbaros modestiâ, docendi facundiâ & suavitatis aspectu (quam miraculorum fama plus quàm in ullo Saxoniæ Episcopo quotidie augebat) ut passim tota diœcesis abjecto Idolorum cultu Christianæ religioni se permitteret. Mirum, hunc Westfaliæ populum, qui antè omnium Saxonum ferocissimus erat, tam brevi unius Episcopi doctrinâ in leges Christi mansuefactum. Inter hæc Ludgerus in Frisiam longo itinere excurrere, & quinque pagorum incolas in fide Christi confirmare, unâque diœcesis curâ complecti. Inde tota illa regio quæ Omlandia modò dicitur, Groningæ circumposita, Episcoporum Monasterienſium patrimonium dono Caroli censa, ac templum B. Virginis, quod Groningæ primarium est, Episcopi Monasterienſis jurisdictioni assertum. Inde tot illæ præposituræ & parochiæ, quæ ab omni retro memoria Episcoporum Monasterienſium fuerunt, ex primâ D. Ludgeri cultura enatæ, ut ex vetustis mecum communicatum est monumentis. Et quia hæc ad fervoris amplitudinem non erant satis Ludgero, Foteslandiam insulam adijt; quâ ad Christi fidem perductâ, Danos & Nortmannos Evangelij causa adire constituit; tanquam totum Septentrionem Apostolico spiritu complecteretur, Christo etiam per martyrij sanguinem asserendum: Sed hanc ejus profectionem non probavit Carolus M. Quare totum se diœcesi suæ per omnem vitam excolendæ impendit, ad-

D. Ludgerus simul Frisiã excolendam retinet. *Guicciardinus in Belg.*

dit, admirandus si quisquam inter primos Saxoniæ Episcopos ob labores Evangelij, vitæ sanctimoniam, & miraculorum multitudinem; quemadmodum hæc à scriptoribus rerum ab eo gestarum consignata sunt. Nec Carolus minus largus in hunc virum, cui præter Lothusam in Brabantia, & Helmstadium in Ostfalia donatum, amplis terminis intra Luppiam, intraque Rhenum & Isalam diœcesin circumscripsit, multasque agrorum possessiones & prædia dedit, ad collegij clerique annuum censum, ad templi fabricam, & Ecclesiæ splendorem. Interque hæc duodecim Decumanæ villæ cum vicinis Curtibus, ut vocant, casis videlicet & minoribus colonorum prædijs donatæ. Singulis villis Schultetus impositus cum potestate judicij, qui capitalium etiam rerum causas recognosceret, reosque mortis supplicio plecteret. Additi à D. Ludgero ceteri ministri, qui decimas, quas cum alijs Episcopis per diœceses habuit, colligerent, & ad quæstorem referrent. Villæ quæ sparsæ erant per diœcesin primò præfecturarum, deinde Satrapiarum initia dederunt; ut vel ex his satis constare possit, quibus opibus, & qua politica potestate Carolus M. Episcopos exornârit. Villis plerisque ædes sacra adstructa, in quâ divina perageret; in itineribus enim prisco Episcoporum ritu Sacerdotes & clericos secum duxit, quibuscum Chori in modum diurnas nocturnasque preces recitare, & missæ sacrificium quotidie fermè offerre solitus. Assignata & pars census ex singulis villis pro pauperibus & peregrinis hospitio excipiendis, ut ex vetustis quibusdam monumentis cognovi. Ac licet à Carolo Monasterienſi Ecclesiæ Episcopus impositus esset, munus tamen illud per duodecim annos ex Sacerdotali gradu administravit, priusquam se Episcopum consecrari passus sit, jurisdictione interim suprema Episcopus; idq; exemplo D. Gregorij Ultrajectensis Antistitis ac magistri sui, qua erat demissione, fecisse creditur, indignum se reputando, cùm maximè dignus esset, qui sublimem illum in Ecclesia gradū admitteret. Hinc omnium donationum Werthinensium literæ ac diplomata ante annum 802. aut tertium consignata, Ludgerum ejus cœnobij conditorem aut Sacerdotem aut Abbatem compellant, cetera exinde Episcopi nomine subscripta. Interim apud Carolum M. in summa veneratione fuit, quem & Widekindus sibi familiarem atque ex intimis consilijs habuisse Crantzius retulit. Inde persuasum nonnullis, eo moderatore & magistro Widekindum Christianæ religionis legibus imbutum ac mirificè confirmatum esse.

Carolī M. largitas in Ludgerū & Monasterienſem Ecclesiam.

L. 1. Metrop. c. 5.

Accesserat nunc annus Christi octogesimus nonus supra septingentesimum, quo Carolus confecto Bavarico bello Aquisgranum concessit, ubi & hyemem exegit, & natalitia Christi, & Paschatis solemnia celebravit; nunquam tamen inter hyemis otia vacuus, quin aut belli consilia agitaret, quæ æstate conficeret, aut res Ecclesiæ pertractaret

An. Christi 789. Regni Franc. 22. Long. 16. Belli Saxon. 18.

Carolus M. Aquisgrani hibernat, & Synodū convocat. *Ann. Frāc. Adelm. ac cæteri. Tom. 20. concil. Paris. Anſegiſus. Vitq Amerpach in notis. Buſæus in notis. Sirmond. in notis. Conring. de orig. juris Germ. c. 14. Præf. Carol. ad Synod. Aquiſg.*

tractaret cum Episcopis. Ejus rei gratia 10. Kalend. April. celebrem Aquisgrani synodum habuit, quæ inter Aquisgranenses prima censetur. Multa in ea salubriter octoginta duabus legibus statuta ad cleri populique disciplinam formandam; uti eam Parisienses integram dedêre, ac nonnulli etiam commentarijs illustrârunt, quòd pleraque ex veterum Conciliorum & Pontificum scitis delecta. Annus etiam Incarnationis adscriptus DCCLXXXIX. regni Carolini XXI. nempe abijs, qui initia ejus non à morte statim Pipini, sed proximo dehinc anno auspicantur. Præclara, & cum omni posteritate communicanda Synodus, frustra oblatrante hæretico scriptore, tanquam Carolus ex civili Principum potestate Ecclesiæ & Sacerdotibus leges præscripsisset, idq; Caroli exemplo fas sit omnibus politicis Principibus in quo multum hic scriptor fallitur, cùm Carolus palam in Capitularibus, ut vocant, fateatur se una cum Sacerdotibus & consiliarijs suis hæc pertractasse: nimirum in conventu Episcoporum, Abbatum & Regni procerum, ad eum modum, quo hactenus omnes synodi sunt habitæ; eò & legati Apostolici his Synodis plerumque interfuêre, uti in hoc concilio Paulinum Apostolicæ sedis legatum, Aquilegiensis Ecclesiæ Episcopum, præsedisse testantur Capitularia Caroli; quemadmodum à D. Bonifacio Apostolicæ sedis legato per Germaniam ejusmodi Synodos possidemus. Nec aliud hic Carolus præstitit, quàm quod Carolomannus patruus & Pipinus Rex pater, concilia ejusmodi regia auctoritate confirmando, eo vel maximè, quòd mixti generis fuêre conventus, in quibus de sacris & civilibus pertractatum decretumque fuit, ut supra relatum est.

Certè Benedictus Levita, à quo ejusmodi Capitula, ut vocant, collecta sunt, apertè scribit, tam ea, quæ sub Carolomanno & Pipino, quàm quæ post sub Carolo M. sunt habita concilia, Apostolicâ auctoritate esse firmata. Nihil his litibus opus esset, si quâ religione Carolomannus, Pipinus Rex, & Carolus M. Imperator, eâ etiam Saxoniæ Principes coluissent Pontificem & Episcopos suos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei. Hoc præterea Aquisgranensi concilio, ut inter Capitularia Caroli relatum, præclara illa lex sancita adversus politicos, qui eo etiam ævo Episcoporum & Abbatum bonis inhiando, ea dividi, avertique in profanas res expetebant. Sed repressa eorum cupiditas hoc præclaro Caroli M. decreto: *Quia juxta sanctorum Patrum traditionem novimus res Ecclesiæ esse vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum: cuique non solum habita conservare, verùm etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus: tamen ut ab Ecclesiasticis de non dividendis rebus illius suspicionem dudum conceptam penitus amoveremus: Statuimus, ut neque nostris, neque filiorum, et, Deo dispensante, successorum nostrorum temporibus, qui nostram vel progeni-*

progenitorum nostrorum voluntatem, vel exemplum imitari voluerint; ullam penitus divisionem vel jacturam patiantur. Quàm legem adeo patris exemplo probavit Ludovicus Pius Cæsar, ut ne Episcopis quidem hanc dividendi potestatem permitti voluerit, vulgatissima illa D. Prosperi sententia innixus, quæ legis instar recepta erat, ad quam audiendam omnes Reges & Principes exhortatur Baronius.

Carolus M. domita Westfalia & Saxonia bellum Sclavicũ suscipit.

Rebus, quæ ad disciplinam Ecclesiæ poscebantur, constitutis, post exactam hyemem bellumque Bavaricum, Carolus Sclavicum suscepit, ac domitâ Saxoniâ, ceteras etiam trans Albim gentes barbaras aggressus est; immensum licet terrarum spatium, immensique populi restarent debellandi. Quippe, ut Eginardus, *vastus ab Oceano in Orientem sinus regionum porrigitur*, ævo illo adhuc incompertus. Hinc multæ circumsedebant nationes, Dani cumprimis & Sueones, quos Nortmannos dixêre, alijque populi, qui Septentrionale littus & omnes in eo insulas tenebant. Littus verò Australe Sclavi & Aisti, aliæque diversæ gentes incolebant, quas inter propiores Albi Weletabi, ac Francica lingua Wilsi dicti, quibus hoc bellum illatum. Et belli causa erat, quòd Abotritos, qui cum Francis olim fœderati erant, assidua incursione lacesserent, nec minis coërceri possent; odio præterea incensi essent in Francos & Christianos, ipsisq; Saxonibus tecta conspiratione, ut gentem illam in arma prolicerent, confœderati. Eò Sclavi insolentiores prædis & incursionibus Ostfaliam infestam habuere, ne qua tuta Christianis Sacerdotibus inter Albim & Visurgim statio ac possessio esse posset. Minimè Carolus has injurias ferendas censuit, quòd totam Saxoniam Christianæ religioni quàm liberrimè assertam vellet.

Eginard. in vita Caroli. Adelmi. Astronomi. & ceteri Franc. annal.

Eginard. in vita Caroli. Wilsi Mecklenburgenses.

Carolus Coloniæ Rhenum transit.

Quare comparato ingenti exercitu, Coloniæ Agrippinæ Rhenum trajecit; inde per Hassiam & Saxoniam instituta profectione, transitoque Visurgi, ad Albim processit, castrisq; supra ripam positis, flumen duobus pontibus junxit, pontemque ex his alterum ex utraque ripa circumducto vallo præmunijt, ac militari præsidio firmavit. Jussi Frisij & Saxones veluti auxiliares ac sociales inter ceteras nationes populi signa Regis sequi; id imperium cùm inviti acciperent, tum ficto etiam, & ad speciem pugnandi animo se Francis junxêre.

Auctor vitæ Caroli.

Carolus transito Albi in Wilsos movet.

Interim Rex traducto per Albim exercitu, Wilsorum regionem ingressus est, cuncta diffusè prædis, ferro ac igne pervastando. Wilsi etsi bellicosi, multumq; confiderent multitudini gentis suæ, non tamen ausi sunt se ad conspectum Francici exercitus objicere; quin ad famam Caroli territi omnes fractique cessêre. Eò confidentius Carolus interiora ingressus ad Dragawiti oppidum castra promovit. Quo cognito, Wilsorum Regulus, qui ceteris Wilsorum regulis & generis nobilitate & senij auctoritate præpollebat, Carolo cum suis primoribus obviam progressus, ad pacis fœdera, omniaque quæ Rex imperaret, ultrò se supplex

Wilsi ad conspecta Francorum arma se dedunt.

plex obtulit. Jussus ergo mox fidem jurare, & dare obsides. Hunc ceteri Sclavorum primores ac reguli secuti Carolo se dedidêre. Adeo quæ famâ sæpe geruntur bella, terrore conficiuntur. Hac expeditione Idolum, quod Wilsi colebant, Hamburgi à Carolo subversum memorant scriptores. Unáque expeditione, quod Eginardus scripsit, gens Sclavorum subacta est. Rex accepto juramento fidei, datisque obsidibus, eâ, quâ venerat, via ad Albim regressus, exercitum per pontem reduxit in Ostfaliam, ubi aliquamdiu versatus res ejus provinciæ, uti annales Francorum memorant, dispositi. Nec dubium, quin prima illi cura sumpta de religione firmanda; uti jam Hildegrimum D. Ludgeri fratrem Osterwici imposuerat inter Ostfalos Halberstadiensium Episcopum, virum egregium, & quem Carolus ante D. Ludgerum, etsi natu minorem, ad hoc Apostolicum munus ex Francia evocârat. Sunt auctores, qui hac expeditione Carolo M. Comitem adjungunt D. Ludgerum, quòd is operam suam obtulerit Regi ad Wilsos Christianâ religione imbuendos; ideo, quò receptum haberet, periculo inter Barbaros urgente, Helmstadium, quod tum villa aut vicus erat, cum amplis circum agrorum possessionibus D. Ludgero donatum esse à Rege, atque inde post Werthinensi cœnobio & Abbatibus ejus loci assertum, tanquam novum peculium ad ejus Cœnobij donationem; in quam & Hildegrimus frater Episcopus facilè convenit, quòd uno studio & opere Monasterium illud dotandum sumpserint. Quæ etsi verisimiliter referantur, cùm nihil certius sit, quàm Helmstadium à Carolo donatum D. Ludgero; id tamen quando factum sit, nemo veterum satis expressit; & jam D. Ludgerus, ut diximus, Mimigardefordensis Ecclesiæ curam susceperat; nisi ab reditu hujus expeditionis Ecclesiæ Mimigardefordensi ab ipso Carolo solemni ritu impositum opinari libeat, & Helmstadium acceptasse à Carolo pro seminario & receptu Sacerdotum, quos vel ad Saxones ejus provinciæ, aut ad Wilsos & Sclavos Evangelij docendi causa submissurus esset. Potuitque Ludgerus, qui ad Danos & Nortmannos docendos ire voluit, etiam se ad Sclavos erudiendos offerre; ac forte comitatus per Hassiam est, quando Buddonem, qui Widekindi equos rapuerat, ad vitam revocavit, admirabili prorsus prodigio. Multa ejusmodi desideramus à vetustate neglecta, quæ non nisi per conjecturam investigamus.

Sigeb. Marian. Scotus. Ursberg. Cleinsorg. Chron. Holst. Chron. Hildes. Manifeld. Spangeb. Joes de Ellveren. Crantzius l. 1. Metrop. c. 3.

Vita D. Ludgeri apud Brouverum l. 1. c. 26.


Trutmānus præses tribunalis Westfalici, & Advocatus Sacerdotum à Carolo M. constituitur.

Certè Carolus, reducto per Visurgim exercitu, à Sclavica expeditione in Westfaliam regressus est; quarto enim Kal. Octob. ad Villam Trutmanni viri illustris divertit, & hunc ipsum Trutmannum ejus loci comitem, & novi, quod erexit inter Westfalos, tribunalis præsidem creavit. Quam in rem suppetit vetustum Caroli diploma, quod hoc loco referre interest.

In no-

IN nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Carolus divina ordinante gratia Rex. Si Domino Deo exercitum succurrente in bellis victoria potiti sumus, in illo, et non in nobis gloriamur: et in hoc seculo pacem et prosperitatem, et in perpetuo futuro æternæ mercedis retributionem nos promereri confidimus. Propterea omnes Christi fideles noverint, quod Saxones, quos à progenitoribus nostris ob suæ pertinaciæ perfidiam semper indomabiles, ipsique Deo et nobis tamdiu rebelles, quousque illius, non nostra virtute, ipsos et bellis vicimus, et ad Baptismi gratiam, Deo annuente, perduximus, pristinæ libertati donatos, et omni nobis debito censu solutos pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipsique tributarios et subjugales devotè addiximus, eosque in fide Christiana retinere optamus et perseverare cupimus. Quapropter in illa parte Saxoniæ Trutmannum virum illustrem ibidem Comitem ordinamus, ut resideat in curte ad campos, in mallo publico, ad universas causas audiendas, vel ad recta judicia terminanda. Isque advocatum omnium presbyterorum in Saxonia fideliter agat, super vicarios et scabinos, quos sub se habet, diligenter inquirat, et animadvertat, ita ut officia sua sedulo peragant. Tandem idem Comes omnia sibi singulariter à nobis præscripta toto conatu et totis viribus perficiat, et ita memoratus noster Comes Trutmannus bene ingenuus et securus existat. Et ut ista ingenuitatis pagina firma stabilisque consistat, manu propria subscripsimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Ex Archivio Tremon. Meibom. in Notis ad Widekind. Stangefol. in Annal. circuli Westfalici lib. 2.

Signum Karoli  Regis Invictissimi

Hildebaldus Archiepiscopus Colonienſis et ſacri palatij Capellanus recognovi.

Datâ IV Kal. Octob. Anno Dominicæ Incarnationis DCCLXXXIX Indict. XII, Anno autem regni Domini Karoli XXI. Actum in villa Trutmanni feliciter, Amen.

Annum hîc denuo incarnationis adscriptum legis, quem multò testatius ex autographo Carolini diplomatis Werthinensis Cœnobij dabimus. Quanquam illud longè illustrius, conspici hîc eandem scribendi formam debellatæ à se Saxoniæ, Christoq; pro amore ejus oblatæ, quâ Verdense & Bremense diploma repræsentat; ut vel ex hoc fides quoq; illis asserta sit, omnia hæc ab uno Carolo fluxisse, Saxoniamq; votivo dono tributariam factam, haud alio, quàm per decimas Episcopis & sacerdotibus assignatas. Villa hæc Regia, cui Trutmannus Comes ac Judex impositus est à Carolo M. Celebris inde hominum frequentiâ cultuq; loci in oppidum, ac pòst in urbem assurrexit; varioq; nominis sono à scriptoribus olim tradita; modò enim Trotimania, modò Druthmania & Trutmania: nunc vicus Droomanni: rursum urbs Trotmanni & Drotmuni: alijs etiã Trotmunda

Tremoniæ Origo & antiquitas. *V. Meibom. in Notis ad l. 2. Widekindi Manac.*

munda & Thrutmunde scribitur. Prima & syncerior appellatio Trutmannia à Trutmanno Comite & conditore suo; quanquam nunc Tremoniæ nomen obtineat, inter primas Imperij urbes haud immeritò recensenda; quod in eo loco Carolus M. publicum & Regium tribunal, seu mallum, ut dixêre, superioris Westfaliæ constituerit, ad quod omnes gravioris momenti causæ & controversiæ, tanquam ad senatum & curiam Regis deferrentur. Ac nihil Carolus sollicitius habuit, quàm ut justitiam, qua regna & imperia continentur, administraret Trutmannus; quod tot Caroli legibus, Comitum & Vicecomitum, scabinorum, ceterorumq; munere tam sanctè severeq; præscriptum est. Idq; tum Princeps Comitum munus fuit, Vicariumq; Regis ac Cæsaris nomine, ex quo postea in hereditarias possessiones, tantamque potentiam emersêre.

Ceterum ex hujus Sclavici belli reditu, accessuque ad Trutmannam villam Carolum Mimigardefordiam adijsse, ac cum Hildebaldo Archiepiscopo Colonienſi, quem Tremoniæ secum habuit, unáque cum D. Ludgero res ejus Ecclesiæ, resque Sacras per totam Westfaliam constituisse, tam pronum est existimare, quàm impensè semper sacra ante profana habuit in ordinandis Episcoporum diœcesibus. Ac nihil tùm incundius fuit Carolo, quàm ferocem & barbaram Saxoniam, quæ tot annis arma ejus lassaverat, aspicere Christianis legibus & doctrinâ Sacerdotum mansuescere, & cum fonte baptismatis omnem gentis ferociam ac superstitionem sensim exui, certatimque incolas in alios homines commutatos ad Christi Sacra se offerre.

Waltgerº Comes Hervordiæ templum erigit ac fundat.

Hîc etiam si fastos Mindenses consulamus, per hæc tempora Waltgerus, seu ut alijs nuncupatur Walderus, vir illustris, ac Comes Hervordiæ, Widekindo magno semper percarus, atque ex intimis consilijs arbiter, Hervordiæ in suo fundo ædem sacram construxit dotavitque. Perstat hæc etiamnum opere pervetusto ac solido, templi in modum capax, legiturque vetus inscriptio in arcu fornicis: *Princeps hujus terræ Waltgerus fundator Ecclesiæ Hervordiensis.* Præter hanc ædem sacram Waltgerus Comes Collegium Virginum, quod puellarum dixêre, condidit ex hereditarijs bonis, hortatu Widekindi Ducis, cujus Cancellarius memoratur per Angariam. Locus primus in villa Mudehorst; inde Hervordiam translatus Virginum cœtus; cœpitq; magnificentius collegium exstrui, circumpositis ministrorum ædibus, ex quibus in oppidi formam emersit. Arx istic antiquitus fuit ad septem soles nuncupata; ejus memoriæ causâ in templo Principe septem globi deaurati conspici feruntur: perinde ut in veteri Oetinga inter Bojos ædes septem planetarum gentilium ritu dicata memoratur. Vidi hæc prisca monumenta Hervordiæ in comitatu Ferdinandi Principis & Episcopi Paderbornensis, quibus nihil

Leerbeck in Chrõ. Mind. Crantz. Hamelman.

anti-

antiquius ea pars Angariæ ex jurisdictione Paderbornensis Episcopi exhibet. Creditur Waltgerus ex hereditarijs bonis possedisse magnam partem Comitatus Ravensbergensis, sedemque gentilitiam habuisse in monte Derenberg, quem alij Darnenberg vocant. Nec Caroli primùm ævo hæc familia Christiana, quippe cujus avus Adolphus à D. Bonifacio fonte baptismatis ablutus; ut supra à nobis relatum. Ejus exinde filius Waltericus, ac conjux Eva Christiani; quibus parentibus Waltgerus à puero Christi sacris imbutus, libere ac mirificè tum rem Christianam unâ cum Widekindo ijs per Angariam regionibus extulit. Cœptum à Waltgero Hervordiense Virginum collegium munificè auxit Ludovicus Pius Imperator, traductis ex Suessionensi Galliæ monasterio Virginibus. Ut quemadmodum Corbeia nova ex Francia ad Visurgim transplantata, ita Hervordiense Collegium ex Suessionensi traductum in sequiore sexu efflоreret per Westfaliam; uti id tempore memorabitur in Badurado Episcopo, & rebus Ludovici Pij gestis.

Tempus jam in hyemem, & nonagesimum supra septingentesimum annum processerat, cùm Carolus, reducto per Saxoniam exercitu, Wormatiam concessit; qua in civitate hyemavit cum aula, Natalemque Domini & pascha peregit. Annum exinde totum (quod infrequens Carolo fuit) ab omni bello vacuum habuit, non tamen sine novo belli semine; auditi enim Hunnorum Legati, qui advenerant, missique vicissim à Carolo Legati in Pannoniam ad gentis ejus proceres. Controversia omnis erat de regnorum finibus: cúmque inter Francos & Hunnos non conveniret, contendentium pertinaciâ; bellum à Carolo decernitur, quod in octavum annum cum gente illa gestum est. Rex interim, ne Wormatiæ omne tempus in otio consumeret, per Mœnum fluvium ad Salæ palatium navigijs provectus est. Regia ac nota istic Francorum sedes fuit ad Salæ fluvium inter Thuringos, ubi Carolus haud secus quàm in Saxonia de provinciæ illius extimæ negotijs, sacrisque rebus disposuit; dudum quippe Thuringia & Hassia Francorum regno asserta, ac Christi etiam religionem ante D. Bonafacij ingressum amplecti cœperat. Inde Carolus secundis aquis revectus Wormatiam, alteram in eadem civitate hyemem exegit. Tum verò, ut Francorum annales perhibent, regium palatium nocturno igne conflagravit. Nihil ad hunc fortuitum casum commotus Carolus perstitit in loco, alterumque istic Natalem Domini & pascha celebravit; quod jam totus esset in apparatu belli adversus Hunnos: de Saxoniâ, cumprimisque Westfaliâ, eo etiam securior, quòd Widekindus Westfaliæ & Angariæ Dux totus jam in alium virum commutatus tanto fervore Christi religionem susceperat defendendam proferendamq; quantum antè oppugnaverat. Nec tum erat in tota gente Saxonum, cujus aucto-

An. Christi 790. Regni Francici Caroli 23. Longobard. 17. Belli Saxo. 19. *An. Franc.* Hunnici belli semina.

Carolus iterum Wormatiæ hibernat, ubi palatium conflagrat.

jus anctoritati aut plus daret Carolus, aut popularis nobilitas deferret; præter quæ alia, quæ in hoc pietatis genere mirificè præstitit, Angariam suam illustri & opulento Sacerdotum collegio decoravit, quod D. Dionysio Galliarum Patrono inter suos etiam dedicari voluit. Visitur etiamnum magnifica Basilica, in qua sepulchrum delegit prope hereditariæ arcis locum in vico Engeren. Id collegium pòst ob belli tempestates Hervordiam ad vicinum tutioremque locum est translatum. Hoc in salutari opere, & Paræciarum templis erigendis, quo rudi populo consuleretur, usus cumprimis est consilio & opera D. Ludgeri, quem sibi, ut diximus, adjutorem rerum sacrarum habuit. Nec tum ad rem Christianam promovendam quicquam consultius erat, quàm Sacerdotum collegia ac seminaria Cleri condere; è quorum disciplina, quæ tum Monachorum par erat, magistri Christianæ fidei & Pastores populorum sumebantur.

Widekindus collegium Sacerdotũ in Engeren instituit.

Vita D. Ludgeri Cranzius.

Subtraxit hîc annus in exitu suo ex primorum inter Saxones Episcoporum numero D. Willehadum, planè Apostolicum & sanctissimum virum; quippe qui triginta quinque annos in hac nova, inter Frisones ac Saxones, barbarasque gentes, excolenda vinea laboravit, ab anno videlicet 755, quo D. Bonifacius excessit in Frisia ad hunc annum 790. Ejus viri famâ ac sanctimoniâ, cùm primos annos in Frisiæ, Drentiæ & Twentiæ populis erudiendis miro cum fructu collocasset, permotus Carolus, primum Bremensem Episcopum imposuit. Quod ille munus septem annos ex Sacerdotali gradu & jurisdictione sacra administravit, & anno demum 788 (quòd id magnopere expeteret Carolus M.) III Idus Julij Episcopum se consecrari passus est Spiræ, à Lullo Moguntino Archiepiscopo, ut Serrarius censuit. Eò supremo Sacerdotij honore exornatus nihil antiquius habuit, quàm ut Basilicam, à se firmo & eleganti opere Bremæ constructam, pro Episcopi munere Calendis Novembris D. Petro Apostolorum Principi dedicaret. Vixit ab hac consecratione annos tantummodo binos, menses tres, dies sedecim: nihil ad supremum vitæ tempus, licet jam senio & laboribus præfractus, remittendo; quem & Deus ex Evangelij opere & peragratione Diœcesis in humili Rustriæ vico Pleccazze ad Visurgim infra Bremam VI Idus Novembris ad Superos evocavit. Corpus Bremam delatum ad Basilicam à se constructam, ubi & magno Cleri populique luctu sepulchro illatum. Fuit gente Anglus, & ex eorum populorum origine, qui ex his regionibus in Britanniam olim transvecti, quiq; post Willebrordum, Suibertum, Bonifacium ceteroscque Apostolicos viros ultro se in hanc messem obtulit. Præsul castimonia & innocentiâ vitæ admirabilis, quippe qui carnibus, vino, omnique potu sibi interdixerat, quo ebrietas provocari potest: adeo nec lacte, nec piscibus fruitus, dum postremis vitæ annis Adrianus Pontifex piscium alimenta

Mors D. Willehadi primi Bremensis Episcopi.

Adam. Brem. Vita S. Willehadi apud Phil. Cæsar. & Surium.

Willehadi abstinentia à Carnibus vitæ rigor.

alimenta indulgeret. Ceterum cibus haud alius, quàm panis, mel, olera & poma. Nulla illi prope dies transijt, quo non sacrificium Missæ inter gemitus & lachrymas offerret, & psalterium decantaret cum clericis: sœpe etiam, tanquam his non satis Deum placasset, hæ diuturnæ statæque preces quotidie bis tertiumque iteratæ. Tempus quod publicis occupationibus vacuum, nonnisi legendo & meditando insumptum. Ideo quem vivum non tam gente Anglum, quàm moribus Angelum suspexerant incolæ, ab excessu mox sanctum celebrare cœperunt. Omnia Deus comprobavit innumeris miraculis, quibus vivum mortuumque inter Divos illustrem fecit. Successores ordine suo habuit Willericum, Lothewicum, Ansgarium, qui res gestas ejus conscripsit, ac Rembertum, Episcopos aut virtutum fama, aut sanctimonia vitæ claros; quorum vitæ rationem doctrinamque, quam posteris reliquerunt, si Bremenses ac Saxones componerent cum præsentibus, intelligerent, quàm diversam religionem ab ea, quam nunc colunt, Apostolici Viri à Caroli ævo Saxoniæ intulerint, Modò ut se ipsos prædamnent, pars Calvino, pars Luthero hæret, tanto magis discordes, quanto novitatis & libertatis amantiores. Justa ac vetus hæreticorum pœna ac nota, ut se ipsos dividant in alias atque alias sectas, postquam ab una veraque religione semel desciverunt.

Quotidie Missam celebrat.

Sed ad Carolum nos insequens annus revocat. Is, exactâ apud Wormatiam civitatem hyeme, totus adhuc versabatur in consilijs belli adversus Hunnos, quod Carolus animosius quàm cetera, uti ab Eginardo relatum est, majorique apparatu suscepit, quodque omnium bellorum, quæ Carolus gessit, præter Saxonicum, longè maximum fuit; tanquam de Saxonia compressis trans Albim Sclavis jam securus esset. Neque hoc bello de finibus tantum agebatur, sed de ulciscendis Hunnorum injurijs, quòd prædabundus ille populus à Luitberga Thassilonis Bavariæ Ducis conjuge prolectus impunè hactenus spolijs & incursionibus Francorum regiones divexârat. Jam tertium cæsi intra Bavariam à Caroli Ducibus funestiora minitabantur. Hunni quippe ex ijsdem barbaris populosa & bellicosa gens, quæ ex Scythia Honorio Imperatore effusa in Europam, jam dudum sedes quàm latissimas in utraque Pannonia superiore & inferiore fixerat, magnamq; simul Austriæ partem complexa, ad Anisam usque flumen Bavariæ contermina erat. Ijdem Hunni & Avares dicti à famoso quodam Rege suo, ut ab utroq; nomine in unum conflato Hungari post credantur appellati. Igitur Carolus, delectu militum per universum Franciæ Regnum perque Saxoniam simul & Frisiam habito, validiorem quàm unquam antè ac formidabilem contraxit exercitum, quem bipartito divisit, pro more hostem distracturus: partem quæ ex Saxonibus & Frisijs conflata erat, Theodorico

An. Christi 791. Regni Franc. 24. Longob. 18. Belli Saxon. 20 *Annal. Francor.* Bellum Hunnicum.

Frisij & Saxones à Carolo ducuntur in Ungariam.

dorico Comiti & Meginfrido cubiculi præfecto commisit. Adeo jam Saxones Frisijque ex tot bellorum hostibus, fidi Francorum socij ducuntur in Pannoniam adversus Barbaros, postquam ex barbaris Christiani esse cœperant; aut ne quid ipsi moliantur per absentiam Regis sui; jussique per Aquilonarem & levam Danubij ripam procedere. Alteram exercitus partem ipse Rex Carolus ad Australem fluminis ripam duxit in Hunnos; designatique per Bavariam præfecti annonæ, qui navigijs secundo Danubio fluentibus commeatum utrique exercitui facilè & copiosè deveherent. Quæ ubi magno rerum provisu sunt constituta ingressus est Carolus iter, perventumque primis castris ad Anisum fluvium, quo tunc Bavari ab Hunnis dividebantur; atque ut bellum auspicatè ordiretur Rex, jussit exercitus triduo subsistere, & obeundis pro ritu Christianorum supplicationibus, quas ob id Francici scriptores Litanias vocant, oblatione sacrificij Missæ, fundendisque precipus opem divinam Divorumque implorare. Tum demum promotis castris progressus in hosticum, vastationem agris longè latéque intulit. Hostes non ausi æquo certamine congredi intra munimenta se recepêre, quorum alterum ad Cambum fluvium, alterum juxta Comagenam civitatem in edito monte expugnatum ferro igneque est. Inde cum exercitu, quem Rex ducebat, ad Arabonem fluvium est progressus (Rabum nunc dicimus, recenti nostræque memoriæ Leopoldi Imperatoris victoriâ adversus Turcas celebrem) Ibi Hunni partim per fugam rejecti, partim ex interiori Pannonia congregati Carolo se ad pugnam obtulêre; sed divinâ ope manuque quæ pro Carolo militabat, cæsa innumera Hunnorum multitudo. Hoc nimirum illud, quod Carolus epistola ad Fastradam conjugem scribit, qua de inaudita victoria sibi gratulatur, eóque se in gratiarum actionem Nonis Septemb. ac duobus consequentibus diebus Litanias feciisse, Sacerdotibus autem triduanam à vino & carne continentiam indixisse refert; quod idem à Regina fieri exoptat, præclaro rursum adversus hæreticos nostros pristinæ religionis documento. Carolus exinde omnem illam regionem ferro flammaque evastavit, secutusq; amnem, qua Danubio infunditur, per aliquot dies stativa habuit, Hunnis aut fuga dilapsis ad interiora Pannoniæ, aut in latebras se abdentibus. Tum verò cùm nec hostis se in conspectum daret, & miles præda majori, quàm secum exportare posset, onustus esset, constituit redire in Franciam: uno conflictatus malo ob luem inter jumenta & equos grassantem, quia vix decimus quisque equus incolumis mansit, ob quod præda militum humeris efferenda fuit: simul ingens captivorum virorum mulierum & pecorum multitudo abducta. Theodoricus & Meginfridus cum Saxonum Frisonumque copijs eadem præda ditati per Bohemiam regressi in provincias; Carolus

Carolus, castris ad Anisum positis, preces & Missæ Sacrificia ante bellum indicit.

Carolus ex Ungaria victor Ratisbonæ hibernat.

per

per Bavariam Ratisbonam petijt, dimissoq; in hiberna milite, ea in urbe Christi Natalitia & Pascha per interfluentem hyemem pio majorum ritu habuit. *Regin. Ann. Franc. Regattesburg.*

Sustulit hic quoq; annus ex Apostolicis viris, quos Anglia submisit, D. Burchardum, primum Herbipolensem, & primum simul Paderbornensem Vicarium Episcopum. Hunc D. Bonifacius consanguineum suum unà cum Lullo, Witta, alijsq; ad successum Evangelij ex Anglia evocatum primùm laboris socium adjutoremq; habuit in barbaris incultisq; Germaniæ gentibus erudiendis; deinde ob virtutum merita Episcopum Herbipolensem designavit; consecratus is seu à Zacharia Pontifice, seu verius ab ipso Bonifacio Episcopus anno Christi 751, uti Egilwardus: vel 750, uti Marianus Scotus: vel, quod Hermannus, Lambertus, & Sigebertus tradunt, 746: aut certè anno 741, eò quòd anno 742 Germaniæ Synodo interfuerit, primusq; post Bonifacium collocatus sederit inter Episcopos; uti constat ex Othlono, & Epistola Zachariæ Pontificis ad Bonifacium. Inde Herbipoli solenni ritu Burchardus promulgatus, munus pontificale in continuo docendi labore, in formandis cleri populiq; moribus, in condendis templis & cœnobijs, vulgatâ etiam, dum viveret, sanctitatis famâ gessit. Quâ pòst permotus Carolus duodecim illi adolescentes nobiles, quos à Saxonum proceribus obsides acceperat, erudiendos dedit; è quorum numero Hathumarus, & Baduradus, primi statiq; Paderbornensium Episcopi, ex disciplina ejus remissi in Saxoniam. Et Carolus cùm primùm Saxoniam in Episcoporum Diœceses describeret, Burchardo, ut diximus, Vicario simul munere Paderbornensem Ecclesiam administrandam commisit: seu id tribueret D. Bonifacij venerationi in discipulo, viriq; zelo, qui ad ejusmodi labores in proferenda inter Saxones Evangelij doctrina se offerret, quos unâ cum D. Sturmione jam antè sibi sumpserat: seu Carolus virum præ ceteris ex merito æstimaret, quem missum à Bonifacio ad Pontificem sciebat regiæ paternæq; coronæ adjutorem: seu etiam Burchardi Ecclesia emineret disciplinâ Cleri, abundaretq; eruditis & idoneis sacerdotibus, per quos Vicarium Episcopi munus in Paderbornensi Ecclesia expleret. Sanè verò, uti ex Herbipolensiũ fastis ac monumentis nobiscum communicatum est à P. Gamansio, viro antiquitatum perito, Bernulphus anno Christi 794 antequam tertius Herbipolensium deligeretur Episcopus, multos annos cum auctoritate & potestate in Paderbornensi Diœcesi versatus, clerum collegit, populum docuit, & multa parœciarum templa, ad quæ incolarum cœtus convocarentur, construxit. Et Burchardus cùm jam supra 40 annos Episcopatum gessisset, senio confectus in arce sua Hohenburgo ad Mœnum, quam sibi cum uno Diacono delegerat sacræ quietis supremæq; pietatis locum, excessit è vita 4 Non. Febr.

Othlonus lib. 1. in vita Bonif. Egilwardus in vita Burchardi. Surius Tom. 5. in Octob. Anonym. apud Canis. tom. 4. Brunschius de Episcop. Herbip. Serrar. in Mog. lib. 3. not. 24.

S. Burchardi obitus.

Bernulphus à Burchardo Paderbornensi Ecclesiæ Vicario opere præfuit.

haud immeritò à scriptoribus inter primos Saxoniæ Apostolicos viros relatus; qui jam vivus sibi adjunxerat Megingaudum, ad Tubarum fluvium Comitem Rotenburgicum, ac Monachum D. Benedicti è cœnobio Frislariensi. Sed is tantùm tribus annis Episcopus ultro id munus in Bernulphum transtulit, virum magnanimum, & Cleri amantem; à quo mox etiam Monachi è primario Herbipolen. si templo ejecti traduntur, repositis è clero sacerdotibus. Nec aliter ille Paderbornæ Ecclesiam formârit, quàm ubiq; per Saxoniam prima sacerdotum ac cleri collegia aspexerat, ex Caroli M. & Episcoporum instituto. Monasteria quidem illa olim appellata, sed ex disciplina cleri & communi inter ipsos vita, qua Monachis pares censebantur. Neque ego à Carolo M. ullum quidem comperio cœnobium Monachorum per Saxoniam conditum, præter Eresburgum, quod Monachorum tantummodo domicilium fuit, non Cœnobium. Cleri ordinarium munus est administrare Ecclesias, Monachi & religiosi, in subsidium necessitatis venire. Sed hæc, quæ ex communi receptaque sententia de Burchardo & Megingaudo retulimus, exactius in Hathumaro Episcopo perquirenda.

An. Christi 792. Regni Franc. 25. Long. 19. Belli Saxonici 21. *Annal. Franc. Poëta Anon.*

Perstitebat adhuc Carolus per æstatem Ratisbonæ in Metropoli Bavariæ, Hunnico, quod cœperat, bello intentus. Sed duo Regem, quo minus ipse in Pannoniam iret cum exercitu, præpedierunt, hæresis, & filij conspiratio in patrem. Duo nimirum Hispaniæ Episcopi, Felix Orgelitanus, & Elipandus Toletanus, resuscitata Nestorij hæresi, Christum adoptivum Dei filium asserebant. Et jam multas Hispaniæ provincias labe illâ infecerant, conabanturque ultra virus illud per Galliam & Germaniam spargere; sed nullum locum hæc hæresis, uti Jonas Aurelianensis Episcopus scripsit, in Gallia & Germania, quo reciperetur, invenire potuit; quòd non modò per Germaniam sacrarum literarum peritissimi doctissimique Episcopi se objicerent; sed & Gallia, quæ Hieronymo teste ejusmodi monstra nunquam peperit, ne tum quidem ab Hispanis parta alere voluerit. Et Carolus Felicem Orgelitanum intra Regni sui fines ex pyrenæis montibus nactus, ad se Ratisbonam adduci jussit, coactoque Episcoporum Germanorum concilio, hominem sacrilegum convictum condemnavit, & captum Hadriano Pontifici, tanquam supremo harum controversiarum judici, transmisit Romam, sapientius certè, quàm nostra ætate in Germania Galliaque factum, pestiferum illud Gangrenæ malum illico, priusquam serperet, excindendum ratus.

Felix Orgelitanus Episcop9 ob hæresin in Concilio Ratisbonæ damnatus, & captus Hadriano Pontifici transmittitur.

Alterum malum in ipsum Caroli caput contextum, procerum Francorum conspiratione; auctorque ejus Pipinus, Spurius Caroli filius, natuque ceteris major, pulchra quidem oris specie, sed gibbo deformis, animo etiam multò turpior; quòd natalium ignominiam, ab-

Pipinus Spurius Caroli filius conspirat in patrem.

am, abscissamque hæreditatis spem scelere cogitaret sarcire: causaque conspirationis obtenta. Fastrada Regina, cujus superbos mores sævumque imperium ferre se non posse querebatur. Sed, Deo optimi Regis salutem curante, Fardulphi, Longobardi, fidi hominis, indicio detecta conjuratio. Rei læsæ Majestatis partim gladio percussi, partim è furca suspensi, quidam in exilium prorecti. Pipinus in Prumiense cœnobium detrusus, ubi disciplinâ Assueri Abbatis ad omnem pietatem excultus, longè alios mores induit, eóque mitiore hac pœna etiam castigatus, quòd abductus ab alijs haberetur, &, ut Eginardus perhibet, sponte hoc vitæ genus delegerit. *Ann. Franc. Chron. S. Galli. Eginardus. Brouv. l. 7. ann. Trev. Sigebertus. Stadensis.*

Hisce licet pro Ecclesia & capite suo negotijs distentus hoc anno Carolus, non tamen Hunnici belli curas intermisit. Quam in rem pontem navalem, quem Danubio imponeret, apparari jussit. Is ita anchoris, tabulis, ac funibus cohærebat, ut pro usu Traducendi militis jungi ac dissolvi posset, & quem in locum res poscceret, adduci reducique. Carolus pontem ductilem Danubio imponit. *Ann. Franc.*

Inter hæc annus ille prolapsus in hyemem Carolum adhuc Ratisbonæ attinuit, qui & alterum istic Natalem Christi diem & Pascha exegit. Tum verò ut belli Hunnici compendia faceret, & provinciarum commercia redderet ad magnos Germaniæ fructus opportuniora, rem memorabilem aggressus est; si tamen fas sit naturæ opera humano ingenio corrigere. Intelligebat Rex Rhenum & Danubium fluvios omnium per Germaniam maximos alterum in Occasum ferri miscerique; Oceano, alterum cõtrario fluxu procul ad ortum labi devoluique; in Pontum Euxinum. Hos si fossa navigabili conjungeret ubi se propius contingunt, quantum inde emolumenti, quantum gloriæ? hæc quæ Caroli vota primùm fuêre, alij traxerunt in consilia & spem Successuri operis, quòd dicerent duos ad hanc rem offerri fluvios, Almonam & Radantiam, quorum alter in Danubium, alter in Mœnum, ac deinde in Rhenum se effunderet, medium inter hos spatium, si perfoderetur, posse per eosdem fluvios Rhenum quoq; & Danubium facilè conjungi. Inter hæc consilia cùm & bellum Hunnicum agitaret, evocaretq; ex Frisia ad id copias, nunciatur Regi Saxones defecisse, & eductas à Theodorico Comite copias Frisicas in pago Rustri ad Visurgim à Saxonibus interceptas & deletas esse (Pagus is regio est infra Bremam inferiorq; pars diœcesis, perinde ut Wigmodia superior, qua Verdensi diœcesi conjungitur.) Ita tota diœcesis perturbata, pulsis & ejectis Sacerdotibus. Octavus hic annus erat, ex quo post quietem bonamque pacem bellum Saxonicum recrudescere cœpit. Carolus accepto nuncio pro magnitudine animi, damni magnitudinem dissimulabat, eoque lenius timabat periculum, quòd Widekindum multosque Saxonum proceres Christianos in fide permanere didicerat. Et arctiori jam vinculo constantissimus

An. Christi 793. Regni Franc. 26. Longob. 20. Belli Saxonici 22. *Ann. Franc. Vita Caroli. Poeta Anõ. Regino.* Carolus ducta fossâ Rhenũ & Danubium miscere aggressus.

Princeps illigatus, Deo & Francorum regno militabat, quàm ut ejusmodi se rursum bellis misceret, cui vel sola Christiana religio ante omnem gentis libertatem erat. Igitur bellum Hunnicum Pipino filio Italiæ Regi, legatis, præfectisque commissum. Rex ipse sub Autumni tempus cum magna militum fossorumque multitudine ad destinatum fossæ opus processit; descriptusq; alveus, quo Alcmona & Radantia miscerentur, duum millium passuum longitudine, trecentorum pedum latitudine. Inde spectante Rege ab uno amnium cœpta certatim fossio; at omnis mox labor irritus fuit, quòd solum molle & palustre quàm facilè egerebatur ligonibus, tam pronè reflueret, humore etiam per humi viscera erumpente, quo ærumnosum simul opus corrumpebatur. Accedebat pluvium Autumni tempus in conturbandis operis, ut quantum terræ toto die manus ejicerent, tantum altera nocte casso labore regestum conspicerent. Quamobrem cœptum opus Carolus omitti jussit. Nam etsi ejusmodi perfossio cesserit Corbuloni inter Mosam & Rhenum, Druso inter Rhenum & Isalam; Lucij tamen Veri inter Aranam & Mosellam, Neroni ab Averno lacu ad ostia Tiberina, alijsque irritus labor fuit; haud secus quàm qui cum Demetrio Rege Isthmum toties relicto opere perfodere aggressi sunt, & mare Jonium cum Aegeo per eas terræ angustias committere voluerunt. Habent flumina suos limites sibi à natura præscriptos, quibus ægre patiuntur vim inferri. Sed & alia intermittendi operis causa data Carolo; quæ à ligonibus illum ad arma vocabat; duo quippe sub id tempus, dum fossoribus spectator assideret, renunciata, quæ haud leviter perculère Regem: Saxones nimirum factâ totius gentis conspiratione rebellare, & Saracenos Septimaniam provinciam petulanter ingressos, multisque Francorum cæsis, cum opulenta præda & victoria redijsse. At clades à Saxonibus illata multò acerbius vulnerabat animum Regis. Nam ut eam Canisiani Annales exaggerant, Saxones palam Christi nomen rursum ejuravere, & fœdera inierunt cum circumiacentibus barbarorum populis, Danis videlicet, Nortmannis & Sclavis: missi etiam ab his legati ad Hunnos, qui eandem secum belli societatem adversus Francos contraherent, sollicitarentque ad arma, quæ cœperant, fortiter prosequenda. Eo Saxonum furore omnia Christianorum templa ijs in regionibus aut incensa aut eversa: ejecti Sacerdotes, quorum alij comprehensi abductique, alij trucidati: incolæ qui Christianam religionem susceperant, barbarum in modum tractati. Sæva hæc procella erat à paganis Frisijs & Saxonibus excitata, ab ijsque potissimum, qui à Carolo proscripti trans Albim profugerant, ratis hoc bello Hunnico, quo Francorum vires procul abstractæ distractæque erant, sibi aut vindicandæ, aut recipiendæ pristinæ libertatis occasionem in manus offerri. Hac Saracenorum audacia, &

Saxonum

Aventin. l. 4. Bojar. Cassus Caroli labor in fossa, jungendoq; Danubio & Rheno.

Sueton. in Tiber. & Jul. Cæsar. Tacit. l. 13. ann.

Saxones & Saraceni rebellant.

Christianos affligunt & sacra turbant.

Saxonum rebellione commotus Carolus ex Bavaria Herbipolim concessit, atq; istic apud sepulchrum D. Kiliani peractis Christi natalibus Francofurtum properavit, bello Saxonico propior futurus.

Paschate Francofurti ad Mœnum celebrato, Carolus haud aliud magis spirabat, quàm bellum Saxonicum, ad perfidorum vindictam sumendam, pacandamque provinciam, quam Christo tot armis asseruerat. Sed remora illi injecta à Concilio, quod Francofurti hoc anno ab Adriano Pontifice sollicitatum, missis in hanc rem binis ex Italia legatis Apostolicis Theophilacto & Stephano Episcopis. Causa, si quæ unquam, gravis, ne quæ per Hispaniam serpere cœperat hæresis Feliciana, Christum tantummodo adoptivum filium asserendo, Italiam, Galliam, & Germaniam inficeret, turbaretq; hæc pestilentissima hæresis, ex sinu Arij & Nestorij resuscitata, totum, ut olim fecerat, Christianum orbem. Carolus, qui religionem ante regna & bella semper habuit, & Apostolicæ sedi Hadrianoque Pontifici *tota mentis consensione se conjungi profitetur*, illico omnem operam addixit. Igitur Francofurti auctoritate Pontificis convocati Episcopi Italiæ, Galliæ & Germaniæ. Neque dubium fecero, quin Saxoniæ etiam Episcopi cum suis Metropolitanis Richolpho Moguntino & Hildebaldo Colonienſi in hunc numerum convenerint; Vel eò etiam ut Caroli opem simul adversus Saxones tumultuantes implorarent. Postquam trecenti Episcopi (tantus enim numerus fuit) unà cum Carolo M. concilium sunt ingressi, damnata est una omnium consensione ac voce Feliciana hæresis. Alia deinde controversia de cultu imaginum Concilio Francofurtensi oblata. Enimvero postquam in pseudo-Synodo Græcorum, quæ Constantinopoli est habita Copronymo Imperatore, ab Iconomachis cultus imaginum damnatus est. Adversus hanc posteà Constantino & Irene Imperantibus Concilium Nicænum II in Nicæa urbe convocatum anno Christi 787, in eoque præsentibus legatis Hadriani Pontificis, pristina imaginum pietas cultusque, trecentorum & quinquaginta Episcoporum publico decreto, est renovatus. Quanquam jam ante hoc Concilium Nicænum in Synodo Gentiliaci congregata, Pipino Rege, eadem Græcorum hæresis à Galliarum Episcopis damnata esset. Sed quòd metus esset, ne hæc Iconoclastarum hæresis ex Oriente in Italiam, & ex Hispania in Galliam & Germaniam proserperet, eamque Felix Orgelitanus & Elipandus Episcopi Hispani Gallis Germanisque simul cum priori hæresi persuadere tentarent, uti id in Concilio Senonensi relatum est; hinc Hadrianus Pontifex pro Apostolica sollicitudine per legatos suos Concilio Francofurtensi disquirendum decidendumque obtulit. Inde Canon ille secundus: *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in quâ scriptum habebatur, ut qui imaginibus*

An. Christi 794. Regni Franc. 27. Long. 21. Beli Saxō. 23.

Epist. Caroli ad Hisp. Episcopos Tom. 20. Concil. Paris.

Concilium Francofurtense ccc Episcoporum.

Concil. Franc. Can. 2.

ginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem et servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt. Hoc in Concilio damnata est primùm hæresis Elipandi & Felicis Orgelitani Episcopi, quam de Christo adoptivo Dei filio obtruserant. Verùm quid in Concilio Francofurtensi à Patribus statutum sit de cultu imaginum aut quæ illa Græcorum Synodus designetur, damnata Francofurti, Nicænane vera sit, an falsa Constantinopolitana, ne inter ipsos quidem priscos scriptores convenit. Magnum interim triumphum attollunt hæretici nostri temporis, tanquam à Patribus Concilij Francofurtensis usus cultusque imaginum proscriptus sit. Largiuntur id ultro etiam Bellarminus & Baronius, Patres nimirum quosdam falso rumore & narratione abductos pronunciasse contra cultum imaginum. Id licet permittamus, tamen parum juvat hæreticorum causam, si in particularibus Synodis errent Episcopi quidam, cùm tota auctoritas, quæ falli non possit, sit penes Pontificem & Oecumenicum Concilium; maximè cùm fateantur legatos Pontificis & Hadrianum huic decreto reclamasse. Contra alij magni nominis Theologi, alijque clari scriptores, quos inter Sirmondus, nihil contra Synodum Nicænam, nihil contra culum imaginum Francofurti à Patribus pronunciatum esse contendunt. Et vero quis sibi persuadeat Patres Francofurtenses falso rumore & narratione deceptos pronunciasse contra Nicænum Concilium recens habitum, confirmatumque ab Hadriano Pontifice, qui Pontificis legatos apud se præsentes habebant, à quibus omnia decreta Nicæni Concilij discere poterant? maluisseque cum Schismaticis & Iconomachis facere, quàm cum Catholicis & Romano Pontifice sentire? Et quis unquam scriptor prodidit ab hoc Concilio Francofurtensi imagines ab Ecclesijs Galliæ, Germaniæ & Saxoniæ remotas? quæ à Caroli ævo vetustissimas ubique cruces & icones ex auro argentoque etiam in aris & templis exhibent, quales ipse Carolus M. & ceteri Imperatores diversis Ecclesijs donarunt, & Episcopi primi posuerunt, ad Christi mysteria & Apostolorum Divorumque venerationem rudi populo & literarum ignaris imprimendam, quibus imagines pro libris essent. Et si quid in hoc Concilio adversus imaginum adorationem statutum est, quod Canon ille Francofurtensis præfert, id de cultu latriæ, quæ soli Deo debetur, quivis facilè intelligit; quòd voce adorationis, ut Baronius observavit, Patres Concilij illius perplexi territique obhæserint; nunquam tamen honorarius ille cultus inferiorque divino aut vetitus, aut detractus imaginibus. Et quàm Carolus M. constans per omnem vitam imaginum cultor fuerit, vel inde etiam reputes, quòd crucis effigiem ab Hadriano Pontifice sibi missam magnâ veneratione

An cultus imaginũ damnatus sit in concilio Frãcofurtensi.

Dithm. Mersb. Episc. lib. 4. Lambert. de Ottone. Brovverus l. 10. Ann. Trev. ad an. Christi 1000.

neratione & pietatis sensu acceptârit, quam deinde se in Ecclesia ad publicum cultum exposuisse referibit Pontifici. Adeo constans etiam imaginum cultor Carolus, ut moriens crucis effigiem è collo pendentem secum in tumulum deferri voluerit; inde cùm Otto III. Cæsar ejus tumulum aperiret, repertus est in regali solio sedens purpuratus, & auream crucem pectori inhærentem gestans. Hinc quæ multò verior ceterorum Theologorum & scriptorum de Concilio Francofurtensi sententia est, non in eo Concilium Nicænum II, sed illa pseudo-Synodus Constantinopolitana, ut Canon ipse Francofurtensis exprimit, damnata est, unaque Feliciana hæresis, quæ cultum etiam imaginum proscribebat. Quod cum ex alijs, tum ex Concilio Senonensi compertum. Ita enim illud pronunciat: *Carolus Magnus, Francorum Rex Christianissimus, Francofordiensi conventu ejusdem erroris* Iconomachiæ *suppressit insaniam, quam infelicissimus quidam Felix in Gallias et Germaniam invexerat.* Et cui verisimile esse potest ex hoc cœtu tam præstantium eruditorumque Episcoporum contra Nicænum Concilium & Hadrianum Pontificem, qui concilium illud approbârat, quicquam statutum esse? qui palam profitentur se *Hadriano Pontifici et primæ sedis Papæ omnia sua jura et privilegia deferre, et cum eo traditæ à majoribus fidei in omnibus inhærere.* Quem in modum & Carolus M. scripsit ad Hispaniæ Episcopos, *se Apostolicæ sedi, et antiquis ab initio nascentis Ecclesiæ et Catholicis traditionibus tota mentis intentione, et tota cordis alacritate conjungi.* Id vel eò sapientissimus Rex scripsit, quòd satis intelligeret novam illam Iconomachorum hæresin in abrogando imaginum cultu toti antiquitati adversari; minus id ignorare poterant Episcopi, Galliæ cumprimis, qui Pipino Rege Gentiliaci in Concilio cultum imaginum sanxerant; neque Claudius Taurinensis, qui pòst Ludovico Pio Imperatore, cultum imaginum abrogare per Galliam tentavit, unquam ad Concilium Francofurtense provocavit.

Senon in decret fid c. 14. Celebratum anno 1528.

Concil. Paris. tom. 20.

Atque hæc ut plana certaque attulimus, ita adhuc dum obstare videntur quidam ex scriptoribus annalium Francorum, Astronomus, Adelmus, Ado, Regino, Ursbergensis, quòd eam Synodum damnatam scribant, quæ Irene & Constantino Imperatore convenit; Sed cùm pleriq; ex his eam Constantinopoli habitam scribant, quẽ admodũ & Canon Francofurtensis exprimit, satis ostendunt pseudo-Synodum Græcorũ Francofurti damnatam. Quare annales Pithœani, Auctor vitæ Caroli, & Ado hanc pseudo-Synodum tantùm appellant consignantq; nulla loci, in quo habita sit, facta mentione; aut certè hi auctores lapsi sunt, neque satis intellexerunt, quæ in his Concilijs agitata sit controversia, præsertim cùm acta Synodi Nicænæ & Constantinopolitanæ serò admodum in linguam latinam versa sint. Nimirum ignoratio & dissensio auctorum vacillantis causæ indicium

Historicorum diversitas circa Synodum Nicænam & Constantinopolitanã.

indicium est, ut nihil ex eorum auctoritate certi proferri possit. Magnopere ego Sirmondum virum eruditissimum probo, à quo hæc magno judicio pertractata sunt: tum eos à quibus assertum, nihil certi de hoc Canone Francofurtensi, nihil de actis in causa imaginũ ex tabularijs adhuc prolatum esse, neq; constare utrumne pro adorandis imaginibus, an pro non adorandis legendum sit, quod postremum Alanus observavit.

Libri Carolini, quid de his sentiendum. *Concil. Parisiens. Sirmondus in notis ad Epist. Had. Bellarm. l. 2. de imag.*

At maximum causæ suæ patrocinium collocant hæretici in libris, quos Carolinos vocant, quibus cultus imaginum damnatur hos illi à Carolo M. aut ab Alcuino Caroli in sacris moderatore scriptos volunt, hos Carolum postea suo nomine promulgasse contendunt, approbasseque Episcopos & Principes, hos ob id à Carolo ad Hadrian. Pontificem missos esse, quò ex ijs constaret de sua & Concilij Francofurtensis sententia; ac ne quis eos libros, quod quidam ex Catholicis fecêre, in dubium vocet, adducunt ex Cassandro, Goldasto, alijsq; magnum testium numerum. Sed non tanta ad id mole opus est: Largiamur ultro, quod Sirmondus asserit, negari non posse, libros illos quatuor sub id tempus Caroli M. conscriptos esse; nisi Hadriani Pontificis responsioni ad eos libros ac confutationi fidem abrogare velimus. Res ita habet; quatuor hi libri tempore Concilij Francofurtensis conscripti sunt à discipulis Sereni Massilienſis primi Galliarum Iconomachi pro impugnandis imaginibus adversus Nicænum Concilium, in quibus per summam mentiendi & calumniandi libidinem attribuunt Nicænis Patribus tanquam docuerint Eucharistiam esse imaginem Corporis Christi, Synodum pro cultu imaginum habitam non esse approbatam ab Hadriano Pontifice, in eâque definitum imagines cultu latriæ esse colendas & adorandas, & quæ in hanc rem mendacia intexuntur. Neque hi libri ab uno aliquo auctore, sed à pluribus Sereni Massilienſis discipulis confarcinati, quorum alij alia Nicæni Concilij decreta oppugnârunt, & in fasciculum librorum quatuor collecta Carolo M. obtulerunt. Is illos per Angilbertum Abbatem & Capellæ suæ ministrum Hadriano Pontifici examinandos transmisit, quos & Hadrianus prolixo & Apostolici Spiritus pleno scripto refutavit, Caroloque remisit, palam fassus, nihil in his libris esse Caroli, præter ultimum tantummodo capitulum, judiciumque Caroli, quo profitetur, se ea de imaginibus sentire, quæ Gregorius M. Pontifex docuerit: imagines videlicet non tantùm memoriæ & historiæ ornatusque causa retinendas, sed veneratione etiam colendas esse. Laudat id Caroli judicium Hadrianus Pontifex. *Hoc sacrum,* inquit, *et venerandum Capitulum multum distat à totis supradictis Capitulis. Et idcirco eum agnovimus vestræ à Deo servatæ Orthodoxæque regalis excellentiæ esse proprium in eo, ubi rectæ fidei plena, penitus confessa est, sensum sanctissimi Gregorii sequi.* Quin in ea

Baron. ad an. 794. Epist. Hadriani ad Carolum M.

Epistola

Epistola Hadrianus. O insania frementium contra fidem et religionem Christianam, ut asserant non colere, aut venerari imagines, quæ in universo mundo, ubi Christianitas est, honorantur. Habent hic adversarij Caroli M. habent Hadriani Pontificis judicium, quo, ut cetera prætermittam, facilè omnia hæreticorum argumenta, adversus Carolum allata exploserint. Quemadmodum hi libri, non Carolini, sed pseudocarolini à Catholicis habentur.

Quid verò Catholica Ecclesia ante Hadrianum Pontificem senserit de cultu imaginum, recognoscent ex tribus Romanis Concilijs, quæ Zacharias, Stephanus & Paulus Romani Pontifices adversus Leonem Isaurum Iconomachum congregârunt. Quid Patres Concilij Nicæni statuerint adversus Copronymum, spurcissimum ejus filium, & hæresis hujus successorem, ceterosque eorum temporum Iconoclastas, intelligent ex actione quarta & quinta ejus Concilij, quibus ita cultus imaginum ex scriptura sacra, ex SS. Patrum voluminibus, ex traditâ majorum fide & miraculis assertus est, ut nihil ad triumphum veritatis Catholicæ desiderari possit. Eo in Concilio œcumenico hæc decretoria Patrum sententia pronunciatur: imagines Deiparæ Virginis, aliorumq; Sanctorum non minus quàm sanctæ Crucis retinendas & colendas esse, non tamen cultu latriæ per se, & ex natura sua adorandas esse, quibus restrictis verbis, inquit Sirmondus, consultum esse Theologis ijs, qui imagines Crucis & Christi Servatoris cultu latriæ, ut vocant, respectivo adorandas censent. Et verò quæ tum Orientalis, eadem Occidentalis Ecclesiæ de cultu imaginum erat doctrina; quamobrem inter alios scriptores Anastasius Bibliothecarius cultum imaginum per omnem Europam ab omnibus recipi defendique scribit, paucis duntaxat Gallorum exceptis. Serpsit hæc hæresis postea in Hispania Claudio Taurinensi auctore: resuscitata subinde est in Gallijs, Ludovico Pio Cæsare, ab ijs, qui collationem Parisiensem de cultu imaginum abrogando obtrusêre; quibus illico omnes se Episcopi & doctores objecere; horum prædamnatæ causæ quid sunt aliud quàm firmamenta Catholicæ doctrinæ?

Catholicorum sensus de cultu imaginũ.

Interim adversarij hosce Carolinos, ut appellant, libros inter Caroli M. monumenta reponunt, tanquam Carolinis legibus cultus imaginum proscribatur; at mirum neque ab Ansegiso, neque à Benedicto Levita, neq; à Lindebrochio, qui Caroli & Ludovici Pij leges in septem libros digessit, neq; ab alijs, qui Caroli M. constitutiones & Synodos diligentissimè conquisitas dederunt in publicum, hosce libros inter Caroli M. leges referri, seu nuspiam ab ijs inter syncera Caroli monumenta reperti sint, seu jam dudum à Catholicis ob insperssas hæreses explosi, damnatiq; fuerint; ut vel inde etiam è Palatina Heidelbergensi Bibliotheca prodijsse memorentur. Et sanè frau-

nè fraudem subesse, satis arguit præfatio hominis, qui se Eli Phili tam ridiculo nomine appellat. Quantus impostor videri voluit, dum libros hosce Carolo M. ausus est adscribere, atque anno demum 1541. veluti è soricum latibulis emittere? quos deinde Goldastus sine luce in lucem datos per summam fallaciam Caroli Francorum Regis titulo inscribit, qui tamen nec Caroli, nec Alcuini, nec ullius in Concilio Francofurtensi Episcopi sunt; quibus tamen innocentissimis sanctissimisq; viris Iconomachorum labem hæretici nostri adspergere audent. Extat codex omnium antiquarum legum, quæ à Carolo M. diversis regni Francici populis sunt præscriptæ: extant tot Synodi ab eo & Ludovico filio habitæ, quibus Cleri populique mores summa religione & accuratione formantur; quæ verò uspiam in his lex Carolina, quâ imaginum cultus uspiam damnetur?

Gretzerus contra Goldastum.

Cetera quæ in hanc rem ex Carolinis libris adferuntur, prorsus tam inania sunt, quàm hæc conficta obtruduntur. Nec mirum à nostri sæculi hæreticis tam cupidè hæc arripi, quorum dogmata non sunt aliud, quàm consuti antiquarum hæresum centones; maluntque cum damnatis dudum Iconomachis, quàm Catholicis & veneranda majorum suorū antiquitate sentire. Et quo hæc aliò spectant, nisi ut sublatis extra conspectum imaginibus omnem simul memoriam sacratissimorum operum Christi, Divorumque venerationem aboleant; quemadmodum nostrâ ætate factum memini, cùm præco quidam Calvinianus pro Catechesi in publico cœtu rudem populum examinaret rogaretque, quâ morte Christus defunctus esset, respondérunt ordine singuli in lecto obijsse. Si vel una Christi è Cruce pendentis effigies relicta fuisset in templis, aut ædibus illorum, facilè oculi hanc pudendam in Christiano homine ignorantiam correxissent. Paucis hæc contingere visum, quæ tot scriptorum libris sunt discussa, ne quis temere existimet hoc Francofurtensi Concilio vulnus aliquod nostræ religioni impressum esse. Post fidei decreta multa deinde salutaribus legibus Clero populoque sancita sunt, quæ si hæretici tam diligenter ac syncerè componerent cum suâ religione, quàm hiulcum hunc Canonem perscrutantur, intelligerent quantum à Caroli & majorum suorum religione desciviſſent. Postremum à Concilio petijt Carolus, liceret sibi in locum Angilramni Metensis Episcopi defuncti Hildebaldum Colonienſem Archiepiscopum habere præsentem in palatio ad res Ecclesiasticas cognoscendas & expediendas; quemadmodum Angilramnum antea ab Hadriano Pontifice obtinuerat. Nec modò Hildebaldus, sed & Alcuinus rerum Ecclesiasticarum peritus à Synodo permissus est Carolo. Multum hi duo egregij viri præstitêre apud Carolum in religione Christiana per Austrasiam & Saxoniam firmanda.

Id verò Concilium dum in æstatem protrahitur, obijt Francofurti

furti Fastrada Regina, quàm Carolus Moguntiam deportari humarique voluit in æde D. Albani. Cœperat jam eam Richolphus Archiepiscopus Caroli M. munificentia construere. Et Carolus, ut animæ conjugis etiam post mortem consuleret, multa prædia eidem Sacerdotum Collegio est delargitus.

Fastrada Regina Francofurti obijt, sepulta Moguntiæ. *Franc. annal. Serrarius.*

Justis funebribus persolutis, Carolus, quod Regis & militis erat, brevi luctum abrupit; ac nihil inter omnes regni Francici curas hostesque sollicitius habuit, quàm bellum Saxonicum, ad Christianæ religionis securitatem asserendam, vindicandamque gentis perfidiam, quæ ausa fuit veterem rebellionem resuscitare, tanquam bello Hunnico & Saracenico distractus Carolus sibi expetitam diu opportunitatem obtulisset ejiciendæ Christianæ religionis, & pristinæ libertatis recuperandæ. Quocirca Carolus bellum Hunnicum commisit Pipino filio, Saracenicum alijs ducibus, ipse præterea ingentem contraxit exercitum ex Austrasia, eumque, ut in magnis expeditionibus facere consuevit, bipartito divisit, alteram ipse partem per Thuringiam & Hassiam duxit, alteram Carolo filio egregio bellatori dedit; ut dum ipse ab Austro, filius ab occasu procederet, uterque concurreret intra Saxonum fines. Ac postquam Carolus filius Coloniæ copias transmisit, ingressusq; est Westfaliam, Rex cum suis festinatis itineribus, simul ad fines Westfaliæ constitit. Et jam Saxones transito Visurgi, adjunctisque ex Angaria & Westfalia rebellium copijs, cum valido exercitu processerant intra Paderbornensem diœcesim, castra metati in campo, quem vetus ac Paderbornensis Poëta Sinetfeldt, Annales Pithœi, Sinitfelde, Astronomus annalesq; hi, qui Eginardo tribuuntur, Sintfelt compellant, quod hodiedum nomen obtinet, ager nimirum frumentarius plano & vasto camporum spatio in diœcesi Paderbornensi, olim multis vicis ob fertilitatem loci excultus, ideoque Saxonum castris opportunior. Ac Saxones licet multitudini rebellium confiderent, paratiq; etiam ad prælium consisterent; ubi tamen Francorum vires didicêre, & duplici sese exercitu circumventos esse, nec via ad fugam pateret, abjectis pugnandi animis ac spe victoriæ, quam sibi antè jactanter polliciti erant, ultro se Carolo supplices dediderunt. Ita totus ille armatus Saxonum exercitus sine pugna, sine cujusquam sanguine turpi belli exitu in manus Francorum venit. Carolus primùm sibi obsides dari jussit, deinde fidem, nunquam se arma contra Francorum Reges sumpturos. Quibus præstitis, hærebant anxij conscientia scelerum, severitatemne Caroli, quam ad Alleram in demessis rebellium capitibus recordabantur, an clementiam experturi essent; sed passus est Carolus, quòd Christianam religionem sponderent, multiq; etiam ex his fortè Christiani essent, se in mitiorem partem flecti; ne tamen hoc rebellionis crimen extra omnem pœnam esset, clementiæ severitatem

Sintfelt campus in Paderbornensi diœcesi ubi Carolus Saxones fugat.

Saxones ultro se Carolo dedunt.

Carolus captivos Saxones dispergit per alias provincias.

Annal. Pithœan. & Fuldenses.

addidit, ac tertium quemque ex rebellium numero delectum exilij pœna mulctavit, & per Francici regni provincias procul à sedibus suis distribuit. Sanguini illorum parcitum, qui sine sanguine victi, & victoris cesserant in potestatem Regis : ceteri armis exuti : quisque aut in sedes domosq; suas remissi, aut militiæ Francicæ permixti ; ita omnis rebellionis nervus incisus. Postrema hæc Caroli victoria fuit adversus Saxones per Westfaliam, & præclara non minus quàm ceteræ, quæ multo sanguine & jactura nobilitatis Francicæ steterunt ; à quâ & religio Christiana quieta deinceps triumphavit, & Westfalia ita subacta fuit, ut nunquam ad arma ceteri rebellium rursum adspirare ausi fuerint ; tanquam Deus voluerit in eâ diœcesi hæc sacra bella finiri, ubi religio primùm Christiana cœperat. Tam illustre hoc Paderbornensium decus, ut vel eò etiam Ferdinandus Princeps & Episcopus Paderbornensis, in cujus diœcesi hæc trophæa sunt parta, inter monumenta suæ diœcesis ad posteritatis memoriam retulerit, eruditaq; Carminum inscriptione, & commentario loci reique gestæ decorarit. Monumentum hîc pro instituto scriptionis sistimus, Caroli gloriæ, quo ad licebit, æternitatis facem cum Francicis scriptoribus accensuri.

TROPÆA. CAROLI. M. FRANCORUM. REGIS

IN. CAMPO. SINTFELD

MEMORIÆ SACRVM.

NUNC. UBI. FERTILIBUS. LATE. FLAVESCIT. ARISTIS
TAM. CERERI. GRATUS. QUAM. SPATIOSUS. AGER
OLIM. CAMPUS. ERAT. QUO. PRÆLIA. SAXO. MINATUS
FRANCORUM. SIGNIS. OBVIA. SIGNA. TULIT
SED. VICTUS. CESSIT. TITULO. VICTORIA. DONAT
MOENIA. VICINO. CONSPICIENDA. JUGO
SI. MARATHON. PERSIS. NOMEN. FATALE. PEREMPTIS
MILTIADÆ. JACTAT. CLARA. TROPÆA. DUCIS
GLORIA. MAJOR. ERIT. CAROLI. QUI. PARCERE. VICTIS
MALUIT. HOSTILI. QUAM. JUGULARE. MANU

FERDINANDUS. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS
COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S.R.I. PRINCEPS. COMES
PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO
DE. FURSTENBERG.

CAROLO. M. FRANCORUM. REGI. SAXONIBUS. IN. CAMPO. SINTFELD. ANN
DCCXCIV. SUBACTIS. ET. TERTIA. EORUM PARTE. ALIO. TRADUCTA. DE
RELIGIONE. CHRISTIANA. ET. PUBLICA. TRANQUILLITATE
OPTIME. MERITO. M. H. P.

Partâ

Partâ tam insigni Victoriâ, quâ venisse & vicisse dixeris Carolum, exercitum è Westfaliâ per Rhenum reduxit in Franciam ad hiberna; ipse Aquisgranum concessit, ubi & hyems tota exacta inter Natalis Christi & Paschatis festos dies. Verùm, ut mihi facilè persuadeo, Carolus per reliquum Æstatis & Autumni non prius è Westfalia excesserit, quàm ex propinquitate loci invisserit Paderbornam; & quia neglectius Diœcesis Vicario opere, uti Auctor vitæ Meinwerci scribit, administrabatur, consilia agitârit cum Clero & Hildebaldo Colonienſi Archiepiscopo, supremo Palatij Sacellano, de proprio Episcopo imponendo, qui anno, ut referam, proximo præstitutus est Hathumarus. Quippe Megingaudus Herbipolensis Episcopus, cui Paderbornensis Diœcesis post excessum Burchardi commissa erat, hoc ipso anno ultro se Episcopatu abdicavit, senio & laboribus præfractus: & quia solitudinis & privatæ vitæ amans erat, Neostadium secessit ad culturam novi Cœnobij, subrogato in ejus locum Bernwolffo, qui hactenus, uti diximus, ex D. Burchardi voluntate Vicariam Paderbornensis Ecclesiæ præfecturam gesserat. Intimè is Hathumarum ex Herbipolensi collegio sibi notum conjunctumque habebat, ut ejus cumprimis commendatione Hathumarus in deliberationem electionemque Episcopi Paderbornensis venerit.

Carolus reducto ex Westfalia exercitu Aquisgrani hibernat. *Chron. MS. Herbip. Bruschius in Megingaudo Herbip. Episc.*

Carolus Paderborn. Ecclesiæ prospicit de certo Episcopo.



LIBER IX.

LIBER IX.

SAXONIÆ & WESTFALIÆ CHRISTIANÆ.

Annus Christi 795. Regni Francici 28. Longob. 22. Belli Saxonici 24. *Ann. Franc. Auctor. vitæ Caroli. Poëta anonymus.*

EXactâ Aquisgrani hyeme, Carolus duplici apparatu armorum Hunnicum & Saxonicum bellum susce-pit. Hunnicum Ducibus gerendum commisit; quod admirabili felicitate gestum ab Henrico Forojulien-sium Duce, quæ divina prorsus fuit providentia, quò securius Carolus Saxonico insisteret, quod ipse, cùm in eo majus momentum versaretur, ductu suo administravit. Et graves causæ suberant; nam præter superioris anni perfidiam, quam altè demise-rat in animum Carolus, nova conspiratione bellum ab Ostfalis, qui utramque ripam Albis incolebant, exarserat, eòque formidabilius, quòd vicinæ Sclavorum, Danorum, aliorumque Barbarorum exci-tæ gentes in societatem armorum coaluerant: & devictis ac quies-centibus Westfaliæ & Angariæ populis, novâ ab Aquilone belli nu-bes cogeretur, disjectura omnium superiorum annorum labores, & Christianæ religionis cœpta primordia. Eò Carolus maturè ex hi-bernis processit, sesèq; cum Aula Moguntiam contulit, ubi trajecto per pontem Rheno lustratus exercitus. Priùs tamen vernum totius Regni conventum pro more Francorum mense Majo habuit in villa Cusfestein, quæ nunc Costheim nomen retinet ex adversa Urbis Moguntinæ ripa. Magna istic sacrarum præsulum procerumq; fre-quentia; actumq; de bello Saxonico prosequendo. Soluto conven-tu, Carolus in Saxoniam movit cum exercitu, transgressusque Visur-gim omnem eam regionem populabundus peragravit, dum Barde-wicum perveniret in Lunenburgensium agrum; quo celebri in lo-co, ut ante decennium fecerat, castra posuit; quod istic Sclavorum proceres à se evocatos præstolaretur. Vix dum refecerat militem, cùm Regi nunciatur, Wiltzam Abrotritorum Regulum, Francis confœderatum, dum ad Carolum properat, Albimq; trajicit, ipso in flumine per insidias Saxonum ab utraq; ripâ dispositas interceptum interemptumque esse (Alij prælio cum Saxonibus commisso in vico Luine,

Carolus M. cum exercitu in Saxoniam movet adversus Ostfalos & Sclavos.

Moguntiæ Rhenum trajicit, habitâ tamen prius Synodo in Costheim.

Bardewicum venit.

Luine, qui nunc Lüne creditur haud procul Lunenburgo, cæsum perhibent) Atrox id facinus incendit Carolum, ut abruptâ omni morâ, spatioq; transigendi cum perfida gente, moveret in hosticum. Igitur interiorem Saxonum regionem ingressus, omnia spolijs, ferro, flammáq; evastavit. Ac ne ad rebellandum vires relinquerentur genti, cæsa triginta millia Saxonum, armis ferendis maturorum: seu prælio illi congressi, seu ut belli casus obtulit, in hanc cruentam mortis scenam venerint. Carolus victor circumlato terrore castra ad Albis ripam posuit, ubi Regem convenerunt Legati è Pannoniâ missi, pacis fœdera sollicitaturi; interque eos Thudum Hunnorum Regulus se cum subjectis sibi populis ad Christi religionem accipiendam obtulit. Quibus expeditis, evocati Ostfalorum primores ad conventum: icta rursum pacis fœdera, jurata fides, datique obsides. Interque hæc nihil impensius habuit Carolus, quàm ut in fidem, quam antè dederant, suscipiendi Christianam religionem, arctius adstringeret, Ostfalosque haud secus quàm Westfalos & Angarios Christianæ legi ex integro submitteret; quòd unicum hoc vinculum intelligeret, quo refrenati mitigatique in quiete, & in uno Franciæ Regno continerentur; quando nulla res multitudinem mortaliumque animos efficacius regit, quàm vera religio.

Saxonum cædes xxx millium.

Ostfali in gratiam & fidem recepti.

Compressis in hunc modum Ostfalis, Carolus cum exercitu regressus est ad Rhenum. Neq; dubium fecero, quin transito Visurgi Paderbornam priùs inviserit, inspectoque ejus loci statu, opportunè sacris consuluerit. Nam hoc anno Paderbornensi Ecclesiæ primum propriumque Episcopum impositum esse certa apud nos fides est, non tam ex Crantzio, Gobelino & Bruschio, qui hunc annum manifestè consignant; quàm ex auctore vitæ S. Meinwerci multò antiquiore; verba ejus adscribo: *Cùm autem noviter*, inquit ille, *factæ conversionis messis multa, novellæ verò plantationis operarii essent pauci, locum eundem tuitioni Præsulum Wirciburgensis Ecclesiæ commisit, sub quorum regimine status ipsius nec profecit, nec longa viæ intercapedine, publicaque variorum negotiorum necessitudine, proficere potuit. Unde Rex cum suis habito et inito consilio, eundem locum proprii Pastoris vigilantia tuendum et gubernandum adjudicavit: præposuitque ei anno, Salvator mundi postquam de virgine nasci dignatus est, septingentesimo nonagesimo quinto, præfatæ Wirciburgensis Ecclesiæ Canonicum, rus rudis in fide adhuc populi exculturum Hathumarum.* Planiùs hæc in veteri Chronico Franconiæ consignantur; ita enim illud: *Anno 795 regio, quæ circa Paderbornam extenditur, quæque antè ab Episcopis Wirtzenburgensibus administrabatur, in peculiarem Episcopatum est ordinata, ac primus propriusq; eius diœcesis Episcopus constitutus est Hathumarus ex Clero Wirtzenburgensi.* Atq; hæc quantumvis certa teneamus tot scriptorum testimonio, obsistit tamen scriptor vitæ D. Liborij ceteris vetustior, idemque Saxo & Pader-

Hathumarus quo anno Paderbornensi Ecclesiæ I Episcopus impositus sit.

Paderbornensis Ecclesiæ Sacerdos, Bisone quarto Episcopo (quod & à Baronio observatum) videturque Hathumari initia episcopatûs longè infra reijcere, ita enim ille : *Hathumarus ex præcepto Principis primus et Paderbornensis Ecclesiæ ordinatus Episcopus. Post cujus ordinationem paucis annis transactis, idem glorioſissimus Princeps ab hac luce migravit.* Obijt verò Carolus anno Christi 814. Et si paucis ante hunc obitûs annum Hathumarus est ordinatus Episcopus, ægre ad annum 795, de quo agimus, ejus initia episcopatûs referri poterunt. Verùm hic auctor de anno ordinationis, quo Episcopus consecratus est, hic agit. Nec enim infrequens, primos Saxoniæ Episcopos primùm cum regendi docendique munere imponi, ac pòst consecrari Episcopos; quemadmodum in D. Willehado & Ludgero compertum est. Neque verisimile ulli videri potest, Paderbornensem Ecclesiam ad ultimos Caroli vitæ annos sine proprio Episcopo relictam fuisse, cùm jam ceteræ Diœceses suos Episcopos haberent : & Bernulphus, qui hactenus Vicario munere Paderbornensem Episcopatum administrârat, superiori anno ad Herbipolensem Episcopatum provectus sit; ut vel inde vacuæ sedi de suo Episcopo prospiciendum fuerit. Oblatus igitur ad id munus ex eodem Herbipolensi collegio canonicus Hathumarus, gente Saxo, atque unus ex nobilium atque obsidum numero, qui sub initia belli Saxonici Carolo dati in fidem. Et Carolus postquam præclaram adolescentis indolem non incuriosè observasset, unà cum Badurado atque alijs, quos obsides accepit adolescentes D. Burchardo Herbipolensium Episcopo in disciplinam tradidit, à quo primùm Christianis literis & moribus excultus, deinde in Clerum adscitus est. Inde Hathumarus in vigesimum annum omnium virtutum commendatione ita se probavit, ut Carolus eum præ ceteris, ex consilio & auctoritate reliquorum Episcoporum, Paderbornensi Ecclesiæ præficeret. Gessit exinde Hathumarus Episcopatum præclarâ sanctitatis famâ; quippe quem vetustus translationis D. Liborij scriptor *virum in omni virtutum genere perfectum compellat*, quique Diœcesin primùm in religione Christiana formârit, populumque omnem à gentilium superstitione ad Christi fidem perduxerit : structis ubique templis, ordinatis Parochijs, & impositis Sacerdotibus, qui plebi Sacramenta administrarent. Demum quoad vixit, Carolo semper carus, eidemque etiam ad annum 815 superstes, in hac vinea sua excolenda desudavit; uti hæc in ipso Hathumaro prolixius docebimus.

Bruschius in Episc. Herbip. Chron. MS. Herbipo.

Fine hujus anni, quàm læta Carolus Christi natalitia Aquisgrani habuit, tam tristi excessu mors Romæ Hadrianum Pontificem VII Calend. Januarij subtraxit (postquam annos XXIII, menses X, dies XVII Pontificatum gesserat) virum sanctimoniâ vitæ, sapientia & felicitate gubernationis prorsus admirabilem; quem Carolus sibi à

primo

primo statim anno belli Saxonici, quo delectus est Pontifex, ac deinde per viginti tres annos conjunctissimum, Saxoniæque ad Christi religionem perducendæ hortatorem adjutoremq; fidelissimum habuit. Postquam mortis nuncium perlatum ad Carolum, multis ille lacrymis Pontificem prosecutus est. Tantus inter supremos Ecclesiæ moderatores amor erat. Nam in hunc modum Eginardus, certus ex ipsâ Caroli aula scriptor: *Nunciato Hadriani Pontificis obitu, quem amicum præcipuum habebat, sic flevit, ac si fratrem aut carissimum filium amisisset.* Præclarum hujus mutui amoris argumentum, vetus Epitaphium, ab ipso Carolo M. compositum, quod Romæ in Hadriani tumulo incisum legitur. *Tomo 13. Concil. Pariss. in vita Hadriani Pp.*

Hic pater ecclesiæ, Romæ decus, inclytus auctor,
Hadrianus requiem, Papa beatus habet.
Vir cui vita Deus, pietas lex, gloria Christus,
Pastor apostolicus promptus ad omne bonum.
Nobilis ex magna genitus jam gente parentum,
Sed sacris longè nobilior meritis,
Exornare studens devoto pectore Pastor
Semper ubique suo templa sacrata Deo.
Ecclesias donis, populos et dogmate sancto
Imbuit, et cunctis pandit ad astra viam.
Pauperibus largus, nulli pietate secundus,
Et pro plebe sacris pervigil in precibus.
Doctrinis, opibus, muris erexerat arces,
Urbs caput orbis honor inclyta Roma, tuas.
Mors cui nil nocuit, Christi quæ morte perempta est,
Janua sed vitæ mox melioris erat.
Post patrem lacrymans Carolus hæc carmina scripsi,
Tu mihi dulcis amor, te modo plango pater.
Tu memor esto mei, sequitur te mens mea semper,
Cum Christo teneas regna beata poli.
Te Clerus, populus magno dilexit amore,
Omnibus unus amor, optime præsul, eras.
Nomina jungo simul titulis, Clarissime, nostra
Hadrianus Carolus: rex ego, tuque pater.
Quisque legas versus, devoto pectore supplex
Amborum mitis dic miserere Deus.
Hæc tua tunc teneat requies, carissime, membra,
Cum sanctis anima gaudeat alma Dei.
Ultima quippe tuas donec tuba clamet in aures,
Principe cum Petro surge videre Deum.
Auditurus eris vocem, scio, judicis almam,
Intra nunc Domini gaudia magna tui.

Tum memor esto tui nati, pater optime, posco,
Cum patre dic natus pergat et iste meus.
O pete regna pater felix cœlestia Christi,
Inde tuum precibus auxiliare gregem.
Dum sol ignicomo rutilus splendescit ab axe,
Laus tua, sancte pater, semper in orbe manet.

Baron ad an. 795. Malmesbur: Ann. Franc. Ado.

Supra luctum Carolus etiam per universam Franciam preces & sacrificia indixit, in hanc quoque rem largam inter pauperer pecuniam dilargitus, quò Hadrianæ animæ subveniret; quod & per Angliam adeo scriptis ad Merciorum Regem literis fieri expetijt. Id quod Caroli obtrectatores & novarum religionum magistros advertere velim, quibus hodiedum nullus pudor est scribere Carolum non eo ritu, quo par est, Romanam religionem coluisse. Hoc potius secum reputent, si quanta Carolus observantia Romanos Pontifices coluit, tantam illi suis per Saxoniam Principibus populoque impressissent, nunquam hæresis Saxoniam à Romana Ecclesia abrupisset. Hadriano eodem, quo defunctus est, die, subrogatus una omnium consensione Leo Pontifex, vir, ut Anastasius scripsit, castus, facundus, & constans, interque cetera virtutum ornamenta, præclarus ac ferventissimus ad populum orator. Is quò Carolum sibi haud secus quàm Hadrianus devinciret, misit legatos ad Regem, & cum eis rara munera, claves S. Petri, vexillumque urbis Romanæ, quem & Carolus inde non minus quàm Hadrianum veneratus est.

An. Christi 796. Regni Franc. 29. Longobard. 23. Belli Saxonici 25. *Eginard. in vita Caroli. Beka in Aquisgr. Turckius in Ann. MSS.*

Anno, qui sequitur, seculi hujus nonagesimo sexto, Carolus ex bello Saxonico, rebusque sacris per Westfaliam rite dispositis, Aquisgranum ad hiberna discessit: quem locum exinde, ut superioribus annis cœperat, per reliquum vitæ tempus aulæ sedem delegit: invitatus amœnitate camporum, salubritate thermarum, & opportunitate regionis; ex qua Austrasiam, totumque Franciæ Regnum administraret, & propior etiam Rheno Saxoniæ oculos atque arma intenderet. Eò Aquisgranum novo Palatio & Basilicâ, quam ceteris præstare voluit, magnificè, inter orbis adeo miracula, excoluit; uti hæc Francorum annales, & scriptores ejus loci multis tradiderunt. Ibi dum hoc anno Natalem Christi diem & Pascha frequentat, Leo novus Pontifex Carolo tanquam Ecclesiæ defensori mittit per legatos claves S. Petri, & vexillum urbis Romanæ, multaq; ejusmodi munera, quibus Francorum Reges honorare mos erat: uti à Gregorio Pontifice claves sepulchri S. Petri antea oblatæ, & à Patriarcha Hierosolymitano claves locorum sanctorum postea dono transmissæ Carolo M. Et quia sub id tempus Henricus Dux Forojulienſis victor ex Pannonia redierat, ingentemque secum thesaurum ex spoliata Hunnorum Regiâ arce secum detulerat, transmiseratque Carolo Aquisgranum per Engelbertum Abbatem, Carolus magnam ex his partem

Munera à Leone Pontif. Carolo transmissa. *Ann. Franc. Adelm. Astron. Auctor. vitæ Caroli. Poëta Anon. Ado.*

partem Leoni Pontifici obtulit: ceteris ex hoc thesauro inter optimates, Clericos, & Monachos ejusdem liberalitate distributis.

Jam & vernum tempus accesserat, quo excito ex hibernis milite, tubisque sonantibus ad bellum omnia parabantur. Quam in rem Carolus Pipinum filium ex Italia, & Ludovicum ex Aquitania ad se Aquisgranum evocavit. Sed priùs pro instituto Francorum Regum comitia verna in vico Fremesheim ad Rheni ripam magnâ procerum frequentiâ sunt habita, agitataq; consilia de utroque bello Hunnico & Saxonico. Soluto conventu, Pipinus ad Hunnicum bellum cum supremo imperio remissus. Saxonicum Carolus suscepit, in quo & Ludovicum filium sibi adesse voluit; quem ante quinquennium florente ætate juvenem Ratisbonæ ense accinxerat, atque inde bello Hispanico contra Saracenos præfecerat. Adeo Carolus filios à primâ ætate armis insuescere voluit, secus quàm modò multorum Principum mollities ferre potest. Et Carolus cum instructissimo exercitu Rhenum & Visurgim transgressus, Saxoniam populando peragravit, omnemque æstatem in his regionibus consumpsit, dum ad Missam S. Martini cum Ludovico filio ad hiberna rediret. Cetera, quæ à Carolo gesta sunt (cùm minimè otiosam hanc expeditionem sibi facilè quispiam persuaserit) Francorum annalium scriptores pro jejunâ scribendi ratione intermisêre; quantum tamen æstimare fas est, Carolus in prospiciendis firmandisq; Episcoporum diœcesibus maximè occupatus fuit; creditur que hoc anno ad confluentes Salæ & Leinæ Episcopatum Hildesiensem fundasse (in vico, qui à Caroli aulâ istic commorante pòst Aulica dictus) ac primum ejus loci Episcopum Guntherum, virum pietate, doctrina & fervore religionis præstantem, populis illis Orientalis Saxoniæ præfeciisse. Sedem hanc Episcopi pòst Ludovicus pius, hujus expeditionis comes, Hildesium transtulit. Et magna hujus diœcesis condendæ necessitas oblata Carolo; quando intra Albim & Visurgim in eâ vastissimâ Ostfaliæ regione nullus Episcopus præter Halberstadiensem; & victor jam Rex eas provincias non minus, quàm ceteras, Christianæ religioni subjecerat, multis rebellium capitibus aut fugatis, aut in alias regiones deportatis; uti de Saxonibus testatur Bonfinius, rerum Hungaricarum non indiligens scriptor; qui, ut Saxonum devictorum vires honestiùs extenuarentur, refert à Carolo circa hoc tempus in Daciam, Pannoniam, aliasque regiones Saxonici populi Colonias traductas. Quanquam Crantzius Arnulpho Cæsare, Moravorum illo domitore, id factum velit: & Reineccius ac Rhenanus omnino improbent. Sed levioris fere momenti sunt, quæ hi adducunt, ut magis Bonfinio hærendum sit. Nisi magis opinari libeat, Saxones ultro, pro sueta gentium migratione, cum Caroli armis urgerentur, eò sedes transtulisse; quòd Carolus captivos ac rebelles Saxonum per Christianorum

Vita Ludovici Pij. Carolus bellum Hunnicũ Pipino filio committit, Saxonicum ipse sumit.

Guntherus primus Hildesiensium Episcopus hoc anno datus.

Crantzius lib. 1. Metrop. c. 10. Cleinsorg ad hunc annũ Turkius in MSS. Bonfin. rerum Hungar. dec. 4. lib. 9. Saxones in Daciã traducti.

Crantzius lib. 2. Metrop. c. 23.

An. Christi 797. Regni Francici 30. Longobard. 24. Belli Saxonici 26.

rum provincias differre soleret : uti id annales Francorum prodiderunt.

Anno jam in hyemem vergente, Carolus ad medium Novembris ex Saxonia demum reversus, ad Palatium Aquisgranense unâ cum Ludovico filio concessit; quò & Pipinus filius, bello Hunnico feliciter gesto, Hunnisque ad Tizam fluvium profligatis, cum ingenti præda gazaque totius Regni direpta ad patrem venit. Lubet hìc referre, quæ Eginardus hac superre in vita Caroli scripsit : *Tota in hoc bello Hunnorum nobilitas periit, tota gloria decidit : Omnis pecunia, et congesti ex longo tempore thesauri direpti sunt. Neque ullum bellum contra Francos exortum humana potest memoria recordari, quo illi* magis ditati & opibus aucti sint. Quippe cùm usque in id temporis penè pauperes viderentur, tantum auri & argenti in regia repertum, tot spolia pretiosa in prælijs sublata, ut merito credi posset hoc Francos *Hunnis justè eripuisse, quod Hunni prius alijs gentibus injustè eripuerunt.* Opes hæ cùm inter Palatinos distributæ, tum maximè Ecclesijs, cumprimisque Romanæ & Aquisgranensi, donatæ sunt à Carolo. Advenit per id tempus cum Pipino ex Pannonia Thudum Hunnorum Princeps, admissusque ad Carolum petijt fonte Baptismatis ablui. Nec mora, cum omni satellitio Christiano ritu ablutus est. At Barbarus pro fallaci gentis ingenio haud diu constans, fidem Deo & Carolo fefellit; at non impune; captus enim non multò pòst in prælio, oculis & digitis mulctatus, perfidiæ pœnas dedit.

Spolia & Thesauri ex bello Hunnico.

Refero ad hunc annum, qui Francici simul regni xxx, & Longobardorum xxii adscribitur, Caroli M. leges Aquisgrani pro partibus Saxoniæ præscriptas, & à Ferdinando Principe & Paderbornensi Episcopo è Vaticana bibliotheca primùm in lucem datas, quarum hoc Caroli proloquium : *Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi* DCCXCVII *et* [a] XXX *ac* [b] XXII. *regnante Domino Carolo præcellentissimo Rege, convenientibus in unum Aquis palatio in ejus obsequio venerabilibus Episcopis et Abbatibus, seu illustris viris Comitibus* v. *Kal. Novemb. simulque congregatis Saxonibus de diversis pagis tam de VVestfalahis et Angrivariis, quam et de Ostfalahis, omnes unanimiter consenserunt et aptificaverunt, ut de illis capitulis, pro quibus Franci, si Regis bannum transgressi sunt, solidos* LX. *componant, similiter Saxones solvent, si alicubi contra ipsos bannos fecerint.* Ex hoc Caroli proœmio satis liquet Saxonicæ gentis in Westfalos, Angarios & Ostfalos divisio; Saxonesque haud secus quàm cæteros Francici Regni populos pro imperio Regis ad commune Regni bellum ijsse. Nam bannire Francis est Edicto evocare militem; ac bannum primariò denunciationem edictumque sonat; deinde mulctam non obtemperantis; perinde ut Heribannum pœnam ejus, qui ad exercitum ire neglexit. Leges verò in hunc modum habent : *Ut Ecclesiæ, viduæ, Orfani, et minus potentes justam et quietam*

Leges Caroli pro partibus Saxoniæ.

[a] xxx *est Regni Franc.* [b] & xxii, *qui* xxiv *scribi debuit, est Regn. Longobardici.*

Turon. append. c 87. Leg. Rip. tit. 67. Capit. lib. 3. c. 69. Hincm. epist 4. c. 15. Capit. lib. 4. c. 24.

pacem

pacem habeant; et ut raptum, et fortiam, nec incendium infra patriam quis facere audeat præsumptivè, et de exercitu nullus super Bannum Domini Regis remanere præsumat. Si quis supradicta VIII Capitula transgressus fuerit, omnes statuerunt et aptificaverunt, ut Saxones similiter sicut et Franci LX. solidos componant.

Malinsque in locis. Bignon in not. ad lib 1. Marculph. Lindeb. in gloss.

Item placuit omnibus Saxonibus, ut ubicunque Franci secundum legem Sol. XII. solvere debent, ibi nobiliores Saxones Sol. XII. ingenui V. luti IV. componant.

Werigildã Werigeldã Sal. c 1 § 7. unum Alem. tit. 45.

Hoc etiam statuerunt, ut qualiscunque causa infra patriam cum propriis vicinantibus pacificata fuerit, ibi solito more ipsi pagenses Sol. XII. pro districtione recipiant, et pro Wargilda, quæ juxta consuetudinem eorum solebant facere, hoc concessum habeant. Si autem in præsentia missorum regalium causæ definitæ fuerint, pro jam dicta Wargilda suprascriptos Sol. XII. ipsi pagenses habeant concessos: et pro hoc quia missus regalis ex hac re fatigatus fuerit, alios XII. Sol. inde recipiat ad partem Regis. Si autem ipsa causa ad palatium in præsentia Regis ad definiendum fuerit perducta, tunc utrique solidi XII. id est pro Wargilda et quod vicinis debuit componere, eo quod infra patriam definita ratio non fuerit, ad partem Regis faciant componere quod sint solidi XXIV. Nam si fuerit aliquis qui in patria, juxta quod sui convicini judicaverint, seque pacificare noluerit, et ad palatium pro hujus rei causa venerit, et ibi ei fuerit judicatum, quod justum judicium judicassent, in primâ vice, ut supra dictum est. sol. XXIV. ad partem Regis componat. Et si tunc inde rediens se pacificare et justitiam facere renuerit, et iterum pro ista causa ad palatium fuerit convocatus et dejudicatus, bis XXIV. solidos componat. Si verò necdum correptus tertia vice pro eadem re ad palatium remcaverit, triplam compositionem exinde faciat ad partem Regis.

Werigeldã novẽ Alem. tit. 49. Werigildus L. Bojar. tit. 7. c. 1. §. 1. Ripuar tit. 36. 46. 63. L. Saxon. tit. 2 Frisi. tit. 1. Widrigild L. Longob. tit. 1. ac sæpe in his legibus. Pappas & Glossa Wirdgild secundum quod appretiatum fuerit. Pœnit. Rom. tit 4. Pretium sum id est, Wirigildum suum. LL. Edoard. Regis. Were sunum, id est, pretium sã redemptionis Evva Lex. L. Longob. Leg. 9 in add. secundum legem & Evva. Alem tit. 6. Bojor. § 11. inde Evvarte Sacerdos. Otfrid. Evang l. 1. c. 4. Unde Germani Die Ehe Conjugij Item fœdus.

Si quis de nobilioribus ad placitum mannitus venire contempserit, Sol. IV. componat, ingenui. II. Citi I.

De presbyteris statuerunt, quod si aliquid eis, aut eorum hominibus quis contrarium facere, aut tollere præsumpserit contra justitiam, omnia in duplum restituat ei et componat.

De missis regis statuerunt, ut si ab eis aliquis interfectus evenerit, in triplum eum componere debeat, qui hoc facere præsumpserit. Similiter quicquid aut eorum omnibus factum fuerit, omnia tripliciter faciant restaurare, et secundum eorum evva componere.

De incendio convenit, quod nullus infra patriam præsumat facere propter iram, aut inimicitiam, aut qualibet malevolâ cupiditate: excepto, si talis fuerit rebellis, qui justitiam facere noluerit, et aliter districtus esse non poterit, et ad nos, ut in præsentia nostra justitiam reddat, venire despexerit, condicto commune placito simul ipsi pagenses veniant, et si unanimiter consenserint pro districtione illius casa incendatur: tunc de ipso placito commune consilio facto secundum eorum evva fiat per actum, et non pro qualibet iracundia aut malevola intentione, nisi pro districtione nostrâ. Si aliter facere ausus fuerit, sicut superius dictum est, Sol. LX. componat.

Faida quod est inimicitia Lege Saxon tit. 2 §. 5.

Item placuit, ut quandoquidem voluerit domnus Rex propter pacem et faidam, et propter majores causas bannum fortiorem statuere, una cum consensu Francorum et fidelium Saxonum secundum quod ei placuerit, juxta quod causa exigit, et opportunitas fuerit, Solid. LX. *multiplicare in duplum, et Sol,* C. *sive usque ad mille componere faciat, qui ejus mandatum transgressus fuerit.*

De malefactoribus, qui vitæ periculum secundum evva Saxonum incurrere debent, placuit omnibus, ut qualiscunq; ex ipsis ad regiam potestatem confugium fecerit, aut in illius sit potestate utrum interficiendum illis reddat, aut una cum consensu eorum habeat licentiam ipsum malefactorem cum uxore et familia, et omnia sua foris patriam infra sua regna, aut in marca, ubi sua fuerit voluntas, collocare, et habeant ipsum quasi mortuum.

Illud notandum est quales debent solidi esse Saxonum: id est bovem annoticum utriusque sexus autumnali tempore, sicut in stabulum mittitur pro uno solido: Similiter et vernum tempus quando de stabulo exijt, et deinceps quantum ætatem auxerit, tantum in pretio crescat. De annona vero bortrinis pro Sol. I. *Scapilos* XL *donant, et de Sigale* XX *Septentrionales autem pro solido Scapilos* XXX. *dent, et Sigale* XV, *Mel vero pro solido bortrensi Siglæ* I. *et medio donant: Septentrionales autem duos Siclos de melle pro uno solidō donent. Item hordeum mundum sicut et Sigale pro uno solido donent. In argento* XII. *denarios solidum faciant; et in alijs speciebus ad istud pretium omnes æstimationes compositionis sunt.*

Produxit & alias leges pro Saxoniæ partibus, à Carolo M. sanctas, Ferdinandus Princeps Romæ ex vaticana bibliotheca, indicio Lucæ Holstenij; quæ etsi nullum certi anni vestigium præferant, nec satis constet, utrumne Rex an Imperator præscripserit, lubet tamen his legibus, quibus affines sunt, subjungere.

Primùm de majoribus capitulis hoc placuit omnibus, ut Ecclesiæ Christi, quæ modò construuntur in Saxonia, et Deo sacratæ sunt, non minorem habeant honorem, sed majorem et excellentiorem, quàm fana habuissent idolorum.

I. Cap. Si quis confugium fecerit in Ecclesiam, nullus eum de Ecclesia per violentiam expellere præsumat, sed pacem habeat, usque dum ad placitum præsentetur; et propter honorem Dei, sanctorumque Ecclesiæ ipsius reverentiam, concedatur ei vita et omnia membra etc.

II. Si quis Ecclesiam per violentiam intraverit, et in ea per vim vel furtum aliquid abstulerit, vel ipsam Ecclesiam igne cremaverit, morte moriatur.

III. Si quis sanctum quadragesimale jejunium pro despectu Christianitatis contempserit, et carnem comederit, morte moriatur. Sed tamen consideretur à Sacerdote, ne fortè causa necessitatis hoc cuilibet proveniat, ut carnem comedat.

IV. Si quis Episcopum aut presbyterum, sive diaconum interfecerit, similiter capite punietur.

V. Si quis à Diabolo deceptus crediderit, secundum morem paganorum virum aliquem aut fœminam strigam esse, et homines comedere, et propter

hoc

hoc ipsam incenderit, vel carnem ejus ad comedendum dederit, vel ipsam comederit, capitis sententia punietur.

VI. Si quis corpus defuncti hominis secundum ritum paganorum flamma consumi fecerit, et ossa ejus ad cinerem redegerit, capite punietur.

VII. Si quis deinceps in gente Saxonum inter eos latens non baptizatus se abscondere voluerit, et ad baptismum venire contempserit, paganusq; permanere voluerit, morte moriatur.

VIII. Si quis hominem diabolo sacrificaverit, et in hostiam more paganorum dæmonibus obtulerit, morte moriatur.

IX. Si quis cum paganis consilium adversus Christianos inierit, vel cum illis in adversitate Christianorum perdurare voluerit, morte moriatur: et quicunque hoc idem fraude contra regem, vel gentem Christianorum consenserit, morte moriatur.

X. Si quis domino regi infidelis apparuerit capitali sententia punietur,

XI. Si quis filiam domini sui rapuerit, morte moriatur.

XII. Si quis dominum suum vel dominam suam interfecerit, simili modo punietur.

XIII. Si quis verò pro his mortalibus criminibus latenter commissis sponte ad Sacerdotem confugerit, et confessione datâ agere pœnitentiam voluerit, testimonium Sacerdotis de morte excuset.

XIV. De minoribus capitulis consenserunt omnes, ad unam quamque Ecclesiam curtem et duos mansos terræ pagenses ad Ecclesiam recurrentes condonent. Et inter centum viginti homines nobiles et ingenuos, similiter et litos, servum et ancillam eidem Ecclesiæ tribuant.

XV. Et hoc Christo propitio placuit, ut undecunque census aliquid ad fiscum pervenerit, sive in frido, sive in qualicunque banno, et in omni redibutione ad regem pertinens, decima pars Ecclesiis et Sacerdotibus reddatur.

XVI. Similiter secundum Dei mandatum præcipimus, ut omnes decimam partem substantiæ et laboris sui Ecclesijs et Sacerdotibus donent, tam nobiles quàm ingenui similiter et liti: juxta quod Deus unicuique dederit Christiano partem Deo reddant.

XVII. Ut in Dominicis diebus conventus et placita publica non faciant, nisi fortè pro magna necessitate, aut hostilitate cogente; sed omnes ad Ecclesiam recurrant ad audiendum verbum Dei; et orationibus vel justis operibus vacent. Similiter et in festivitatibus præclaris Deo et Ecclesiæ conventui deserviant, et sæcularia placita dimittant.

XVIII. Similiter placuit his decretis inserere, quod omnes infantes infra annum baptizentur. Et hoc statuimus, ut si quis infantem intra circulum anni ad baptismum offerre contempserit, sine consilio vel licentiâ Sacerdotis, si de nobili genere fuit, CXX. sol. fisco componat, si ingenuus LX. si litus XXX.

XIX. Si quis prohibitum vel illicitum conjugium sibi sortitus fuerit, si nobilis sol. LX. si ingenuus XXX. si litus XV.

XX. Si quis ad fontes, aut arbores, vel lucos votum fecerit, aut aliquid more

more gentilium obtulerit, et ad honorem dæmonum comederit, si nobilis fuerit sol. LX: si ingenuus XXX. si litus XV. Si verò non habuerint unde præsentialiter persolvant, ad Ecclesiæ servitium donentur, usque dum ipsi solidi solvuntur.

XXI. Jubemus ut corpora Christianorum Saxonum ad coemeteria Ecclesiæ deferantur, et non ad tumulos paganorum.

XXII. Divinos et sortilegos Ecclesiis et Sacerdotibus dare constituimus.

XXIII. De latronibus et malefactoribus, qui de uno comitatu ad alium confugium fecerint, si quis eos receperit in sua potestate, et VII. noctibus secum detinuerit, nisi ad præsentandum, nostrum bannum solvat. Similiter si comes eum absconderit, et ad justitiam faciendam præsentare noluerit, et ad hoc excusare non potest, honorem suum perdat.

XXIV. De pignore, ut nullatenus alterum aliquis pignorare præsumat; et qui hoc fecerit, bannum persolvat.

XXV. Ut nulli hominum contradicere viam ad nos veniendo pro justitia reclamandi aliquis præsumat; et si hoc aliquis facere conaverit, nostrum bannum persolvat.

XXVI. Si quis homo fidejussorem invenire non potuerit, res illius in forbanno mittantur, usque dum fidejussorem præsentet. Si verò super bannum in domum suam intrare præsumpserit, aut sol. X. aut unum bovem pro emendatione ipsius banni componat; et insuper unde debitor exstitit, persolvat. Si verò fidejussor diem statutum non observaverit, tunc ipse tantum damni incurrat, quantum manus sua fidejussoris exstitit. Ille autem, qui debitor fidejussori exstitit, duplum restituat pro eo, quod fidejussorem in damnum cadere permisit.

XXVII. De præmijs et muneribus, ut munera super innocentem nullus accipiat: et si quis hoc facere præsumpserit, nostrum bannum solvat. Et si, quod absit, forte comes hoc fecerit, honorem suum perdat.

XXVIII. Ut universi comites pacem et concordiam ad invicem habere studeant. Et si fortè inter eos aliqua discordia aut conturbium ortum fuerit, ut nostrum solatium vel perfectum pro hoc non demittant.

XXVIIII. Si quis Comitem interfecerit, vel de ejus morte consilium dederit, hæreditas illius ad partem regis eveniat, et in jus ejus redigatur.

XXX. Dedimus potestatem comitibus bannum mittere infra suo ministerio de faida vel majoribus causis in sol. LX. de minoribus verò causis comitis bannum in sold. XII. constituimus.

XXXI. Si cuilibet homini sacramentum debet, aframeat illum ad Ecclesiam Sacramento ad diem statutum; et si jurare contempserit, fidem faciat, et sol. XV. componat, qui inactivus apparuit, et deinceps causam pleniter emendare faciat.

XXXII. De perjuris secundum legem Saxonum sit.

XXXIII. Interdiximus ut omnes Saxones generaliter conventus publicos nec faciant, nisi fortè Missus noster de verbo nostro eos congregare fecerit. Sed unusquisque comes in suo ministerio placita et justitias faciat, et hoc à sacerdotibus consideretur, ne aliter faciat.

Hyeme

Hyeme rursum apud Aquisgranenses exactâ, inter lætos Natalitiorum Christi & Paschatis dies, ac verno jam tempore adspirante, Carolus nil nisi bellum spirabat, Hunnis in Pannonia, Saracenis in Hispaniâ, & Saxonibus in suis provincijs inferendum. Ac priusquam ipse in Saxoniam moveret, accessit Aquisgrani Carolum Zatus Saracenorum Regulus, qui captam à se Barcinonem urbem in limite Hispaniæ Regis denuo potestati submisit. Non his acquiescens Carolus, ampliora etiam animo complexus, Ludovicum filium cum exercitu in Hispaniam ire jubet, ad Oscam civitatem obsidendam. Atque is Hispaniam ingressus Jlerdam expugnat, multisque exinde rebus præclarè gestis, eum se tum juvenis probavit, in quem, ceteris pòst filijs amissis, Carolus imperatoria regna & imperium transferret: Pipino interim Italiam & bellum Hunnicum administrante. Tertium quem Rex habebat filium ceteris natu grandiorem, ex nomine suo Carolum, paternæque quàm maximè virtutis & gloriæ æmulum, sibi fere à latere bellique Saxonici adjutorem adesse voluit, aut certè Austrasiam ceteramq; Franciam se absente moderari. Omnes verò à primâ ætate per omnem vitam bellicis exerceri voluit, tot regnorum, quot liberorum munimenta post se relicturus. Et jam anni tempus processerat in ver, cùm Carolus, traducto per Rhenum exercitu, in Saxoniam movit, superatoque Visurgi interiorem Saxoniam ingressus est, ubi rebellium motus recruduerant, attractis ex Aquilone in conspirationem vicinis barbarorum nationibus; nec prius destitit vastando percurrendoque invia paludum & saltuum, quàm ad Haderios atque ultimos usque fines, qua regio Albim inter & Visurgim Oceano abluitur, penetraret. Repentina hac Caroli expeditione tota gens earum regionum in deditionem accepta, ea lege, ut Carolo se submitterent, atque obsides etiam ad fidei stabilimentum darent. Magno id lucro belli factum, ne rebellium factio per novam audaciam adolesceret, & rem Christianam per Bremensem diœcesin & Frisiam interturbaret. At medio armorum procursu Carolus revocatus Aquisgranum ad legatos exterarum gentium audiendos, qui istic Caroli adventum præstolabantur, interque eos Abdella Saracenus, filius Ibinmaugæ Regis, à fratre è Mauritania depulsus, opemque Caroli implorans. Aderat & Theoctistus, Nicetæ patritij, Siciliam administrantis legatus, cum literis sui Imperatoris.

Annal. Franc.

Carolus per Rhenum in Saxoniã movet, & Visurgim transit. *Auctor vitæ Caroli.* Interiora Saxoniæ penetrat.

Carolus ad hibernandum Aquisgrano in Saxoniam transit. *Adelmus. Astronym. Auctor vitæ Caroli. Poët. Anonym.*

Expeditis Aquisgrani legatis, Carolus medio Novembri cum copijs in Saxoniam hibernandi animo redijt, nec aliam ob causam, quàm ut bellum Saxonicum tandem conficeret. Adeo hæc nova Saxonum rebellio non modò Orientales sed & Occidentales afflaverat. Igitur castra ad Visurgim posita eo loco, quem postea Heristallum dixere, intra Paderbornensem diœcesin ad fines Hassiæ, supraq; Huxtariam & Brunsbergam tribus horis. Mons istic abruptus, qui

Carolus Heristalli ad Visurgim hibernat.

Visurgi imminet : in edito montis jugo castellum, seu Saxonibus olim ademptum cum ceteris munimentis, seu à Carolo structum præmunitumque; nam à primis belli initijs istic perfugium Christianis Sacerdotibus,& quandoque etiam Episcopi sedes eo in castro collocata, uti id plerique tradiderunt, tum vel maximè, *cùm ob incolarum perfidiam, et odium in Christianam religionem, prima Christianorum Ecclesia Paderbornæ exureretur*; quemadmodum id ab auctore translationis D. Liborij relatum est. Sed brevi illic tempore sedes Episcopi, aut per intervalla primarum bellicarum tempestatum, cùm vicarij Episcopi eam tenerent, Herbipoli submissi. Certè Caroli fundatio Paderbornam semper designat: & Hathumarus, ex quo impositus est, Paderbornæ consedit, ubi & Leonem Pontificem duobus ab hinc annis excepit. Ceterum Heristalli nomen loco castrorum inhæsit, seu ab hibernis stativisque Regis (teutonicum enim nomen est, quod domini mansionem, stabulive locum sonat) seu à Francico Heristallo apud Eburones ad Mosam id Saxonicum Heristallum ad Visurgim appellari cœperit. Hinc celebris iterum Paderbornensis diœcesis Caroli hibernis, quæ ad hunc diem bis inter Saxones in Westfalia apud nos habuit, semel ante decennium Eresburgi in castro, postquam Ludæ & Schidroburgi Natalem Christi celebrasset; iterum Heristalli in castro ad Visurgim hoc anno, ubi & Christi natalitia & Pascha celebravit cum hibernante milite. Eò & Ferdinandus Princeps inter cetera suæ diœcesis monumenta Heristallum docta non minus quàm eleganti carminis inscriptione nobilitavit, quam hic oculis atque animis legentium damus, cetera quæ ad hanc rem desiderari possunt, commentarius ejusdem Principis docebit.

Henr. de Hervord. Chron. Mind.

Anonym. Poët. Gobel. etat. 6.c.38. Crantzius metrop. lib. 1.c.12. Georg. Fabric. lib. orig. Sax.4. Meibom.

HERISTALLUM. SAXONICUM IN. RIPA. VISURGIS MEMORIÆ. SACRUM

SEU. TE. CÆRULEUS. PLACIDO. VEHIT. AMNE. VISURGIS
SIVE. FACIS. TERRA. CARE. VIATOR. ITER
PARVA. MORA. EST. FAMÆ. RELEGAS. MONUMENTA. VETUSTÆ
ET. PRECOR. HÆC. PAUCIS. CARMINA. SCRIPTA. NOTIS
MAGNUS. HERISTALLO. CAROLUS. DUM. SAXONAS. URGET
HIC. POSITIS. CASTRIS. NOMEN. HABERE. DEDIT
LEGATOS. HIEMANS. HIC. REGIA. DONA. FERENTES
AUDIIT. ET. NATOS. JUSSIT. ADESSE. SUOS
HIC. COEPTAM. RETULIT. FATO. MELIORE. CATHEDRAM
AD. VITREAS. PADERÆ. LENE. FLUENTIS. AQUAS
NON. TAMEN. OMNIS. HONOS. ABIIT. QUIN. ÆMULA. FRANCO
CERTAT, HERISTALLI. GLORIA. SAXONICI.

FER-

FERDINANDUS. DEI. ET APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S.R.I. PRINCEPS. COMES PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO DE. FURSTENBERG.

HERISTALLI. SUI. IN. RIPA. VISURGIS. CAROLI. M. HIBERNIS PIPINI. ET. LUDOVICI. FILIORUM. EJUS. CONVENTU HUNNORUM. ET. ASTURIÆ. GALLÆCIÆQVE. REGUM LEGATIONIBUS. AN. DCCXCVII. CELEBRATI MEMORIÆ. POSUIT.

Carolus retento apud se Heristalli comitatu regio, reliquum militem per hiberna inter Saxonum pagos vicosque distribuit, non ut ante,& velut hostili in solo, sed tanquam regni sui provincijs; annonamque militarem, quam Foderum dixêre prisci, per præfectos suos ab incolis præberi jussit; quem in modum per Franciam quoq; hiberna agitabantur; serò tandem,ut auctor vitæ Ludovici perhibet, suis se stipendijs integris miles alere jussus. Interim Heristallum ad se filios evocavit,Pipinum ex Italia, & Ludovicum ab Hispanicâ expeditione. Convenêre præterea Heristalli Carolum legati Hunnorum cum muneribus missi,quos auditos remisit ad Principes & Regulos suos. Accessit & Froja, Adelfonsi Asturicæ Regis ex Hispania missus legatus,quem papilionem miræ pulchritudinis ac dona regia ferentem benignè excepit. Expediti deinde filij cum legatis: Pipinus in Italiam remissus, Ludovicus in Aquitaniam; quocum & Abdellam Saracenum legatum redire ad suos voluit, fidei Ludovici filij & tutelæ commissum. Quod reliquum hyemis tempus fuit, in disponendis Saxoniæ rebus, prospiciendisque Episcoporum diœcesibus insumptum à Rege perspicace & vigilantissimo. Neque dubium quis fecerit,quin Hathumarum Paderbornâ ad se evocârit, multaque de Episcopatus statu cum eo pertractârit unà cum Hildebaldo Colonensi Archiepiscopo, quem in Concilio Francofurtensi supremum aulæ Sacellanum, ut sibi cum Alcuino adesset, impetrârat. Et idem ceteros Saxoniæ Episcopos feciſſe opinari pronum est, cùm jam Westfalia & Angaria sub imperio Francico & Christianâ religione conquiescerent. Nec deest, qui Widekindum sumpto mendici habitu per Sacros Paschatis dies castra Caroli intrasse velit, vidisseque tum illud,quod Crantzius retulit, prodigium in Eucharistiæ distributione. Sed nos id Eresburgi aut alibi jam diu ante factum verisimilius censuimus. Neque enim Widekindum, qui jam tot annis Christianam religionem ferventer amplexus, Caroloq; perquam familiaris erat,ea curiositas aut dissimulatio personæ per id tempus attraxisse videri potest. Eos ego magis hic probo,qui ad hunc annum,aut superiorem,referunt alteram D. Ludgeri profectionem Romanam ad

Heristallū filios evocat Carolus.

Legati exteri Heristallum veniunt ad Carolum.

Altera D. Ludgeri profectio Romam facta.

Bollandus ad vit. D. Ludger. P. Feldiusin

Chron. MS. Turckius in ann. MS. Grothusius in MS.

Leonem Pontificem, quam pro confirmando Werthinensi cœnobio à se inchoando suscepit. Nam etsi in vita D. Ludgeri apud Browerum una tantum D. Ludgeri profectio Romana ad Leonem memoretur; alia tamen Hadriano Pontifice suscepta fuit, cùm Widekindo furente è Frisia unà cum D. Willehado depulsus Romam adiret, ac nondum Episcopus in Cassinum cœnobium exul secederet, ex quo demum ad Episcopatum vocatus est; hæc verò profectio, quæ Leone Pontifice facta scribitur, ad hunc aut superiorem annum, quo Leo primum Adriano subrogatus, referenda est. Quam in rem operæ pretium erit ipsius Werthinensis cœnobij tabulas referre.

*Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXV; Indictione VIII. Ego Othelgrimus et Thiedbaldus discipuli S. Ludgeri Episcopi secundum ejus præcepta scribimus sui ordinationem Monasterij. Liudgerus enim Episcopus clarissimis ortus natalibus ante Episcopatus sui tempora, dum quæreret in hæreditate paterna cœnobium construere monachorum, hoc est ad ostia Rheni fluminis, et in loco, qui vocatur Witmundi, et ob futura tum temporis Nortmannorum mala, revelatum ei fuerat, inibi non posse fieri. Novissimè divino oraculo insinuatus est locus in silva, quæ dicitur Wenesvvalt, super ripam fluminis, quod vocatur Rura, in inculto adhuc et saltuoso loco. Nec mora, mane facto lætus properat ad locum cælesti sibi indicio designatum, et ab incolis et hæredibus patriæ illius * antiquam partem hæreditatis data terra comparavit, perrexitque Romam tractaturus de hoc ipso cum beatissimo Papa Leone, qui sancti viri studio diligenter perspecto et laudato proposito donavit illi Salvatoris nostri reliquias, et sanctæ Dei genitricis Mariæ, nec non et duodecim Apostolorum, ut in eorum honore Monasterium, quod dixerat, consecraretur. Deinde domum reversus, dum Ecclesiam in loco eodem ex consilio et licentia beati Episcopi Hildebaldi erigeret, eamque postmodum ipse consecraret, eò quòd provisor noster factus fuit Episcopus, tradidit omnem hæreditatem suam ad memoriam ipsius cruoris Domini et reliquiarum prædictarum; sed quia ipsi Monachos ibidem congregandi facultas non dabatur, et eum Rex Carolus doctorem novellæ plebi saxonum et Frisonum præfecerat, et illi rudes in fide fuerunt, et non potuit aliquos persuadere sæcularem vitam relinquere, ac monasticam ducere, idcirco opus idem Deo cooperante perficiendum germano suo Episcopo nomine Hildegrimo, et nepoti suo Gerfrido, nondum Episcopo, sed successori suo, injunxit, et discipulos suos, quos ad hoc * erudierat probatissimos commendavit.* Hæc ille. Neq; Ludgero post reditũ ab urbe quicquam antiquius fuit, quàm Hildebaldum Colonienſem Archiepiſcopum & Carolum adire, ut ab altero locum intra fines ſui Epiſcopatus, ab altero patrocinium impetraret; quod & Carolus ſe præſtitiſſe docet in donationum tabulis quinquennio ab hinc datis. Sed Deus multò potentius adſtitit. Mandârat D. Ludgerº fabricæ exordia; ſed in area purganda & in lignis comparandis tanta ſe difficultas objecit, ut operæ ſpem omnem ædificij abijcerent. His nihil fractus D. Ludge-

Widmundt Locus in Frisia Orientali, quem Comites Ritbergenses etiamnũ in titulo præferunt.

Visio hæc, de qua in vita Ludgeri apud Surium, quam Herburgi sorori post Notelensi prima antistiti aperuit.

* al. aliquã.

Cruor ille qui fuerit, incertum, an Mantuanus postea datus Ludgero, an alius reliquijs Christi inhæreus.

* al. ipsum enutrierat.

D. Ludgerus primùm in Westfalia cœnobiũ ad Ruram condit.

Vita S. Ludgeri.

rus.

rus, vix preces nocturnas absolverat, cùm repentina cœli tempestas ingenti arborum strage vicinam silvam dejecit, unâ tantummodo arbore, ad quam prostratus oraverat, superstite; quam idcirco monstravit Odelgrimo, se eodem in loco tumulum corporis habiturum, dum fatalis orbis dies mortales ad supremum judicium evocaret. Primum hoc Monachorum cœnobium, quod intra Westfaliæ fines erigi cœptum, cujus primordia ab hoc reditu Romano & Leonis Pontificis congressu ad hæc tempora referre libet. Haud interim nescio à Wittio Leisbornensis cœnobij exordia in pago Dreini ad Luppiam ad annum 784. revocari. Sed virginum id fuit per multos annos; neque ex temporum ratione ac monumentis tam explorata ejus origo; licet ea vetustissima cœnobia reputem, quæ ad Caroli ætatem se revocant. Neque tutum adhuc fervente bello monasteria, cum primis virginum, per Saxoniam condere, quando D. Ludgero tanta difficultas pro Werthinensi cœnobio obtinere monachos, qui locum caperent implerentque. Sed ad res Caroli regrediar.

*Hyemem jam exegerat ille Heristalli; ac ne per vastitatem & clades superioris anni cum exercitu Saxoniam trans Visurgim intrare necesse haberet, misit legatos ad Nortalbingos, Aquilonares videlicet Saxones Albis accolas, quos Nortludos alij scripsêre, qui controversias deciderent, justitiamque pro more tanquam populis jam in Francorum Regnum per fœdera adscriptis administrarent. Præmissus etiam Godescalcus, Caroli legatus ad Sigifridum Danorum Regem, ad pacis fœdera confirmanda; ne quid ferox ille Danorum & Nortmannorum populus in finitima saxonia obturbaret. At ipsi Nortalbingi & Transalbiani populi, ne ut ceteræ Westfaliæ & Ostfaliæ gentes Francorum imperio & Christianæ religioni submitterentur, ausi sunt per seditionem ipsis Caroli legatis ac ministris regijs vim inferre, quorum alij barbarum in modum trucidati, quidam, ut auro vitam redimerent, in vincula sunt abrepti, pauci fuga elapsi, qui hæc Carolo nunciabant; interque hos etiam Godescalcus, cùm à Danorum Rege rediret, à Saxonibus interceptus, & violato jure gentium interemptus est. Quæ ubi Heristallum perlata sunt ad Carolum, succensus ira ad vindictam tam atrocis sceleris sumendam, evocatoque ex hibernis milite, cui hactenus ob pabuli inopiam procedere non licuerat, Heristallo secundo Visurgi movit Mindam (ita enim rectiùs hunc locum consignavit auctor vitæ Caroli ac Regino, quàm ceteri, qui aut Mundam in superiori Visurgis ripa, aut Mitidam scripserunt) ibi ad Visurgim Carolus castra explicuit, eóque omnem ex Westfalia & Angaria exercitum ex hibernis convenire jussit; indéque cum instructissimo exercitu ad ulciscendas perfidorum injurias inferiorem illam Saxoniæ regionem ingressus, quidquid istic intra Visurgim & Albim continetur, spolijs, ferro, ac flamma evastavit.

* An. Christi 798. Regni Franc. 31. Longobard. 25. Belli Saxonici 27.

Ann. Franc. Adelm. Astron. Auctor. vitæ Caroli. Poët. Anon. Ann. Pithœi Ado in Chron. Regino.

Transalbiani injuriosè tractant Caroli legatos.

Carol⁹ ad ulciscendos Trãsalbianos Visurgi descendit & Mindã venit.

Poët. Anonym. Munda male & cum eo Reineccius, quorsum enim Mundam in Hassiam ascendisset Carolus, ut non Mindam descendisse verius sit.

Non

Non ante Carolus facilè asperior militem licentiùs grassari passus; quemadmodum & vetus Poëta noster observavit :

Tum sævus ubique furebat
Miles, ubique cruor rivis madefecerat arva,
Omnibus hisce locis increverat horrida clades.
Vulnera, mors, luctus, clamor, fuga, flamma, rapinæ
Omnia complebant, donec compescuit altis
Albia gurgitibus procedere longius arma.

Obotriti Francis confœderati.

Ratus nimirum Carolus non priùs hanc gentem, perinde ut Westfalos, edomari posse, quàm vel in solitudinem redegisset, vel per extrema calamitatum ad obsequium adduxisset. Nec tamen his fracti Aquilonares Saxones ad arma convolant, bellumque non in Carolum, sed Abotritos convertunt. Quippe Abotriti, qui Mecklenburgenses pòst dicti, jam ab annis pluribus, ut supra relatum, Francis confœderati erant, fidique semper Carolo manserant. Et Thrasico eorum Dux, vir bello egregius, unaque Eberwinus Caroli legatus, qui Thrasiconi aderat, haud segnes Saxonibus occurrunt: compositisque in ordines Abotritorum copijs, Thrasico sinistrum Cornu, Eberwinus dextrum ducit in hostem: mox atrox cœptum prælium Abotritis prosperum, quo ad primum congressum quatuor millia Saxonum cœsa, ceteri in fugam acti, & in ipsa fuga haud minori suorum jactura obtriti sunt. Hac clade ceteri Saxonum populi perculsi supplices ad Carolum veniunt, pacem precantur, imperataque se facturos pollicentur. Et Rex, qui clementiæ famâ magis quàm severitatis Barbaros tractari volebat, obsides ab eis accepit, & ad pacis fœdera admisit, ratus hanc Borealem Saxonum gentem, haud secus quàm ceteros Ostfalos & Westfalos, post clades suas in fide mansuram. Quocirca cum maxima exercitûs parte Saxonia excedens per Visurgim ac Rhenum se Aquisgranum recepit ad legatos audiendos, quos Irene Augusta Constantinopoli miserat, fœmina, quæ post exutum purpurâ, orbatumque oculis filium Constantinum, imperium resumpserat. Excepti & legati Alphonsi Galletiæ & Asturiæ Regis, qui expugnatâ Ulyssipone, ejectisque Mauris, septem captivos Mauros, totidem mulos & loricas, aliaque regia ad Carolum munera deferebant. Nec enim aliter fulgentissimi hi duo Reges, Alphonsus castus & Carolus M. quàm fraterno semper amore honoreque se complexi sunt, & idem utriusque labor, in debellandis Barbaris & Christianorum hostibus.

Auctor. vitæ Caroli. Saxonum clades à Thrasicone & Eberwino illata.

Carolus Aquisgranum redit ad legatos audiendos.

An. Christi 799. Regni Franc. 32. Longobard. 26. Belli Saxonici 28.

Inter hæc Carolus Aquisgrani hibernando Natalem Christi & Pascha celebrat, Saxonicis cumprimis rebus intentus, nec enim omnium suorum operum quicquam impensius; nec omni bellorum cura quicquam gloriosius habuit, quàm pro voto Saxoniam Christo submittere; cetera bella filijs ac Ducibus reliquit, hoc sibi cum Carolo

Carolus filio hæredē Franciæ sumpsit. Sed annus hic Seculi hujus nonagesimus nonus nefando scelere, & funesto Ecclesiæ casu, multum obturbavit Caroli consilia atque arma, quo minus Saxonico bello citiùs finem imponeret. Quippe Leo III. Sanctissimus Pontifex, Hadriano in divinis suffectus, per ultimum nefas, dum septimo Cal. Maij Romæ pro sacri muneris functione procedit cum Clero & populo in publicum Litanias peracturus, à submissis ab Adriani nepotibus affinibusque armatis intercipitur, prostratusque in terram, & pluribus inflictis plagis sauciatur. Ubi nec stetit scelus; paulò enim pòst eruuntur Pontifici oculi, & lingua abscinditur; itaque suo volutatus in sanguine trahitur ad vicinum cœnobium, & semivivus ad altare deponitur, inde noctu in alterius cœnobij carcerem abreptus. Sed adfuit mox Deus, & Pontifici oculos linguamque reddit: quemque cæcum ac mutum & vix spirantem reliquerant sacrilegi, recipiunt amici, omni sensu membrorumque usu integrum: tanto obstupescendo magis prodigio, quanto facinus fuerat immanius. Aderant tum Romæ Caroli Legati ad S. Petrum, interque eos Wiradus Abbas, quorum ope fultus Pontifex respirare cœpit. Advolat subinde famâ excitus Winigisus Spoletanus Dux cum militari manu, & Pontificem periculis extractum Româ secum Spoletum ducit, dum Carolus de re patrata edoceretur, quid Pontifice fieri vellet. Ille rei indignitate commotus dum dolorem & vindictam secum versat, consultum habuit Pontificem ad se in Germaniam invitare, tam avidus restitutum sibi divinitus videre Pontificem, quàm coram audire narrantem facti atrocitatem. Et Pontifex postquam Româ digressus, concurrêre ad eum ex omnibus Italiæ urbibus proceres, Episcopi, & Sacerdotes, visuri Pontificem tanto prodigio sibi redditum. Quare & multi Cardinales & Episcopi eum in Germaniam comitati deduxêre ad Carolum Regem. Interim quia & tempus anni, & res Saxonum poscebant, Carolus Aquisgrano cum exercitu movit ad Rhenum, publicumque in vico Lippenheim, ubi postea Wesalia urbs assurrexit ad Luppiæ & Rheni confluentes, procerum & populi conventum habuit, quo de Regni securitate, & bello Saxonico est actū; interque cetera Hildebaldus Colonienſium Episcopus & Aschārius comes Pontifici obviam missi, qui venientem honorificentissimè exceptum ad se deducerent. Solutis comitijs, exercitus Rhena transmissus; ipse cum Carolo & Pipino filijs Paderbornam contendit, ubi explicatis castris statuit præstolari Pontificis adventum, loco inter Saxones celebriore & opportuno; quo tot populi conventus habiti, tot Regum & Principum legationes auditæ; quique ipsam Saxoniam fontium amœnitate, fertilitate soli, & cultu incolarum hospitiorumque quàm maximè conspiciendam exhiberet. Nam ex quo Paderborna Christianam religionem amplexa, citò barbariem exuit, ac præ

Anast. Biblioth. Poëta Anonym.

Leonis Pont. funestus casus obturbat curas belli Saxonici.

Carolus ad Lippeheim publicum conventū agit.

Carolus transmisso Rheno Paderbornam accedit.

Bollandus in æm. ad vitam S. Ludgeri §. 4.

ac præ ceteris Saxoniæ oppidis, incolis & ædibus, & omni urbanitate excoli cœpit, uti ab his eam vetus Poëta noster commendat. Quanquam haud dubitem, quin ex eo itinere, ab Ostio Luppiæ Paderbornam instituto, medium inter hæc locum Mimigardevordiam adierit, filijsque ostenderit erectam istic dotatamque à se Episcopi sedem, cui jam D. Ludgerum, virum sanctitate conspicuum, imposuerat; si non & ipse D. Ludgerus Carolo itineris comes accessit, quòd anno illo præsens suis quatuor donationum tabulas Werthinensi cœnobio consignârit. At nemo tanto hospite lætior, quàm Hathumarus Paderbornensium Episcopus, qui obviam cum Clero progressus adventantem Carolum honorificè excepit. Rex etsi circumpositis Paderbornæ castris Pontificis adventum unicè opperiretur, nihil interim de belli Saxonici cura remittens, Carolum filium cum parte exercitus misit ad Albim, ob negotia quædam cum Abotritis & Wilsis pertractanda, & Saxones Aquilonares in fidem recipiendos, qui Francorum superioris anni armis obtriti Bardegai (quo Bardewicum notant) ultro convenerant, tractaturi cum Carolo de pace. Eò Carolus filius venit; res verò istic ab eo gestas nemo scriptorum prodidit. Inter hæc Leo Pontifex superatis Alpibus in Germaniam descenderat, ubi Norimbergam delatus, intellexit Carolum in Saxoniam movisse; recta igitur Coloniam iter instituit. Quâ in urbe nihil antiquius habuit, quàm D. Severini basilicam invisere; cumque Comites itineris admirarentur, cur præter morem deflecteret in via ad Ecclesiam illam, & tam prolixis se precibus Divo commendaret, respondit, *defensor hujus loci domi est, ideo non ausus fui præterire insalutatum*; quo Pontificis dicto Colonienses exinde impensius D. sepulchrum venerati. Inde Pontifex Saxoniam ingressus Paderbornam accelerat; cui Carolus M. primò obviam misit Hildebaldum Colonienſem Archiepiscopum, quem titulo Sacellani in comitatu sibi adjunctum habebat: additus Hildebaldo Ascharius Comes, qui venientem Pontificem exciperent, & ad se Paderbornam deducerent. Enim verò nihil à Carolo, sedis Apostolicæ & Pontificum Romanorum observantissimo, intermissum, quo Vicarium Christi & Petri successorem quanto par erat cultu & reverentia exciperet: nihil etiam Paderborna Saxoniaque ad hunc usque diem vidit illustrius, quàm apud se suprema illa Ecclesiæ capita in mutuum venire amplexum, suoque se primùm hospitio dignari, quos orbis Christianus suis votis ambibat, in tanto majestatis congressu. Et Carolus, ubi propius adesse Pontificem didicit, ex castris Pipinum filium proregem Italiæ cum legionibus, & magno præfectorum militarium comitatu, Leoni obviam misit. Postquam in mutuum venêre conspectum, miles omnis, qui cum Pipino in ordinem compositus stabat, accepta Pontificis benedictione, se tertiùm humi ante supremum

Carolus castra Paderbornæ explicat.

Regino. Meibomig. Bardevici Caroli filius conventum agit.

Leo Pontifex Coloniam & templum S. Severini invisit.

Surius 23. Octob ex vetusto codice de trãslat. D. Severini. Anastasius Biblioth.

A Carolo M. Paderbornæ excipitur.

premum Sacerdotem sternit ; idem, quæ aderat, Christianorum turba fecit. Tum Pipinus salutatum progressus Pontificem deducit ad castra, ubi Carolus sublimis regio in throno considebat, præstolans accessum Pontificis : circum Regem Duces, Comites & proceres, aulæque ministri auro atque armis coruſci. Utrimque in ipsa camporum planitie, qua Pontifex processurus erat, omnis regius exercitus in legiones & signa distributus armatusque conspiciebatur, lituis & tubis intersonantibus. Simul & clerus castrensis, quòd Pontificem hic honor spectaret, visus per choros suos stare sacerdotali amictu, crucis signis ac vexillis sacris præfulgidus. Adventante Pontifice, & prolata cum signo crucis manu Sacerdotalem precationem tertium impertiente, rursum exercitus omnis ac populus in genua procubuit. Occurrit mox Carolus venerabundus, interque lachrymas se complexi Rex & Pontifex post mutuas gratulationes procedunt, Pontifice hymnum angelicum, Gloria in excelsis Deo, ordiente, quem cleri chorus plenis lætisque vocibus excepit. Ita Paderbornam ritu magis sacro supplicem in modum quàm profano nostrorum temporum plausu ingressi, primùm ad Ecclesiam, quam Hathumarus novam cœperat, constructam jam eâ parte, quæ pòst in cryptam versa est, accedunt. Ante fores excepti sunt ab Hathumaro Episcopo & clero urbico, inductiq; ad intimam aram, ad quam & Pontifex sacrificali habitu indutus solemne Missæ sacrificium peregit. Finitis divinis, Carolus Pontificem ad regale epulum deduxit, Leonemque casum & prodigium enarrantem non sine stupore & veneratione audivit. Monstrantur hodiedum Paderbornæ ædium loca, in quibus Carolus & Pontifex hospitia habuerunt. Multis hæc atq; exactè præter Anastasium & Francicorum annalium scriptores vetus quidam Poëta retulit, quem Canisius, à quo in lucem productus est, ipsum Alcuinum censet, celebrem illum D. Ludgeri, multorumque doctorum virorum, magistrum, quem & Patres Concilij Francofurtensis Carolo adesse voluerunt, ut hæc coram inspicere potuerit. Neque Saxo Poëta noster, diversus ab altero, hunc honorificentissimum Leonis & Caroli congressum siluit, & impolito quidem ille versu, sed eò candido magis de Carolo cecinit :

Hathumarus Episcopus Leonem excipit Paderbornæ.

Tom. 6. antiq. lect. à Canisio edit.

Jamque propinquantem cùm primùm noverat, illi
Obvius ipse loco de castrorum memorato
Stipatus multis populorum millibus ibat,
Pontificemque vicem Petri, cui claudere cœlos
Et reserare licet verbo, sedemque tenentem
Suscepit cum magnifico reverenter honore.

Mansêre per aliquot dies Carolus & Leo Pontifex Paderbornæ, interque cetera pietatis monumenta, hic altare S. Stephani consecravit, ut vetustus scriptor translationis D. Liborij memorat, & ex eo

Leo Pontifex Paderbornæ consecrat altare.

auctor vitæ Meinwerci, Gobelinus & Crantzius; verba auctoris quò testatius hæc cognoscantur, adscribam: *Religiosum Caroli et salutarè Christianitatis dilatandæ studium nobiliter inchoatum, Leo Pontifex Apostolicâ auctoritate firmavit, atque in Ecclesia tunc ibidem noviter constructâ quoddam altare consecrans, adorandas in eo reliquias protomartyris Stephani, quas secum Româ detulerat, collocavit; fiducialiter id Principi promittens, quòd oratorium illud, tanti Martyris patrocinio munitum, non ulterius passurum foret injuriam, quàm, ipso referente, priùs ei contigisse cognovit; ut videlicet ob incolarum loci perfidiam et odium in religionem Christianam aliquoties igni traderetur. Et ob hanc maximè causam eadem reliquias, ibi rogatu Imperatoris recondidit, non sine effectu congruæ fiduciæ sponsionisque suæ, cùm nihil tale postmodum illic perpetratum esse certissimum sit.* At quod illud Pontificis vaticinium, fore exinde, ut nunquam incendio pereat Ecclesia hæc? quando bis exinde cum magna urbis parte conflagravit, semel anno millesimo Rothario Episcopo, Ottonis III. anno decimo, ex quo incendio Meinwercº Basilicam reparavit. Iterum anno MCXXXI. restauratumque est à Bernardo Episcopo. Constat interim fides Pontificis vaticinio, cùm ille non de fortuito igne, sed quem Barbari exinde nunquam per vim injecturi essent, hæc prolocutus sit. Quanquam & ipsum oratorium in quo altare consecravit, quodque in cryptam transijt, superstructâ pòst Basilicâ, in hunc usq; diem illæsum maneat. Ad Leonis sacra munera & Divorum pignora addidit Carolus castrum Driburgense, regium prorsus Ecclesiæ Paderbornensis donum, cum subjectis agris, silvis & incolis, uti in Hathumari Episcopi rebus gestis memorabitur.

Leonis Pontificis vaticinium. *Auctor. vitæ Meinwerc. Crantz. l. 3. Metrop. c. 40.*

Quamdiu Leo Pontifex in Germania permanserit, & quæ gesserit.

Hæc Paderbornæ acta. At quamdiu Leo Pontifex permanserit in Germania apud Carolum, quæve deinde alijs in locis egerit, non tam explicatè tradita accepimus. Annales Frācorum brevem Leonis præsentiam indicare videntur, longiorem alij, quidam etiam in proximum annum cum Turckio extendunt, ut tot templorum & altarium consecrationes à Leone per Germaniam factas confirment. Verùm ex his nos expedit Anastasius Bibliothecarius, accuratus præ ceteris certusque scriptor. Refert is Leonem Pontificem in pervigilio D. Andreæ Apostoli redijsse Romam, introductumq; in urbem omnium ordinum gratulatione. Quo conficitur, Leonem per æstivos menses in Autumnum usque permansisse in Germania; intra quod tempus, quæ à Leone gesta memorantur, haud incongruè peragi potuerunt: ea nunc ordine prosequamur.

Leo Pontifex Eresburgi Sacellum consecrat.

Paderbornâ igitur digressi Rex & Pontifex Eresburgum concessêre, nobilem tot expugnationibus & miraculo locum; in quo Pontifici monstrata genticæ superstitionis vestigia & prima Christianæ religionis per Saxoniam fundamenta. Ibi & Pontifex solenni ritu ædem sacram, quam Capellam tabulæ vocant, consecravit: introductis

ductis jam monachis è D. Benedicti familiâ in subsidium excolendæ Saxoniæ. Testes hujus rei publicæ Leonis tabulæ, quæ à Baronio ex Regesto Innocentij IV, & tomis conciliorum Colonienſium & Parisienſium, Binio, Meibomio, Wittio, Cleinsorgio, alijsque proferuntur.

Leo Servus Servorum Dei Karolo M. Romanorum Imperatori.

Piæ tuæ petitioni per omnia congaudentes, quod jubes annuere non tardamus. Igitur hunc montem Eresburg, quem expugnatum cum tota Saxonia Deo obtuliſti, et per nos B. Petro conſecraſti, liberum ab omni humanâ poteſtate eſſe, et fratrum inibi ad Chriſti Servitium adunatorum ditioni tantummodo parere cenſemus. Qui ne aliquid in hoc impedimenti patiantur, neve regni veſtri invaſoribus aliqua rebellandi fiducia præparetur: ſub anathemate, S. Petri auctoritate, interdicimus, ne quis unquam bellica in ipſo monte præſidia collocare, aut per te collata prædia, aut decimas circa montem inter duas Saxonicas raſtas quas illuc delegaſti, audeat diripere. Hæc conſervantibus ſit pax à Deo patre, infringentibus excommunicatio, et à Beatorum collegio ſit ſeparatio in æternum. Dat. Eresburg per manus Joannis Bibliothecarij et Cancellarij Eccleſiæ Ramanæ, VIII Kal. Januar. Anno Dominî Leonis tertij quarto, Indictione ſeptima, die dedicationis Capellæ in Eresburg.

Præclarum atque indubitatum diploma; in quo tamen exſcribentium vitio aliquot errores deprehendas, quorum alios alij jam emendavêre. Ac Caroli Romanorum Imperatoris nomen in Regis Francorum commutandum, cùm eo anno nondum Imperator fuerit. Turpius erratum in eo, quod tabulæ VIII Kal. Januarij exhibeantur conſignatæ à Leone Eresburgi in Saxonia, qui jam ultimo Novembris die, ac feſto S. Andreæ Romam reverſus erat, uti ſupra à nobis relatum eſt: menſe Junio aut Julio ea conſignatio facta, quando Leo Pontifex adhuc in Saxonia verſatus. Nec tamen id à Browero alijsque obſervatum: poterat hoc eos indictio ſeptima hic adſcripta docere; quæ cum in annum 799 concurrat, illi novo errore ad marginem addito, convertêre in octavam. Et quàm facilis error ex ſimilitudine nominum Junij & Januarij, per prima literarum elementa abruptorum, alterum pro altero menſe obtrudi exſcriptoris incuriâ. Longiùs etiam Gobelinus & Crantzius abducti, qui dedicationem Capellæ Paderbornenſis VIII Idus Decemb. à Leone factam volunt; cum Leo Pontifex in Novembri, ac in pervigilio D. Andreæ Romam redierit, nec ſimul in Italia & Saxonia per id tempus eſſe potuerit: imo nullam dedicationem Capellæ, ſed Altaris tantùm à Leone factam memorat Ido presbyter, vetus ille ſcriptor translationis D. Liborij; videnturque Gobelinus & Crantzius eam dedicationem Eccleſiæ, quæ abſoluto tandem opere, à Badurado Epiſcopo, ut Auctor vitæ Meinwerci perhibet, XIV Kal. Novemb. peracta

Gobelinus ætat. 6. c. 38. Crantz. lib. 1. Metrop. c. 11.

est, perperam transferre ad hæc Hathumari primi Episcopi & Leonis tempora. Et Gobelinus, ut errorem ex errore ferat, scribit Carolum M. cum Leone Pontifice profectum in Italiam advenisse Romam VIII Kal. Decemb. cùm hoc anno Leo pridie Kal. Decemb. & altero demum anno Carolus VIII Kal. Decemb. Romam venerit. Imo si Carolus VIII Idus Decemb. interfuit dedicationi Capellæ, Paderbornensis, quomodo VIII Kal. Decemb. Romæ esse potuit? Et quæ illa templi Paderbornensis dedicatio, nisi Sacelli aut Cryptæ ab Hathumaro Episcopo constructæ? cùm ab eodem Gobelino & Auctore vitæ Meinwerci XIV Novemb. Ecclesia Paderbornensis à Baduradó Episcopo dedicata memoretur. Sed his omissis certiora prosequamur ex Leonis rebus gestis per Saxoniam. Nec enim Pontifex solùm Paderbornam & Eresburgum, sed etiam Dethmoldiam deductus à Carolo, ad locum prælij, quo Saxones & Widekindum celebri illa ac cœlesti victoria straverat. Id vel inde asseras, quod Meinwercus Paderbornensis Episcopus lapidem quendam altaris spectabilis magnitudinis à B. Leone Papa consecratum de Ecclesia Thietmalli allatum in novo à se constructo Monasterio Abdinckhoviano collocârit, quo cryptæ aram complevit. Eò nunc facilè mihi persuadeo, quod Rolevingus scripsit, Leonem Pontificem per varia Saxoniæ loca à Carolo circumductum fuisse; quando & in toparchia Burana Sidinghusanæ Parochiæ templum à Leone consecratum vetusta ejus loci monumenta ac tabulæ, quæ in Burano tabulario servantur, certâ Majorum fide perhibent. Poterat eò invitare Leonem Carolus ad monstrandum Campum Sintfeldicum, postremâ adversus Saxones Westfalos victoria inclytum. Mindam quoque deductum à Carolo Leonem persuadent nobis haud obscurè veteres Mindensium fasti ac monumenta, duæ enim istic ædes sacræ monstrantur haud procul ab urbe à Leone consecratæ, altera in villa ad montem Wedekenberg, honori D. Nicolai dedicata (ædes illa montensis Saxonica lingua Berckercken appellata; cui addunt Campanam, quam Leo abs se sacratam reliquerit) Altera ædes Rhemæ supra Mindam ad confluentes Werrhæ & Visurgis, cùm istic Carolus ossa Hildegarij Archiepiscopi Colonienses à Barbaris cœsi ad montem Oversberg honoratiori tumulo inferret; quanquam ea pòst Coloniam translata in D. Gereonis Basilicam. Verisimile habeo, Carolum non modò loca istic à bellis suis celebria, sed & Episcoporum sedes Pontifici monstrare voluisse; quæ jam loca in oppida, aut grandes vicos, Christianorum frequentiâ, exculta erant. Quam in rem Hameliam quoque adijsse volunt; quo in loco Bernardus comes & Christina conjux jam Ecclesiam erexerant, quam hoc anno honori D. Bonifacij consecrasse Leonem, auctor est Cleinsorgius. Id quod fortè vetustæ illæ literæ lapidi apud Hamelenses inciſæ, & anno Dom. DCCC notatæ in-

Et altare Dethmoldiæ. *Vita Meinwerci apud Browerum num. 80.*

Ac ædem sacram in Sidinghusen. *Vetustum MS. ejus loci.*

Leo PP. Mindam deducitur. *Chron. vetus Mind.*

Hameliæ ædem sacram cõsecrat.

tæ indicare videntur; quando in uno tantùm anno inscriptio aberravit, quod priori, de quo hîc agimus, ex præsentia Leonis adscribendum fuerat. Utrumne Carolus à Visurgi Leonem deduxerit Osnabrugum ad Hasam fluvium, & primam illam totius Saxoniæ Episcopi sedem monstrârit; id licet magnopere suspicer, quia tamen ex certis monumentorum vestigijs compertum non habeo, asserere non ausim. Celebres certè tum Episcopi, tam Wiho Osnabrugi, quàm Mindæ Hercumbertus, Carolo perquam familiares. Quàm multa ex illa rerum gestarum multitudine desideramus, quæ nunc ex obscuris tantum indicijs se offerunt? nec minus incongrua conjectura, Carolum in reditu ad Rhenum cum Leone Mimigardevordiam, ad monstrandam ejus Episcopi sedem, deflexisse; ut, quemadmodum Paderbornensem Episcopatum auctoritate apostolicâ coram à Leone (quod vetustus scriptor translationis D. Liborij perhibet) approbatum viderat; ita ceteros quoque Episcopatus confirmatos acciperet: eorumque Episcopatuum, quos Adriano Pontifice per Saxoniam condiderat, coram ipse Leo Pontifex possessionem adiret. Eò ipsa Leonis verba ex diplomate Eresburgensi refero, quibus præsentem Carolum alloquitur, cum non modò montem Eresburgensem cum amplissimis terrarum possessionibus, sed & totam Saxoniam Deo obtulisse; ut vel hinc hæreticorum scriptores obtrectare desinant, si legant ex debellatâ oblatâque Deo & S. Petro Saxoniâ tam ampla cum jurisdictione possessiones Episcopis obvenisse; quando Chytræus etiam syncerior ex adversa religione scriptor fatetur, Saxoniam majori ex parte in Episcoporum diœceses à Carolo M. esse divisam. *Chytr. in Prolog.*

Non hîc prætermisero, quod ex perlustrata Occidentali Saxoniâ Visurgim inter & Rhenum Carolus cum Leone referatur Sigeburgum processisse; quo in oppido ad confluentes Ruræ & Lennæ Leo solenni ritu consecrârit Ecclesiam Virgini Matri & D. Petro dicatam. Addunt nonnulli, locum sacrum invisentibus à Pontifice noxarum condonationes magnâ indulgentiâ datas; perinde ut Paderbornæ factum memorat Gobelinus. Quæ uti hoc loco nec refellam, nec contentè affirmare velim; da verius asseram Ecclesiam hanc suam primam dedicationem ad Leonem referre, atq; inde magnâ supplicum frequentiâ cultam: repertâ istic posterioribus temporibus æreâ laminâ super ostium Sacrarij, quæ hæc ad Carolum & Leonem referat. *Westhusius in Chron. Trem. Stangef.*

Peractis hisce, alijsque consecrationibus (de quibus Colonienſium ac Tungrensium scriptores) Leo Pontifex haud diu in Germaniâ per Autumnum hujus anni subsistit. Quippe Carolus, auditis, qui à sacrilegis ad se missi fuerant accusatum Pontificem, damnatisque falsis eorum criminationibus, Leonem honorificè Romam remisit; Leo Pontifex à Carolo honorificè dimissus Romam redit.

misit; addiditque quæsitores & vindices in eos, à quibus violentæ manus Pontifici injectæ, quique Pontificem cum auctoritate in sedem reponerent; quos inter Hildebaldus Colonienſis, & Arno Salisburgenſis Archiepiſcopus, quinque præterea Epiſcopi, & tres Comites. Juvat in hanc rem audire Anaſtaſium Bibliothecarium reditum ejus Romanum enarrantem: *Dum apud prædictum clementiſſimum magnum Regem præfatus Pontifex cum magno et condecenti honore degeret, ex omni parte tam Archiepiſcopis, quàm Epiſcopis, et ceteris Sacerdotibus venientibus, unâ cum filio ejuſdem piiſſimi magni Regis, omnibusque eximijs Francis, Deo prævio, illum remeantem in ſuam Apoſtolicam ſedem honorificè cum nimio (ut decuit) remiſerunt honore: qui per unamquamque civitatem, tanquam ipſum ſuſcipientes Apoſtolum, uſque Romam deduxerunt. Quum Romani præ nimio gaudio ſuum recipientes Paſtorem, omnes generaliter in vigilijs beati Andreæ Apoſtoli tam proceres Clericorum, cum omnibus Clericis, quámque Optimates et Senatus, cunctaque militia et univerſus populus Romanus cum Sanctimonialibus, et Diaconiſſis, et nobilibus matronis, cum univerſis fœminis, ſimul etiam et cunctæ ſcholæ peregrinorum, videlicet Francorum, Friſonum, Saxonum atq; Longobardorum, ſimul omnes connexi ad pontem Milvium cum ſignis et bandis et canticis ſpiritualibus ſuſceperunt, et in Eccleſiam beati Petri Apoſtoli cum deduxerunt, ubi et Miſſarum ſolemnia celebravit.*

Scholæ Saxonum Romæ.

Hîc ut ego cetera prætermittam, id animadverti velim, per hæc Hadriani & Leonis Pontificis tempora Friſonum Saxonumque Colonias Romam eſſe traductas. Locus Saxonibus datus prope Baſilicam D. Petri, qui ob id Saxonum vicus appellatus, hodiedum Saxiæ nomen ex illa Saxonum coloniâ retinet; conſpiciturque nunc iſtic celebre illud Xenodochium S. Spiritus in Saxiâ. Et quid tum aliud hæc Colonia Saxonum, quàm ſeminarium quoddam juventutis Saxonicæ? ad quod Carolus obſides juvenes, ac ceteri Saxones filios ſuos tranſmisêre, Chriſtianis moribus & literis imbuendos; qui deinde in omni diſciplinarum genere exculti eam religionem referrent in Saxoniam, quam Romæ didicerant; haud ſecus quàm Gregorius XIII. Pontifex celeberrimum illud collegium Germanorum inſtituit dotavitque Romæ, ex quo poſtea tot præclaros doctoſque viros produxit in Germaniam, adverſus hæreſes noſtræ ætatis depugnantes. Sed ad Carolum regrediamur. Hic poſtquam Leonem Pontificem honorificentiſſimè per Legatos ſuos deduxerat in viam, Aquiſgranum ſeceſſit ad hiberna, multis per id tempus legationibus audiendis intentus, quæ tanquam ad Monarcham Europæ convenerant. Triſti ſubinde nuncio idem Carolus perculſus eſt ex Hunnorum defectione, & collato cum ijſdem prælio, quo Geroldus Comes, Hildegardis conjugis frater ac Bojariæ præfectus cecidit, vir tam militiâ, quàm religione in Deum celebris, ideóque Carolo in primis carus.

Baronius ad an. 804, n. 9.

Carolus Aquiſgrani hibernat.

Vita Car. apud Pithœ. Ann. Frãc. Regino.

Geroldus Comes in pugna contra

Interem-

Interempti corpus à Saxonibus nostris, qui prælio illi Hunnico interfuerunt, ex acie relatum, & in Augiæ deinde cœnobio humatum est. Quâ sanctitatis famâ jam vivus erat commendatus, ea & post obitum inclaruit, postquam Wetinus Monachus cælitus edoctus, eum Martyrum laureâ decoratum ex bello, quo pro Christi religione fortiter pugnando occubuerat. Ejus tumulo hi versus inscripti:

Hunnos occumbit. Waldfridus Abbas Augiensis. M. Velserus lib. 6. Boico. Raderus in Bavar. S. Regino.

Oppetiit sævis Septembribus ense Calendis,
Sideribusque animam dedit: artus Saxo fidelis
Abstulit, huc retulit, dignoq; hic claudit honore.

Haud mirum, tam fidos illi fuisse Saxones, quos ille singulari Christi amore complexus jam Christo adjunxerat. Neque in hanc rem desunt ejus viri monumenta Paderbornæ apud nos. Enimvero ut Christianam religionem hisce in oris per initia belli Saxonici cum Carolo firmaret, sacellum D. Virgini consecratum erexit dotavitque, in quo auctis Christianorum sacris cœtus colligerentur. Tam ille percupidus Saxonum gentem ad Christi fidem perducendi. Ac fortè hæc prima Paderbornæ ædes sacra ante Carolinam. Sacello huic Geroldino haud procul adstruxit opere Græcanico postea Meinwercus ædem D. Bartholomæi, quæ hodiedum supereſt. Geroldina etiam nunc conspicitur in cryptæ modum ante ingressum ædis Bartholomæi, ex adverso protensa, & fornice humilique opere constructa: vetustissimum Paderbornæ ex Caroli ævo monumentum, quâvis ex ignorantia vetustatis multum à posteris neglectum. Diversus verò hic Geroldus ex militia Caroli M. ab eo Geroldo, qui Corbejæ ad Visurgim conditus, sepulchro hoc posteritatis monumentum insigni charactere lapidi Romano inscriptum reliquit.

Geroldus Paderbornæ ædem sacram cõstruxit. *Auctor. vita M. Meinwerci. Browerus annotat.*

Inclytus est istic positus Levita Geroldus,
Quondam regali clarus in obsequio.
Sed servire Deo malens, hic quidquid habebat,
Secum præsenti contulit Ecclesiæ.
Cujus doctrinis gaudet, donisque refulget,
Pro quo Christe jugem confer ei requiem.

Ad Geroldi jacturam accessit mox aliud nuntium, de morte Henrici Ducis allatum. Multis is prælijs victorijsque adversus Hunnos clarus redibat in provinciam, cùm ad Tarsaticam Liburniæ civitatem, oppidanorum insidijs circumventus, perfidè interimitur. Adeo egregij Duces, belloque invicti heroës, victimæ sæpe cadunt perfidorum dolis. Ac nihil Carolo ad dolorem gravius accidere poterat, cui boni Ecclesiæ præsules, & præstantes militiæ duces æquo semper in pretio fuêre. Sed tristibus mox læta succesſêre nuntia. Quippe sub id tempus advenit Aquisgranum Wido Comes, ac præfectus Britannici littoris, victorque post debellatos à se ejus provinciæ Duces, subactamque totam Britanniam; quod hactenus concessum

Henrici Ducis ex insidijs mors.

cessum non fuerat. Arma hic rebellium, qui se dederant, inscriptis singulorum nominibus ad Carolum detulit. Allata & signa sunt, quæ occisis in Balearibus insulis Maurorum prædonibus detraxerant Franci. Accessit & Azan Saracenorum regulus, claveſque Oscæ urbis in Hispania Carolo cum multis muneribus obtulit. Demum pòst Jrenæ Augustæ Legatos advenit monachus, à Patriarcha Hierosolymitano missus ad Carolum, à quo multa sacrorum munera tam ex Christi quàm Divorum Lipsanis ex Oriente ad Carolum delata, quibus Rex basilicam Aquisgranensem mirificè dotavit. Ejusmodi multa sacra pignora per id tempus ex Palæstina ad Carolum missa sunt; inter quæ spina de coronâ Christi, clavus quo cruci affixus pependit, aspectabile ejusdem crucis fragmentum; linteum præterea, quo in supplicio crucis obtectus, panni, quibus in cunis obvolutus, indusium virginei partûs, brachium D. Simeonis, velum quo cruentum Joannis Baptistæ corpus involutum fuit, cingulum Christi servatoris Constantini M. annulo obsignatum. Celebriora hæc pignora, ut minora prætereantur; quæ cùm miro quodam pietatis sensu ac veneratione Constantinopoli, Hierosolymis, atque ex totâ Palæstinâ quàm religiosissimè conquireret Carolus; nihil quoque illi se Carolo gratius donare credebant; quo tanti per Europam Monarchæ patrocinium, fatiscente jam eorum Ecclesiâ & Imperio, demererentur. Ex quo Caroli studio ac religione facilè etiam intelligent, quàm disparem modò colant novarum religionum artifices, quibus illa ludibrio sunt, quæ Carolus in summâ veneratione, haud secus quàm prisca antè Majorum pietas habuit. Sed altiori cœlitum consilio factóque hæc agebantur; migrantibus enim Christi & Divorum pignoribus (perinde ut in Saxonia sæpe ad ingressum hæresis compertum est) ipsa quoque religio, quæ rite colebatur, è Palæstina & Orientalium provincijs primò ad ingressum hæresis, deinde ad Saracenorum prævalentia arma præsago quodam ire divinæ & calamitatum indicio in Occidentem emigrare cæpit. Tanquam corpora & ossa nollent inter eos quiescere, quorum impietatem mortui haud minus detestantur, quàm vivi facturi fuissent. Ex his ad Carolum delatis Sanctorum Lipsanis, brachium D. Simeonis, quo Christum aliquando complexus infantem, in Westfaliam transportatum; eodemq; Caroli dono Leisbornensi cænobio haud multò pòst obtigit, quo ipsum Cœnobium Virginum ad ipsum Carolum conditorem se refert.

Carolus M. reliquias accipit à Patriarcha Hierosolymitano.

Carolus vicissim multa dona mittit Hierosolymam.

Rex audito Patriarchæ Hierosolymitani Legato, remissoque in Palæstinam, profectionis comitem illi adjunxit Zachariam presbyterum, virum gravem & eruditum, per quem multum auri & argenti, multáque regia dona ad Christi sepulchrum, ac cetera veneranda Palæstinæ loca transmisit; quin & more Majorum per Regni Provincias

cias ulteriora donaturus, pecuniam colligi jussit, quâ collapsa Hierosolymis templa instaurarentur. Ipse per hæc Aquisgrani in Palatio versatus, Christi natalitia hyememque exegit.

Carolum jam per res ab eo mirificè gestas ad annum Christiani nominis octingentesimũ deduximus; eò nunc, hoc absoluto, lætioribus auspitijs ad nonum properabimus seculum, quocum Carolum ex Rege Francorum primum Occidentis Imperatorem, auctas firmatasq; Episcoporum sedes, prolatam ultra Albim Christianam religionem, ac debellatam tandem Saxoniam, ultra quàm hactenus ulli Cæsarum aut Francorum Regum concessum, enarraturi sumus. Multa hactenus atq; ardua Rex bella gessit, eáque in singulos prope annos continuata; sed nullum ille vel studio militari contentiùs, vel animo bellandi generosiùs, vel constantiâ vincendi pertinaciùs unquam suscepit, quàm Saxonicum; cui Imperator ad supremos usq; vitæ dies sine intermissione pugnando inhæsit, ætate licet jam & senio præfractus. Cetera bella filijs & Ducibus plerumq; commissa; hoc ipse Rex, hoc Imperator suâ præsentiâ, suisq; auspicijs tanquam palmare, & sacrum pro Christi religione ampliandâ gerendum sumpsit. Nec aliam hujus rei causam, hortamentumq; potentius, habuit religiosissimus Princeps, quàm quòd ex eo bello pulcherrimum sibi laboris præmium reponeret; intelligeretq; non alio mortalium opere se quicquam Deo gratiùs, aut munere Imperatorio digniùs facturum, quàm si Saxoniam, pro sanctissimo voto suo ad aram D. Petri Romæ concepto, armis subactam, partamq; Christo, quàm latissimè posset, Romanæ veræq; Ecclesiæ aggregaret. Confici quidem id bellum citiùs poterat, nisi simul cum Danis Nortmannisque: cum Sclavis, Wilsis, Sorabis, ceterisq; interioris Germaniæ barbaris gentibus, quas Saxones in societatem armorum attraxerant, decertandum fuisset: nec alia etiam exterorum bella (quæ ob id insperssimus) motusque intestini, Regni Francici toties felicem armorum cursum interturbassent. Ac superiori quidem anno omni bellico apparatu Ostfalos & Aquilonares Saxoniæ populos perdomare statuerat, cùm præter omnem exspectationem in ipsâ urbe Romanâ Pontificem ejecêre profugum ad Carolum Regem, in quo audiendo juvandoque ea expeditio multum impedita fuit. Accessêre novi hostes Nortmanni, qui piraticis littus Oceani Gallici infestabant; metusq; erat, ne barbara gens, quæ terra non audebat congredi cum Carolo, mari Galliam divexaret, factaq; exscensione, novam belli sedem intra Francici Regni fines caperet. Danici generis populus Nortmanni, ceteriq;, qui trans Daniam degunt; quos inter censent, qui Norwegiam & Scandiam, extremasque illas Septentrionis insulas incolunt. Gens inde ab hac Caroli ætate fatalis, Ludovici Pij ac ceterorum Francorum Regum ac Cæsarum temporibus, ingentes clades Frisiæ, Scotiæ, Galliæ, Germaniæque intulit. At Carolus tanquam Aquilonarem hanc tempestatem jam præsagiret præverteretque, maturè Aquisgrano, mense

An. Christi 800. Regni Franc. 33. Longob. 27. Belli Saxonici 29.

Causa producti in tot annos belli Saxonici trans Albim.

Nortmanni Piraticâ Gallias infestant.

Ann. Franc. Adelm. Astron. Vita Carol. Regino. Adam. Brem.

Nortmãni fatalis Christianæ religioni populus.

Martio, ex hibernis progressus cum exercitu ad Gallici Oceani littora acceleravit, portus præstruxit, urbes & castella præsidijs firmavit, classemq; præterea adornavit, quæ procul ab oris maritimis prædatorias illas ac piraticas excursiones arceret. quâ vigilantiâ concordiaq; si nepotes Caroli ac Francorum Reges prævertissent malis, nunquam barbara illa gens tot spolijs, incendijs ac cædibus Austrasiam & Franciam funestasset. Sed post Carolum non alij Caroli M. Et ipse postquam in præsens magno rerum provisu omnia istic in tuto collocasset, Pascha apud S. Richarium in Centulensi Abbatiâ celebravit. Inde littus maris circumlegens Rotomagum venit, ac Sequana amne transmisso, Turones ad S. Martini tumulum religionis causâ profectus est; ubi per dies aliquot moratus, propter ingravescentem Luidgardæ tertiæ conjugis invaletudinem; quâ illic pridie Nonas Junij amissâ & humatâ, Aquisgranum redijt, ad res Germaniæ Saxoniæq; curandas, priusquam iter Romanum ingrederetur. Quam in rempublica pro more Comitia indixit Moguntiæ, quæ sub initium mensis Augusti magno Episcoporum & procerum congressu eâ in urbe habuit. Ricolphum tum Moguntinum Archiepiscopum Carolo percarum familiaremq; constat fuisse; qui præterea Episcoporum convenerint, aut quid conventu illo agitatum sit, vetustas abdidit: Haud tamen dubium, quin de itinere Romano, quòd Leonis Pontificis causâ constitutum habebat, ac de Saxonia in quiete continendâ sit actum: belli administratione per absentiam suam penes Carolum filium & Duces relictâ; quando Saxonum genti nondum ad Albim quietæ nihil frequentiùs fuit, quàm per absentiam Caroli rebellare. Reperio nostratium quosdam scriptores, qui priusquam Carolus moveret in Italiam, in Westfaliam descendisse volunt, ac Mindæ ad Visurgim procerum populique Saxonici conventum habuisse, in quo tam minis quam promissis Saxonum animos in omnem partem versârit, ne quid per absentiam suam turbarent. Verum nihil hac super re proditum in Francorum annalibus; ac perquam vereor ut Mindam nobis pro Moguntia obtrudant, quâ in urbe conventum hunc memoravimus; quo soluto, uti Francorum annales perhibent, iter Romanum ingredi statuit cum optimatibus Regni & exercitus robore, ad Leonem Pontificem in libertatem sedis Apostolicæ adversus factiosos Romanos asserendum. Id cùm omnium majorum, ac Pipini patris, tum ante omnes Francorum Reges Caroli cum primis singulare studium & observantia erga Vicarium Christi & Petri successorem semper fuit. Quâ in re probavit magnopere consilium Alcuini magistri sui, hortantis, ut, sepositis omnibus Regni bellis, festinaret ad Pontificem vindicandum; eò consultus in epistola scripserat ad Carolum, levius esse pedes dolere quàm caput, ac nullam unquam supremi in Ecclesia capitis servandi curam à defensore Ecclesiæ intermittendam esse. Igitur omisso bello Saxonico, festinatisque ex Germania itineribus Ravennam venit; ubi non nisi per septem dies commo-

Caroli vigilantia in Nortmannis avertendis.

Carolus M. Turones proficiscitur ad sepulchrũ D. Martini.

Luidgardis III cõiux moritur.

Carolus conventũ Moguntiæ agit. *Henric. de Hervord. Ann. Mind. Cleinsorg.*

Pontificẽ ab Imperatore defendendum Alcuini judicium.

commoratus Pipinum filium cum exercitu in Beneventanos ire jubet, ne urbi Romanæ vel suspicioni vel oneri esset; ipse cum aulico comitatu Romam petit, cui Pontifex Nomentum duodecimo ab urbe lapide occurrit, venientemque summo cum honore excepit. Ibi post mutuas gratulationes unà ad mensam accumbunt, Carolo Nomenti pernoctante, Pontifex ad Romanæ urbis apparatum redit, alteraque die, quæ VIII. erat ante Calend. Decemb. missis obviam Romanæ urbis vexillis, dispositisque per viam civium & peregrinorum turmis, ipse haud dissimili, quàm Hadrianus olim honore fecerat, cum Episcopis & Clero ante Basilicam D. Petri Carolum effusis omnium gaudijs excepit, interque festas cantantium voces ad aram intimam perduxit. Tum postquam septimo die Rex in concione causas sui adventus explicasset, in Antistitum synodo accusatio Leonis proposita est; quòd sacrilegi, qui virum sanctum violaverant, multa excusandi criminis gratiâ, detulerant ad Carolum; verùm nullo accusatorum ob conscientiam falsi comparente, cùm tota synodus contestaretur Apostolicam sedem more majorum à nullo judicari, ipsumque Leonem sui arbitrum fore, Leo ambonem conscendit, ex Evangelij librum manu tenens, jure jurando professus est immunem se esse ab omnibus ijs flagitijs, quorum falsò postularetur; quâ etiam ratione Pelagius Pontifex olim se expiasse memoratur. Ad quæ unâ omnium Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Optimatum Francorum & Romanorum, qui unà cum Carolo convenerant, totiusque cleri & populi voce Pontificis innocentia comprobata est. His peractis, Leo in sedem & honorem restitutus, haud multò pòst novum aliquid, & planè inexspectatum, habito prius consilio suorum, executus est. Enimvero ipso sanctissimo Natalis die, in Vaticanâ S. Petri Ecclesia, chlamydem Augustalem, & coronam auream & pretiosissimam, quam de industria comparaverat, Carolo imposuit, Imperatoremque Occidentis renunciavit; quo facto, populus universus ter voce acclamavit: *Carolo Augusto, à Deo Coronato, Magno et * Pacifico Imperatori Romanorum vita et victoria.* Populari inde acclamatione ad silentium compositâ, Pontifex Carolum Imperatorem, & Pipinum filium Italiæ Regem, oleo sacro perunxit. Carolus exinde Patricij nomine abdicato, Imperatoris & Augusti sumpsit; quanquam nec consulis nomen aspernatus. Summus ille mortalium honor erat in Augusti majestate, qui tamen minimè à Carolo quæsitus. Quippe Eginardus, qui Carolo à secretis erat, palam scripsit, dixisse Carolum, se eo die, quantumvis maxima celebritate solemnis esset, ab futurum fuisse à templo, si Pontificis mentem antè præscire licuisset. Quo testimonio facilè absolvas Carolum à suspicione affectati imperij; secus quàm Sigonius censuit, levi argumento inductus, quòd in donationum quibusdam tabulis

Carolus quartò Romam proficiscitur.

Ann. Franc. Anast. Biblioth. in Leone Regino aliique Baron.

Carolus à Leone Pontifice Imperator coronatur.

**Sigon. Pissime.*

Sigon. ad edictum Longobardorum.

scripserit, si quid Ecclesijs largiretur, credere se id sibi ad Augustalis excellentiæ culmen profuturum; quibus tamen haud aliud significare visus est, quàm sperare se, hoc dignum esse regiæ majestatis, æternæque mercedis opus. Sed longè majorem calumniam imponunt hæreticorum scriptores, qui hanc translationem Imperij ad Carolum & Francos obtrectant, tantâque scriptionis acerbitate condemnant, tanquam vel Ecclesia illa tempestate nullo defensore & patrono indigeret, vel in Carolo id merita non postulârint, vel in Pontifice auctoritas illa non fuerit, quod ceteri scriptores divino prorsus consilio factum agnoscunt. Fuêre ante Carolum Orientis & Occidentis Imperatores; & jam dudum Constantini Magni, Theodosij, ac ceteri Imperij Ecclesiæq; defensores defecerant; ex his postremus Occidentis Imperator Valentinianus III. cum specie aliqua majestatis, reliqui deinde umbræ ac simulacra Cæsarum, donec cum Momyllo Augustulo & nomen & potestas Occidentis Imperij exspiraret, potentia omni ad Francos sensim redactâ. Itaque post trecentos ferme annos in Carolo reddita repositaque in avitam sedem suam Imperij dignitas. Qui interim Orientis fuêre Imperatores, ij aut imbelles ignavique, aut Schismatici, aut hæretici, aut tyranni fuêre; donec hoc Caroli tempore ad Irenem Augusti nomen transiret, muliereque Græcis imperaret, excæcato dejectoque ab imperio Constantino filio. Et jam Orientis Imperium per Saracenos, Turcas, ceterosq; Barbaros usq; eo accisum erat, ut vix regni potentioris nomen sustineret; & quod ab illis Imperatoribus Ecclesiæ auxilium adversus tot infideles, hæreticos & rebelles sperandum? qui seipsos tueri non poterant, imperio indies in augustum contracto, dum postremum Turcis cederet in spolium. At in Carolo omnia summa & Imperatore digna; qui religione, prudentia, fortitudine, justitia, felicitate, meritis in Ecclesiam & magnitudine rerum gestarum inter omnes Europæ principes ac Reges emineret. Ac jam Franciæ Regnum per Galliam, Italiam, Hispaniam, Germaniam, utramque Belgicam & Frisiam ita terrâ marique ampliârat Carolus, ut ad Regis potentiam nomen tantùm Imperatoris & Monarchæ desideraretur: ne quid de Saxonia ab eo jam prope domitâ referam, in quâ trans Rhenanæ Germaniæ parte debellandâ à Cajo Julio Cæsare & Augusto tot exinde ad Carolum Cæsares ac Francorum Reges frustra desudârant. Eò nihil sapientius à Leone Pontifice fieri poterat, quàm in hunc Monarcham transferre Imperium, & labentibus per Orientem rebus Ecclesiæ defensorem pronunciare in Carolo. Et mira sanè divinæ providentiæ ratio, Imperium Romanum, quod cum nascente Christo Augustus firmare per orbem cœperat, id Christi natalitijs Romæ jam tot sæculis extinctum per Occidentem, renasci visum in Carolo, transferrique ad Francos, gentem bellicosissimam atque optimè de

Apostolica

Reineccius in Poët. Anonym.

Status rerum moui Occidenti poscebat Imperatorem.

Caroli potentia & merita ad Imperatoriam dignitatem.

Apostolica sede, & Ecclesiâ Christi per Occidentem promeritam; ut vel inde Christianissimi dicerentur eorum Reges, quòd in ijs summum præsidium & firmamentum reposuerat Christiana religio. At à Pontifice Romano, inquiunt obtrectatores, id fieri nec decuit nec potuit; imo verò, cùm ceteri Principes ac Præsules hanc curam sibi non sumerent, ejus erat, quem Christus in Regno suo universalem Christiani gregis pastorem rectoremque cum eminenti in omnes potestate constituerat, vicarium sui successoremque Petri. Samuel extraordinarius ille Sacerdos, ac munere Pontifex Hebræorum populo primum Regem dedit, idemque regnum haud multò post à Saule in Davidem transtulit. Eadem Regum transmutatio bis per Eliam vatem facta proditur, & vicario Christi hæc potestas subtrahetur? Sapientissimè hac super re jam dudum antè Gelasius Pontifex ad Anastasium Imperatorem. *Duo sunt, quibus principaliter mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, et Regalis potestas.* Nec dubitavit idem Pontifex pronunciare hæc illa duo esse sidera majora Solem ac Lunam, ac in solis lumine, designare Pontificis fulgorem auctoritatemque in Regno Christi, ut sicubi res & necessitas poscceret, etiam regna transferre possit; quemadmodum Stephanus III. Pontifex Franciæ Regnum transtulit in Pipinum Caroli Patrem, approbantibus omnibus Franciæ Episcopis & proceribus; neque dubitavit D. Bonifacius hunc primum Carolinæ familiæ inungere Regem, cujus nunc filium Leo Pontifex, quod Adrianus sæpe agitatum prætermiserat, inunxit imperatorem, sublimiore semper Pontificum quàm Regum & Imperatorum potestate, quando, ut sapienter in hanc rem advertit Hinemarus Rhemensium Archiepiscopus: *Reges in culmen Regium sacrantur à Pontificibus, Pontifices autem à Regibus consecrari non possunt.* Nec pro illa potestate Pontifices quicquam impensiùs injungunt, quàm ut militando pro Ecclesia ejus defensionem & patrocinium suscipiant: quod in hac Caroli coronatione unicè quæsitum à Leone Pontifice; cùm dudum Orientis Imperatores patrocinium Ecclesiæ reliquissent: Græcis jam antè per schisma & hæresin à nobis divisis, quàm Leo Pontifex Imperium divideret. Quocirca non satis demirari libet, reperiri post Centuriarum consarcinatores tantam inter Saxones & Germanos scriptorum turbam, qui hoc Pontificis factum tam malignè perstringant & comdemnent; quando non alius facilè Romanus Pontifex repertus, qui Germano nomini honorificentiùs consuluerit. Nam qui alij hi Franci, ad quos imperium translatum est, quàm Germani? propagatione gentis suæ, linguâ, moribus, legibus, ac imperio suo per Galliam & Belgicam primùm transfuso; ex quo ante trecentos annos, extinctis Occidentis Imperatoribus, regnum suum in hanc amplitudinem & potentiam sub Carolo demum Magno provexerant. Et si altiùs etiam Francorum origo

Justè à Pontificice translatio Imperij facta.

1. Pegum 9. 1. Reg. 16. 3. Reg. 19. 4. Reg. 9. 2. Paralip. 23.

Gratian: dist. 96. c. duo.

Epist. 4. c. 2.

origo à suis primordijs repetatur, haud alij fuêre populi, quàm qui has transrhenanas inter Rhenum & Visurgim regiones incoluêre; id quod tam multis altera scriptionis parte à nobis assertum est, ut vel inde hæc obtrectatorum injuria hoc loci à nobis prætermittenda non fuerit. Sed hæc illi odio magis in Pontificem, quàm veritatis scripserunt. Tanta nimirum nostrâ ætate in quibusdam est malevolentia, ut in Turcica gente æquiùs Imperatorem aspiciant, quàm inter Christianos Imperatorem Christianum, beneficio Pontificis datum: & Christiani tamen hi censeri volunt, parum sanè grati, & memores, hanc ipsam Imperatorum dignitatem à Francis postea ad Saxones transisse, atque inde apud Germanos, quæ summa gentis nostræ gloria est, ad hunc usque diem permansisse. Verùm hæc Baronius, Bellarminus, alijque sapientissimi Viri, & eruditi scriptores, satis pertractârunt.

Claves sepulchri & Urbis cum vexillo à Patriarcha Hierosolymitano Carolo oblatæ.

Sub idem tempus, quo coronationem Imperatoris adornabat Pontifex, redijt Hierosolymis Romam Zacharias presbyter ad Carolum M. cum eóque duo monachi, à Patriarcha Joanne missi ad Carolum, per quos claves sepulchri Domini & Calvariæ montis, atque urbis Hierosolymitanæ cum vexillo oblatæ; tanquam & hi, qui Carolum Monarcham agnoscebant, ejus quoque patrocinium implorarent, quod jam dudum Orientis Imperatores reliquisse compertum erat. Carolus Legatos multis muneribus exornatos remisit in Palæstinam, multum ingemiscendo, sacram illam terram, increscente Barbarorum potentiâ, à suis deseri, & ad propinquum jacturæ periculum devolvi. Quod autem quidam scribere ausi, Carolum expeditionem in Palæstinam suscepisse, vindicatis in libertatem locis sacris, dandum est narrantium fabulis, quæ non aliunde natæ, quàm ex his Carolo oblatis muneribus. At nos, priusquam sequentem annum ingrediamur, primùm Westfaliam repetamus; quando hoc loco Carolus, priusquam in Italiam susciperet iter, inter alios, qui diversis provincijs præfecti sunt Rectores, Egbertum Ducem Westfaliæ cum supremo in Comites ceterosque ministros imperio imposuit, cumprimisque ad militiam administrandam; ne quid se absente (quod sœpius compertum erat) turbaretur per Saxoniam. Nihil quidem de hoc Duce Francorum annales; ejus tamen memoria nobis certa tradita ex D. Jdæ, Egberti conjugis, vitâ, quam Uffingus Werthinensis Monach⁹ conscriptam reliquit. Sedem Dux habuit ad Luppiam Hovestadij; qui locus ex veteri castro adhuc conspicuus ab aulæ ejus statione hodiedum nomen retinet. Hîc pij conjuges aliquamdiu vixêre, magno incolarum vicinorumque bono, ac D. etiam Ludgero, ut perquam verisimile habeas, familiares, commodiq; ad Christi religionem per continentem ejus diœcesin propagandam. in quam dum transvecto Luppia transirent pernoctarentq; aliquando, fix-

Egbertus Westfaliæ Dux.

Surius tom. 5. ad 4. Sept. MS. vita in Bibliot. Monaster.

do, fixis in pago Dremi tentorijs, Jdæ conjugi, raræ pietatis fœminæ, oblata est per somnum angeli species monentis, ut istic, ubi modò quiescerent, in loco, quem Saxones Hertzfeld dixêre, ædem sacram construerent, fore enim ut ibi maritus tumularetur: quò è vivis sublato, suadere se, ut humanarum rerum curis abdicatis, soli Deo istic vacaret. Ad quæ haud multò pòst, collatâ viri operâ, resectæ arbores, purgatâque areâ, è secto lapide templum D. Genitrici virgini, & S. Germano consecratum struxit, ac prope domicilium, quo se post obitum mariti includeret, adjecit. Inde sæpius locum pietatis causâ frequentare visa: ac postquam Sacerdos impositus, divina illic peragi, & cœtus vicinorum accolarum aggregare cœpti. Egberto paucis pòst annis abeunte è vita, atque istic in tumulum condito, Jda cum duabus cognatis, Begga & Gertrude, se in sacrum pietatis asceterium inclusit, famâ sanctitatis, cultuque loci apud posteros relicto. Clari uterque sanguinis, Egbertus è Palatinis Caroli M. Jda patre Comite nata, qui à Pipini & Caroli M. progenitoribus se ferebat: nati licet in Francia, domicilio tamen & sepulchro Westfaliam nobilitare maluerunt. Celebris exinde Hertzfeldiensis Ecclesia in diœcesi Monasterienſi, quæ cum primo Episcopo D. Ludgero condita etiamnum præclara antiquitatis & pietatis monumenta commonstrat. Diversusne sit hic Egbertus Dux ab Egberto Comite, qui bello Danico fidam operam Carolo Imperatori præstitit, haud facilè dixerim. Certè unus hic Westfaliæ Dux, præter Widekindum, quem annalium monumenta prodiderunt. Adeo vetustas omnia secum condidit. Neq; ex toto Comitum numero, quos per pagos juridicundo præfeciſſe constat Carolum, præter Trutmannum, facilè alij ad nos ex Caroli ævo pervenerunt. Et hunc celebrem Tremoniæ Comitem perhibent hoc anno fanum genticæ superstitionis commutasse in Christianorum Ecclesiam, ac D. Martino consecrasse. Verùm si quis antiquos Tremonienſium fastos consulat, reperiet is, vetustissimam apud illos ædem D. Nicolai ex ligno primùm constructam; quæ cùm in villa Trutmanni Comitis constiterit, nec ullum istic vestigium templi D. Martini supersit, fabulis hæc accenseas. Ceterum capella D. Benedicti extra muros olim structa, collegium D. Pantaleonis (quod pòst in Reinoldi templum transijt) & capella regia, Ludovici Germaniæ Regis sunt opera, nec vetustiora apud illos quisquam prodidit.

D. Jda Egberti conjux Hertzfeldiæ Ecclesiam erigit.

Tremoniæ quæ vestigia sacra antiquitatis.

Subit nunc annus Christi octingentesimus primus, quem alij à Natalitijs Christi, alij communiùs à Januario ordiuntur. Et Carolus, postquam Imperator renunciatus, reliquum hyemis exegit Romæ apud Pontificem; ac nihil pro jurato defensoris Ecclesiæ officio contentiùs habuit, quàm ut in rebelles & sacrilegos Romanos, qui Leonem Pontificem tam injuriosè tractaverant, dignis supplicijs animadverteret. Postulati omnes in judicium, comdemnatique capitis, sed cùm

An. Christi 801. Imperij Caroli I. Regni Franc. 34. Long. 28. Belli Saxon. 30.

Ann. Franc. cùm ipse Leo Pontifex interveniret pro mitigatione pœnæ, satis habuit Carolus exilio mulctare; tametsi non desint, qui trecentos fere è plebe capite plexos memorent. Inde, quod Imperatorum erat, collato cum Pontifice consilio, animum adjecit ad Italiam & universam Remp. Christianam optimis legibus formandam, priscisque Longobardorum legibus adjunxit novas. Paschate Romæ celebrato, Pipinum ad Beneventanos remisit, ipse VII. Kal. Maij urbe digressus Spoletum accessit. Ibi dum ageret, pridie Kal. Maij, horâ noctis secundâ, maximo terræ motu Italia tota concussa est, interque multa ædificia quassata aut subruta Romæ tectum Basilicæ D. Pauli procubuit. Ob id institutum à Leone Pontifice, ut præter Litanias majores, quæ festo D. Marci supplicantium ritu celebres erant, tribus ante Ascensionem Domini diebus supplicationes ad diversa templa haberentur. Quam rem Mamertus, Viennensis Episcopus in Ecclesia sua primus instituerat, eoque pietatis ritu se ingenti quondam terræ motûs periculo, alijsq; calamitatum humanarum malis liberaverat. Sed & idem terræ motus Galliam & Germaniam, cum primisque Rheni oras sub idem tempus concussit, quod præter ceteros à Poëta nostro Paderbornensi perscriptum est.

Carolus in reos quæstionem instituit.

Carolus Paschæ Romæ agit.

Sigon. lib. 4. de Reg. Ital. Concil. Paris. gener. Albertus Stad. ad an. DCCC.

Reineccius in notis ad Poët. Anon.

Terræ motus per Italiam, & Germaniam ad Rhenum.

Gallia nec tantæ fuit aut Germania cladis
Immunis; circa Rhenum loca deniq; motu
Plurima terrifico nimium concussa fuerunt.
Audiri quoque mugitus è montibus altis,
Et tetri sonitus reddi, varijque boatus
Morborumq; lues fieri permaxima cœpit.

Ann. Franc. Astron. Adelm. Auct vitæ Caroli. Poët. anonym.

Spoleto Carolus Ravennam, inde Papiam processit. Ibi cùm audisset Legatum Regis Persarum ex Oriente ad se venire, & jam in Pisanum portum advectum esse, missis, qui eum exciperent, Legatis, inter Vercellam & Eporœdiam urbem audivit perbenignè. Adeo Caroli fama totum orbem prope impleverat, priusquam etiam Imperatorium nomen in remota illa regna penetraret. Expugnata per id tempus post biennij obsidionem Barcinona in Hispania urbs à Caroli milite, ejectis Saracenis: captus Zatus præfectus cum alijs Saracenis & ad Carolum perductis. Natalitijs S. Joannis Baptistæ Eporœdiæ actis, mense Julio Alpes trajecit. Inde in Germaniam transgressus annum prope integrum Aquisgrani consedit. Ac mirum sanè dictu, quo populi plausu, quibus gratulantium Episcoporum ac consalutantium procerum vocibus exceptus sit; quòd eum, quem Regem abs se proficiscentem in Italiam dimiserant, Imperatorem reciperent, coronatum Romæ in theatro orbis, ubi Augustus imperium auspicatus, unctum à Pontifice maximo, & successore Petri, cui Saxoniam à se debellandam obtulerat, nullo Regum ac principum per ambitionem obnitente, qui id meritis ejus, & rerum ab eo gestarum gloriæ ultro deferebant.

Persarum Legati audiuntur à Carolo.

Carolus ex Italia redux Aquisgrani versatur.

rebant. Ita postliminio Occidentis Imperium, quod per trecentos annos sine possessore prostratum jacuerat, jura & titulos & majestatem suam tanto magnificentiùs recepit in Christiano Principe, quo post Constantinum M. & Theodosium M. nullus exinde Imperatorum, rerum gestarum magnitudine & cognomento Magni, glorioſior Europæ divino prorsus munere obtigit. Aureum certè, si unquam cum Carolo renatum sæculum, quo nec Christiana religio per Occidentem, præsulum sanctimoniâ, cleri disciplinâ & Principum concordiâ felicior; nec Cæsar inde datus ex Francis, qui majestatem Imperij armorum potentiâ, hostium terrore, & veneratione exterorum Regum magnificentius possederit. Adeo prima semper eminuêre. Nec enim post Augustum inter Ethnicos, post Constantinum M. inter Christianos, post Carolum M. inter Francos, post Ottonem M. inter Saxones & Germanos; ullus facilè repertus est Cæsarum, qui Carolum rerum gestarum magnitudine & religione exæquârit ex successorum ordine; tanquam sæcula fato suo renascerentur cum magnis Imperatoribus, deficerent cum ætate sua, quasi aut similes parere, aut si obtingant, ferre non possint. Sed in magnis regnorum imperiorumq; mutationibus nonnisi magnos atq; eximios viros deligit Deus, tanquam instrumenta ingentium suorum, quæ molitur, operum. Postquam cùm Valentiniano postremo aspectabilium Cæsarum Occidentis Imperium in ruinam procubuit, hoc ipso tempore Merovæo primus ille Francorum Regum stirpis conditor Rhenum potentius quàm ceteri transgressus, Regnum Francorum per Galliam & utramq; Belgicam firmare cœpit. Inde illud tot Regum Francorum virtute bellicâ ita auctum, ut jam Imperij Occidentis vires obtineret, antequam Reges eorum Imperatores dicerentur. Et Carolus demum, cùm ad fastigium tot regum deduxisset opus, alteroq; auctius quàm omnes ante ipsum Reges Francorum reliquerant, regnis & provincijs ampliasset, primus etiam Imperatoriam dignitatem in familiam & regnum Francorum invexit; sed Francorum nativorumq; Germanorum virtute & gloria; ideo regni sedem inter ipsos Aquisgrani, quo ad inde vixit Imperator, delegit. Ibi regium palatium: ibi Augustalem Basilicam: ibi thesaurum sacrum, Imperij tutelam, sceptrum, coronam esse voluit: ibi Ludovicum filium priore, quàm moreretur, anno, inaugurari, & augustalem Imperij locum designari fecit; ubi & mortale corpus suum in sepulchro condi jussit; tanquam ex monumento etiam suo moniturus posteros, apud quam gentem nationemque partum abs se Imperij decus conservari voluerit.

Carolus inter magnos Imperatores, verè magnus.

Aquisgranum inter Germanos Imperij sedes Caroli auspicijs.

Ann. Francorum. Poëta Anonym. Eginardus.

Et Carolo postquam ab reditu ex Italia in Germaniam pervenit, nihil pro Imperatorio munere ac dignitate antiquiùs habuit, quàm ut bonis legibus Imperium formaret, aut veteres leges renovando, aut novas adjiciendo. De quo Eginardus in vitâ Caroli, *post susceptum*, inquit, *Imperiale nomen, cùm adverteret multa legibus populi sui deesse (nam*

Carolus ex quo Impera-

tor animũ ad leges adjicit, & omnium sub se nationũ leges perficit.

Franci duas habent leges, plurimis in locis valde diversas) cogitavit quæ deerant addere, et discrepantia unire, prava quoque ac perperam prolata corrigere. Sed in iis nihil aliud ab eo factum est, quàm quod pauca capitula et ea imperfecta legibus addidit. Omnium tamen Nationum, quæ sub ejus dominatu erant, jura, quæ scripta non erant, describere, ac literis mandari fecit.

Ita ut primùm Carolus cœpit in Italia, cùm leges Longobardorum in meliorem formam redegit, tum ceteras perfecit in Germaniâ, Salicam cum primis & Ripuariam, quæ duæ ille Francorum leges creduntur ab Eginardo designari. Nec tam in novis legibus condendis, quàm priscis restituendis perficiendisque Caroli labor fuit. Eò passim viginti tria capitula legum Carolinarum perhibentur; quanquam quid in his præstiterit Carolus Aquisgrani, altero & consequentibus Imperij annis, nemo hactenus certiùs accuratiusque perscripserit, quàm Sirmondus ex vetusto Metensis Ecclesiæ codice. Et quia hæ leges pleræque mixtæ, quibus de sacris profanisq; statutum, Carolus, pro Majorum & Francorum Regum more, ad eas condendas præscribendasque, quod Rex fecerat, etiam Imperator servavit: primùm Episcopos, Abbates & Ecclesiarum præsules, deinde Regni proceres evocavit ad comitia. Quod & in Longobardicis legibus præscribendis tenuit: ne quid suâ auctoritate Ecclesijs præscriberet, quando ne in privato quidem aulico judicio sine supremi aulæ Sacellani, quem palatij custodem & Apocrisarium dixerunt, cognitione & auctoritate agi voluit. Idcirco Hincmarus Archicapellanum & Cancellarium supremos aulæ ministros tradidit. Quam in rem Carolus primò Angilramum Metensium Episcopum, eoque mortuo, Hildebaldum Coloniensem Archiepiscopum, & Alcuinum Abbatem, viros rerum Ecclesiasticarum peritissimos apud se in aula habuit. Et tamen reperias ex adversa horum temporum religione scriptores, qui pertinaciter contendunt, Carolum M. pro Regia & Imperatoria auctoritate, leges Episcopis, Sacerdotibus, & Ecclesiæ præscripsisse. Legant illi proœmia constitutionum Carolinarum, expendant Superiorum annorum Synodos, videantq; nullam sine Episcoporum præsentia habitam, recolantque uti se adjuterem tantùm rerum Ecclesiasticarum appellet. Inde cum Sexaginta octo capitula legum Ecclesiasticarum ex concilijs ac summorum Pontificum decretis colligi jussisset, Episcoporum primùm judicio subjecit, ac nonnisi eorum auctoritate præscribi voluit. Sanè verò quæ in Concilio Francofurtensi de adoptione filij Dei, cultuque imaginum adversus Felicianam hæresim, quæ post in Aquisgranensi concilio de processione Spiritus S. quæque in alijs Synodis in controversijs fidei Christianæ tot decretis sancita sunt, nunquam Carolus Regiâ suâ aut Imperatoriâ auctoritate dijudicanda suscepit, sed Episcoporum & summi Pontificis judicio reliquit. Absit hæc de religiosissimo Imperatore vel

Carolus M. leges Sacras per Episcopos ferri voluit.

re vel in suspicionem trahere, quem supra temporum nostrorum obtrectatores Ecclesiasticarum rerum peritissimum & observantissimum fuisse constat. Et quâ in re unquam religiosior Carolus, quàm ne quid Romanæ Ecclesiæ auctoritati derogaret? quòd vel hæc Caroli constitutio, ut innumera hîc prætermittantur, revincit. *In memoriam beati Petri Apostoli honoremus Sanctam Romanam et Apostolicam Sedem, ut quæ nobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ magistra rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum, tamen feramus, et piâ devotione toleremus.* Non hîc repetam Caroli Epistolam ad Romanos, Francos, Alemannos, Bojarios, Saxones, Thuringos, Frisones, Gallos, Burgundiones, Brittones, Longobardos, Vascones, Gothos, Hispanos, ceterosque Regno ejus subjectos populos perscriptam, quâ Theodosij lege revocatâ sancitâque, jubet omnes supremo Episcoporum judicio acquiescere, sive causæ prætorio jure, sive civili pertractentur. Et in Ecclesiasticis quidquam à Carolo sine Episcoporum auctoritate constitutum credemus? Scio quòd illi judicium rerum sacrarum ad Politicos suos Principes detulerunr, & quam Ecclesiarum suarum formam introduxerunt, hanc in Carolo nobis fingunt, ut ex hæresi sua inanem nobis suam sententiam persuadeant.

Carolus M. Sedē Romanam veneratur. ut Matrem Ecclesiarū. *Gratian. Hist. 19. c. 3.*

Legibus latis renovatisque, Carolus comites officij sui admonuit, jus dicerent, lites dirimerent, justitiam summis infimisq; cum primisq; viduis, pupillis, & pauperibus administrarent. Missi etiam cum suprema potestate per Provincias Legati, quos Missos Dominicos dixêre, qui Imperatoris nomine hæc recognoscerent & exequerentur, ipsorumq; Comitum ac Ministrorum acta inspicerent: diligenter simul perquirendo, quam concordiam & amicitiam inter se colerent Episcopi, Abbates, Comites, Vassi; & quæ in hanc rem legatis demandata sunt. Quo in genere nihil intermisit Carol⁹, quod Imperatorij muneris esse poterat. Et si ex annalium memoria Superiores Francorum Reges ac Cæsares recolas, nemo facile occurret, quem justitiæ laude Carolo anteferas; quòd bene intelligeret: *Justitiâ firmari solium.* Sapientissimè quoque constitutum à Carolo M. de Episcopis & Sacerdotibus, qui Castra sequebantur, atq; ea cùm partim Rex, partim Imperator sanxerit, nec horum certus annus consignatus est. Jam enim dudum more receptum erat, Episcopos etiam in Francorum Regno sequi castra, atque ab ipsis Regibus duci in bella, seu ut Castrensium Sacerdotum moderatores essent, quò militibus haud secus quàm alijs populis sacra administrarentur: seu ut ipsi Principes Episcopos sibi consiliarios & conscientiæ arbitros præsto haberent. Id quàm laudabili primùm usu cœptum servatumque, tam pravo postea corruptum per Episcoporum quorundam inscitiam ac licentiam vitæ; quando reperti sunt inter eos Caroli Martelli ævo,

Sirmond. in Capit. Carol. Concil. gener. Paris. Capit. Eccleſiaſt.

Lex Caroli de Episcopis & Sacerdotibus, qui Castra sequuntur.

qui militari sago induti cum suis, quos scripserant, militibus progressi in prælium, idque eo sibi magis licere rati, quod bella adversus paganos gererentur, quæ illi inter sacra habebant, in quibus fas esset Episcopis non minus quàm ceteris belli præfectis pro Christiana religione depugnare. Ac primum munus quàm decorum piumque fuit Hildegario Colonienſium Episcopo, qui castra Pipini Regis secutus est in Saxoniam; tam fœdum fuit Geroldo & Gervilio Moguntinis Episcopis. Hæc deinde D. Bonifacio causa, ut dum per Franciam & Germaniam legatus Pontificis formaret Episcoporum & Sacerdotum mores, lege sanciret, ne quis exinde Episcopus arma ferret, iretq; in hostem; uti supra à nobis, & in monumentis etiam Paderbornensibus relatum est à Ferdinando Episcopo. Mansit interim mos priscus ac bonus, ut Reges assectando Episcopi castra sequerentur, aut supremi aulæ Sacellani aut conscientiæ ipsius Principis Sacerdotumque castrensium moderatores, aut consultores, ac Rectores rerum sacrarum. Quemadmodum & Carolus M. primo Angilramum Metensium Episcopum, deinde Hildebaldum Colonienſem Archiepiscopum sibi domi militiæque adesse voluit. Quo in munere sacro præter ceteros Episcopos etiam D. Ludgerus castra Caroli M. aliquando assectatus creditur, cùm Rex expeditionem in Sclavos sumeret, & ille Helmenstadium dono Caroli M. acciperet.

Libellus supplex populi, ne Episcopi ad bella pergant, *Lib. 6. Capit. c. 285.*

Post ubi per frequentem Episcoporum absentiam in castris multæ Ecclesiæ neglectæ sunt, populus ipse Carolo M. supplex libellum porrexit, quod in hunc modum refertur inter Caroli leges.

Flexis omnes precamur poplitibus Majestatem vestram, ut Episcopi deinceps, sicut hactenus, non vexentur hostibus; sed quando vos nosque in hostem pergimus, ipsi propriis resideant in parochiis, Deoque fideliter famulari studeant, et earum sacrosancta mysteria canonicè, et Deo placitè peragere satagant, atque pro vobis et cuncto exercitu vestro, una cum omnibus sibi commissis, orare viriliter, Missasque decantare et letanias atque eleemosynas facere decertent. Quosdam enim ex eis in hostilibus et præliis vulneratos vidimus, et quosdam periisse cognovimus. Hæc verò valdè periculosa, et oppidò sunt cavenda: quæ idcirco suggerimus, ne pro talibus vos, et nos simul pereamus. Et quæ multis illo libello supplici exponuntur, rogitando Carolum cum primis, ut non nisi duo aut tres, ijque eruditi viri electione ceterorum ad periclitantium reconciliationem adsciscerentur. Idem in delectu Sacerdotum aliorum fieri petunt. Ad quæ Carolus, se hac super re prius in proxima synodo & in conventu plurium Episcoporum & Comitum consultaturum; nec multò post ex sententia Episcoporum & Sacerdotum in hunc modum primo respondit: *Servis Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum et in hostem pergere, omnino prohibemus; nisi illi tantummodò, qui propter divinum ministerium Missarum scilicet solemnia adimplenda, et sanctorum patroci-*

Lib. 7. Capit. 91.

Caroli ad libellum supplicem responsio.

patrocinia portanda ad hoc electi sunt. Id est, unum vel duos Episcopos cum Capellanis presbyteris Princeps secum habeat, et unusquisq; præfectus unum presbyterum qui hominibus peccata confitentibus judicare, et indicere pœnitentiam possit. Adeo Carolo religiosum fuit nihil præscribere, aut Sacerdotibus quicquam imponere oneris; nisi prius ceterorum Episcoporum & Sacerdotum audito consilio, eorumq; voluntate & auctoritate ad hoc expeditâ. Nec his acquievit religiosissimus Imp. quin in alia Synodo Episcoporum eandem rem exponeret; & quantum ingressus præ se fert, Romanus etiam Pontifex consultus. Igitur planius in hanc formam deinde respondit:

Secundâ vice propter ampliorem observantiam Apostolicâ auctoritate, Lib. 7. c. 105. *et multorum sanctorum Episcoporum admonitione instructi, sanctorumque canonum Regulis edocti, consultu videlicet omnium nobilium nostrorum, nosmetipsos corrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, volumus ut nullus Sacerdos in hostem pergat, nisi duo vel très tantum Episcopi electione ceterorum, propter benedictionem et prædicationem, populique reconciliationem et cum illis electi Sacerdotes, qui bene sciant populis pœnitentias dare, Missas celebrare, de infirmis curam habere, sacratiq; olei cum sacris precibus unctionem impendere, et hoc maximè providere, ne sine viatico quis de sæculo recedat. Hi verò nec arma ferant, nec ad pugnam pergant, nec effusores sanguinum, vel agitatores fiant: sed tantum sanctorum pignora et sacra ministeria ferant, et orationibus pro viribus insistant, ut populus, qui pugnare debet, auxiliante Domino victor existat, et non sit Sacerdos sicut populus. Reliqui verò qui ad Ecclesias suas remanent, suos homines bene armatos nobiscum, aut cum quibus jusserimus, dirigant, et ipsi pro nobis et cuncto exercitu nostro Missas, Letanias, oblationes, eleemosynas faciant, orantes Deum cœli, ut proficiamus in itinere quo pergimus, victoresque Deo adminiculante existamus. Gentes enim et Reges earum, quæ Sacerdotes secum pugnare permiserunt, nec prævalebant in bello, nec victores extiterunt, quia non erat differentia inter laicos et Sacerdotes, quibus pugnare non est licitum. Hæc vero Galliarum, Spaniarum, Longobardorum, nõnullas aliasq; gentes, et Reges earum feciſſe cognovimus, qui propter prædictum nefantissimum scelus nec victores extiterunt, nec patrias retinuerunt. Quàm foveam caventes malumus cum paucis et licitis, Domino opem ferente, victores existere, quam cum multis et illicitis terga, quod absit, vertere, et cum prædictis gentibus perire. Qualis enim victoria datur, ubi Sacerdotes una hora Dominica pertractant ministeria, et Christianis Dominicum porrigunt corpus pro suarum animarum redemptione; et post Christianos, quibus hoc ministrare debuerant, aut paganos quibus Christum prædicare, propriis sacrilegisq; manibus necant.*

Episcopi duo cum presbyteris Capellanis sint in castris ad benedictionẽ

Ad prædicationẽ verbi Dei.

Ad Missarum solemnia.

Ad Sacramentum extremæ unctionis.

Ad Pœnitentiæ Sacramẽtum.

Ad reliquias SS. portandas.

Quam præclaram Caroli M. legem si quis syncerâ mente expenderit, recognoscet is facilè quàm Episcopis & Sacerdotibus observantiam detulerit, quâ sollicitudine & sacrorum curâ milites complexus fuerit, quam deinde religionem, ne per singula hæc repetamus;

mus, coluerit. Digna profectò religionis professio, ex qua hæreticorum nostri sæculi errores refellas.

Verùm quantumcunq; Carolus hoc salubri decreto supplicipopulo & Episcoporum Sacerdotumque bono consuluerit, non defuerunt tamen, qui hæc aut objectare aut suspecta habere sint ausi, tanquam Episcoporum honori & bonis Ecclesiæ derogare cogitârit; horum querelis ut occurrat, alio rursum decreto multis exponit, nihil hac in re sine Leonis Pontificis & omnium Episcoporum consilio & auctoritate abs se statutum, præscriptumve esse.

Carolus profitetur se bona Ecclesiæ & honorem Sacerdotum aucturũ.

Ac ne quis, eò quòd tam paucos deinceps Episcopos in comitatu habeat, in suspicionem veniat, tanquam bona Ecclesiæ quoque imminuere velit, Deum Divosque per merita sua testatur; eumque se adjutorem ac defensorem pollicetur Ecclesiarum, qui ad sublimiorem, quàm unquam pervenerint, honoris gradum Sacerdotes & bona Ecclesiæ provecturus sit, ut sanè per Saxoniam, si ullibi, præstitit. Memorem se deinde profitetur eorum, quæ à Symmacho Romano Pontifice anathematis pœna sancita sint: Iniquum videlicet & sacrilegij instar esse, ut quæ vel pro salute, vel pro requie animarum suarum unusquisque venerabili Ecclesiæ pauperum causâ contulerit, aut certè reliquerit, ab his quibus maximè servari convenerat, auferri, aut in aliud transferri, quod tam multa insuper sanctorum canonum decreta & sanctorum patrum edicta testentur, quæ cuivis scrutanti facilè nota esse possint. Hæc denuo integerrimus Imperator. Invaluit ab hoc Francorum Regum instituto, quantum opinari libet, apud consequentes Cæsares, tot sibi Episcopos in profectionibus ac militaribus exinde expeditionibus adsciviſſe non tam Comites, quàm rerum sacrarum publicarumque administros.

Ludgerus ab Hildebaldo Archiep. Colon. consecratur Episcopus.

Brouver. in notis ad vit. Ludg. Bolland. in Comment. ad vitam S. Ludg.

Hoc anno, ut propius etiam nostra contingam, D. Ludgerus Westfaliæ sidus tandem ab Hildebaldo Colonienſi Archiepiscopo & Caroli M. supremo aulæ Sacellano consecratus est Episcopus, postquam jam in duodecimum annum in Sacerdotali gradu diœcesin administrasset. Scio reperiri, qui ad præcedentem annum hæc referant, velintque id ante profectionem Hildebaldi in Italiam factum esse. Verùm cùm ad hunc usque annum in omnibus donationum tabulis Werthinensis cœnobij diligenter à Bollando congestis Ludgerus aut Sacerdos aut Abbas consignetur; in alijs verò, quæ exinde consequuntur, Episcopus scribatur, consecrationem ejus verisimilius ad hunc annum vel prioris exitum referas. Sæpius quidem ille rogatus ab Hildebaldo Metropolitano suo, monitusq; ut Episcopi consecrationem admitteret, præsertim in tanta amplitudine suæ diœcesis, quæ crescente indies populorum Christianorum numero, auctoque clero & paroecijs Sacerdotes expeteret ad Sacramentorum procurationem; sed mirum quantum hactenus vir sanctus obluctatus

sit,

sit, rogando etiam sæpe alumnos suos ac Sacerdotes, ut pro se Episcopi ordines sumerent, seu exemplo magistri sui Gregorij Ultrajectensis Antistitis, qui Episcopi consecrationem per omnem vitam detrectavit: seu quòd diceret, ut Altfridus in vita ejus prodidit, Episcopi vitam oportere esse omni reprehensione immunem, quàm perfectionem ab Apostolo præscriptam Episcopis cùm in se minimè agnosceret, nihil etiam impensius deprecari, quàm ne Episcopus consecraretur. Tandem Hildebaldi Metropolitani sui consilio, aliorumq; hortatu, cumprimis ex Caroli M. voluntate, qui omnes quotquot Episcopi munus sustinerent, consecrari jusserat, ægrè licet, ab Hildebaldo Coloniæ sese Episcopum solemni ritu inungi passus est. Sed tanto ille impensius omni virtutum exemplo vitæque sanctimonia Episcopi munus exinde implevit, totiusque Episcopatus incolas Saxones ad Christi fidem perduxit; donatusq; jam Lothusio Monasterio in Brabantia cum circumiacentibus Ecclesijs & villis, trium populorum, Brabantinorum, Frisonum & Saxonum, ut olim vaticinio acceperat, doctor inclaruit. Quinque etiam exinde Frisiæ pagos, de quibus supra relatum est, ab eo ad Christi sacra perductos, una Episcopi cura semper complexus, ad successores ut partem diœcesis suæ transmisit, quos ævo demum nostro una cum Groninga urbe primùm Philippus. II. deinde Batavorum Resp. abstraxit; tota his fere Omlandia continetur, modò in Satrapias divisa. Supersunt hodiedum apud Werthinenses inter Pontificalia ejus indumenta, quibus in solemnibus sacris usus est, Sandalia, chirothecæ, pedum pastorale, non obscura etiam in his minimis avitæ religionis vestigia.

Ludgerus refugit Episcopi consecrationem. *Altfridus in vita ejus c. 4.*

Ludgerus trium populorum doctor.

Quinque Frisiæ pagos à se excultos Ecclesiæ Monasterienſi reliquit, ejusq; patrimonio.

Consequitur nunc annus Christi ejus sæculi secundus, quo Carolus Imperator celebratis Christi Natalitijs per hyemem Aquisgrani substitit, ibidemque Pascha habuit. Tempus magnam partem legationibus audiendis mittendisque datum, eò quòd summæ Imperij res in consultationem venerint. Quippe Irene Orientis Augusta, ubi Carolum Occidentis Imperatorem renunciatum intellexit, Constantinopoli Leonem Spatharium legatum misit pacis confirmandæ gratia Francos inter & Græcos. Hanc oblatam ultro pacem ita comprobavit Carolus, ut simul Irenes nuptias (quas hæc quidem ob secundam Caroli fortunam, & virtutis claritudinem visa est non aspernari) defuncta jam Luidgarde tertia conjuge ambiret, vires Orientis Imperio Romano adjecturus; ictoque in præsens per legatos fœdere, Ambianensem Episcopum & Helinigaudum Comitem misit Constantinopolim pacem & nuptias transacturos: Pontifex etiam additis legatis earum nuptiarum se conciliatorem professus est. Quòd cum agi Nicephorus patricius adverteret, indignumque arbitraretur omnia ad Carolum Francum Augustumq; novum vergere, tumultu per eam occasionem Constantinopoli concitato, Irenem

An. Christi 802. Imperij Car. 2. Regni Franc. 35. Long. 29. Belli Saxon. 31. *Ann. Franc. Adelm. Astron. Zonar. l. 3. Regin. l. 2. Frising. l. 5.*

Carolus Aquisgrani Paschæ celebrat.

Carolus Irenes nuptias ambire visus. *Zonaras.*

Theoph. in Niceph. Nicephorus ejecta Irene Imperium Orientis sumit, fœdere cum Carolo inito.

nem comprehendit, eáq; in Lesbiam insulam relegatâ, ipse vacuum invadit Imperium, Caroliq; legatis pro nuptijs tragœdiam spectandam dedit. Mox Nicephorus homo Græcâ fide perfidus, & multis hæresum erroribus infectus, tyrannusque in Clerum, missis ad Carolum legatis, pacem cum eo fœdusq; init, ut alter Orientis, alter Occidentis Augusti, fratresque inter se essent; fines etiam utriusq; imperij per Italiam descripti. Hujus Nicephori Græcorum Imperatoris id dictum volunt: τὸν Φραγκὸν φίλον ἔχῃς, γείτονα οὐκ ἔχῃς. Francum amicum habeas non vicinum, quòd torrentis instar raperent Franci vicina regna & provincias. Per hanc nuptiarum legationumq; occasionem censuit Baronius Osnabrugi scholas, in quibus periti Græcæ linguæ clerici virique formarentur, hoc anno institutas esse: alij id supra ad nuptias Rotrudis Caroli filiæ cum Constantino Irenes filio anno 782. tentatas referunt; diploma, quo id demum Carolus præscripsit, ad annum ejus imperij quintum recitabimus. Quoquo tandem anno id Carolus instituerit, haud minus obscurum qua tandem ex causa Parisijs, Colonia, Moguntia, Trajecto, alijsque artium liberalium florentibus urbibus præteritis Carolus eas Græcæ institutionis scholas Osnabrugi in media Westfalia, & bello Saxonico nondum finito esse voluerit. Id quia veteres annalium Francorum scriptores alijque non tradiderunt, nobis tantummodo intra conjecturam relinquitur; seu quòd aliarum urbium Gymnasijs idem commendârit, seu quòd id Saxonum ac Westfalorum ingenijs celebritatique ejus collegij tribuerit, in quo jam in omni genere doctrinarum studia, cumprimis Wihone eruditissimo Episcopo, florescebant, ex eoque præstantes etiam exercitiq; in lingua Græca Sacerdotes ac clerici aulam Caroli M. ea fama impleverant. Adeo non modò barbaries per id tempus literarum cultura per Saxoniam detersa erat, ut & claros peregrinarum sacrarumque literarum viros proferret in publicam gentis suæ laudem. Magna per id tempus sollicitudo industriaq; Caroli in instaurandis scholis & liberalium artium disciplinis; fateturq; Jonas Aurelianensis Episcopus studia literarum non modò per Galliam, sed & Germaniam effloruisse. Coluitq; Carolus mirificè Grammaticæ professores, è quorum numero ipse audivit Petrum Pisanum Diaconum, atq; ad Aquileiensem Archiepiscopatum Paulinum extulit, ad quem & literas ipse conscripsit. Quo in honore cùm literarum studia essent, multi etiam Episcopi Grammaticæ, & humaniores artes docuerunt; uti hi à Baronio memorantur. Eò verisimile reputes, Wihonis Osnabrugensis Episcopi cura collegium istud Canonicorum bonis artibus & eruditis viris abundasse; qua deinde æmulatione cetera quoque per Saxoniam collegia Canonicorum efflorverint, tanto cum primis Mœcenate Carolo.

Paulus Æmilius in Carolo M. Eginardus in vita Caroli. Carolus Græcas scholas Osnabrugi instituit.

Jonas in exord. Commen. advers. Claud. Taur.

Carolus


At non ita Carolus per vernum tempus Aquisgrani moratus, quin

quin Wormatiam etiam profectus sit cum aulâ; quâ in urbe VI. Kal. Maij D. Ludgero jam Episcopo consecrato, ut mox liquebit, egregium diploma consignavit. Erat per id tempus D. Ludgerus totus in condendo exstruendoque Werthinensi cœnobio. Et quam Pontificis in eo opere, hanc & Caroli Imperatoris auctoritatem imploravit; approbavitque non modò Carolus viri sancti institutum, quo ex illo Monasterio etiam subsidiarias operas haberet ad excolendam Westfaliam, sed & Lothusam in Brabantia D. Ludgero donatam confirmavit. Quam in rem ipsum Carolinum diploma ob præclaram antiquitatis momoriam hic sistimus. Wormatiã profectus.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.

Diploma Caroli M. datum D. Ludgero pro Werthinensi cœnobio condendo.

Carolus divina donante clementia Imperator Augustus. Si Sacerdotum ac servorum Dei petitionibus, quas nobis pro necessitatibus suis insinuaverint, aurem accommodamus, et ea ad effectum perducimus, non solùm Regiam et Imperialem consuetudinem exercemus, verùm etiam æternæ retributionis præmia nobis profutura non dubitamus. Comperiat itaque omnium fidelium nostrorum præsentium et futurorum industria, qualiter beatæ memoriæ Luidgerus Mimigerfordensis Episcopus postulavit celsitudinem nostram, ut cum licentia et auxilio pietatis nostræ sibi liceret in propriâ sua hæreditate in pago Ruricho, in loco qui dicitur Werthina, superfluvium Rura, in sylva Wenasvvaldt, Ecclesiam ædificare in honore Sanctissimi Salvatoris, et Sanctæ Mariæ Virginis, nec non et sanctarum Reliquiarum, quas ab Apostolico Papa de Roma transtulit, et si facultas daretur, quandoque Monasterium ædificare, et Monachos se velle congregare manifestissimè testatus est. Cujus rationabili et iustæ petitioni libentissimè assentimus, imprimis ut eadem Ecclesia in nostram tuitionem susceptа, et non solum ea, quæ moderno tempore, verùm etiam ea, quæ postmodum à fidelibus collata fuerint hominibus, firmius et solidius possidere absque ullius iniusta valeat infestatione. Ad perficiendum autem in eodem loco Monasterium, et ad congregandum Cœnobium, suggerente sæpedicto fideli nostro Episcopo, ad easdem reliquias proprias res nostras, id est fiscum nostrum, qui vocatur Lothusa, in pago Brabant, cum omni integritate in proprietatem donamus, et in perpetuum perdurare Deo præstante iubemus, cum omnibus ad se pertinentibus terris et silvis, mansis et mancipiis, aquis et pratis, ædificiis cultis et incultis, Imperiali more ad sæpe dictas reliquias, quæ in Vverthina venerantur jure hæreditario præstamus et condonamus. Et ut hæc auctoritas nostris et futuris temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu nostra subterfirmavimus et annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Domini Karoli serenissimi Imperatoris Augusti. Hildigrimus Notarius ad vicem Algwini Archicapellani recognovi. Data VI. Kal. Maji. Anno Incarnationis Domini DCCCII. Anno autem regni eius XXXIIII. et in Italia XXVII. Imperii vero II. Indict. X. Actum Wormatia, in Dei nomine feliciter. Amen.



Annus Incarnationis ævo Caroli usitatus scribi.

Suspectum hoc diploma est Bollando, tum quòd annum Incarnationis adscriptum habeat, præter morem tabularum publicarum eo ævo receptum; tum quòd Ludgerus beatæ memoriæ Episcopus compelletur. Sed omni isto metu & suspicione liberamus Bollandum; supereſt hodiedum apud Werthinenses archetypon diplomatis, Caroli manu & sigillo consignatum, annumque Incarnationis eâdem, quâ cetera, manu adscriptum habet. Adeo communis ille detectus error, de quo supra relatum à nobis, tanquam nullis in regijs & Imperatorijs diplomatis ante Carolum Calvum annus Incarnationis scribi consueverit, id quod ex diplomatis Bremensi & Verdensi Ecclesijs datis à Carolo M. & ex diplomate Caroli M. apud Sigonium anno Incarnationis DCCCI. consignato exhibuimus. Uti enim alij atque alij Archicapellani & Cancellarij diplomatum scriptores, ita pro arbitrio horum annus Incarnationis vel additus vel omissus. Hoc verò Werthinense Alcuinum præfert, qui per absentiam Hildebaldi Archiepiscopi Colonienſis Archicapellani munus in aula explerit; quemadmodum in Francofurtensi concilio palam est additus Carolo: Ac forte Notarius ille Hildegrimus D. Ludgeri nepos, quantusque post Halberstadiensium Episcopus, Alcuino Abbati Turonensi tum in disciplinam datus hæc recognovit. Intima semper inter Alcuinum magistrum & Ludgerum veterem discipulum animorum conjunctio, magnaq; Alcuini existimatio de Ludgero ob sanctitatem viri & miracula, quibus jam Deus Ludgerum cunctis venerandum fecerat. Eo jam minus insolens videri debet Ludgerum compellari beatæ memoriæ Episcopum, quemadmodum in diplomate Verdensi Suibertus ejus loci primus Episcopus sanctæ conversationis vir & immortalis memoriæ ex ejusdem Alcuini consilio & consignatione diplomatis appellatur. Quanquam ejusmodi verba magis bonæ vitæ famam, sanctumq; munus denotent, ut tum usus scribendi affectusq; scribentium obtinuit, quàm præreptum Divis in cœlo elogium. Qua scribendi forma Folgerus presbyter Monasterij D. Suiberti in literis Ludovici ultimi Carolingorum anno 910. vivus etiamnum honoratur; parumq; interest felicisne, an beatæ memoriæ viri titulo decorentur, quando & beatissimum Papam, dum in mortalium numero versaretur, tot veteres scriptores appellârunt; perinde ut nunc sanctissimus dicitur, ex divinissimo, quod in Ecclesia Christi gerit, munere. Eò nunc mirum reperiri, qui ob ejusmodi rerum minutias augusta illa Regum ac Cæsarum diplomata controvertere velint. Præter Lothusam Carolus M. D. Ludgero & Werthinensi Cœnobio donavit castrum Luidinghusanum, cum circumiacentibus agris magnisque privilegijs, id quod post Abbas Spigelbergius anno 1430. vendidit Henrico Meursio Episcopo Monasterienſi, deditque fiduciario jure possidendum: Episcopi deinde pignorationis titulo cessere cathedrali collegio.

Luidinghusium à Carolo M. donatum D. Ludgero

Quo

Quo religionis per Westfaliam proferendæ studio Ludgerus ad Ruram, eo Carolus M. haud procul à Luppia amne ad rivum Lisam sequioris sexus, puellarumque, ut vocabant, cœnobium condidit in territorio Bosonis Comitis, ad quod ipse Boso Comes quatuor * villas contulit, si non idem conditor potius; quanquam id Leisbornenses Carolo M. tribuunt. Annus, quo id opus cœptatum, nec à Wittio ejus cœnobij scriptore, nec ab alijs proditus. Adeo vetustas hæc simul & incuria subtraxere. Antiquissimus interim virginum cœtus, cui à Carolo M. prima antistes imposita Roschwidis soror, ut Wittius perhibet, Caroli; quæ tamen in fastis Hersebrocani cœnobij Salome vocatur. At verò Eginardus: *Erat Carolo unica soror nomine Gisla à puellaribus annis religiosæ conversationi mancipata, quàm similiter ut matrem magna coluit pietate, quæ etiam paucis ante obitum illius annis in eo, quo conversata est, Monasterio secessit.* Quonam autem in Monasterio hæc Gisla vixerit, quam alij Jtebergam censent, incompertum. Præter hanc Gislam Browerus in annalibus Trevirensibus duas adjicit, Adam & Officiam Caroli sorores, quarum altera Treviris ad S. Maximinum sepulta hac inscriptione: *Ada ancilla Christi, soror Caroli Magni.* Altera in Monasterio Rutilensi Trevirim inter & Theonis villam humata. Habuit & filiam nomine Gislam Carolus; multaque filias, nulla Roswidis inter eas. Interim nullum Westfaliæ Cœnobium, in quo plura SS. pignora Caroli M. dono; interque ea brachium D. Simeonis; ut prima ejus loci Abbatissa Caroli aliqua consanguinea reputari possit, aut è Gislæ Monasterio submissa. A Roschwida duodecim succesſêre antistites Virginum suis nominibus consignatæ ad Thitedrudem. Lapsâ demum disciplinâ Egbertus Monasterienſis Episcopus puellarum illud Cœnobium transtulit ad familiam D. Benedicti, monachosque ejus ordinis imposuit, meliori quàm deterioris sexûs succesſu.

Monasterium Leisbornense in Westfalia.

* *Liseborn. Hollenhorst. Herinckhorpe. Hasebrucke. Brouver. lib. 8.*

Virgines antistites Leisebornæ.

Ratovvidis sive Salome. Thidmodis. Ecka. Hechildis. Christiana. Lachardis. Gisla. Wickburgis. Goprecht, Bia. Berthildis. Odoradis. Thitetrudis.

Carolus lustratis ad Rhenum urbibus, Aquisgranum reversus; quò tandem appulit Jsaacus Hebræus cum Elephante missus ab Aarone potentissimo Persarum Rege in Asia. Immanis bellua, cui Abulabaz nomen, propter sui raritatem & inusitatam magnitudinem tam in Italia quàm Germania spectaculo fuit. Delata & per hunc legatum multa sacra pignora, quibus Carolum mirificè capi cognoverat Saracenus, eoque in honore habuit Carolum, ut ejus potestati ultro submiserit Hierosolymitanam urbem & circumiacentia sacrorum loca, quò Christianis ad venerationem liberior pateret accessus. Interim Carolo magna ætatis pars transacta venationis oblectamento per Ardennam sylvam. Nec tamen belli Saxonici cura intermissa, missæque militares copiæ, quæ Transalbianos Saxones vastarent, & ad pacem petendam compellerent. Nam etsi Saxones ceteri intra Albim & Visurgim & Rhenum jam quiescerent sub imperio Franco-

Ann. Franc. Fuldens. Auctor. vitæ Caroli.

Elephas miræ magnitudinis à Saracenorum Principe donatus Carolo.

SS. Reliquiæ Carolo ex Asia.

Missæ. *Auctor. vitæ Caroli.*

Transalbiani vexant Bremensem diœcesin. *Helmold. l. 1. Hist. Sclav. c. 6. Adam. Brem. Chron. Bremens.*

Francorum, Transalbiani tamen (quos Nortalbingos dixere, ac tribus hisce populis, uti Helmoldus scribit, Thetmarsis, Holsatis & Stormarijs continentur) inquieti infestiq; continuis excursionibus; quam ob causam sedes Episcopi, quæ Bremæ erat, per XI. annos conturbata desertaque ab Episcopo suo Willerico, egregio viro & doctore Septentrionalium populorum. Alebatur horum rebellium audacia à Danis & Nortmannis, gente non minus barbara quàm infesta Christianis, perosaque Francorum imperia, ne devictis Nortalbingis in ipsam Daniam penetraret. Hanc in rem agger ille, de quo post referam, traductus inter Nortalbingos & Danos, ac limites utriusq; Regni præmuniti. Eò & Carolus majore contentione bellum hoc prosecutus, dum & ipsum bellum Danicum haud multò post exardesceret. Nam ut auctor vitæ Ludovici Pij à Pithœo datus in lucem refert, Carolus Imperator abruptis venationibus æstivo tempore ipse Saxoniam ingressus cum exercitu; atque ut tota mole bellum inferret, sopiretq; illud Aquilonare incendium, Ludovicum filium cum copijs ex Aquitania evocavit ad Rhenum, ut sese subsequeretur, hyematurus etiam, si res posceret, ijs in Saxoniæ regionibus. Et ille captâ postremum Osca civitate, belloq; Hispanico feliciter gesto, festinavit ad Rhenum, ac prope Nussiam, quæ Novesium est urbs, exercitum transmisit per flumen. Inde Westfaliam ingressus ad Visurgim & Ostfalorum fines pervenit, ubi nuncium à patre allatum, opportuno istic loco aliquo castra metaretur, dum quid ultra fieri vellet significaret. Interim Carolus compressis devictisque Saxonibus Nortalbianis, ab Albi victor redibat ad Visurgim, filiumq; Ludovicum inter oscula complexus, multis illum gratiarum laudibus extulit, felicemq; se palam prædicavit, cui tam promptus ad obsequia auxiliaque filius à Deo datus esset. Inde à Visurgi per Westfaliam uterque ad Rhenum & hiberna digressi sunt cum exercitu.

Carolus ad Albim movet contra Transalbianos & Nortmannos. *Auctor vitæ Ludovici Pij Thegana.* Ludovicũ filium subsequi se jubet, & is Novesium pervenit. An. Christi 803. Imper. Car. 3. Regni Franc. 36. Long. 30. Belli Saxonici 32.

Hyemem illam Carolus, quacum tertium imperij annum auspicatus est, Aquisgrani exegit in palatio; quo in otio, ut Sirmondus ex Metensi codice retulit, legem Salicam & Ripuariam antiquissimas gentis suæ leges correxit auxitque præclaris sanctionibus, quod & in ipsis legibus & in Longobardicis expresse consignatum est: Addita post alia atq; alia à Carolo, mentioq; in illis est Bardumwick & Magdaburch locorum per Saxoniam, quibus seu comites seu præfecti Malegaudus & Hatto impositi erant legum à se latarum custodes; ex quibus satis advertas jam Caroli ævo Magdenburgi castellum præsidiumq; militare ad Albis tutelam impositum fuisse, nec ab Ottone primùm surrexisse Magdenburgum. Multa præterea hoc anno salutaria edicta rerum sacrarum profanarumque lata; tanquam hiemem ferendis legibus emendandisque moribus, æstatem bellis sepositurus sapientissimus Imperator. Sed per id tempus, dum Aquisgrani versatur,

Sirmond. in notis ad Caroli leg. ex Metensi codice in tom. concil. Lex Jal. per Lind edita cod. Longob. lib. 3. tit 31. Bardewick & Magdeburg ævo Caroli M.

tur, terræ motus palatium & finitimas regiones concussit, quem pestis consecuta est. Carolus ut primùm per anni tempus licuit, cum exercitu per Franciam Orientalem ad Salam profectus est. Causa hujus expeditionis in eas regiones incerta, nec ab ullo scriptorum satis prodita, seu pestis vitandæ causa, seu ob motus superiorum Saxonum ac Sclavorũ, qui Sala flumine disjungebantur. Duplex ibi ad Salam regius locus, primò palatium haud procul ab Salæ fontibus, quo & superioribus annis divertit: deinde Saltz regia villa monstratur ab alijs ad inferiores Salæ ripas intra Unstroth amnis confluentes & Albim, ubi Sclavorum & Soraborum fines allabitur Sala; ut mirati lubeat ab Aventino nobis pro Saltzio Salisburgum obtrudi. Ibi dum Carolus aut in villa regia, aut quod verisimilius, in palatio versatur, advenere legati reduces, quos Imperator Constantinopolim miserat ad nuptias cum Irene paciscendas, unáq; cum his Nicephori Imperatoris legati, Michael Episcopus, Petrus Abbas, Calistus & Candidus; confirmataq;, de qua supra relatum est pace, Carolus legatos Græcorum remisit Romam, ubi tabulas divisi Imperij conditionesque pacis subscripsit Leo Pontifex, quibuscum deinde legati Constantinopolim regressi. Sed grandius quoddam opus, nec minus salutare istic confecit Carolus, quod ceteris scriptoribus consilentibus unus Poëta noster Paderbornensis vetusq; scriptor magno posteritatis bono consignavit. Convocavit nimirum Imperator ad palatium ac Salam fluvium omnem Saxoniæ nobilitatem, gentis nimirum Westfaliæ, Angariæ & Ostfaliæ proceres. Quo in postremo & celeberrimo totius populi Saxonici conventu Carolus M. pro Imperatoria auctoritate ac majestate omnem, quæ inter Francos & Saxones hactenus lis & controversia fuerat, quæque deinceps novus belli fomes esse posset, sapienter feliciterq; composuit, pacem perpetuam sanxit, leges præscripsit, libertate donavit, rectores Francorum & judices imposuit, Duces videlicet & Comites ceterosq; ministros; Saxoniamq; universam in absolutissimam provinciæ formam redegit, quæ tamen tribus Westfaliæ, Angariæ & Ostfaliæ populis, seu tribus quasi provincijs distincta maneret, singulis intra patrias leges & avita jura & privilegia relictis, quatenus illa Christianæ religioni non adversarentur. Nam in his Saxonum comitijs nihil à Carolo impensius actum, quàm ut abjecto dæmonum cultu eversisq; fanis & simulacris inanium Deorum una per Saxoniam Christiana religio coleretur; quod & lege Caroli sancitum, & consensu nobilitatis Saxonicæ approbatum est; ut vel inde æstimes tempore Caroli, multumque ante à bellis Romanorum Saxonicam nobilitatem floruisse; atq; ut hæc, quæ tam maturè ac sollicitè à Carolo sunt constituta vim suam vigoremque obtinerent, dati sunt ordinatique Missi Dominici, legati videlicet cum supremâ Imperatoris potestate, ut supra relatum est. Horum munus provincias

Franc. Ann. Auct. vita Caroli, Poeta Anonym. Regino. Ado vienn. in Chron.

Terræ motus, quem pestis consecuta.

Concil. Paris. Saltz. Regin. Saltz. Frã an. Sels. Crantz. l. 2. Saxon. c. 18.

Carolus ad Salam profectus.

Palatium ad Salam.

Limites inter Carolum & Græcorũ Imp. divisi in Italia.

Carolus ad Salam conventum habet Westfalorum Angariorum & Ostfalorum.

Carolus pacem & religionẽ Christianam confirmat in provincijs trium populorum.

Missi Dominici, horum munus.

provincias certis temporibus obire, de publicis privatisque controversijs cognoscere, magistratus creare, imperare vectigalia, excipere à populo Sacramenta, conventus ordinum indicere, pronunciare supremam sententiam (nisi quæ ad Principem referenda erant) inspicere Comitum ceterorumq; ministrorum fidem, justitiam summis infimisque administrare. Horum imperio non modò Comites, sed & Episcopi in ijs, quæ publicis imperij legibus præscripta erant, parere necesse erat, haud secus quàm nunc imperij legibus tenentur; & hi ipsi legati plerumque Archiepiscopi aut Episcopi deligebantur, quo etiam satis recognoscas eorum inane studium, qui Episcopos jurisdictione politica nunquam à Carolo donatos contendunt. Legatis hisce per provinciam proficiscentibus comitatus, stipendia, viaticum de publico haud secus quàm supremo principi datum. Inde foderum frumenti & commeatus, qui adventanti Principi vel legato in modum annonæ militaris suppeditatur. Inde Angariæ, onera fidelicet & sumptus in transferendis impedimentis, reficiendis pontibus, sternendis vijs, expensæque in hospites illos, & quæ hujusmodi in omnibus Regum Francorum, Caroli M. & Ludovici Pij sanctionibus tam ad belli expeditiones, quàm ad Principum ac legatorum profectiones toties præscripta memorantur.

Juvabit nunc ipsum Poëtam veterem nostrum, à quo acta horum comitiorum ad Salam nobis perscripta sunt audire, eoque nobis ad fidem probatior erit, quo candidiorem historici narrationem extra Poëtarum figmenta dedit. Ita enim ille pro sæculi ejus genio:

Nobilis hic annus longè certamina belli
Tandem, Saxones inter Francosq; peracti,
Firmo perpetuæ concluſit fœdere pacis.
Auguſtus prius ad ſedem Saltz nomine dictam
Venerat: huc omni Saxonum nobilitate
Collecta, ſimul has pacis leges inierunt,
Vt toto penitus cultu rituque relicto
Gentili, quem demoniaca prius arte colebant
Decepti, poſt hæc fidei ſe ſubdere vellent
Catholicæ, Chriſtoq; Deo ſervire per ævum.
At verò cenſum Francorum regibus ullum
Solvere nec penitus deberent, atq; tributum
Cunctorum pariter ſtatuit ſententia concors:
Sed tantum decimas divina lege ſtatutas
Offerrent, ac præſulibus parere ſtuderent,
Ipſorumq; ſimul Clero, qui dogmata ſacra,
Quiq; fidem domino placitam vitamq; doceret.
Tum ſub Judicibus, quos Rex imponeret ipſis,
Legatiſq; ſuis, permiſſis legibus uti
Saxones patrijs, & libertatis honore.
Hoc ſunt poſtremo ſociati fœdere Francis,
Vt gens & populus fieret concorditer unus,
Ac ſemper Regi parens æqualiter uni.
Si tamen hoc dubiũ cuiquam fortaſſe videtur
De vita ſcriptum Caroli legat ipſe libellum,
Quem Francos inter clarus veraxq; relator,
A ſummo prudens Einhardus nomine ſcripſit.
Hac igitur pacis ſub conditione fideles
Se Carolo, natiſque ſuis, ſtirpique nepotum
Ipſius juraverunt per ſecla futuros.
Quos per ter denos & tres tam duriter annos
Linquere protracti penitus conamina belli
Plus Regis pietas & munificentia fecit,
Quam terror.

Suspecta hæc narratio videri posset, tum quod finem belli Saxonici ad hunc tertium imperij Carolini annum referat, qui sequenti debetur, tum quod Eginardum auctorem appellet, à quo nihil de hoc conventu ad Salam scriptum reperitur. Sed Poëta utriusque anni res gestas complexus videri potest, quando proximam narrationem à Novembri

vembri sequentis anni, & Leonis in Galliam adventu orditur, prætermissis ijs, quæ proximo anno à Carolo ad Albim gesta memorabimus. Ac magnopere dubito, an non conventus hic transactioque cum Saxonum populo ad sequentem annum referenda sint, quod Sirmondus Synodum ad Saltz, ex qua præclara Caroli decreta producit, anno quarto imperij Carolini habitam scribat. Ut hic magnopere lucem ex obscura annalium Francorum brevitate desideremus. *Tom. 20. Concil. Paris. ad Cap. Carol. M.*

Carolus expeditis ad Salam negotijs, iter in Bojariam instituit; traductoq; in eas partes exercitu, ad Pannoniæ fines accessit. Ac bellis jam fractam ac domitam Hunnorum gentem per fœdera pacis facilè ad quietem composuit, quæ per hæc tempora simul à Sclavis alijsque barbaris Germaniæ populis ita afflicta, ut Caroli opem implorare necesse habuerit. Ex Bojaria fine anni ac mense Decembri Aquisgranum reversus, exercituque in hiberna distributo, per hyemis otia animum Magnus Imperator ad res sacras & Ecclesias per Saxoniam firmandas dotantasq; adjecit, quod vel ipsum Caroli M. diploma Osnabrugensi Ecclesiæ datum satis superque testabitur. Id quia tanquam ex naufragio ceterorum servatum accepimus, ac Ferdinandi Principis & Episcopi Paderbornensis studio ex tabularij Osnabrugensis autographo integrè, uti Carolus M. sua manu consignavit est redditum, & mihi simul inspicere concessum, exigit hic annus & multorum desideria ut hic adscribatur. *Franc. Ann. Astron. Adelm. Regino.*

Diploma Osnab. Ecclesiæ.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Karolus serenissimus augustus à Deo coronatus magnus pacificus imperator romanum gubernans imperium qui et per misericordiam Dei rex francorum et longobardorum. Quicquid enim locis sanctorum venerabilium ob amorem domini nostri Jesu Christi et reverentiam sanctorum cedimus vel condonamus hoc ad mercedis augmentum vel stabilitatem regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus præsentibus scilicet et futuris qualiter donamus ad basilicam S. Petri Principis Apostolorum et sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani quam nos construximus in loco Osnabrugki et corpora illorum illuc transtulimus ubi præest vir venerabilis VViho episcopus omne regale vel seculare judicium super suos servos et liddones et liberos malman et mundman et omnes utriusq; sexus homines eidem ecclesiæ pertinentes quos modo possidet vel deinceps acquisierit et perpetuam de regia potestate confirmamus absolutionem ita ut nullus judex publicus dux comes vel vicecomes vel Scultetus sive missi dominici per tempora discurrentes loca illius Episcopatus ad placita habenda vel freda exigenda et parafreda aut aliquem de præscriptis eidem Ecclesiæ pertinentem ad sua placita bannire vel ad mortem usquam terrarum dijudicare vel aliquo modo ullo unquam tempore aggravare audeant. Sed liceat præfato episcopo suisque successoribus et suo advocato res prædictæ ecclesiæ cum omnibus sibi pertinentibus quieto ordine possidere ordinare atque

atque disponere. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur ac diuturnis temporibus melius conservetur manu propria subter eam roborare decrevimus et de anulo nostro sigillare jussimus.

Signum.  *Caroli piissimi ac Serenissimi Imperatoris*

Jacob

ad vicem Radoni



Data XIIII. Kal. Jan. an. III. Christo propitio Imperii nostri et XXXVI. regni nostri in Francia, atque XXX. in Italia. Indict. XI. Actum Aquis palacio publico in Dei nomine feliciter amen.

Non id quidem primum fundationis Osnabrugensis Ecclesiæ diploma Carolinum est, quo termini ac fines diœcesios consignare mos erat, perinde ut in Bremensi & Verdensi exhibuimus; Sed novæ donationis sunt tabulæ, multumque Illustres & omni posteritatis memoria dignæ, seu quòd in ijs Carolus profiteatur se primam, quam in Saxonia erexit Ecclesiam S. Petro consecrasse, cui pro concepto voto totam Saxoniam obtulerat; seu quòd transvectis eò Crispini & Crispiniani Martyrum corporibus cultum sanctorum, secus quàm nunc pleriq; Saxonum à Caroli religione descisscentium agnoscunt, palam contestetur: seu quia in his politica Episcoporum jurisdictio, ut supra commonstravimus, planissimè asserta est: neque id mirum cuiquam videri debet, quando in nulla totius Regni Francici provincia Carol⁹ munificentior quàm in exornandos Saxoniæ Episcopos, dotandasque Ecclesias esse voluit.

LIBER

LIBER X.

SAXONIÆ & WESTFALIÆ CHRISTIANÆ.

OPtatissimus tandem succedit annus quartus supra octingentesimum, idemque Caroli imperij quartus, qui bello Saxonico in trigesimum tertium annum producto lætum ac salutarem finem dedit. Imperator, celebratis Aquisgrani Natalitijs Christi & Paschate, post exactam hyemem cum exercitu in Saxoniam movit. Eadem hujus expeditionis suscipiendæ, quæ ante biennium, causa; quòd Transalbiani Saxones, licet sæpius regressi, à Danorum tamen Rege concitati adjutique in armis agerent, infestando cumprimis Christianos, qui Bremensem diœcesin vicinasque regiones incolebant; quos inter multi etiam ex ipsa Wigmodia & Bremensi diœcesi Barbari. Ad hos domandos exscindendosque, quò Saxoniam omnem Christo assereret, ferventissimis militum animis imperator progressus est ad Albim. Ipse dux exercitus caput barbaris hostibus objecit: multum nunc, si Reges & Principes ad fines provinciæ conspiciantur aliquanto longius. At Transalbiani audito imperatorij exercitus adventu dilapsi, alij alio in vicos & domus suas: auctores seditionis in Daniam, quæ tum omnium proscriptorum perfidorumque receptaculum erat, profugerunt. Ita Carolus regionem illam ab utraque Albis ripa armatis hostibus vacuam nactus, veterem illam Saxonum sedem, & Transalbianos in eâ populos post ceteros Saxones subegit, non sine memorabili severitatis exemplo, ne deinceps rebellarent, aut rebellionis semina in posteros relinquerent; quippe decem millia hominum cum uxoribus & liberis, qui Transalbinam regionem & Wigmodiam incolebant, transtulit in Franciam, ac per Galliarum ac Belgicæ utriusque rura Germaniamque dispertijt, pœna exilioque salutari magis quàm noxio, quibus animarum salus pro servitute obtigit. Translatæ & in Italiam Saxonum coloniæ, ut supra diximus, datusq; illis locus prope Basilicam S. Petri Apostoli incolendus, qui hodiedum Saxiæ inde nomen ex veteri gentis vesti-

An. Christi 804. Imperij Car. 4. Regni Franc. 37. Long. 31. Belli Saxonici 33 & ult. Carolus in Saxoniam cum exercitu movet. *Ann. Franc. Vita Ludovici Pij Theganus. Ann. Franc. Adam. Brem. Helmold. in Chron. Sclav.* Carolus decem millia Transalbianorum Saxonum captivorũ dispergit per alias provincias. *Eginardus Ann. Franc. Astronom.*

Adelm. Fuld. an. Abotriti reducti in vacua Saxonum loca

gio retinet. Vacua Transalbianorum loca Abotritis data, genti à primordijs belli Saxonici Francis fidæ & consociatæ, tametsi Christianam religionem nondum susceperat. Factum id Caroli præter Eginardum ceteri Francorum scriptores celebrârunt. Neq; novum adeo pœnæ genus, quod in transferendis Sicambris Romani olim præstitere. Et Carolus jam ante etiam ex Occiduâ Saxonia, ob pertinacem rebellionem, multos Westfalorum & Angariorum transportavit in Franciam, translatis in eorum locum & sedes ex Francia novis colonis; multiq; ex his etiam ob navatam in bello præclarè operam opibus & nobilitatis honore condecorati sunt, repositiq; in proscriptorum & profugorum Saxonum nobilium sedes & bona; inde, quod in Pyrmontano alijsque Comitibus factum censent plerique scriptorum, magna pars nobilitatis Saxonicæ ad Francorum origines se per posteros retulit. Quæ res cùm ad præmia militiæ cumprimis spectaret, tum nihil consultius ad Christianam religionem inter Barbaros propagandam institui poterat, quando horum auctoritate, patrocinio, connubijs cum Saxonum gente, mirificè per id tempus Christi fides prolata est, cujusmodi etiam præfectos Carolus per Wigmodiam & Transalbinos populos imposuit, qui sago togaque sacra Christi tuerentur.

Godefridus Danorum Rex in Holsatiam venit specie congressus cum Carolo. *Regino Sclesvvicũ vita Caroli Sclietorp. Franc. ann. Schiestorf. Eginard. in vit. Carol.*

At dum Carolus ad Albim loco, quem Holdustetin Franci scriptores, Regino Holdnstein dixit, commoratur ad componendum statum ejus regionis, accessit Godefridus Danorum Rex Sclesvvicum in Holsatiam cum totius regni equitatu & belli robore ad confinia Daniæ & Saxoniæ: advocata & classis regia omni bellico appatu virisque instructa ad ostentationem potentiæ fastusque Regis. Quippe Rex adeo barbara superbia inflatus erat, quemadmodum Eginardus de eo scribit, *ut totius Germaniæ sibi promitteret potestatem. Frisiam quoque et Saxoniam haud aliter atque suas provincias æstimabat; jam et Abotritos vicinos suos in suam ditionem redegerat, eosque sibi vectigales fecerat.* Eò in accessu pollicitus fuerat venturum se in colloquium cum Imperatore ad Albis flumen; sed consilio suorum prohibitus tantùm per legatos ad Carolum mandata sua perferri jussit, & Carolus missa ad Danum legatione profugos sibi reddi postulavit. Arsit exinde Danicum illud & Nortmannicum bellum, quod in nonaginta annos protractum surgenti Franciæ monarchiæ prope exitio fuit. Adeo Aquilonis illud malum, ut nostro etiam ævo, Ecclesiæ semper fatale fuit, Danique hi & Nortmanni, quos & Sueones appellat Eginardus, unâ conspiratione in perniciem Christianorum convenere; & piraticis insueta gens atrocius Francos divexare cœpit.

Superbia Danorum Regis. Initia belli Danici & Nortmannici.

Interim Carolus debellatis etiam trans Albim postremis Saxonum populis, prolatoque ad fines Regni Danici imperio, victor retro cum exercitu per Saxoniam iter instituit, annumque hunc finiti belli

belli Saxonici memorabilem fecit. Tractum id bellum ab anno 772. per triginta tres annos ad hunc usq; annum octingentesimum quartum ; nec alio feliciore exitu confectum, quàm ut Saxones, quod Eginardus scripsit, *abjecto dæmonum cultu, et relictis patriis ceremoniis, Christianæ fidei et religionis Sacramenta susciperent, et Francis conjuncti unus cum eis populus efficerentur.* Id demum Caroli magnitudine animi, ex quo vel solùm Magni cognomentum sibi vendicet : id perpetuâ in prosperis & adversis rebus constantiâ, quæ nec vinci se nec frangi unquam passa est : id denique voto & fervore ejus sanctissimo confectum, ex quo Saxoniam Christo & D. Petro Apostolorum Principi obtulit ; adjuvantibus etiam ipsis Divis, quibus præter Saxoniam inter Episcopos majorem partem distributam, præterq; tam amplas & regiâ liberalitate dotatas diœceses, ubique ædes sacras atque basilicas construxerat. Virgini enim Matri Paderbornensis, Verdensis, Hamburgensis, Hildesiensis : D. Petro Osnabrugensis, Bremensis, & Mindensis : D. Paulo Mimigardevordensis : D. Stephano Osterwicensis, quæ post Halberstadium translata, Basilicæ dicatæ. Quanquam in præsens hac postrema Caroli expeditione nulli magis consultum, quam Bremensi Ecclesiæ. Ea namq; quòd ad Septentrionis plagam Transalbinorum Danorumque incursionibus exposita erat, & post excessum Willehadi per undenos annos fluctuârat, depulso Episcopo & Sacerdotibus, tandem Willerico Episcopo, viro ferventissimo, religionis hoc anno firmam & constantem sedem capere concessum est, qui exinde Evangelij doctrinam etiam inter ipsos Transalbinos magno cum fructu explicare cœpit, dum ea demum provincia Hamburgensi præsuli cederet. Quin ipsum Carolum, dum ad Albis ripas consideret, hoc anno locum ac sedem hujus Episcopatus, quem decimum esse volunt, designasse, primaque ejus fundamenta jecisse, facilè mihi persuaserim ; quòd nulla Episcopi sedes ab eo posita, quam non ipse inspexerit, videritque tam à Transalbinis, quàm ceteris Saxoniæ partibus Pastorem desiderari ; ac ni Crantzius nos fallat, jam dudum ante Caroli ætatem Hamaburgum Saxonum Castellum istic stetit, ubi pòst Hamburgensis Episcopi sedes collocata, primusque septentrionalium populorum doctor Heridagus presbyter à Carolo M. impositus est. Libet Adami Bremensis verba adscribere : *Carolus Hammaburg civitatem Nordalbingorum, extructa ibidem Ecclesia, Heridago cuidam sancto viro, quem loci Episcopum designavit ad regendam commisit ; cui etiam propter infestationem barbaricam, ubi interdum posset consistere, cellam quandam in Gallia Rodnach donavit. Disponens eandem Hammaburgensem Ecclesiam cunctis Sclavorum Danorumque gentibus Metropolim statuere.* Quæ multò testatius tradit S. Rembertus in vita D. Ansgarij, additque Ecclesiam, quam istic Carolus M. construxit, consecratam esse per Amalharium Galliæ

Adam. Brem. l. 1. c. 11. & 15. Hamburgensis Ecclesiæ & Episcopatus initia à Carolo M.

Crantz. l. 1. Saxon.

Lib. 1. c. 11.

Episcopum. Chronici etiam Mindensis scriptor, ejus Ecclesiæ exordia ad annum Dccxiix revocare ausus est.


Carolus reducto exercitu Coloniam venit.

Ad hunc modum debellatâ Saxoniâ, confirmatis Episcopis, ordinatisque per Bremensem ceteraque ad Visurgim Diœceses rebus sacris, Carolus, ut Francorum annales tradidere, mense Septembri Coloniam venit; exercituque per hiberna ire jusso, ipse quod reliquum Autumni temporis erat, venationis oblectamento per Ardennæ silvas indulsit; dum hyems imminens Aquisgranum revocaret. Quo in loco resumptis rerum sacrarum curis, alterum illud Osnabrugensis Ecclesiæ diploma consignavit. Id verò quia regia liberalitate eximium est, ad Græcas potissimum & Latinas scholas Osnabrugi inter Westfalos erigendas confirmandasque: neque hactenus ea integritate ac fide, qua Ferdinandus Princeps & Episcopus Paderbornensis ex ipso Archetypo Caroli dedit, unquam ante vulgatum est, operæ pretium erit, hanc antiquitatis gemmam, ut verè ejusmodi diplomata æstimes, atque ipsa narrationis series possit innectere.

Diploma II. Ecclesiæ Osnabr. cujus autographum anno 1680. Neuhusij inspectū, syncerum ac genuinum judicavit R.P. Daniel Papebrochi°, scriptoque Celsissimo Principi porrecto retractavit, quæ aliàs contra hoc diploma vulgaverat.

IN nomine Sanctæ et individuæ Trinitatis Karolus imperator augustus romanum gubernans imperium qui et rex francorum et longobardorum nec non modo dominator et Saxonum. Notum sit omnibus sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus nostrisq; præsentibus scilicet et futuris qualiter nos ob nostræ mercedis augmentum VVihoni Osnabrukgensi episcopo suæque æcclesiæ quam nos primam omnium in Saxonia in honore Sancti Petri Principis Apostolorum et sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani construximus quoddam nemus vel foresium infra hæc loca situm. Farnyvvinkil. rutanstein. angeri. Osning. Sinedi. bergashovit. Drevenomeri. etanasfeld. clumeri. collaudatione illius regionis potentum cum omni integritate in porcis videlicet silvaticis atque cervis avibus et piscibus omniq; venatione quæ sub banno usvali ad foresium deputatur ad similitudinem foresti nostri aquisgranum pertinentis in silva Osning in perpetuum proprietatis usum donavimus ea videlicet ratione quod si quisquam hoc idem nemus nostro banno munitum sine prædictæ sedis episcopi licentia studio venandi vel silvam exstirpandi vel aliquod hujusmodi negotium peragendi umquam intrare præsumpserit. Sciat se tam divinæ quam et regiæ ultionis vindictam incursurum. Nec non pro delicto sexaginta solidos nostri ponderis quos nobis pro banno violato deberi statuimus redditurum. Insuper verò eidem episcopo suisque successoribus perpetuam concedimus libertatem et ab omni regali servitio confirmamus absolutionem. Nisi forte contingat ut imperator romanorum vel rex Græcorum conjugalia fœdera inter filios eorum contrahere disponant tunc æcclesiæ illius episcopus omni sumptu à rege vel imperatore adhibito laborem simul et honorem illius legationis assumat et hoc ea de causa statuimus quia in eodem loco grecas et latinas scholas in perpetuum manere ordinavimus et nunquam clericos utriusque linguæ gnaros ibidem deesse in Dei misericordia confidimus. Et ut hæc auctoritas

tas firmior habeatur ac diuturnis temporibus melius conservetur manu propria subter eam roborare decrevimus et de anulo nostro sigillare jussimus.

Signum  *Caroli piissimi Imperatoris*

Amalbertus ad vicem Ercanbaldi recognovi.

Data XIII. Kal. Jan. an. IIII. Christo propitio Imperii nostri et XXXVII. regni nostri in Francia, atque XXXI. in Italia. Actum Aquisgrani Palatio in Dei nomine feliciter amen.

Egregium illud non minus quàm prius diploma Carolinum, quo prima Episcoporum sedes & Ecclesia inter Saxones, jurisdictio eorundem Episcoporum atque opes, legationis munera, & Caroli demum munificentia ostenditur; cujus inter cetera invitamentum linguæ Græcæ latinæque studium; quo semper essent in Clero Osnabrugensi ejus scientiæ periti, quos Episcopos sibi in legatione ad Græcorum Imperatores, ut tum frequens erat, sibi adjunctos haberet; tanquam ad eas literas Westfalorum ingenia, & Saxonum industriam præ ceteris Regni populis cumprimis idonea censuerit Imperator. Quanquam jam antè hæc studia Osnabrugi, ut diximus, instituta floruerint, quæ tam larga donatione istic excitari foverique perpetuò voluit. Et si qua Germaniæ gens, tum Westfali ceteriq; Saxones omnium liberalium disciplinarum laude conspicui à primis Christianæ religionis exordijs fuêre; ut quo fervore religionem, eâ aviditate discendi contentoque labore simul literarum studia arripuerint.

Absolverem ego hîc res hujus anni gestas à Carolo, nisi me ad Carolum revocaret Sirmondus, vir hujus ætatis in sacrorum conciliorum & Carolinis legibus perscrutandis facilè eruditissimus. Producit is ex Metensi tabulario Caroli, ut vocant, capitularia, per singulos Imperij ejus annos digesta, quæ Ansegisus & Benedictus Levita in unum cumulum congessêre, nulla fere loci temporumque ratione habita: & gratum feciſſet Sirmondus, si ex mixtis decretis, præter Ecclesiastica, cetera quoque profana nobiscum communicasset. Igitur, ut supra monuimus, ad Saltz villam regiam, aut in Salæ Palatio, quòd supra ad fontes Salæ Bertianæ tabulæ monstrant, octo leges sacræ latæ. Neque aliter has leges, quòd Ecclesiasticæ sint, quàm ex conventu Episcoporum, istic à Carolo convocatorum, accepimus; tanquam confecto bello Saxonico, quæ armis pepererat, legibus etiam firmaret, togâ non minus quàm Sago Saxoniæ consulturus.

Concil. gener. Paris. Leges Caroli ad Salam, quæ ad hunc annum promulgatæ præscribuntur.

turus. Harum verò legum hæc præscriptio. Ecclesiæ, ubi opus construantur, aut reparentur; quæ cura Episcopis intra suam Parochiam ac Diœcesin committitur; agantq; hoc sedulo, ut lumina ardeant in Ecclesijs, & quæ singulorum sunt officij, præstentur. Decimæ pendantur antiquis Ecclesijs ex Episcopi ordinatione, ijs cumprimis, quæ fonte baptismatis frequentatæ; nec subtrahantur, tametsi aliæ regum & piorum hominum donationes accesserint. Nemini fas sit novam Ecclesiam erigere sine Episcopi sui voluntate: & si novæ accesserint, non ideo antiquarum decimæ minuantur. Episcopi suæ tantummodo diœcesis presbyteros consecrent; uti id sacris Canonum legibus præscriptum est. Monasteria puellarum non presbyter, non diaconus, non subdiaconus, non clericus, nec laicus ingrediatur; tantum presbytero fas sit ad celebrandam missam congruo tempore intrare. Celebrata missa statim excedat. In ijsdem Monasterijs solum illæ puellæ educentur, quibus certus est animus in ijs vitam Deo consecrare. Minus concessum sit pueros, filios, nepotes intra septa Monasterij puellarum enutrire, nec parentem quidem intra ea alere. Arma quoque nulla intra puellarum Monasteria deponantur.

Legibus hisce sacris præclaram Carolus subjecit admonitionem ad presbyteros, quam suis documentis etiam legum inscripsit, hac suavissimâ ac paterna cohortatione. *Admonere vos cupio, fratres et filioli mei, ut ista pauca capitula, quæ hinc scripta sunt, intentius audiatis.*

1. *In primis, ut Sacerdos Dei de divina scriptura doctus sit, et fidem Trinitatis recte credat, et alios doceat, et suum officium bene possit implere.*

2. *Ut totum Psalterium memoriter teneat.*

3. *Ut Signaculum et baptisterium memoriter teneat.*

4. *Ut de Canonibus doctus sit, et suum pœnitentiale bene sciat.*

5. *Ut cantum et compotum sciat.*

6. *Ut nullus Sacerdos feminas secum habitare permittat, excepta matre, sorore, vel amita.*

7. *Ut presbyteri in tabernis bibere non præsumant.*

8. *Ut nullus avaritiam sectetur, non sit superbus, non ebriosus, non vinolentus, nec somnolentus.*

9. *Ut nullus præsumat in Cœna Domini jejunium solvere.*

10. *Ut nullus baptizare præsumat, nisi in Pascha et Pentecoste, excepto infirmo.*

11. *Ut nullus Presbyter, nec Diaconus, nec Clericus Chrisma alicui dare præsumat, pro aliqua necessitate. qui si hoc fecerit, degradetur.*

12. *Ut nullus Presbyter ad Synodum contemnat venire. Quod si aliter facere præsumpserit, coactus veniat, et secundum canones judicetur.*

Hæ sacræ leges sunt, quas ex conventu ad Salam vetustas reliquit. Nec dubium, quin multi etiam Germaniæ Saxoniæq; Episcopi convenerint, quorum auctoritate, bonoq; regionum, hæ cumprimis

leges

leges in superiore ad Salam conventu sancitæ, ac deinde per universam Saxoniam promulgatæ sint.

Per æstatem hujus anni perlatum fuerat ad Carolum Mantuæ Christi sanguinem esse repertum, multis editis miraculis. Hujus rei fama cùm ad Caroli aures accidisset, ut erat eximiâ pietate Imperator, Leonem Pontificem per literas obsecravit, ut accuratè horum miraculorum veritatem vellet explorare, & comperta sibi significare. Ob id Leo Româ egressus Mantuam venit mense Novembri, & re cognitâ ad Carolum scripsit, percupere se illum, quocunque id loco vellet, convenire, & Natalem Christi celebrare. Lætus Imperator primo obviam misit Carolum filium, qui venientem salutaret, deduceretque ad se: ipse Rhemos in occursum progressus, honorificentissimè Pontificem excepit. Nihil illo congressu jucundius aulæ populoque Franciæ, quàm duo illa suprema Ecclesiæ capita videre in mutuos amplexus procurrere. Rhemis Imperator Pontificem Carisiacum in villam, ubi Natalem Christi communi orbis gaudio transegere, inde Aquisgranum deduxit in Palatium, Germaniamq; illi spectandam denuo dedit; feliciore etiam quàm ante quinquennium Saxoniæ aspectu, quam demum post triginta trium annorum bella subactam, Christoque & D. Petro oblatam monstravit. Quæ verò in illo congressu pertractata actave Aquisgrani, scriptores Francici ceterique, ut pleraq; rerum sacrarum, præterierunt, vel hoc ipso in enarrando breves, quod per octo tantum dies Pontificem Imperatori adfuisse memorent. Poëta noster Saxonicus aliquanto etiam accuratius festum Epiphaniæ. Leonem cum Carolo Aquisgrani celebrasse perhibet. Post illa Imperator Pontificem multis magnisque muneribus donatum per Bojariam, quod ille iter delegerat, deduci jussit, comitatu Ravennam usque addito. Ita mediâ & rigente hyeme longum atque difficile permensus iter Pontifex in Italiam redijt.

Mantuæ sanguis Christi miraculis clarus.

Leo ob miracula sanguinis evocatur à Carolo.

An. Christi 805. Imperij Caroli 5. Regni Franc. 38. Long. 32. *Vita Caroli Poëta Anonym. Regino.*

Hoc altero Pontificis accessu in Germaniam atque ad urbem suam volunt Aquisgranenses Basilicam suam Carolinam à Leone consecratam, innixi etiam Poëtæ nostri testimonio, qui festo Epiphaniæ Carolo Pontificem adhuc adfuisse perhibet, quo die Beka ex vetustis tabulis & memoria antiquitatum dedicationem illam peractam tradit; neque temporis ratio id abnuit; quanquam alij id in primo Leonis adventu in Germaniam, anno videlicet DCCLXXXXIX. factum velint, quibus facilè accedo, quòd ipsi Aquisgranenses XVII. Julij, uti & à Gelenio in fastis ad hunc diem adscribitur, id factum velint. Id præterea conficitur ex tabulis Eresburgensibus, quæ Leonem eo anno VII. Kal. Junij, aut Julij Eresburgi adhuc præsentem sistunt; nam qui id VII. Kal. Januarij ejus anni factum contendunt, magnopere falluntur, ut supra à nobis detectum est: neque ulla templi aræque consecratio à Leone Pontifice in hac reditus festinatione, intra-

Beka in Aquisg. c. 4.

ne, intraque breve illud octo dierum tempus, quo Carolo adfuit, à scriptoribus memoratur.

Hunnorũ Caganus supplex ad Carolum venit Aquisgranum.

Post Leonis discessum advenit Aquisgranum Theodorus Hunnorum Caganus (eo enim nomine Reges eorum Cagani seu Cappani appellantur) is locum dari ad incolendum inter Sabariam & Carnontum postulavit, causam afferens quòd propter continentes Sclavorum incursiones pristinas sedes tenere non posset; quem Carolus, quòd Christianus esset, voti compotem, ac magnificè donatum remisit. Sed illo haud multò pòst extincto, successor ejus misit ad Carolum ex Optimatibus legatum, per quem petijt eundem sibi honorem, quem ceteri Hunnorum Cajani obtinuerant, Imperatoris auctoritate permitti. Assensit Carolus, summamque Regni potestatem prisco eorum more capessere jussit. Adeo jam ferox illa Hunnorum gens debilitata prostrataque, ut Caroli Francorumq; imperium supplex respiceret, quæ hactenus Italiæ & Germaniæ tot cladibus insultaverat. Et quia per id tempus maxima penes Sclavos, cumprimisque qui Bohemiam incolebant, potentia erat (tanquam fortuna Hunnorum ad hanc barbaram gentem novo quodam dominatu transisset, quæ & Hunnos affligeret, & Francorum Christianorumq; securitati immineret) Imperator qui nullam gentem Christianorum libertati insultare patiebatur, delectu militiæ habito, misit Carolum filium cum robore Francici exercitus in Bohemiam. Dux Bohemorum Lechus vir militari audacia & gentis multitudine fretus, magnos in perniciem Christianorum versabat animos, regnumque sibi tanquam alter Maroboduus earum regionum affectare visus est. At tumidi illi Lechi gentisque spiritus brevi repressi, postquam Carolus paternæ virtutis æmulus Bohemiam ingressus, & effusè primùm populando, regionem ferro flammaq; evastavit; cæsi deinde quotquot se per tumultuarios gentis congressus obtulere ad pugnam, interque hos Lechus eorum Dux obtruncatus perijt. Ita Carolus, Caroli filius, celeritate & fortitudine primos gentis furores repressit, victorque ad patrem redijt, haud minore de Bohemis quàm nuper de Wilsis & Nortalbingis triumpho condecoratus. Versu id complexus Poëta.

Ann. Franc. Adelm. Astron. Regino. Poët. Saxõ. Vita Caroli.

Bohemij vita Caroli. Behemanni Astron. Behemi Adelmo. Boemi Reginoni alius Behemi.

Carolus filium Carolum cũ exercitu mittit in Bohemiã. Bohemi cæsi à Carolo filio cum duce suo.

Bellum virtute sagace
Commisit, celeri victor quod fine peregit

Versabatur per id tempus Imperator, quo filium excepit victorem, in Vogeso nemore, nam Aquisgrano mense Julio Theonis villam concesserat. Inde Metas transiens reliquum æstatis venationis oblectamento dedit: felix cui jam in senium vergenti tres filij Carolus, Pipinus & Ludovicus in eam ætatem adoleverant, quorum humeris imperium non minùs quàm senile corpus sustentaret. Pipino Italiam, Ludovico Aquitaniam regente, Carolus dextra manus patri aderat; eò enim à primâ juventute Carol⁹ filios in armis exercuerat, ut hunc fructum decerperet.

Sub-

Subtraxit hic annus Wihonem primum Osnabrugensium Episcopum, gente Frisonem, oppidi Leovardiæ, ut Frisij scriptores perhibent. Is à primâ ætate cooptatus in clerum latinas ac græcas literas in celeberrimo per id tempus Trajectensi collegio apprimè didicit. Itáque doctrinam cum pietate ac morum gravitate conjunxit, ut inter præstantissimos ejus loci Sacerdotes haberetur; eò etiam felicior, quòd inter eos eruditus, in quibus D. Willebrordi, Bonifacij, ac Gregorij sanctissimorum virorum disciplina vigebat, ad quorum exemplum ipse vitam conformarat. Inde ad publicum docendi munus translatus, adeo publicam nominis sui famam auxit, ut ob id Carolus M. ex tanto præstantium virorum numero eum primum Saxoniæ doctorem, primumq; Osnabrugensium Episcopum delegerit; quod Caroli M. de Wihone judicium in tanto scriptorum silentio omnium instar esse debet; hîc nimirum una nobis cum alijs querela communis, nihil fere preter nomen & officium de tam præclaris viris relictum. Quo exinde prætio Wihonem habuerit Carolus M. testantur magnifica viri elogia, regiæ donationes, cleri forma ab illo primùm in Saxoniam introducta, scholæ Græcæ, quas ejus moderationi & disciplinarum scientijs commissas voluit Carolus, ut prorsus existimem Wihonem antequam ad Episcopi munus deposceretur, celebrem in gymnasio Trajectensi professorem ac Frisonum simul doctorem egisse. Id verò docendi munus, ex quo Episcopus factus, multò ferventius suscepit, peragrando diœcesin, tradendo etiam per Emslandiam rudi populo Christianam legem (ut vel inde magna ejus regionis pars jurisdictione sacra Episcopi Osnabrugensis comprehensa videri possit;) colligendo cumprimis Osnabrugi populi cœtus; quo factum ut vicus brevi in oppidi speciem emerserit. Eò præterea Episcopo constituta Basilica, conditum nobile cleri collegium, erectum juventutis Saxonicæ seminarium, divisæ parochiæ, structa templa, impositi Sacerdotes, ac tota brevi diœcesis ab inanium Deorum cultu ad Christi religionem traducta. Ad extremum per sanctitatis famam magnum sui desiderium relinquens excessit Osnabrugi è vita III. Kal. Aprilis. Quem obitus diem nobis consignant fasti ejus loci; tum Ertwinus Chronici Osnabrugensis scriptor, sed lapsus in anno mortis, quem superiorem posuit, cùm fine ejus anni tertio videlicet Kal. Januarij adhuc superstes fuerit Wiho, uti ex diplomate Caroli à nobis recitato liquet. Successorem habuit Meingardum, quem alij Mengerum vocant, virum, ut Crantzius retulit, ob religionem virtutumq; ornamenta Episcopi munere dignissimum. Hoc etiam tempore è vivis subtractum Hercumbertum tradit Cleinsorgius primum Mindensium Episcopum, cui subrogatus sit Haduardus, vir sanctitate & religione non minus quàm alter extollendus tametsi de Hercumberti obitu nihil certi memorent vetustiores

Wiho Osnab. Episcopus moritur. ejus præconium.

Meingardus Wihonis successor. *Ertwinus Crantz. lib. 1. c. 24. in Metrop.*

Felicitas Saxoniæ ex pace & flore Christianæ religionis.

scriptores. Non antè facilè, quàm per id tempus, Westfalia Saxoniaq; omnis fortunatior visa, quando debellatis circum barbaris gentibus in altâ pace conquiescebat, & subversis Idolorum delubris, proscriptâq; superstitione, ubiq; religio Christiana libere docebatur. Tum ea rerum conversio, quæ in Anglia & transmarina Saxonia traditur à Beda, conspecta quoque apud nos in veteri Saxonia; ruere omnes uno impetu ad Christi sacra, nobiles, ingenui, plebs, agricolæ, damnareque pristina ignorantiæ tempora, fana dæmonum cultui dicata sponte subvertere, bona affatim elargiri in res sacras, templa parochiarum collatis impensis certatim erigere, ire in cœtus Christianos, audire cum stupore docentes Sacerdotes, venerari admiranda castaque Christianorum sacra, filios in disciplinam scholarum tradere,, festos lies, jejunia ab Ecclesia præscripta totamque Christi legem veluti ex primo Christianorum fervore amplecti. Tanta mutatione omnis illa pertinacia genticæ superstitionis versa est in Christianam pietatem, postquam pro inanibus Dijs veri Numinis cognitio semel plenè affulsit. Monstrantur adhuc loca, cùm rara essent templa, ad quæ per duo aut tria milliaria populus certatim festis diebus convenerit, infantesq; ad Christi baptisma detulerit; memorantur jejunia quadragesimæ, quæ modò nemo religiosius quàm tum passim populus servârit, solis fere leguminibus, oleo & pane contentus: exstant tot ædes sacræ, tot altaria donata proventibus sacris, tot cœnobia utriusq; sexus, tot ubiq; monumenta sacrorum per Saxoniam ex prisca majorum pietate & largitionibus, quæ id testentur. Ægyptum cùm olim Chrysostomus tot Monachorum domicilijs excultam videret, cœlum se innumeris stellis ornatum intueri exclamavit; haud dispar in Saxonia ex tot collegiorum cœnobiorumque multitudine & varietate Caroli ævo aspectus. Tum verò apparuit prima Christianorum initia esse ferventissima, media inde tempora languori obnoxia, postrema cum caritate refrigescere; quantumque à fonte receditur, aquam turbidiùs bibi. Enimvero qui populum antiquitus ijs moribus & legibus imbuebant, erant Episcopi & Sacerdotes ex florentissimo religionis sæculo, viri omnium virtutum exemplis conspicui, à quibus exacta illa disciplina Christianæ religionis manabat in clerum & populum, qualis Wiho de quo egimus, Osnabrugi, Willehadus Bremæ, Ludger⁹ Monasterij, Hathumar⁹ Paderbornæ, Suibert⁹ Verdæ, Hildegrim⁹ Halberstadij, Hercumbertus Mindæ, ceteriq; per Saxoniam præsules, & qui illos proximè consecuti fama sanctimoniæ ac miraculorum celebres, ex quibus non intermisero, quod de D. Ludgero Minigardefordensi Episcopo ex hoc anno memoratur.

Vita D. Ludgeri ex Werth. archiv.

D. Ludgerus miraculo illustris.

Emerat ille villam, opulentam lautamq; agris, pascuis & molendino, à Wigmaro possessore, & jam omnia tabulis & testibus convenerant, cùm venditor persuasus à consanguineis emptionem retractare

ctare cœpit. Indicta denuo conventionis dies, postulatus in judicium venditor, convictus fallaciæ ab ipso Ludgero præfecto: nec tamen acquievere consanguinei, interque hos quidam maledictis hi & convitijs incessere Ludgerum; quem ut è turba produceret in medium Ludgerus, circumspexit; ille verò ne agnosceretur retro caput obvertit; & res mira, caput ut in cervicem reflexit, ita obtortum immotumq; hæsit; quo prodigij vindictæque conspectu territus venditor ceteriq; Ludgero villam permisere. Consignatæ & aliæ denuo tabulæ Anno xxxviii. glorioſi Caroli Regis. Testes inter ceteros Gerfridus, Othelgrimus, Thiudbaldus & Widelekus Advocatus Ecclesiæ, Gerfridus Ludgeri consanguineus ac tertius post Altfridum Minigernefordensis Episcopus. Tabulis hisce annus imperij Carolini non est adscriptus; quòd & in alijs diplomatis, ab ipso Carolo datis, observatum est subinde omitti.

Vindicta in falsum convitiatorem.

An. Christi 806. Imperij Carol. 6. Regni Franc. 39. Longob. 33. *Ann. Franc. Adelm. Astron. Vita Caroli. Ann. Fuld. Ado Poët. anon.*

Annus interim imperij Carolo sextus advolutus erat, regni Francici trigesimus nonus, quo cum Imperator ætatem ad senium & vitæ exitum vergere sensit, ex venatione Vogesi silvæ Theodonis villam concessit ad Mosellam; quò præter Carolum filium, quem sibi à latere semper præsentem habuit, evocavit Pipinum ex Italia, Ludovicum ex Aquitania, Regni divisionem cum ipsis coram pertractaturus. Quam in rem quoq;, ut Regni Imperijq; salus poscebat, indixit conventum primorum & optimatum totius Franciæ, Archiepiscoporum videlicet, Episcoporum, Abbatum, Ducum, Marchionum, Comitum, ceterorumq; procerum & consiliariorum. Celebratis istic Natalitijs, advenere primùm Duces Venetiæ Wilharius & Beatus, unáque cum his Dalmatarum legati, Paulus Dux Jaderæ, & Donatus ejusdem urbis Episcopus, præter legationem magnifica ad Carolum dona à suis deferentes, roganteſque ut in tutelam se susciperet ac populum confirmaret. Quos cùm Imperator benignissimè excepisset, Duces earum provinciarum constituit, ordinatisque quæ ad Res publicas, illas poscebantur, ad Venetos & Dalmatas remisit. Adeo jam ipsa Dalmatia ac vetus Dacia trans Istrum usque cum Ungaria maximam partem aut Francorum imperio adjecta, aut fœdere sociata erat, quòd nullius potentiam extremæ illæ provinciæ magis quàm Imperatoris respicerent.

Carolus Theonis villam evocat filios de Regni divisione pertractaturus.

Convocat eò Episcoporum & procerũ comitia.

Venetorum & Dalmatarum provinciæ subjectæ Carolo.

Absolutis legatis, Carolus mortalitatis humanorum casuum memor, in publicis comitijs de regnorum partitione inter filios consulere aggressus est; ac ne qua de regnis inter filios dissensio, se per improvisam mortem subtracto, Franciam, ut toties factum, conturbaret, divisionem regnorum produxit in medium; quemadmodum id Caroli testamentum à Pithœo inter cetera antiquitatis monumenta editum docere potest. Ea verò constitutione Imperator universum Franciæ Regnum in tres partes divisit, Ludovico Aquitaniam, Vasco-

Francorum Ann. Pithœus in charta divis. Imp. Baronius ad hunc annum.

Regni Francici divisio inter filios.

niam, & quantum in Hispanias usque se protenderat, consignavit: Pipino Italia, Bojaria & superior Alemanniæ pars ad Danubij ripas attributa. Carolo filio natu majori Francia, Austria videlicet & Neustria, Burgundia, Thuringia, Saxonia, Frisia, ac pars quædam Alemanniæ & Bojariæ cessit. Multa præterea eâ partitione in omnem mortalitatis casum providè ordinata, præscriptæque leges ac viæ, quibus alius alij in suo quisque regno, urgentibus bellorum periculis, subveniret. Super omnia verò tres hosce fratres ac filios suos, regnorum hæredes, curam & defensionem S. Petri & Romanæ Ecclesiæ simul suscipere præscripsit; quemadmodum ab avo suo Carolo Martello, & genitore suo Pipino Rege, atque à se ipso factitatum recognoscerent. Ideo sedi Apostolicæ supremum honorem deferrent, justitiam procurarent, patrocinium opemq; adversus omnes hostes præstarēt. Idem ceteris per Franciæ regna Episcopis & Rectoribus Ecclesiarum præstari jussit; & quam à se ac majoribus suis potestatem administrandi bona suarum Ecclesiarum accepissent, hanc integram singulis relinquerent, quo præscripto Episcoporum privilegia & jurisdictionem sacram satis denotare visus. Lubet nunc ipsa testamenti verba, quod à Pithœo est editum, audire. *Super omnia autem*, inquit Carol⁹, *jubemus, ut ipsi tres fratres*, Carol⁹ videlicet, Pipin⁹ & Ludovicus Reges *curam et defensionem sancti Petri simul suscipiant, sicut quondam ab avo nostro Karolo, et beatæ memoriæ genitore Pipino Rege, et à nobis postea suscepta est, ut eum cum omni adjutorio ab hostibus defendere nitantur, et justitiam suam, quantum ad ipsos pertinet, et ratio postulat, habere faciant. Similiter et de ceteris Ecclesiis, quæ sub illorum fuerint potestate, præcipimus, ut justitiam suam, et honorem habeant, et Pastores et rectores venerabilium locorum habeant potestatem rerum, quæ ad ipsa pia loca pertinent, in quocumque de his tribus Regnis illarum Ecclesiarum possessiones fuerint.*

Carolus filijs commendat defensionem Romanæ sedis.

Præclarus atque ad omnem posteritatis memoriam vel ex hoc dignus Imperator, qui primam pro Ecclesia sollicitudinem filijs testamento scripsit. Satis nimirum intelligebat sapientissimus Imperator, quo sedis Apostolicæ, & Catholicæ Ecclesiæ patrocinio Franciæ Regnum majoribus partum, eodem quoque conservari debere. De successione in supremam Imperij dignitatem nihil eo testamento constitutum legitur, tanquam Pontifici, ut Baronius censet, id relinquerit, utri filiorum post suum excessum deferre voluerit; quando, ut Browerus ex congressu ad S. Goarem observavit, inter Pipinum & Carolum fratrem dissensio suboriri cœpit. Sed hanc sollicitudinem anteverterunt fata omnium mortalium curis superiora, quòd Carolo & Pipino ante patrem extinctis, omnia ad unum Ludovicum filium natu minorem reciderint. Conditum expositumque testamentum Francorum proceres jure jurando ratum confirmatumque habuere; & quo suprema auctoritas accederet, mox Carolus exscribi,

&

& per Eginhardum ad Leonem Pontificem transmitti jussit, eoque lecto Pontifex approbavit ac manu sua subscriptum consignavit. Tantum videlicet Imperator optimus in partitione regnorum suorum inter filios sedi Apostolicæ detulit; præclaro sanè documento ad posteros, atque eos cumprimis nostrâ ætate, qui Carolum diversam à Pontifice religionem coluisse criminari audent, atque ipsum etiam Pontificem Antichristum per summam insaniam inter Saxones proclamare; uti id ab auctore novorum dogmatum suorum & errorum magistris primùm didicere. Doceant principes suos & populum, quâ religione Carolus per omnem vitam Pontificem, Episcopos & Sacerdotes coluerit, & hæreses non erunt, quibus Ecclesiam lacerent.

Comitijs hisce Theonis Villæ Episcopi interfuere. *Tom. 20. Concil. Paris fol. 305.*

Expeditis quæ ad securitatem Regni erant, actum in ijsdem est ad Theonis villam Comitijs de statu Ecclesiæ formando, ac pravis moribus corrigendis, ideoque salutares leges denuo Imperator præscripsit, quas Sirmondus in lucem produxit, interque Caroli M. capitularia recensuit. Eæ verò cùm sacræ potissimum sint, de lectionibus in Ecclesia distinctè recitandis, de scholarum disciplinis, de Ecclesiarum honore & ornatu, de Monachorum & puellarum instituto religiosè servando, ac ne Laici sint Monachorum præpositi aut Archidiaconi, & quæ plura in hanc rem sapienter constituta, argumento est inter hos primores & proceres Francorum cumprimis Archiepiscopos, Episcopos & Abbates designari, cùm sine eorum auctoritate & cognitione nunquam Carolus sibi ejusmodi statuta sumere consueverit. Nec dubium fecero, quin Hildebaldus Colonienſium Archiepiscopus supremus in aula sacrorum antistes, Moguntinus, Trevirensis, multique in Germania & Saxonia Episcopi celeberrimo huic concilio interfuerint. Soluto hoc conventu, Imperator Ludovicum & Pipinum filios remisit ad sua regna: ipse secundo Mosella ac Rheno, Bonnam, Coloniam, Novesium ceteraque Rheni præsidia & castella navigio prætervectus, Noviomagum in Bataviam descendit ad res Frisiæ ordinandas; quo in loco ac celebri palatio quadraginta verni jejunij dies & Pascha exegit. Ac dum Francorum annalium scriptores tam signatè quadragesimam servasse memorant, satis opinor commonstrant, quam cum Romana Ecclesia religionem coluerit Magnus etiam illa devexâ ætate Carolus. Noviomago Imperator Aquisgranum redijt. Duo per id tempus bella urgebant revocabantque Carolum ad interiora Austrasiæ, Sclavicum, quod & Helenoticum refertur, & Bohemicum; utrumque Eginardus inter memorabilia Caroli bella retulit; nec tamen diuturna fuere, quòd utrumque ductu Caroli junioris celeri fine completum sit. Adversus Sorabos, quæ Sclavorum gens erat, partim trans Albim, partim inter Albim & Salam incolens, missus est Carolus filius cum expedito

Carolus secundo Rheno descendit Noviomagum ad res Frisiæ ordinandas. *Ann. Franc. Adelmus. Ann. Pithoe.*

Carolus Neumagi in palatio Quadragesimam & Pascha celebrat.

Bellum Sclavicũ seu Helenoticum, & Bohemicum.

Caroli filius Carolus Sclavicum bellum feliciter conficit.

Fran-

Francorum exercitu. Ille summa celeritate transgressus vastissimas regiones penetravit ad Albim, hostesque in suo solo aggressus, primo congressu prostravit, interfecto eorum Duce Miliduocho, barbaro & inflato homine. Et quia hac secundâ expeditione non satis consultum erat securitati Saxoniæ & Christianorum, duo Carolus Castella erexit, alterum ad Albis ripam, alterum ad Salam fluvium, utrumq; militari præsidio firmatum adversus Sclavorum incursiones. Vastæ adhuc trans Albim Germaniæ regiones, & immanes gentes, Ottonis ac ceterorum deinde Cæsarum debellandi campus. Carolus interim filius cum triumpho reversus ad Mosæ flumen, loco, quem Sili vocant scriptores, patrem convenit. Bohemici motus pari felicitate retusi. Nam quæ Imperatoris sub idem tempus erat sollicitudo, jussus est alius exercitus ex Alemannia, Bojaria & Burgundia convenire, quo in Bohemiam immisso longè lateque vastata est regio, exarmati subactique incolæ, & ingens captivorum pecorumque præda abducta; idque eò impune magis fuit, quòd Bohemi, qui se in armis obtulerant, aut cæsi, aut terrore adventantis exercitus se in latebras abdiderant. Ducem hujus expeditionis Engolismensis & Regino rursus Caroli filium introducunt, ceteri Francorum annales præfectis militiæ attribuere visi. Pari felicitate Pipinus Caroli filius, Italiæ Rex, instructâ classe Mauros ejecit ex Corsica. Ludovicus expugnatis in Hispania urbibus Mauros ac Saracenos profligavit ad Jberum usque fluvium; receptique in fidem Navarri ac Pampelonenses, qui ad Saracenos defecerant; quemadmodum glorioſa ejus bella multis exponit auctor rerum à Ludovico gestarum, quem cognomento Pium, Imperator successorem habuit. In senium vergebat Imperator, sed eò validius tribus filiorum lacertis pugnabat adversus barbaros, quo nihil ad felicitatis cumulum accidere poterat optabilius.

Carolus duo Castelia ponit, alterū ad Albim alterum ad Salam.

Caroli filij eodem anno victorijs illustres.

An. Christi 807. Imper. Car. 7. Regni Franc. 40. Longob. seu Italici 34.

Inter hæc Imperator celebratis Aquisgrani Natalitijs Christi per hunc septimum imperij annum versabatur in palatio Augustali, ex quo tanquam sapientissimus nauclerus vastam Monarchiæ navem consilio gubernabat, intentus in omnes hostium motus ac tempestates, quibus Imperium concuti posset. Summa per universam Franciam quies erat, nisi quòd extrema Regni infestarent Barbari, & annus tristi atque insolito siderum aspectu terrificus se obijceret: Nam à superiori Septembri Luna tertiùm, Sol semel lumine suo linqui visus: acies etiam in cœlo miræ magnitudinis spectatas perhibet Ado. Honora interim ex Oriente; quippe per id tempus legatus Regis Persarum Abdella, unáque Monachi Gregorius Abbas, natione Germanus, ac Felix Hierosolyma missi à Thoma Patriarcha pervenere Aquisgranum ad Imperatorem, rara atque admiranda operis munera deferentes, inter quæ tentoria bissina, pallia serica, horologium ex Orichalco miræ artis, in quo duodecim horarum cursus ad clepsy-

An. Franc. ac ceteri sup. relati.

Prodigia hujus anni.

Legati Regis Persarum

dram

dram vertebatur, æneis in cymbalum pillulis incidentibus, tinnituq; suo horas sonantibus: horis completis, scena duodecim equitum totidem fenestellis prodibat aperiendo claudendoq; ostia, & quæ alia in horologio illo miræ artis & ingenij spectabantur opera, candelabra præterea duo ex Orichalco, arte & oblectamento oculorum haud dissimilia; ne quid de balsami copia atque omni odoramentorum & aromatum genere referatur. Tanta nimirum Caroli apud Orientis Reges & præsules veneratio & claritudo nominis erat, alijs fœdus & amicitiam ejus, alijs patrocinium affectantibus; quando cum Nicephoro spurcissimo tyranno & hæretico Orientis Cæsare labi omnis Christianorum fœlicitas, resurgere cum Carolo in Occidente, & quàm latissimè per Saxoniam & Septentrionales provincias prospero Evangelij cursu se explicare visa est. Et Carolus legatos haud minus regijs muneribus exornatos remisit in Italiam, ibi navigationis tempus redituſque capturos. Quin gratiora per id tempus dona Carthagine ex Africa delata Lugdunum in Gallias, ossa videlicet D. Cypriani, Sperati, aliorumq; Scillitanorum Martyrum, quorum pars Caroli dono Venetis alijsq; Ecclesijs cessere. Nec bella hoc anno præter maritimum memorantur adversus Mauros. Irruperant illi primò ex Hispania in Sardiniam, ex quâ cum clade trium millium rejecti in Corsicam deflexerunt. Sed jam Carolus M. eò Burchardum præfectum cum classe miserat, à quo Mauri amissis XIII. navibus victi fugatiq; cum paucis lacerisque navibus rediere in Hispanias, fassi ultro his adversis in vindictam casibus se fatigari, quòd anno superiore LX. Monachos è Patelaria insula, missos asportassent in Hispaniam, acceptoque in capita singulorum pretio, mancipiorum in modum vendidissent, quorum complures Caroli liberalitate redempti redditiq; suis cœnobijs. Ac ne quid Aquisgrani in otio prætermitteret Imperator, animum corrigendis moribus sanciendisque Ecclesiæ decretis cum aulico & præsulum & Sacerdotum concilio adjecit, uti hæc monitorum in formam composita referuntur à Sirmondo, & quæ à Baronio ad hunc annum ad componendos religiosorum hominum mores præscripta memorantur; neq; tamen Carol⁹ prius vulgavit quàm sacrorum præsulum cœtui & judicio subjecisset, ne quid in sacris sua unius auctoritate sanciret, utque decreta confirmatiora essent, ad Pontificem deferi voluit. Jussit & per Paulum Diaconum ex sanctorum patrum scriptis seligi capita, quæ celebrioribus per annum diebus festis publicè in Ecclesia prælegerentur. Ita, ut Eginardus refert de Carolo, legendi & psallendi disciplinam diligentissimè emendavit: *Erat* enim in *utrisque admodum eruditus, quanquam ipse nec publicè legeret, nec nisi submissè et in commune cantaret.* Adeò nullo anno, quoad inde vixit, remissus Carolus, quin inter arma leges sacras civilesq; tractaret, quo Ecclesiam & regnum florentissimum relinqueret filijs.

tara munera Carolo deferunt.

Horologium miræ artis.

Ann. Franc. Ado. Baron. Regino. Reliquiæ ex Africa allatæ.

Mauri classe navali victi à Caroli præfectis.

Carolus captivos Monachos redimit.

Tom. 20. Concil. Paris. Cap. Caroli l. 1.

Lectiones in Ecclesia ordinat per suos.

Ut in

Ut in magna domo semper aliquid ruinosum, quod legibus refarciendum, interque aurea & argentea vasa etiam fictilia fragiliaq;, quæ indies repares. Nec insolens hanc curam à Carolo tam impensè sumptam, cùm aula quotidie supplicum libellis & queritantium vocibus perstreperet, ut lege etiam necessè fuerit clamantium, ut vocabant, importunitatem restringere.

Widekindi obitus. *Rolevingus lib. 3. de Westf. Herm. Mind. Reinec. com. de Ang. Lesnerus in Carolo M. Witt. in Chron. m.s. Cleinsorg. ad an. 812. Crantz. l. 2. Sax. c. 24. Bolland. tom. 1. ad 7. Januarij. Fabric. lib. 1. Gosæus.*

Per hæc etiam tempora accepimus magnum & celebrem Saxoniæ heroem Widekindum bello adversus Geroldum occubuisse. Alij obitum ejus ad quintum Carolini imperij annum, alij ad duodecim referunt: nobis cum Fabricio ad hunc annum adscribere placuit; quamvis ipse agnoscat nihil de anno ac die obitus certi à quoquam antiquiore scriptorum proditum esse. Ita sanè se res habet, bella quæ adversus Carolum gessit, veteres annalium scriptores tradidere, cetera quæ exinde Christianus egit, nemo scriptis consignavit. Prorsus ut quæ recentiores de Widekindo scripsere, fama tantum & majorum fide innixa sint; tam neglectim etiam cum magnis illis viris posterior ætas egit, Saxonum videlicet more, quibus multa gerere & pauca scribere receptum fuit. Et quod illud atrox & fatale Widekindi bellum adversus Geroldum, quem Fabricius Nothardum vocat, Suevorum Ducem? aut qui illi Suevi eâ tempestate Caroli M. & Widekindi, cùm jam Suevi trans Danubium versus Alpes incoluerint procul à Saxonum finibus? quod & Crantzio, qui hæc ipsa narrat, insolens visum. Ea tamen ut in speciē componat, *erant*, inquit, *Saxonib⁹ prædia in Hercinia, et Suevis in Thuringia*, ut de his facilè bellum inter utramque gentem conflari posset. Sed hæc conjectura tantùm Crantzij est, parum sane probabilis, quòd Suevi per id tempus Christiani essent; Widekindus verò ab hostibus Christianæ religionis interemptus perhibetur, cóque in cœlitum & Martyrum adeo numerum cooptatus passim traditur à Canisio, Ferrario, & Carthusianis Colonienſibus, Bollando, ijsq; qui Divorum fastos & res gestas consignárunt, quod & ab ipso Fabricio ex alienâ religione agnitum. Sed his omnibus antiquior Rolevingus, *D. Widekindus*, inquit, *olim Dux, aut Rex ejus populi, quem Carolus M. de sacro fonte suscepit, ac salutaribus monitis instruxit, tanto deinceps studio pristinam correxit vitam, ut post excessum miraculis inclaruerit*, quod & monumenti ejus inscriptio docebit; postquam enim in Ecclesia à se constructa Angariæ honorifico sepulchro est illatus, cœpit hominum affluentium veneratione coli; multique ex his morbis & humanis malis conflictati cœlestem opem sensére; quâ deinde causâ ossa viri tantâ majorum pietate & cultu servata, ut ex vico Engeriano cum collegio Canonicorum Hervordiam translata sint; ibi hodiedum caput & maxima pars integra inter Divorum pignora monstratur, quæ & coram mihi inspicere licuit cum Ferdinando Principe & Paderbornensium Episcopo, ut vel eò

Martyrol. Germ. Canisij. Ferrar. in catal. SS. Carth. Colon. addit. ad Martyrolog. Usuardi. Rolevingus lib 3. de morib. Westf. c. 8.

rectius

rectius mihi sentire videantur, qui Widekindum bello adversus Sorabos & Sclavos hostes Christianæ religionis occubuisse tradunt. Gentes autem illæ, quibuscum illud bellum fuit, Suevi dicti, quod priscas Suevonum ad Salam & Albim regiones incoluerint; sive tum Widekindus suo ductu, sive Caroli M. imperio id bellum adversus paganos & Barbaros pro Christianis susceperit. Pugnavere etiam per id tempus Saxones adversus Barbaros; quemadmodum à Carolo unà cum Francis in Godefridum Danorum Regem anno proximo ductos memorabimus. Increverit exinde ex hoc sacro bello & pio glorioso que mortis genere pro religione obitæ Widekindi veneratio inter populares, sepulchrum ejus supplicum ritu colentes. Neque inter omnia, quibus Widekindi memoria ad posteros pervenit, quicquam aut certius aut illustrius, quam Basilica cum collegio Canonicorum ab eo condita, & quod in medio chori conspicitur erectum Mausoleum Engericani vici medios inter Angrivarios Teutonicorum montium, ubi natale solum, & arcem paternam habuit. Antiquitus istic viri sepulchrum depressius fuit, cippo tamen honoratiore, qui exsculptam Widekindi effigiem exhibet, quique Mausoleo modò supernè incumbit, elaboratum. Id verò quod nunc tam magnificum visitur, ac quæ circumposita legitur inscriptiò, Caroli IV. Cæsaris opus creditur, Widekindi memoriam devenerantis. Mausoleum illius, quod Ferdinandus Princeps & Episcopus Paderbornensis à se lustratum in æs incidi voluit, inter Monumenta Paderbornensia videre licet, quæ studio & impensis laudati Episcopi prodierunt Amsterodami typis Elsevirianis. Anno MDCLXXII.

Versus qui antiquiorem Carolo IV. ætatem sapiunt, ac primi fortè tumuli indices, ita habent.

Ossa viri fortis, cujus sors nescia mortis
Hic tumulus claudit, Euge bone spiritus audit.
Omnis mundatur, hunc Regem qui veneratur,
Aegros hic morbis cœli Rex sanat et orbis.

Fallitur hic Fabricius, qui ex Chronico Zellensi refert Widekindum Mindæ sepultum fuisse, atque inde ossa ejus Paderbornam translata. Eam Ecclesiam quidem primò surgentem multis prædijs ac bonis locupletavit Widekindus, ubi & arcem paternam habuit ad Visurgim; quemadmodum ipsi Mindenses in fastis suis hæc memorant, non tamen sibi unquam sepulchrum ejus vendicârunt. Fallitur &

Crantzius, qui ossa ejus Paderbornam transvecta perhibet. Serò tandem ob bellorum incursus Angarienſe collegium ex vico Hervordiam translatam in Ecclesiam D. Joannis, simulque cum eo Widekindi ossa, Canonicorum hæreditarium pignus, ubi etiamnum asservantur inter Lutheranorum manus; quanquam magna sui parte imminuta; ut verisimile esse possit cum alijs quoque locis communicata fuisse. Obscurus modò vicus Engeria ex tanti herois natali solo & domicilio; sed haud aliter tum Saxonia colebatur, cùm ea ætate nec civitates nec oppida essent in Saxonia. Arcis interim Widekindi vetusta istic monstrantur rudera. Regem an Ducem dixeris Widekindum, multum decertant scriptores: at parum sanè interest, quando tum Saxones, ut prisci Germani, bellorum duces deligebant ex nobilitate, quos alijs Reges, alijs Duces appellare libuit, quòd cum bello temporarium ponerent imperium. Inde passim Widekindus Francis scriptoribus unus primorum Saxonum dicitur, quales Satrapæ apud illos. quod hæreditarium Ducis ornamentum in Widekindo ostendunt scriptores nostri, idq; à Carolo M. ei obtigisse volunt, à quo magnis passim honoribus cumulatus, multisque opibus & possessione Ducatus Angariæ & Westfaliæ, ob susceptam Christi fidem ac merita, cumulatus traditur. Duæ illi conjuges fuisse perhibentur, prima Geva Regis Danorum filia, ex qua Wigbertus Angariæ & VVestfaliæ successor: altera Suatana Bojohema, ex qua VVidekindus II. susceptus. Per hos ille filios multarum illustrium familiarum, multorumq; Comitum, Marchionum, Ducum ac Regum parens. Quo certe quid ad gloriam Westfaliæ Saxonicæ illustrius? Quippe VVigberto genitus Walbertus, *atque ex eadem Saxonicæ gentis stirpe*, ut Stadensis inquit, *ortus est Ludolphus vir nobilis, qui et Romam profectus, Lipsana Innocentij Pontificis inde in Saxoniam detulit.* Is deinde duos susceptit filios, Brunonem & Ottonem: Bruno urbis Brunswici conditor fertur. At postquam ille bello Danico occubuit, omnia recidère ad Ottonem, celeberrimum Saxoniæ Ducem, patrem Henrici Aucupis Regis. Ab hoc primo Saxonum Rege, delatum imperium recusante, Otto M. Imperator, & duo illi Ottones Cæsares, filius ac nepos. Ottonis primi Cæsaris frater Henricus Dux Bavariæ, & nepos Henricus Imperator, cognomento Sanctus. Certum hoc Saxonum genus, dummodo perinde constaret Ludolphum ex Widekindea familia progenitum esse. Id licet sub obscurè ab Abbate Stadensi sit traditum, planiùs tamen à Crantzio, & constanter à ceteris Saxonibus scriptoribus est assertum.

Rex an Dux Widekindus?

Widekindi progenies.

Crantzius l. 2 Saxon. c. 2 6. 27. Turckius in Hist. MS.

Jam altera Widekindi progenies haud minus illustris. Nam Widekindo II. genitus Dietgrimus & Widekindus III. Dietgrimo genitus Diethmarus Marchionum Misnienſium parens, qua deinde ex stirpe Electores Saxoniæ tanta principum fœcunditate & gentis claritudine se referunt. Widekindo III. ortus Rupertus Parisiorum Co-

mes;

mes; ejus filius Otho, ac nepos Hugo Capetus omnium exinde Regum Franciæ post exstinctam Carolinam familiam ad nostram usq; ætatem propagator. Ita rursus scriptores nostri, quorum permulti sunt, unâ consensione Widekindi stirpem producunt, suis quàm veterum scriptorum testimonijs, quæ hic desideres, clariores. Interim Abbas Stadensis ad annum 886. scribit: *Utho*, qui alijs est Otho, *vir militaris ac strenuus à principibus Galliæ Rex creatur in palatio Compendij. Hic patrem habuit ex equestri ordine Robertum, avum verò Widekindum ex Germania profugum.* Scio quantum hic obstrepant Gallorum scriptores; sed nihil adhuc certius ab ijs compertum. Francorum origines ex Westfalia stitimus, patiantur & hanc ex Widekindo originem haud minus indecoram. Sane Ducibus Sabaudiæ nihil gloriosius quàm à Widekindo longâ majorum serie origines suas arcescere, Utcunque etiam hanc omnem VVidekindi M. stirpem acceperis, quam alijs exploratius investigandam relinquimus, tria certè illustria collegia & egregiæ pietatis monumenta ab hac familia possidet VVestfalia, præterque Hervordiense Canonicorum collegium, VVigbertus VVildeshusanum construxit dotavitque; eò & Romam profectus plures Sanctorum reliquias à Pontifice impetratas, istic deposuit, ubi & in templo à se condito, humari voluit. Tertium est Vredense collegium virginum, seu illud à VVigberto, seu à VValtero filio sit constructum, ac tam amplis olim opibus dotatum. VValberti certè sepulchrum in Basilica istic visitur, multaque S. Felicitatis pignora, ejusdem familiæ dona. Hæc amplarum per VVestfaliam possessionum, hæc pietatis vestigia, ut quantum barbarus ante VVidekindum oppresserat Christi religionem, tantum Christianis efferret, dum ad extremum contra barbaros pro Christi religione pugnans glorioſiore exitu quàm initio vitam clauderet. Nunc ad ipsum Carolum revocamur.

Henning. in Geneal. Fabric. de orig. Saxon. Reusner. in Geneal. Reinnec. in not. ad Stad. atque an. M.XXIIII. Tria collegia Westfaliæ à Widekindo & posteris ejus. *Cranz. l. 2. Saxon. c. 26. 27.*

An. Christi 808. Imperij Carol. 8. Regni Francici 41. In Italia 35.

Aderat nimirum annus hujus sæculi imperijque Carolini octavus, bello cumprimis Danico celebratus. Hyems, quæ post Christi Natalitia Aquisgrani transacta est à Carolo, mollis, fœda pluvijs, & pestilentia tristior. Carolus ut primùm vernum se tempus aperire cœpit, Aquisgrano Noviomagum denuo concessit cum aula, commoratus eo in loco, dum quadraginta dierum jejunium, pro veteri Ecclesiæ instituto, & Pascha celebrasset, Regemque Northumbrorum Ardulphum, Regno à suis pulsum, audivisset. Is implorato Caroli auxilio, Romam ad Leonem Pontificem concessit; nec ita multò post ad Pontificis & Imperatoris patrocinium receptus est in Regnum. Sed Carolus potissimum intentus ad conservandam Frisiam, ne quid detrimenti acciperet ex imminente Danorum & Nortmannorum procella: Nubes jam istic cogebantur, brevi per gravem tempestatem excutiendæ; ideo Noviomago Aquisgranum regressus Carolus; agit.

Ann. Franc. Auct. vitæ Caroli. Regino. Ado. Carolus Aquisgrano Noviomagum profectus, ubi Quadragesimam & Pascha

Bellum Danicum Caroli M.

rolus; quò mox alij supra alios accessere, denunciantes Godefridi Danorum Regis irruptionem in Abotritos Francorum fœderatos. Exarsitque bellum Danicum, tractum ex Sclavico, multò quàm antè flagrantius, superbiâ ac ferociâ Godefridi Danorum Regis. Ac primo quidem Rex impetu Abotritos ex improviso occupans multa castella in potestatem redegit, ducesque Abotritorum malè mulctavit, quos inter Godolaibum dolo interceptum è furca suspendit. Thrasico Abotritorum Dux cùm non satis fideret popularibus, ad interiora provinciæ profugit. Eò Godefridus insolentior maximam regionis partem vastatam sibi subjecit, vectigalemque reddidit. Nec tamen incruenta hæc Godefrido victoria; nam eo bello optimos suorum militum & manu promptissimos amisit. Quo in numero Reginholt fratris filius in oppugnatione oppidi cujusdam cum plurimis Danorum occubuit. Hoc interim successu Godefridus adeo inflatus est, ut jactitaret brevi se Aquisgrani Imperatorem armata manu salutaturum. Verùm Imperator, auditâ sociorum strage, Carolum filium cum valido exercitu, ex Francis & Saxonibus delecto versus Albim misit ad vesani Regis superbiam reprimendam. Godefridus, quàm altos ante spiritus gesserat, tam ad famam adventantis exercitus perculsus, non exspectato Carolo juvene, cum præda in Daniam se retraxit; simul ut secuturo hosti spolium subtraheret, emporium Danorum celebre Rericum ad Oceanum commodo portu magnisque vectigalibus Regno fructuosum à fundamento evertit, incolis & mercatoribus ad interiorem portum procul à Saxonum limite traductis. Junxerant se ultro Regi in hac irruptione Danorum Wilsi, pars Sclavicæ gentis, ob veteres, quas cum Abotritis susceperant inimicitias; ac postquam Dani recesserant, & hi quoque cum præda profugi se subtraxere.

Godefridi Danorum Regis superbia.

Caroli filius Carolus adversus Godefridum missus.

Caroli filius pontem Albi insternit, & militè traducit in Danos & Sclavos.

Nihilo secius Carolus juvenis Albim ponte junxit, traducto que exercitu, in Hiliones & Smeldingos, qui & ipsi ad Godefridum defecerant, movit; agrisque eorum latè depopulatis ultus est gentis perfidiam. Inde per interiora Sclavorum impunè grassatus, Thrasiconi fido Francorum socio respirandi spatium, armandique se copiam fecit, nutantibus ceteris Sclavorum in quas partes se darent.

Vallum quo Godefridus Rex Daniam à Saxoniâ disclusit,

In hac rerum mutatione, & refluentis fortunæ cursu, cùm Godefridus Danorum Rex sibi metueret, ne tota belli moles in suas provincias traheretur, opus suscepit non minus ad Regni securitatem consultum, quàm regio nomini glorioſum. Enim verò cum classis regia in portu Sliestorp consisteret, milite in terram exposito, Rex limitem Regni sui, quo ex continenti Saxoniam respicit, Jstmumque efficit, cœpit vallo prætexere, ducto operis initio ab Orientali maris sinu, haud procul Sleswiga per dorsum Cimbricæ Chersonesi, & planitiem, quam Osterfalt dixere, in adversum usque Occidentalis maris littus

littus; quo valli munimento tota simul Eidoræ fluminis ripa Aquilonaris obducta, una tantum porta ad exitum permissa inter fauces, Thermopylarum instar, per quam carpenta & equites emitti & recipi possent. Ita totam Daniam, cùm cetera Oceanus ambiat, inclusam & inaccessam voluit, discluſamque à Saxonia Transalbina, & omni hostium incursu; haud secus quàm olim Septimius Severus Cæsar, ut receptas Britanniæ provincias omni securitate præmuniret, ingens vallum ad xxxv. millia passuum per mediam Britanniam ab uno maris littore in aliud duxit. Regium non minus Godefridi quàm Septimij Severi Cæsaris ac memorabile opus, quod Ducibus & militi perficiendum reliquit, ipse domum regressus, & metum magis Francorum suis ostendens, quàm ut se à Francis metuendum ferret. Neque Caroli filius prius ad hiberna concessit, quàm ex patris mandato per legatos duo ad Albis ripam castella erigeret, præsidioq; adversus Sclavorum incursiones præmuniret. Accessere hæc castella ad cætera, quibus jam ante Albim fluvium à Francis ad tutelam Saxoniæ præstructum diximus; quanquam jam etiam Francorum imperium cum Christi religione, Caroli M. armis, per Saxoniam Transalbinam Holsatiamque ad Regni usque Danici confinia prorogatum fuerit, vallumque illud Godefridi Saxones Transalbinos à Danis discluserit, quò nullius ante Carolum Cæsaris Regumque Francorum arma penetrârant. Rebus in hunc modum trans Albim compositis, Imperator seu ipse ad Rhenum propius atque in Westfaliam etiam descenderit, seu in palatio manserit, Aquisgrani hyemavit, ubi & Christi Natalitia & Pascha celebrata; exercitus partim per Saxoniam, partim per Franciam in hiberna distributus; nam Saxones haud secus quàm ceteros Francos militasse Carolo, & Christi religionem adversus Sclavos Barbarosq; defendisse satis opinor ex ijs, quæ retulimus, æstimari posse. Quâ in narratione scriptorum Francicorum, dum Osterfalt planities camporum memoratur, non ea Saxoniæ cis Albim provincia Ostfalia designatur, sed alia trans Albim ad Regni Danici confinia; satis tamen ex his constat origo Westfalici & Ostfalici nominis, ita enim crasso vocis sono Westfalt, Ostfalt & Osterfalt à planitie regionis hæ provinciæ appellatæ sunt, secus quàm alij à pullo equino hæc nomina comminiscuntur. Inde apud Francorum scriptores & in Caroli legibus Ostfalahi & Westfalahi appellantur, Angrivarijs & Angarijs, quod montes Teutonicos Visurgi prætextos incoluerunt, priscum suum nomen retinentibus. Hiliones, qui hoc etiam bello memorantur, Sclavicæ gentis populi, quos Poëta Saxo Linos, Ado Linones, Stadensis Liniones, Helmoldus Linegos, & Adamus Bremensis Lingones vocat, ijdem prorsus populi, à quibus Eginardus bellum Helionicum introduxit, hac expeditione. Hos populos Lunenburgenses quidam opinantur; sed bellum hoc trans Albim gestum

Eutrop. l. 8. Caroli filius Castella ad Albim erigit.

Carolus M. Aquisgrani hibernat, Natalemque Christi & Pascha ibidem celebrat.

Helmold. lib. 1. c. 37. & c. 2. Adam Brem. lib. 2. c. 10. Reinec. in notis ad Poët. Anonym. Bangert. in Helmold. lib. 1. c. 1.

ſtum contra Hiliones & Lingones. Longius abeunt, qui Livones noſtros cenſent. Nec enim veriſimile Carolum hac expeditione in Boruſſiam & Livoniam penetraſſe; niſi ijdem populi Francorum armis poſtea ſubmoti in eam regionem commigrârint, quòd prius Pomeraniam, aut Marchiam Brandenburgenſem, vicinaſve provincias cum Wilſis quorum finitimi fuerunt, inſederint. Latè interim Caroli exercitus ad Viſtulam uſque graſſatus, uti ex Eginardo memorabimus.

An. Chriſti 809. Imperij Caroli 9. Regni Franc. 42. In Italia 36. *Ann. Franc. Adelm. Aſtron. Ado. Regino. Ann. Pithœi. & Fuld.*

Quietior aliquanto, qui conſequutus eſt, annus Chriſti octingenteſimus nonus illuxit Carolo, quòd Godefridus Daniæ Rex ſuperioris anni ſucceſſu fruſtatus rejectuſq; metu Francorum & Saxonum intra Regnum continere ſe cogeretur. Qui tamen cum apertâ vi nihil adhuc dum moliri auderet, timeretq; ne Carolus Regnum ſuum irrumperet, ad callidas artes fraudeſque converſus per negotiatores quoſdam ſignificavit audiſſe ſe Imperatorem ſibi infenſum eſſe, eò quòd in Abotritos duxiſſet exercitum, ultuſque eſſet injurias ſibi ab eâ gente illatas; quòd ſi Imperator cauſam ſuam dignaretur ex æquo recognoſcere, velle ſe commonſtrare non abs ſe, ſed ab ipſis fœdera prius violata eſſe. Fraudibus hiſce ut ſpecioſius prætexeret Rex barbarus, miſit ad Carolum, qui conventum ad terminos Regni ſui trans Albim peterent, in quo Comites Imperatoris ac proceres Regni ſui deciſis controverſijs pacem componerent. Non abnuit Imperator, pacis laureas bello anteferendo. Deſignatus congreſſus locus Badenfliet; eo miſſi à Carolo legati, quales & ab Rege adfuere. Controverſijs ultro citroque per contentionem agitatis, cùm nihil moderati ferret ſtolida Danorum ſuperbia, aut eluderet fallacia, re infecta diſceſſum eſt, animique partium exacerbati magis ad bellum quàm molliti ad pacem.

Godefridus Daniæ Rex vim Francorum veritus ad fraudes ſe convertit.

Convent° inter Danos & Francos.

Inter hæc Thraſico Abotritorum Dux, etſi filium ſuum jam dediſſet obſidem Godefrido Danorum Regi, collectâ tamen populariorum ſuorum manu, acceptoque à Saxonibus auxilio, vicinos Wilſos aggreſſus, agros eorum ferro flammaq; vaſtavit. Magnanimus Dux, qui nec ipſum Danorum Regem reveritus, juſtas defectionis pœnas repoſcere auſus ab ea gente, quæ cum Danis conſpirando ſuos anno ſuperiore ſpoliârat. Haud multò pòſt validioribus Saxonum copijs adjutus Smedlingos Danicæ in ſe irruptionis ac ſpoliorum participes adoritur, ſumptaque pari per vaſtationem agrorum vindictâ, maximam opulentamque eorum civitatem expugnat. Quo proſpero rerum ſucceſſu, incuſſoque per Francos ſimul & Saxones terrore, tam Wilſos quàm Smedlingos, vicinoſque Sclavicæ gentis populos in unam ſecum belli ſocietatem reduxit.

Thraſico Abotritorum Princeps Francis confœderatus hoſtes aggreditur.

Carolus trans Albim civitatem molitur,

Imperator cùm per hæc multa de ſuperbia & jactantia Godefridi Danorum Regis nunciarentur, conſtituit ad refrenandam Regis inſolentiam trans Albim civitatem novam condere, in eaque præter

cives

cives & incolas Francorum præsidium collocare, haud aliò consilio, quàm ut in eo urbis munimento & Franci refugium haberent, & Christiani religionis fundamenta jacerent. Quam in rem multos & per Galliam atque Germaniam omnis generis & sortis collegit homines Christianos, quos in eam coloniam traduceret. Opus id Egberto Comiti, viro solerti & bellicæ artis perito commissum ab Imperatore; ac postquam ingens colonorum multitudo convenit, armis simul & ceteris ad usum necessarijs rebus instructa, additi præfecti & milites, qui per Frisiam ad destinatum locum deducerent. Jamque iter ingressi erant, cùm nunciatur Thrasiconem Abotritorum ducem occubuisse; hunc enim fortissimum virum, quem armis vincere non poterat, perfidus Danorum Rex Godefridus dolo circumventum, emptisque ad scelus sicarijs in Rerico emporio trucidari jusserat. Magno dolore is casus affecit Carolum & Francos; & si minus Christianus Thrasico, de quo nihil proditum est, fidus certè Francis semper ex fœdere, ac propugnator Francorum adversus Danos ac Sclavos. Sed ob hæc nihil deterritus Imperator, postquam jam locus contendæ urbis exploratus fuerat ad ripam Sturiæ fluminis, quem Essesfeldt dixere, Egberto Comiti in mandatis dedit, Albim cum Colonis transmitteret, civitatis condendæ initia faceret, valloque & fossis incolas & milites includeret. Quod ille opus Idib. Martij impigre aggressus, eóq; constantius, quòd Saxones ad manum haberet operis & belli adjutores. Tanto jam illi ardore incensi post susceptam Christi religionem agebantur, ut eam trans Albim omni conatu inter Barbaros transplantare allaborarent. Quàm iniquis hæc oculis intuebatur Danorum Rex, tam illi ac Franci concordes conspiravere in munimentum novæ trans Albim civitatis. Sed hæc belli cum Danis atrocioris præludia fuerunt.

perfugiũ Francorum & Christianorum.

Thrasico dolo Regis Daniæ interficitur.

Civitas ad Sturiã fluvium magno studio condi coopta à Francis & Saxonib⁹ trans Albim.

Atque ea dum in Transalbina Saxonia geruntur, filij Imperatoris aperto magis cum hostibus bello distinentur. Pipino terra mariq; bellum fuit cum Nicephoro Orientis Imperatore; & quam ille classem miserat in Dalmatiam & Venetorum oras, cũ eâ ad Comiachum insulam cruentum prælium commissum, quo ita debilitati Græci, ut ad pacem petendam venerint legati. Ludovicus educto ex Aquitania exercitu, Dertosam urbem ad ripam Jberi fluminis obsedit, Saracenos ejecturus. Sed cùm tota illa gens ex Hispania se contraheret, & spe difficilior expugnatio se objiceret, reducto in Aquitaniam incolumi exercitu bellum abrupit. Ita Carolus cum molestissimis hostibus colluctatus Imperij curas viresque dividere necesse habuit, quo minus totâ mole belli ac mente in Danum incumberet.

Interim exitu hujus anni per Novembrem celebre Aquisgrani concilium Episcoporum ac præsulum habuit de processione Spiritus S. quam quæstionem moverat Monachus Hyerosolymitanus. Extat hac

Aquisgrani Synod⁹ de Processione Spiritus S

Ado. Franc. ann. vita Caroli. Regino. Lucas Holst. in collect. Rom.

hac super re præclara Caroli M. epistola ad Leonem Pontificem, à Luca Holsteinio recens producta, qua Carolus sententiam Patrum ex concilio perscribit. Agitatum præterea in concilio, recténe Hispani & Franci symbolum Nicænum, seu etiam Constantinopolitanum cum additamento vocis *Filioque* canerent; id enim ex quo hæresis Feliciana compressa, publicè per Franciam & Germaniam cantari cœptum. Ac licet palam constaret, receptumque esset fidei præscripto, Spiritum S. non modò à patre sed & filio procedere; id tamen quia antiquitatis amore Romana Ecclesia in symbolo nondum professa fuerat, videbantur Franci & Hispani, qui palam in palatio hanc vocem adjectam canebant, à Romanis dissidere; cumque non facilis exitus huic negotio reperiretur, missi in urbem legati ad Leonem Pontificem percontatum, Jesse Ambianensis, Bernhardus Wormatiensis Episcopus, & Adelhardus Corbeiæ Abbas. Re disceptata, visum Pontifici ad leniendam rei novitatem in præsens paululum omisso cantu, Ecclesias recitatione contentas esse debere, ut multis hæc Baronius, Binius & Sirmondus ex epistola Smaragdi ad Carolum M. introducunt. Expeditis legatis agitatum in eodem Episcoporum concilio Aquisgranensi de statu Ecclesiarum & moribus eorum, qui in Ecclesia Deo deserviunt; nec tamen ob magnitudinem rerum, quæ tum movebantur, definire placuit.

Carolus fidei controversias ad Romani Pontificis judicium remittit.

Tom. 20. conc. Paris. Binius tom. 3. conc. p. 2. Baron. ad hunc ann.

D. Ludgeri mors.

Evocatus hoc anno VII. Kal. Aprilis è mortali vita ad immortalem D. Ludgerus primus Mimigardevordensis Episcopus, vir Apostolicis laboribus, admirabili sanctitate & miraculorum splendore, si quisquam inter primos Saxoniæ Episcopos clarus, atque ob merita & gentes, quas ad Christi religionem aggregârat, Frisonum ac Saxonum Apostolus appellatus. Supervacaneum res ab eo mirificè gestas hîc enarrare, seu quòd multa à nobis jam tradita, seu quòd vita ejus syncerè & luculenter tum ab Altfrido consanguineo ejus ac tertio Monasterienſi Episcopo, tum à discipulo ejus, quem Othelgrimum opinantur, exactè conscripta sit, quam Browerus in Bibliotheca Fuldensi repertam in lucem protulit, alteramque Bollandus, alteram Browerus inter sidera illustria relatam eruditis commentationibus illustravit: utra verò prior sit conscripta, haud immeritò controvertitur; mihi, quam Browerus Othelgrimo adscribit, secus quàm Bollando, vetustior apparet, quòd multa referat quæ scriptor vivo Ludgero aspexerat. Altfridus verò omnia ab Hildegrimo fratre & Gerfrido nepote Episcopis, Heriberga sanctimoniali sorore D. Ludgeri, atque alijs ejus discipulis accepisse ingenuè fatetur. At Othelgrimi auctoris, scriptique ejus non meminit Altfridus; haud mirum quando non omnia ad omnium manus perveniant, seroque tandem scripserit Altfridus. Præter hos Uffingus ac Werthinenses Monachi vitam D. Ludgeri complexi, ex quibus Surius suam vulgavit. Locupletissimè

Scriptores vitæ D. Ludgeri.

pletissimè ex his omnibus res D.Ludgeri gestas & congestas dedit Cincinnius Presbyter. Omnes miri effusiq; in præconium hujus viri, quod egregium quoddam omnium virtutum Sacerdotalium exemplar in eo nacti. Crantzius adeo ab utero materno sanctitatis dono exornatum perhibet; nec aliud testantur prodigia & cœlestia beneficia, quibus Deus infantiam & pueritiam illustravit, ut supra à nobis relatum est; haud secus quàm ea quæ Diaconus, quæ Presbyter, quæ Episcopus mirificè egit. Cetera quæ in hanc rem desiderari possunt, multis ejus vitæ scriptores tradidere, digna quæ sine fastidio evolvantur, nunc quædam ex Episcopi munere & de excessu adjiciam. *Crantz. l.v. Metrop. c.5.*

Fuit D.Ludgerus, ex quo Sacerdotio inunctus, exactum semper Episcopi & Apostolici viri specimen, sive eruditionem rerum sacrarum, quam excellentem in eo prædicat Rixfridus Ultrajectensis Episcopus, sive cetera virtutum ornamenta desideres. Una illi occupatio vacare rebus sacris, quotidie propemodum sacrificium Missæ offerre, sacras lectiones tradere, discipulos, quos complures ex clero educabat, formare, vel ad Pastoris munia, vel ad Canonicorum collegia, vel ad monasteria religiosorum traducendos: reliquum inde tempus vel in obeundâ disponendaque diœcesi impendere, Vicatim Provinciam peragrare, populum rudem concionibus erudire, fana & idola subvertere, parœciarum templa construere, donec, ut Dithmarus scripsit, optimè ordinatam Parochiam & Episcopatum reliquisset, & ex gentilium superstitione ad Christi fidem perduxisset, non eam tantum, quæ ex occidentali Saxonia, sed quæ ex quinque Frisiæ pagis & Satrapijs illi à Carolo ex descriptione limitum attributa erat. Sunt qui opinentur magnam Embslandiæ partem, quæ pars altera diœcesis est, Ludgero à patre hæreditariam obvenisse; hinc & Abbatiolam, ut vocant, Meppensem ab eo conditam volunt, impositis ex ordine D. Benedicti Monachis, quorum opera in docendis Barbaris permultum usus est. Sed nec Meppia intra Ludgeri jurisdictionem fuit, ut constat ex actis ejus, & quæ per Frisiam atque Embslandiam fortitus est, Caroli potius donatione habuit: Magnaque etiam pars Embslandiæ jurisdictioni Episcopi Osnabrugensis cessit, ut supra in Wihone relatum. Certiùs de his constaret, si primæ limitum sacrorum tabulæ, ut Carolus descripsit, supereſſent; quemadmodum Bremensis & Verdensis Ecclesias suas à Carolo exhibet. Meppia certè à Ludovico Pio Corbeiæ donata ad culturam Evangelij; quamvis vetustissima Episcoporum Monasterienſium jura sint per eas Frisiæ & Embslandiæ regiones, fateturque Guicciardinus, templum primarium B.Virginis, quod Groningæ est, Monasterienſis Episcopi jurisdictione comprehendi; quemadmodum & ipsa Embda, in qua arcem habuere Episcopi & præfectum suum, à prima sua origine ex utraq; jurisdictione Episcopo Monasterienſi asserta fuit. Inde & tot Præposituræ

Ludgeri opera pro clero & religione. *Rixfrid. Epist. ad D. Ludg.*

Lib.4.

Embslandia & Frisiæ pars Episcopatui Monasterienſi asserta.

situræ Episcopi Monasterienſis per hanc Frisiæ regionem. Sanè D. Ludgero, uti ex actis ejus liquet, nihil sollicitiùs fuit, quàm hæc Emslandiæ, & Frisiæ loca quotannis invisere, tractareque ut alteram Episcopatus sui partem. Monstratur hodiedum Embsburæ villa in hanc rem empta, Aschentorpium, ceteraque ad Amasim loca, ad quæ divertere est solitus. In quibus Ludgeri profectionibus illud cum primis memorabile, solitum illum ex veterum præscripto canonum Sacerdotes & Clericos habere in comitatu, quibuscum alternis etiam choris psalmos in hospitijs decantabat; inter quæ illud accidit aliquando, ut, dum circa focum noctu psallerent, fumusque ex cineribus evaporans exhalaret in faciem D. Ludgeri, aversurus incommodum quidam clericus, curvato genu carbones detegeret, & flatu sopitos ignes suscitaret; quem Ludgerus manè ad se vocatum, increpitumque, quod divinum officium interturbasset, gravi aliquot dierum pœnitentia mulctavit. Ea tum pietas, ea Cleri disciplina erat. Ac dictis factisque prorsus admirabilis Ludgerus, corpus assiduo cilicio afflictabat, nullo ejus præter familiares quosdam conscio. Carnium esum certis temporibus non renuit, satiatum tamen cibo potuque nemo unquam vidit. Invitabat ad mensam promiscuè pauperes cum opulentis. Invitatus ab alijs convivas sacris semper sermonibus inflammabat. Solutâ mensâ, quæ brevis erat, se in secessum & in secretiora conclavia subducebat ad precandum legendumve. Abjectis & egenis mirè affabilis, rigidus in fastuosos divites, osor eorum, qui verbis factisque sanctitatem simularent. Vestitus illi decorus; in quo ut sordes damnabat, ita nunquam elegantiam sectabatur: Vitâ frugalis, solitusque sibi subtrahere, quod in pauperes distribueret. Rem arduam aggressurus, Sacerdotum sacrificijs, Religiosorum jejunijs, pauperum & piarum feminarum precibus eam commendabat. Censum omnem ex bonis hæreditarijs vel Episcopi patrimonio collectum, præterquam quod necessitati subserviret, visus mox distribuere inter pauperes aut religiosos homines, non magnifica ædificia, nõ splendida ministeria, non sumptuosos sacrorum vasorum templorumq; ornatus magnopere curare, metallinis fere contentus. quamobrem delatus est ad Imperatorem, tanquam aut prodigus, aut negligens bonorum sacrorum, qui nihil dignum se æmularetur in magnificis structuris & ornamentis ex auro argentoque comparatis; eò citatus venit Aquisgranum ad Imperatorem, ac manè vocatus à præfecto cubiculi regij ad aulam, præcedere præfectum jussit, quòd precibus horarijs recitandis vacaret: iterum verò ac tertium postulatus non venit: persolutis demum divinis se stitit Imperatori: at hic, cur tam difficilis ad mandata mea vix tertium vocatus ades? cui Ludgerus, Deum, inquit, & tibi, o Imperator, & omnibus mortalibus anteponendum censui; hoc enim mihi cùm Episcopi munus imponeres, præ-

Ludgerus in comitatu suo semper Clericos & Sacerdotes habuit.

Victus ac culus D. Ludgeri.

res, præcepisti; ideo Deo prius serviendum fuit quàm tibi, eóque nunc paratior adsum. Ad quæ Imperator, Deo gratias ago, mi Episcope, quia talem te modò reperio, qualem ante æstimabam : fuere apud me, à quibus malevolè traductus es, hos ego in posterum non audiam : tu modo insiste cœptis, ac fidus nobis esto, tuis ego me meosque precibus & sacrificijs commendo. Cetera, quæ per omnem vitam egit, prorsus admiranda : nec facile inter Saxoniæ Episcopos reperies, cujus sanctitatem Deus tot miraculis tam vivum quàm mortuum illustrârit, quæ multis ad stuporem conscripta sunt.

Obitus D. Ludgeri, & de sepultura corporeque suo dispositio.

Ad extremum præfractus licet laboribus, & molesta aliquamdiu infirmitate corporis afflictatus esset, non tamen destitit in senio & morbo obire diœcesin, quotidianum Missæ sacrificium offerre, psalmodiam frequentare, docere populum, ordinare sacra; dum postremum Cosfeldiam delatus, ipsâ die dominicâ, qua festa Annunciationis Incarnati verbi memoria agebatur, pridie quàm moreretur, concionem ad populum haberet, Presbytero missam cantante. Ipse verò eodem die Bilderbeckam, quod tribus horis distat oppidum, profectus, sacrificium missæ magno pietatis sensu peregit, habitâque rursum ad populum concione, omnibus supremum bene precatus est. Urgente deinde vi morbi, in lectum se composuit, vocatisque ad se discipulis, post data salutaria vitæ documenta, supremum sibi diem quo ex hac vita migrandum sit, imminere dixit, rogare idcirco, ut corpus suum vitali spiritu exutum Werthinam deferrent, ibique extra Ecclesiam in parte orientali humarent. Ejus rei gratiâ mandârat, ut ab Imperatore id impetrarent, ac corpus interea Mimigardiam transvectum conquiesceret. Signum verò consensûs habituros addidit, ex tribus sanguinis guttis, quæ etiamnum Monasterij in sacello, uti è naribus stillârunt, monstrantur. Reliquum diei psalmis & precibus exactum, dum subsecuta nocte, XXVI Martij, castissimam & innocentissimam animam Deo redderet, anno ætatis LXV, ut verius supra dixi, administrati Episcopatûs XXI, admissi gradus Episcopi IX. Quo momento expiravit, visa est ex eodem loco lux quædam admirabili fulgore è terra ad cælum usque fundi, quo tota circum regio illustrata. Vidit hanc lucem Gerfridus nepos ac præses Werthinensis cœnobij, cùm cognitâ ejus infirmitate propere advolasset, atque haud procul Billerbecka constitisset in campo : vidit & Imperator Aquisgrani, cùm per id tempus fortè cum Alcuino siderum contemplationi vacaret. Non id quidem probat Bollandus, quòd jam anno 804. Albinus Flaccus, cognomento Alcuinus, defunctus memoretur ab Odoramno. At si quis Baronium, ipsasque Alcuini epistolas ab eo scriptas consulat, intelliget is Alcuinum post hæc tempora ad annum 811. superstitem fuisse; nisi dicere placeat Albinum hunc, de quo Beda agit, alium fuisse ab eo, qui Carolo M. tam familiaris vixit. Demortui

Signa in excessu è vita.

Ludgeri corpus Bilderbecâ Mimigardevordiam transvectum, & in Ecclesia B. Virginis depositum est. Advenere subindè Hildegrimus & Gerfridus cum Imperatorijs literis trigesimo fere ab obitu die, ac corpus ejus, quod incorruptum & miro simul odore fragrans manserat, 24 Aprilis Mimigardia Werthinam transferunt. Vix atrij portam egressis opponit se Clericus quidam transvectioni, jamque manum feretro retinendo injecerat, cùm repente exanimis prolabitur. Ludinghusium cùm transirent, feruntur campanæ omnes sponte sonuisse. Inde Werthinæ 26 Aprilis conditus est eo, quem signaverat, extra Ecclesiam loco; ubi se extremo orbis die è tumulo surrecturum, judicemque suum exspectaturum prædixerat, Mimigardiæ fortè è præsagio humari detrectans, ne ossa sua cum ceteris Divorum Lipsanis Anabaptistarum furori relinqueret. Humilem, quam Werthinæ construxerat, pro more Ecclesiam, Hildegrimus, Gerfridus, ceterique nepotes Episcopi convertêre in augustam Basilicam LX annorum opere, sepulchrumq; Basilica incluserunt. Ibi post ad D. Ludgerum consepulti consanguinei Episcopi, Hildegrimus frater Halberstadiensis, Gerfridus & Altfridus Monasterienses Episcopi, Thiatgrimus alter post Hildegrimum Halberstadiensis, unáque Hildegrimus junior quartus post Hagmonem Halberstadiensis Episcopus viri omnes Apostolicis laboribus & sanctitatis fama celebres.

Werthina sepulchro D. Ludgeri, & aliorum consanguineorũ Episcoporum celebris.

Præter cetera templorum & sacrorum monumenta, quæ per Diœcesin suam D. Ludgerus construxit, primum est Werthinense ad Ruram cœnobium; qui locus illi divinitus est monstratus, & strage arborum paratus. Adjecit Helmstadiense Cœnobium; quo in opere adjutorem habuit Hildegrimum fratrem Episcopum Halberstadiensem, Virum pari Apostolico spiritu celebrem; quem memorant Northuringorum populum circa Helmstadium Evangelij luce illustrasse. Fama quoque est à posteritate tradita, virginum Notelensium Cœnobium magnam partem D. Ludgeri opus esse; cui Hereburgam sororem primam Abbatissam imposuerit: eâ certè sanctimonialis ab Altfrido Episcopo refertur. Monumenta librorum, quibus insignem doctrinam testatus est, haud minus illustria; scripsit enim vitam B. Gregorij, Trajectensis Antistitis ac Magistri sui, ejusq; successoris D. Albrici, & quæ in rebus gestis D. Boni facij prætermissa fuerant. Successorem demum in Episcopatu D. Ludgerus habuit Gerfridum nepotem, Werthinensis Cœnobij rectorem, ex Caroli M. voluntate, virum ex disciplina S. Ludgeri Apostolico muneri formatum: eóq; promptior ad hunc subrogandum Carolus videri potuit, quòd eodem simul lucis aspectu animam Ludgeri ad cœlum deferri viderat, collatoque hac super re coram sermone, Carolus nullum digniorem reputârit, quàm ipsum, quem Deus illo lumine tanquam indicio successoris dignatus sit. Is annos deinde xxx in Episcopatu exegit, D.

Cœnobia à D. Ludgero condita.

Scripta D. Ludgeri.

Gerfridus Ludgeri successor in Episcopatu.

egit, D. Ludgeri vestigijs sanctissimè insistens. Extat in ejus encomium carmen Rabani Moguntini Archiepiscopi. Cetera illius præclara facta, ut pleraque eorum temporum, vetustas aut scriptorum incuria subtraxit. Hic mihi haud leviter mirari subit, posse hac nostra demum hæresis ætate homines in eam dementiam prolabi, ut sibi persuadere patiantur, nunquam hactenus per D. Willebrordum, Suibertum, Bonifacium, Burchardum, Willehadum, Wihonem, Ludgerum, Hildegrimum, Hathumarum, Hercumbertum, ceterosque viros & sanctissimos Episcopos, qui aut Caroli Martelli, aut Pipini Regis, aut Caroli M. ævo inclaruerunt, Thuringiam, Hassiam, Frisiam, Saxoniam, totamque Germaniam transrhenanam syncerè & incorruptè à gentilium superstitione ad Christi religionem perductam esse; donec serò tandem post septingentos annos octingentosve Lutherus, Calvinus, Zwinglius, Menno, ceterique desertores avitæ religionis novam suam doctrinam per diversas sectas in Germaniam & has regiones inveherent; quorum inaudita hactenus dogmata, vitam & mores si quis cum horum Episcoporum vivendi instituto & doctrina ex omnium scriptorum & synodorum monumentis composuerit, reperiet is facilè inter Apostolicos hosce viros, qui primum verbum Dei tradiderunt, & posteriores hæresum magistros immane quantum discrimen. Illi ex successione Apostolicâ consecrati Episcopi, & patrum postea generatores fuerunt: Novatores verò aut profugi Sacerdotes, aut Monachi nulla potestate Episcoporum donati. Illi missi ordinaria auctoritate aut à Pontifice Romano, aut Metropolitanis suis ad docendas barbaras gentes: hi per factiones Principum politicorum & populi turbas sibi potestatem docendi administrandique Sacramenta, more omnium priscorum hæreticorum, sumpserunt. Illi sanctimonia vitæ clari doctrinam innumeris miraculis obsignârunt, contestante Deo signis & virtutibus: hi vitijs & sceleribus cooperti, cum eos disciplina Ecclesiæ non ferret, ad patrocinium hæresis confugerunt, eamque novi Evangelij doctrinam confinxerunt, in qua & sibi & plebi omnem vitæ libertatem aperirent, tanquam hoc impietatis emplastro conscientiam sanaturi. Illi cœlibes & angeli in modum; quis enim unquam legit D. Willebrordum, Bonifacium, Burchardum, aut ullum Episcopum, quos Carolus M. ac ceteri exinde Cæsares Saxoniæ imposuere, matrimonio innexum, aut incestas Monialium nuptias ambijsse? Hi postquam aut in Clero corrupti Sacerdotes, aut in claustro dissoluti Monachi vixerant, nihil prius habuere, quàm in sacrilegas nuptias proruere. Illi post collegia Sacerdotum & seminaria Cleri instituta innumera Monachorum cœnobia condiderunt; quemadmodum à D. Willebrordo Epternacense, à Bonifacio Fuldense, à Ludgero Werthinense, alia ab alijs erecta, impletaque sanctissimis viris, quos in subsidium Apostolici muneris evocarent;

Collatio inter primos Saxoniæ Episcopos à Carolo impositos & Novatores religionum nostro ævo.

evocarent; hi claustra Monachorum perfringunt, sacratos Deo homines exturbant, cœnobia pessundant, patrimonio pauperum aut in profanos usus aut in spolium aversо. Ubi nunc inter novi Evangelij præcones prisca pietas? ubi sacrificium avitæ religionis? ubi saluberrimæ leges tot synodis ætate Caroli M. Clero, Monachis & populi præscriptæ? & quæ in hanc rem tanta scriptorum contentione & librorum mole non tam à Catholicis proferuntur, quàm ubique omnium antiquitatum monumenta palam eloquuntur. Singula si quis ex aureo illo religionis sæculo conferat componatque, aut omnes illos Apostolicos viros unà cum Carolo M. aut novarum religionum auctores deliraſſe fatendum erit; præterquam quòd nondum convenerit inter tam multiplices sectas, quænam ex his ad Apostolorum legem & doctrinam, ut sibi fingunt, fabricata sit. Id quantum contendunt Lutherani, tantum contradicunt Calviniſtæ, ceteræque sectæ, quando demum Hervordiæ nova secta ex Hollandia admissa Labbadæo auctore, quæ hunc, dum hæc scribimus, omnium sectarum reformationem apud nos sibi vendicat. Ijs nunc delirijs impletur Germania, postquam semel ab avita majorum religione discessum est; neque sectæ hæ prius in concordiam venient, quàm in Ecclesiæ, à quâ recessere, sinum se referant.

An. Christi 810. Imperij Caroli 10. Regni Franc. 43. In Italia 37. *Eginard. in vita Caroli. Ann. Franc. Adelm. Vita Carol. Ado. Regino. Poët. Anonym.*

Annus subinde sæculi hujus decimus allapsus erat, cùm Carolus Imperator adhuc Aquisgrani agens tristi nuncio edocetur, Godefridum Danorum Regem cum classe ducentarum navium irrupisse in Frisiam, insulas littori Frisico adjacentes vastasse, jamque ab exercitu ejus in continentem exposito tribus prælijs profligatos Frisios; quibus illi fracti subactique in tributum centum argenti libras Danis persolverint. Ita sanè ut Carolo renunciatum fuit se habebat, sævieratque Godefridus ferro flammaque in Christianos & Christianorum ædes sacras & corpora. Qua facinoris audacia præter modum inflatus in Daniam revehitur, unde indies cum novo exercitu erupturus exspectabatur; quòd hoc successu insolens, totam Germaniam & Saxoniam armis suis destinaret ex veteri Cimbrorum fortitudine, prædicaretque ostentatione vanissima brevi se cum Imperatore prælio conflicturum, & Aquisgrani, ubi Imperatoria aula & Comitatus esset, invisurum. Quibus excitus Carolus, missis celeriter, qui sparsas toto in Franciæ Regno copias contraherent, ipse nihil cunctatus palatio egreditur, indutusq; loricam statuit primùm classi occurrere, & Frisiam servare: mox consilio mutato, ad Rhenum properat, transitque flumen ad Lippeheim (locus est sæpius ex annalibus Francorum à nobis memoratus, ubi Luppia Rheno se miscet, & post Wesalia urbs surrexit) ibi ad aliquot dies fixis tentorijs in limine Westfaliæ moratur, dum omnis exercitus conveniret, sæpe suorum moras incusans, quorum tarditate impeditus in hostem avolare non posset.

Godefridi Danorum Regis irruptio in Frisiam.

Carolus ex tota Francia contrahit exercitū adversus Godefridum Danorum Regem.

Rhenum transit ad Lippeheim & in Westfaliæ finibus consistit.

posset. Copijs demum convenientibus, quanta licuit celeritate, per mediam Westfaliam ad Visurgim movit; castrisque ad ripam positis, ubi Alera se infundit in Visurgim, omnia ad prælium componit, quo à Danorum Rege provocatus erat. Tantus vel in sene Imperatore vigor, certo confligere, si modò Danorum Rex ausus se ad pugnam sistere. At dum in decimum quintum diem ibi moras trahit, frustra insultantem Danorum Regem præstolando, diversarum rerum nuncia apportantur: classem videlicet, quæ Frisiam evastaverat, per mare in Daniam esse revectam, & Godefridum ipsum Danorum Regem interfectum ab uno suorum satellite, quâ ex causâ, nemo pro certo tradidit; id certè patuit omnes hujus Regis minas tanquam aquæ bullas uno venti flatu dissipatas evanuisse; nam cum Rege stolido & furioso omne simul bellum Danicum occubuit, hactenus Saxoniæ Frisiæque & Christianæ religioni cumprimis formidabile tam facile Deo Regum consilia, & arma in perniciem Christianorum conflata disjicere. Subrogatus Godefrido in Regnum Hemmingus fratris filius, diversæ indolis Rex; territusque Francorum potentia, & Caroli armis, quæ in Daniam subigendam comparaverat, ultro se ad pacis fœdera obtulit, quæ anno exinde proximo icta. Hæc nimirum illa Nortmannorum tempestas, hoc primum illud fatale bellum, quod D. Ludgerus jam diu ante sibi divinitus ostensum retulit. Cogitârat ille ex bonis paternis Wermij in natali solo haud procul Doccumio Monasterium condere, quo in consilio dum sollicitus versatur ad mare, vidit per somnium ab Aquilone atras primum nubes consurgere, sensimque in globos & formidabilem tempestatem cogi, quæ mox ventorum impetu incussâ magnâ strage Frisiam obrueret; rursumque ab Austro radios promicare, qui cum Sole Oriente totam illam nubium molem discuterent. Hoc interim ille ostento ita perculsus fuit, ut dum manè surgeret, ubertim in lachrymas proruperit; cumque Heriburga soror, quæ tum illi aderat, causam insuetæ tristitiæ percontaretur, frustra, inquit, hîc meditamur seminarium Christianæ religionis, aderit funestum tempus, quo Nortmannorum gens in has provincias irruptura prædis & latrocinijs omnia subvertet trahetque post hæc in bella Christianis multo funestiora. Ad quæ Heriburga: faciat Deus ne his malis ego superstes sim; at ille, supervives, inquit, & spectabis, non ego; tandem & Deus quæ ob peccata nostra irrogat, his finem imponet, vertetque in ipsos Nortmannos demum flagella sua. Vaticinium probavit eventus, ut scriptor vitæ ejus enarrat, alteroque hoc post obitum anno fatalis Godefridi irruptio facta est, sed ut ille brevi fraudis domesticæ ferro circumventus perijt, ita Carolus dum vixit, per omnes portus & ostia fluminum totius Galliæ & Germaniæ naves instruxit, munimenta firmavit, excubiasq; disposuit; nequis ullibi Nortmannis ingressus intra Regni limites pateret.

Carolus castra ad Visurgim collocat, ubi Alera se miscet.

Godefridus Rex à Satellite interimitur.

Providentia Dei ergà suos.

Vita D. Ludg. apud Brovver. c. 19.

D. Ludgeri vaticinium de Nortmannorũ irruptione.

Eginard. in vita Caroli.

Carolus ob Danos & Nortmannos omnes Galliæ &

Idem

Frisiæ portus instruit.

Idem Ludovicus Pius fecit. Quas deinde Nortmanni post excessum Ludovici Pij, cùm imperium civilibus motibus totum quateretur, irruptiones ad Rhenum fecerint, quas clades Gothorum Wandalorumque instar Galliæ intulerint, satis temporum illorum scriptores prodiderunt. At Carolus in præsens dum ad Visurgim morabatur, alio mali nuncio perculsus, intelligit castellum Hobuchi Albi flumini impositum à Wilsis esse captum, Odonemq; legatum qui cum præsidio Orientalium Saxonum id tenebat, in potestatem hostium venisse, ipsum verò castellum Barbarorum insolentia solo propemodum æquatum esse, ne quod illic Francorum præsidium deinceps ad tutelam Albis, & sibi ad dominatum, freni instar inhæreret. Incensus quidem Imperator ad hanc injuriam confestim ulciscendam, consiliumque erat procedere ad Albim, cùm longè tristiori nuncio intelligit Pipinum filium Italiæ Regem excessisse è vitâ. Ejus funestæ mortis præsagium, si non suæ potius brevi subsecuturæ Imperator ultima in Godefridum expeditione accepit, cùm manè sub lucis crepusculum prodiret è castris; radianti enim lumine fax coruscans & sublimis sereno cœlo ad pedes allapsa, Carolum complexa est: mox equo, cui insidebat, cervice pronâ procumbente, ille excussus est, tanto impetu, ut fibula, qua connectebatur sagum, disrupta, baltheusq; in plura frustra discerptus sit, & quod dexterá ferebat hastile, longo spatio excussum procurrerit. At mors eo acerbior accidit Imperatori, quòd excellenti virtute & magnitudine animi florentem filium inter Regni hæredes amisisset. Ad hæc nunciabatur legationes Constantinopoli à Nicephoro Græcorum Imperatore, & Corduba Saracenorum Rege ex Hispania, pacis faciendæ causâ, adventare; quibus acceptis, vindictam adversus Wilsos distulit in sequentem annum. Inde rebus per Saxoniam compositis, provisis nimirum præsidijs, quibus Albis & Visurgis muniebatur adversus Danos & Wilsos ceterosq; barbarorum hostes, ordinatis deinde quæ ad statum Ecclesiæ, ad Episcoporum securitatem opemque pertinebant, retro à Visurgi ad Rhennm reflexit, redijtque incolumis Aquisgranum ad palatium.

Wilsi castellum Hobuchi ad Albim occupãt, & solo æquant.

Pipini filij & Regis Italiæ mors.

Prodigiũ facis è cœlo lapsæ ad pedes Caroli.

Carolus per Westfaliam redit ad Rhenum.

Postrema hæc Caroli in Saxoniam expeditio fuit, quam quinquennio ante obitum ætate canus ac senio gravior suscepit; & perquam verisimile in hoc per Westfaliam reditu Carolum Mimigardiensi Ecclesiæ consuluisse novo, quem dederat, Episcopo Gerfrido, ac D. Ludgerum, cujus vivi se precibus commendârat, etiam mortuum ac tot cœlestibus prodigijs jam illustrem coluisse. Aquisgranum mense demum Octobri regressus, audijt legatos Nicephori Græcorum Imperatoris, & Abulaz Saracenorum Regis; cum utroque pax inita, ictoque fœdere reddita est Nicephoro Venetia, quam anno superiori Pipinus postremo bellorum tropæo subegerat, ducibus in deditionem acceptis.

Auxit

Auxit hoc anno Divorum numerum S. Ida Egberti Westfaliæ Ducis conjux, quæ ab excessu mariti, ut supra diximus, Hertzfeldiæ se ad Luppiam in diœcesi Monasterienſi abdiderat in domicilium suum extra omnem mortaliū congressum, quod templo adstruxerat, nunquam exinde visa extra cellam pedem efferre, nisi cùm egenis stipem erogaret, quam in rem marmoreum sibi sarcophagum viva paraverat; hunc bis per diem cibis alijsque ad usum pauperum implebat, reliquum tempus precibus & meditamentis rerum sacrarum insumptum. Aderat illi Bertgerus presbyter ad quotidianum sacrificium & cetera sacrorum opera præstanda, vir pari sanctitate conspicuus; eo divina omnia extremùm procurante, 4. Septembris magna sanctimoniæ fama excessit è vita illataque est honorifico sepulchro, quod in porticu sibi paraverat. Famam sanctitatis, quam viva reliquit, auxere deinde opera posthuma, illa videlicet miracula, quæ ad sepulchrū ejus edita sunt, ob quorum celebritatem cultumq; incolarum, ossa pòst anno 980. 6. Kal. Decemb. à Dodone Monasterienſi Episcopo humo levata, cùm jam saxea quoque tumba, qua corpus conditum erat, sponte se ab annis multis sensim extulisset, tanquam terræ se tam diu prementi obluctata. Aliæ eo nomine Jdæ virgines & viduæ sanctæ; hæc apud nos viduarum sanctarum decus, spreto ad natale solum reditu, Westfaliam exornare voluit, ubi haud procul inde ad Luppiā Carolus M. præclarum illud Leisbornense Monasteriū virginum condiderat ad Westfaliæ, & sexus etiā illius sequioris culturam.

Uffingus in vita ejus. Surius ad 4 Sept. Hareus in vitis SS. D. Idæ mors.

Molan. in nata. Belg.

Carolus interea Aquisgrani hyemem egit, & pax, quæ inter Imperatorem & Hemmingum Danorum Regem positis utrimq; armis convenerat, ex promissis tantisper servata, dum solemni ritu & firmiori religionis sacramento firmaretur. Id quidem Imperator statim à discessu ex Westfalia conficere constituerat, verùm quæ intervenit hyemis asperitas, quo minus legati commeare possent, impediit. Ut primùm ergo ob vernum tempus licuit, convenêre ex utraque parte ad Eidoram flumen legati, ubi limites Regni Danici & Transalbinæ Saxoniæ esse diximus. Celebris illa utrimque legatio fuit, & magno apparatu instituta. Missi ab Imperatore duodecim Comites, viri prudentia & auctoritate præstantes, quos inter celebriores, Wala, filius Bernardi Comitis, Burchardus, Unrochus, Vodo, Egbertus, Thodericus, Abbo, Ostdachus, Wigmannus. Ab Hemmingo Daniæ Rege adfuere duo Regis fratres, Harawincus & Agandeo; multi præterea primores ex gente Danicâ & honorati viri, Offredus cognomento Turdimulo, Warsteimus, Swomus, Urinus, Heiligonius, Osfredus de Sconowe, Hebbi & Awingi. Horum auctoritate pax, quæ jam sancita erat, publico utrimq; fidei juramento confirmata est, finemq; habuit bellum Danicum, quod in octavum usque annum à Godefrido Rege magnis animis, ac majori Frisiæ ac Saxoniæ periculo tractum arserat.

An. Christi 811. Imperij Carol. 11. Regni Franc. 44. In Italia 38. *Vita Caroli M.*

Pax inter Carolum & Hemmingum Danorum Regem ad Eidorum flumen per legatos confirmata. *Helmold. l. 1. Chron. Sclavor.*

Legatorū nomina.

Finis belli Danici octavo anno.

Carolus etsi jam senio prægravis pacis & religionis studia unicè coleret, nihil tamen sibi de limitibus Transalbinæ Saxoniæ semel bello partis detrahi passus est; convenitq; inter cetera, ne aut piraticis Galliæ littora, aut Christianos in Frisia & Saxonia infestarent amplius,

Eidora limes inter Danos & Saxones Francosque.

fineſq; Regni sui Eidorum fluvium haberent, cetera transalbinæ Saxoniæ ad Jstri usq; flumen Francis manerent. Sed non ideo omne bellum ad Aquilonem sopitum erat. Wilsi ac ceteræ Sclavorum trans Albim gentes adhuc inquietæ audaceſque post Hochburchum castellum Francis detractum. Igitur Aquisgrani conventu Regni indicto de bello consultatum est. Ex eo procerum approbantium consilio Imperator per omnes Regni provincias validissimum exercitum contrahi jussit, quem tripartito divisit, primum in Hiliones, Wilsos & Sclavos ad Albim, alterum in Pannoniam ad controversias Hunnorum & Sclavorum finiendas, tertium adversus Brittones eorumq; perfidiam ulsciscendam, Ducum imperio commissis exercitibus, fuitque omnium felicissima expeditio. Tum verò castellum Hochburgi receptum, instauratumq; à Carolo inter cetera, quæ ad Albis ripas struxerat, facilè princeps fuit. Hoc illud nobile castellum esse tradunt, quod Adam⁹ Bremensis Hamaburg, & Helmold⁹ Hammenburg compellat, idemque quod postea communi vocabulo Hamburg est dictum, sedes decimi Episcopatus per Saxoniam à Carolo M. constituti. quam in rem Adamum Bremensem hic repeto: *Quo tempore cum Sclavorum quoque gentes Francorum imperio subijcerentur, Carolus Hammaburg civitatem Nordalbingorum, exstructâ ibidem Ecclesiâ, Heridago cuidam sancto viro, quem loci Episcopum designavit, ad regendum commisit; cui etiam propter infestationem barbarorum, ubi interdum posset consistere, cellam quandâ in Gallia Rotnach donavit; disponens eandem Hammaburgensem Ecclesiam cunctis Sclavorum Danorumq; gentibus Metropolim statuere.* Quæ res ne perficeretur, *et mors Heridagi presbyteri, et occupatio Regni Carolum impedivit:* Bella nimirum quæ Godefridus Rex intulit, & frequentes Wilsorum Sclavorumq; irruptiones. Eadem Helmoldus & Crantzius de hac primâ Episcopatus sede tradiderunt. Patris deinde inchoatum opus Ludovicus Pius filius explevit, conjunctáque Hamburgensi Ecclesia cum Bremensi, D. Ansgarium Nordalbingorum, Danorum, Suecorum & Sclavorum Archiepiscopum esse voluit. Sanè quàm sollicitus fuit Carol⁹ in restaurando Hochburgo castello, redditisq; Christianæ religionis trans Albim auspicijs, tanta sibi cura sumpsit Ludovicus filius voluntatem patris in Hamburgensi Ecclesia reponenda. Et per id tempus Caroli M. plura ad Albim fuisse castella Francorum, ipsiusq; non modò Hamburgensis, sed & Magdeburgensis urbis primordia tum surgere cœpisse, satis opinor constat ex lege Caroli ad Salicam anno III Imperij ejus addita, quæ Cattoni in Magdeburchi præfecto ac ceteris mandat, ne arma per partes Saxoniæ ad Sclavos transportari vendique permittat.

Adam. Bremens. lib. 1. c. 11. Helmold. l. 1. Chron. Sclav. c. 3.

Castellum Hochburg, quod Hamburgum tradunt, receptum & instauratum.

Rembertus in vita S. Ansgarij. Helmold. lib. 1. c. 3. Cranz. l. 1. Metrop. c. 17.

Capit. ad leg. Salicam à Carol. M. addit.

Inter

Inter hæc Imperator ad perlustrandam classem, quam anno superiore in littore Belgico instrui mandârat, Bononiam Gallicam & Gandavum ad Scaldim profectus est; medio deinde Novembri Aquisgranum se ad hiberna recepit. Venienti Carolo obviam progressi sunt legati Hemmingi Danorum Regis, Awinus & Hebbi, munera Regis sui deferentes: auditi & Hunnorum Sclavorumq; legati. Omnium horum munus fuit pacem cum Imperatore initam confirmare. Fortunatissimus Carolo annus, quo post tot cruenta & assidua bella, domitis omnibus circum se hostibus Græcis, Saracenis, Mauris, Danis, Sclavis, Hunnis alijsq; barbaris gentibus, Regnum Francicum & Imperium in summa pacis tranquillitate conspexit. Quem ille felicitatis diem in cogitationem mortalitatis vertit, & hoc anno, quodque triennio ante obitum factum docet Eginardus, testamentum condidit, convocatis in hanc rem Aquisgranum Episcopis, Abbatibus & Regni proceribus. Memorabilis tanti Imperatoris ultima sanctissimaq; voluntas, quam ex Eginardo hic paucis referam. Facultates omnes, quæ vel in auro, vel argento, vel gemmis, vel ornatu regio servabantur, tripartito divisit. Duas tertias portiones in alias viginti & unam describi partes voluit, ut in totidē Metropoles distribuerentur, quot erant in ejus Imperio: Quarum illæ sunt: Roma, Ravenna, Mediolanum, Forumiulij, Grad[o], Colonia, Moguntia, Juvavum sive Salisburgum, Rotomagum, Treviri, Senones, Vesuntium, Lugdunum, Rhemi, Arelatum, Vienna, Tarantasia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges. Eam verò partem, quæ singulis hisce Metropolitanis obtigisset, dividi rursum in tres alias voluit, quarum unam Ecclesiæ suæ retineret, cetera relinqueret Episcopis suis suffraganeis, Tertiam deniq; rerum omnium portionem (quæ cùm æquè ex auro argentoque constaret ac priores, adjungi voluit omnem ex ære, ferro aliaque viliori materia supellectilem, quò partes possent ad plures pervenire) illam, inquam, tertiam quadrifariam rursum partitus est, ut prior pars Metropolitis rursum adjiceretur, alteram liberi ac nepotes obtinerent, tertia egenis cederet, ultima deniq; in familiæ ministros servosq; divideretur. Supererant tres argenteæ mensæ, quarum primam Romæ donum Basilicæ S. Petri esse voluit, alteram Episcopi Ravennatis Ecclesiæ; tertia, unaque aurea mensa hæredibus & pauperibus data. Conditum id testamentum anno ab Incarnatione Domini Jesu Christi DCCCXI. regni Francici *XLIII. Italiæ XXXVII. Imperij XI. indictione IV. Subscripsere Episcopi [a] Hildebaldus, [b] Richolph[o], [c] Arno, [d] Wolfarius, [e] Bernoinus, [f] Laidradus, [g] Joannes, [h] Theodulfus, [i] Jesse, [k] Hetto, [l] Waltgaudus. Abbates, Fridegisus, Adalungus, Engelbertus, Irmino. Comites, Walach, Meginherius, Othulphus, Stephanus, Unrochus, Burchardus, Meginhartus, Hatto, Richwinus, Eddo, Erchengarius, Gerholtus, Bero, Hildigarius, Rhiculfus. Testamentum vel inde om-

Carolus ex Belgico Aquisgranum regressus audit legatos.

Carolus testamentum condit.

*al XLIV, Italiæ XXXVIII.

a Colonien. Archiepisc.
b. Mogunt. Archiepis.
c. Salisburgensis.
d Rhemensis.
e.
f. Lugdunensis.
g.
h.
i. Ambianensis.
k.
l Leodiensis.

ni posteritatis memoria dignum, quòd ex eo Metropolitanos Regni Francici, Hierarchiam Ecclesiæ & splendorem & Caroli Magni liberalitatem in Ecclesias, religiosos & egenos recognoscas. Imo quota ex his portio filijs & nepotibus obvenit, ut non longè major rebus sacris dono Caroli attributa sit. Et quis facilè Cæsarum & Regum ita gazas suas divisit, ut tam largè Sacerdotes & Christi ministros filijs & nepotibus anteponeret? Nec jam facilè quisquam etiam mirabitur Saxoniam inter Episcopos esse divisam, qui hanc Caroli munificentiam ac ceteras donationes expenderit. Regna interim ac provinciæ, ut supra diximus, ex divisione filijs ac nepotibus manebant, adeoq; Bernardo Pipini filio, etsi ex inconcesso thoro, Italia Caroli donatione cessit. Verùm quæ abdita Dei sunt consilia, aut tanquam augustalis hæc domus ad fastigium suæ felicitatis perveniisset, hoc ipso anno pridie nonas Decembris morte subtractus est Carol⁹ filius, quem ille sui haud absimilem & tot bellorum tropæis per Saxoniam nobilitatum Regni Francici hæredem designârat, unico filiorum relicto Ludovico Pio, ad quem omnia devoluta. Mortem hanc non minus acerbè quàm Pipini filij sensit. Quin Eginhardus: *Mortes filiorum et filiæ Rothrudis, quæ superiore ante Pipinum anno obierat, pro magnanimitate, qua excellebat, minus patienter tulit, pietate videlicet, quæ non minus insignis erat, compulsus ad lachrymas.*

Caroli filij mors.

An. Christi 812. Imperij Carol. 12. Regni Franc. 45. In Italia 39.

Exinde Carolus per contemplationem rerum humanarum, tanquam & ipse ad extrema urgeretur, pacis & pietatis studijs se impensius quàm unquam antè dedit. Et Saxoniæ Frisiæque ab Aquilone eò minus periculi anno insequenti fuit, quòd Hemmingo Danorum Rege extincto, regnum illud intestinis dissidijs fœdè collisum. Affectabant nimirum per ambitionem sceptra regni Sigefridus Godefridi Regis nepos, & Amilo Herioldi ante hac Regis nepos, duo potentes & infensi æmuli; scissoque in partes regno, cùm alter alteri non cederet, res cruento prælio commissa est, in quo Sigefrido & Amiloni decem millia nongenti & quadraginta pugnatorum utrimq; cecidêrunt, exhausta non parum Dania; compertumq; est D. Ludgeri vaticinium, qui prædixerat fore, ut arma quæ in Christianos sumpserat Godefridus Rex, Deus in ipsos Danos per civilia vulnera converteret. At quia Amilonis pars victoria potior, Herioldum & Regnifridum Amilonis fratres geminos sibi Reges delegerunt, quibus & victis parere necesse fuit, tam ægro adhuc & fluctuante, quàm coacto imperio. Nec tamen gens Nortmannorum, quòd hominum multitudine abundaret, piraticis assueta se continuit; ac Galliam cùm per pacis fœdera infestare non auderet, & Carolus littora omnia præsidijs ac navibus ubique instructis præclusisset, classe prædatoria Hiberniam Scotorum insulam est aggressa. Sed & Scoti Hiberniq; non minus vigiles, commisso cum Nortmannis prælio, prædones hosce ingenti clade

An. Franc. Vita Carol. Regin. Egin. in vita Caroli.

Regni Danici in partes Scissio, bellumq; inter Regni æmulos pax Christianorum fuit.

clade affectos coegêre turpi fugâ per mare in Nortmanniam se recipere. Novi Danorum Reges Herioldus & Regnifridus, etsi magna spirarent adversus Francos, veriti tamen Imperatoris potentiam, missâ legatione, pacem, quam Hemmingus Rex fecerat, ratam firmatamque petunt. Simul Hemmingum fratrem, quem Carolus obsidem acceperat, sibi remitti rogant. Eadem denuo pax sequenti anno solemni ritu cum Danorum Regibus transacta. At nondum per hæc Saxonia Orientalis, qua Albi præcingitur, libera quietaque receptum quidem superiori anno castellum Hochburchi, restauratumque, non ideo tamen Wilsi & Sclavorum gentes, quæ immensis spatijs & populis trans Albim ad mare & Vistulam usque fundebantur, domitæ, quòd infestis excursionibus & populationibus quotidie immine- Carolus
rent, vexarentq; Albis incolas & Francorum præsidia. Adversus has adversus
barbaras gentes nova à Carolo expeditio hoc anno imperata; tradu- Sclavos
ctoque exercitu, omnes Sclavorum regiones quàm latissimè spolijs mittit ex-
ac cædibus pervagatus est; quibus cladibus gentes illæ fractæ addu- ercitum,
ctæque supplices pacem efflagitârunt, datisque obsidibus impetrâ- & ad pa-
runt. Paucis quidem hæc Francorum annales pro instituto suo com- cem com-
plexi narrant; verùm quia Eginardus perhibet, *omnes barbaras ac feras* pellit.
nationes, quæ inter Rhenum et Vistulam fluvios Oceanumq; et Danubium Caroli
positæ, lingua quidem penè similes, moribus verò atque habitu valde dissimiles Imperium
Germaniam incolunt, ita à Carolo perdomitas esse, ut eas tributarias effecerit, ad Vistu-
argumento est Carolum per hæc extrema cum Sclavis bella longè lam usq;
majora confeciſſe, quàm unquam ab alijs in annalium memoriam relata sint. Nec enim per omnem vitam Carolo quicquam majori curæ fuit, quàm ut subactâ firmatáque Saxoniâ, non tam Regni Franciæ fines, quàm Christi religionem trans Albim per barbaras nationes proferret. Quod saluberrimum sanctissimumq; opus etsi senio jam præfractus, nec multò post morte præreptus exequi non potuerit, filio tamen Ludovico Pio, à quo hæc bella patris omni contentione multis expeditionibus excepta, sollicitè commendavit; quanquam non hujus tantùm, sed multorum exinde Cæsarum, Ottonis cumprimis & S. Henrici aliorumq; is labor fuerit, antequam vastissima hæc interioris Germaniæ regio imperio & Christianæ religioni subigeretur. Carolo interim ex jucundissimo fructu partæ Saxoniæ is felicitatis dies obtigerat, videre provincias inter Rhenum & Albim & trans flumen adeo per Holsatiam ad Danorum fines ex barbaris Christianas, Carolus
& cultu veræ religionis florentissimas. Ubique Episcopi quieti in suis quieto u-
sedibus, ubique collegia Sacerdotum, templa, cœtus Christianorum, bique re-
Carolo dum vixerat sumptus suppeditante. Ita enim Eginardus: *Æ-* gno Ec-
des sacras, ubicunq; in toto regno vetustate collapsas comperit, Pontificibus et cleſias
Patribus, ad quorum curam pertinebant, ut restaurarentur imperavit. Inter ædificari
quæ nihil impensius habuit, quàm ut novæ per Saxoniam erigeren- aut in-
tur. staurari
mandat.

tur. Inde quotquot primorum Episcoporum Basilicæ sunt, ad Carolum conditorem se referunt. quam in rem, ut ex tabulis donationum constat, certos ubique in fabricas sacrarum ædium census assignavit. Nulla jam fana Deorum, nulla Idola, nulla veteris superstitionis sacrificia, ritus & conventicula tolerabantur, capitali pœnâ interdicta. Læta ubique facies concurrentium populorum ad Christi sacra & Evangelij doctrinam audiendam: quanta olim per cultum inanium Deorum pertinacia, tantum pro Christiana religione certamen; visaq; Saxonia vetus, exuta semel barbarie, transmarinorum Saxonum in Britannia incredibilem pietatem fervoremque æmulari.

An. Christi 813. Imperij Carol. 13. Regni Franc. 46. In Italia 40. *Ann. Francorum.*

Et jam penultimus vitæ annus cum senio morbisque accesserat, agebatque hyemem Carolus Aquisgrani in palatio; ac postquam Amalharium Trevirensem Episcopum ac Petrum Abbatem sub verni temporis initia Constantinopolim legatos misisset ad Michaëlem Imperatorem, qui Nicephoro extincto successerat, ad pacem, quam flagitaverat, confirmandam, ipse in Ardennum nemus venationis oblectamenti causa concessit: mox pedum dolore retractus Aquisgranum redijt, atq; eo malo brevi liberatus magna & Imperatore digna ad Imperij securitatem & Ecclesiæ salutem agitare cœpit; tanquam supremis fatis monitus non prius abiret è vita, quàm Imperio & Ecclesiæ maturè & sapientissimè consuluisset. Igitur Aquisgrani indicto Episcoporum & procerum conventu, Ludovicum filium Aquitaniæ Regem ad se evocat, ut Imperatorem & Jmperij consortem successoremq; diceret. Magna hæc celebritate & religione peracta sunt, quemadmodum hæc à Thegano perscribuntur. Evocati nimirum erant Aquisgranum cum omni exercitu Episcopi, Abbates, Duces & Comites (eo enim honoris ordine Episcopi semper antegressi ceteros apud Carolum) Quos ubi in palatio præsentes habuit senectute & canitie venerandus Imperator, affatus benignè & honorificè omnes admonet fidei sibi præstitæ. Inde singulos ordine compellans, rogat utrumne placeat Ludovicum filium consortem Imperij successoremque creare. Ad quæ illi una voce hanc divinitus Imperatori injectam voluntatem esse exclamant, cui refragari nefas sit. Quo responso lætus, die Dominica regio ornatu indutus, ac capite coronam gestans processit ad Basilicam à se constructam, procumbensque cum filio, coronam auream, diversamque ab ea quàm in capite gestabat, deponit in ara principe; atq; ut magnarum rerum exordia à Deo caperet, diu multumq; prostratus cum filio ad aram precatus est; post consurgens coram omni Episcoporum & procerum multitudine præclara oratione allocutus filium admonuit, Deum ante omnia diligeret, ejusque præcepta sanctè servaret, Ecclesias Dei defenderet, Sacerdotes honoraret ut patres, populum diligeret ut filios, cœnobiorum & pauperum se præstaret patronum, sorores ac nepotes in tutelam

Carolus legatos mittit Constantinopolim ad pacem cum Græcorũ Imp. firmandam.

Conventum celebrem Aquisgrani agit, in quo Ludovicum filium Imperatorem & hæredem dicit.

Carolus Ludovicum filiũ coronat.

Præclara Caroli monita ad filium.

lam susciperet, fideles cumprimis ministros, quos sciret muneribus noncorrumpendos, diligeret, nullum sine causa officio & gradu dignitatis moveret, in superbos & contumaces justa severitatis pœna animadverteret. Demum filium affatus rogavit num sibi obediens esse velit; quo ad omnia se patris mandata nutumque offerente, jussit eum coronam ab altari sumere, & suis manibus capiti imponere. His ritè peractis cœptum est solemne Missæ sacrificium, quo finito, itum ad palatium & convivium, succollante patrem filio. Eo in conventu simul Bernardo Pipini filio absenti ob egregiam juvenis virtutem Regnum Italiæ detulit. Quibus constitutis, filium abs se dimisit in Aquitaniam. Hoc institutum posteri Reges tenuerunt cooptando filios sibi consortes hæredesque imperij; ac postquam inde nascendi conditione, non morum delectu, summa rerum niti cœpit, opes Francorum, quæ Carolo maximæ amplissimæque fuerunt, interdum attenuatæ, mox afflictæ, ac demum præcipiti gradu in perniciem prolabi visæ sunt. Memorat Sigonius Carolum & Ludovicum cùm novis legibus regnum stabilirent, ita de Episcoporum electione sanxisse: *Sacrorum Canonum non ignari, ut Dei nomine sancta Dei Ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum Ecclesiastico ordini præbemus, ut Episcopi per electionem cleri et populi secundum statuta Canonum de propriâ diœcesi, remota personarum et munerum acceptatione, ob vitæ meritum et sapientiæ donum eligantur*; quo confici vult Carolum decreto Hadriani renunciasse. Unctusne simul solenni ritu sit Ludovicus Imperator, aut à quo id factum sit, nihil ea super re Theganus aut Francorum annales. Verisimile Carolum hunc veterem sacrumq; ritum non intermisisse in filio, quem à Clodoveo M. & omnibus inde Francorum Regibus, ac Patre Pipino manasse, ac se à Leone Pontifice Imperatorem oleo sacro perunctum esse noverat, creditur que perpetuus ille ritus Augustalis, quo ab Ottone primo consequentes inde Imperatores inuncti sunt, ad Caroli M. & filiorum nepotumque ejus exempla se referre. Onuphrius quòd legerat Pipinum Regem à Bonifacio primo Moguntinorum Archiepiscopo inunctum, omnes inde Imperatores ad Ottonem I. à Moguntinis Archiepiscopis coronatos censuit; quanquam id nullius scriptoris auctoritate ab illo assertum. Alij Ludovici Pij inunctionem Hildebaldo Colonienſium Archiepiscopo attribuunt, quòd is apud Carolum M. tum honoratissimus fuerit, aulæ nimirum Archicapellanus & Cancellarius, quodq; Aquisgranum inter Metropolis ejus limites & jurisdictionem id depoposcerit. Res est quæ non adeo à priscis scriptoribus comperta. Sub id tempus Carolus Aquisgrani Adalrico Saxonum agros & bona inter Visurgim & Fuldam, quæ patri ejus ob præstitam sibi deoque fidem dederat, præclaro ad posteritatem diplomate confirmat. Id quia hactenus in tabulario Corbeiensi delituit, visum est hoc loco in publicam lucem proferre.

Sigon. l. 4. de Regno Italiæ.

Electionem Episcoporum Clero & populo liberam facit Carolus.

IN NO-

IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITVS SANCTI.

Diploma Caroli quo hoc anno Adalrico Saxoni ob fidem Deo & sibi præstitam agros donatos confirmat.

Karolus serenissimus Augustus à Deo coronatus, Magnus Pacificus Imperator Romanum gubernans Imperium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum. Omnibus fidelibus nostris præsentibus & futuris notum sit, quia Asig qui & Adalricus fidelis noster innotuit serenitati nostræ, eo quod pater illius Hiddi, dum ceteri Saxones contra nos infideliter egissent, præfatus Hiddi mallens fidem suam servare, quam cum cæteris infidelibus perseverare, relinquens patriam nativitatis suæ, veniens ad nos, & dum in nostro esset obsequio venit ad villam, cujus est vocabulum vulvisangar, quam tunc temporis Franci & Saxones pariter inhabitare videbantur; cupiens ibi manere, sed minimè potuit, tunc pergens ad locum qui dicitur Hauucobrunno inter Vuiseraa & Fuldaa occupavit sibi partem quandam de silva quæ vocatur Bochonia, quam moriens dereliquit filio suo Asig, qui & Adalricus vocatur; sed postea venientes Missi nostri ad eadem loca, prædictam silvam ad opus nostrum conquisierunt ad hæreditatē scilicet Gerhat quondam Ducis. Nos tamen propter fidele servitium prædicti fidelis nostri Asig, sive patris, petitionem ejus ad effectum perducere volentes, in eadem silva in loco memorato, ubi pater ejus Hiddi illud proprium, quod in eorum lingua Bivane vocatur, fecisse cognoscitur, duas leugas in longum & duas in latum, & sex in circuitu illi & hæredibus ejus concessimus ad habendum. Sed pro integra firmitate ad nostram accedens clementiam postulavit Celsitudini nostræ ut nostræ auctoritatis præceptum ei confirmare deberemus. Quatenus ipse & hæredes illius perennis temporibus, absq; alicujus præjudicio tenere, & possidere quieto ordine deberent. Cujus petitionem non abnuentes, sicut unicuiq; fidelium nostrorum justè & rationabiliter petentium, ita concessisse atq; in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum præfatum Asig, qui & Adalricus, vel hæredes illius de hoc proviso superius memorato, quod in lingua eorum Bivang dicitur expoliare & inquietare ullo quoq; tempore præsumat, sed liceat ei sicut diximus per hoc nostrum præceptū ipsam terram, quantumcunq; pater ejus occupavit, & ei in hæreditatem dimisit, omni tempore tenere atq; possidere. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora melius conservetur, de annulo nostro subter sigillare jussimus.

Witherus Diaconus ad vicem Hieremiæ recognovi.

(L. S.)

Data VII. Id. Maj. anno Christo propitio Imperij nostri XIII. Regni vero in Francia XLV. atq; in Italia XXXVIIII. Indictione VI. actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Quinque postremæ Synodi per Galliam & Germaniam ex Caroli volūtate & ordinatione. *Franc. ann. Eginard. in vita Caroli. Baronius ad an 813. num. 16.*

Carolus exinde, ut Ecclesiæ non minus quàm Imperij saluti provideret, ijsdemq; artibus ac præsidijs Regnum firmaret quibus erexerat, mense Majo & Junio per universam Franciam diversis in locis quinque Episcoporum concilia ad cleri populiq; mores formandos indici jussit, quemadmodum hæc Francorum annales & Eginardus tradunt. *Quorum unum Moguntiaci, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabillone, quintum Arelate congregatum fuit.* Patrum scitis cuncta integrè subjecit, ut decernendi, quod in rem foret, auctoritatem illis plenissimam relinqueret. Quæ postquam habita sunt, *constitutiones, quæ in singulis factæ sunt, collatione coram Imperatore habitâ, ad tabularia Episcoporum et palatia relatæ sunt.* Hæ illæ Synodi, hi Canones singulorum, qui inter publica conciliorum acta prostant non sine præclarâ testificatione, quæ religio Carolo M. Imperatore culta fuerit per Germaniam & Romanum imperium, ut vel hæc quina concilia, si cetera ex Caroli ævo deessent, jugulationes hæresum omnium nostri temporis esse possint, digna sanè, inquit Baronius, quæ pervolvantur.

Inter hæc Moguntinum, quod Austrasiæ Saxoniæq; nostræ fuit, cumprimis celebre. Habitum id v. Idus Junij in claustro S. Albani, divi-

divisumque in tres ordines, quorum primus triginta Episcoporum, interque hos tres Archiepiscopi Hildebaldus Colonienſis, & ſacri palatij Archicapellanus, Richolphus Moguntinus, & Arno Salisburgenſis Archiepiscopus, qui & *Missos Dominicos* ſe vocant, eo quo ſupra diximus muneris ornamento. Hi cum Episcopis ſuis cleri populiq; mores cumprimis formandos ſumpſerunt. Alter ordo viginti quinque Abbatum fuit, quibus ea, quæ ad disciplinam Monachorum & religioſorum ordinandam poſcebantur, commiſſa. Tertius comitum & judicum, qui profanorum cauſas & querelas audirent, & juſtitiæ legibus conſulerent. Hoc more mixtas ſemper ſynodos habuit Carolus, Francorumq; Reges, relicto Episcopis jure ſacrorū integro, ut in his præſcribant decidantque pro auctoritate ſuâ. Haud dubium quin & multi Saxoniæ Episcopi ſuos Metropolitanos conſecuti interfuerint, quorum nomina vetuſtas nobis ſubtraxit. Præſes hujus Concilij Hildebaldus Colonienſis Archiepiscopus ob ætatis venerationem & auctoritatem, qua pollebat apud Imperatorem, creditur, qui ob id primus etiam inter Archiepiscopos memoratur.

Præfat. concil. Mogūt. Conciliū Moguntinum.

Lubet nunc ipſa Concilij verba referre, ut de ſynodorum, quæ ſub Francorum Regibus, & Carolo M. ſunt habitæ, inſtituto, forma ac ratione cognoſcatur, quæ tantopere ab adverſarijs horum temporū ex alienâ religione agitantur, tanquam tota harum ſynodorum præſcriptarumq; in his legum auctoritas penes Carolum M. & politicos Principes fuerit: nec aliò hæc introducunt, quàm ut Episcopis ac cæteris Eccleſiæ præſulibus ſacram poteſtatem derogent, Eccleſiamq;, quæ Caroli M. tempore floruit, ſectariorum congregationibus ſimilem nobis fingant, populoq; per fraudes obtrudant. Ita enim Patres in præfatione hujus concilij. *Incipientes igitur in nomine Domini communi conſenſu et voluntate tractare pariter de ſtatu veræ religionis, ac de utilitate et profectu Chriſtianæ plebis, convenit nobis, de noſtro communi collegio clericorum, ſeu laicorum, tres facere turmas, ſicut et fecimus. In prima autem turma conſederunt Epiſcopi cum quibusdam notariis, legentes atq; tractantes ſanctum Evangelium, nec non Epiſtolas et actus Apoſtolorum, Canones quoq; ac diverſa ſanctorum patrum opuſcula, paſtoralemq; librum Gregorij, cum cæteris ſacris dogmatibus: diligenti ſtudio perquirentes, quibus modis ſtatum Eccleſiæ Dei, et Chriſtianæ plebis profectum ſana doctrina et exemplis juſtitiæ inconvulſum, largiente gratia Dei, perficere et conſervare potuiſſent. In alia verò turma conſederunt Abbates ac probati monachi, regulam S. Benedicti legentes, atq; tractantes diligenter, qualiter monachorum vitam in meliorem ſtatum, atq; augmentum cum Dei gratia perducere potuiſſent. In tertia denique turma ſederunt comites et judices in mundanis legibus decertantes, vulgi juſtitias perquirentes, omniumq; advenientium cauſas diligenter examinantes, modis quibus poterant juſtitias terminantes.*

Multa in eo Concilio ſancita ſunt: Fides cumprimis non alia

Romanus ordo in Ecclesijs Germaniæ observatus.

colatur, quam quæ bonis operibus viva atque integra sit. Sacramentum Baptismi in singulis parœcijs uno apud omnes ritu secundum Romanum ordinem administretur. Pupillorum & pauperum causæ ab omnibus justæ tradantur, non Episcopo, non Abbati, non Comiti fas sit bona illorum mala fide emere, aut artibus circumvenire minus potentes. Episcopis libera sit potestas bona Ecclesiarum suarum administrandi; cum his Comites ac Judices conspirent, ne qua lex justa in aliquo depravetur. Clerici ac Canonici pro instituto suo vivant,

Clericis & Canonicis una habitatio & mensa.

nihil sine Episcopi sui facultate invertant agantve. Simul manducent, simul dormiant, ubi his facultas suppetit, eodemque in claustro permaneant, manè frequentando lectionem sacram, quam & in mensa audiant: magistris suis juxta Canonum præscripta obediant, virginum ac viduarum consortia, cumprimis fæminarum contubernia subterfugiant; scholæ ubiq; instituantur, quo pueri symbolum fidei, orationem Dominicam & fidei rudimenta probè addiscant. Monachi intra claustra se contineant, foris nec edant nec bibant sine Abbatis facultate. Sacerdotes, qui in Monasterijs puellarum sacrificium Missæ peragunt, abrupto omni colloquio & consuetudine se domum referant. Abbatissæ monialium & puellarū (quo virginum harum cœtus satis distinguuntur,) ita suas contineant, ne evagentur extra claustra; istic illæ secundum institutum D. Benedicti, hæ canonicè ac more suo vivant, neque fas sit ipsas Abbatissas sine Episcopi consilio & voluntate exire è claustris. Missi Dominici cum Episcopis collegia & cœnobia diœcesium perlustrent, ne quid ulla in parte desit : conciones ad populum per absentiam, aut morbum Episcopi dominicis & festis diebus non intermittantur. Omnes festi per annum dies, sive illi celebres sint Paschæ, Natalis Christi, Pentecostes, Ascensionis, sive sanctorum, ut B. Virginis & Apostolorum aliorumq; Divorum recepti : ad hæc dies jejuniorum, interq; hos quatuor temporum, litaniæ Rogationum tempore ac cetera ex præcepto & veteri Ecclesiæ ritu serventur. Ecclesiasticis in posterum omnis armorum usus, quibus ob frequentia adversus paganos bella assueverant, interdictus sit, & quæ in hanc rem quinquaginta sex decretis saluberrimè sanctissimeque clero, religiosis & populo præscribuntur.

Monasteria Monialium & puellarū seu Canonissarum.

Missi Dominici.

Convenêre postea eodem anno Episcopi, post habitas in suis locis supra relatas Synodos Aquisgrani, in quo congressu illud Caroli M. Capitulare tanquam per compendium cæterarum quinque Synodorum est sancitum, quod à Sirmondo viginti octo legibus relatum est. Ex hoc eodem, ut interpretor, conventu Aquisgranensi, quemadmodum Francorum annales perhibent, missi sunt hoc anno Francorum & Saxonum proceres trans Albim fluvium ad confinia Nordmannorum, qui petitam à Danis pacē componerent, fratremq; Regis, quem Carol⁹ tenebat obsidem, reciperent. Successit res ex vo-

Pax cum Danis denuo confirmata.

to;

to; aderant à Carolo sedecim legati ex proceribus ad fines Danorum: occurrêre totidē ex primoribus eorum: ictum fœdus, & pax utrinq; jurejurando confirmata, redditusq; Regum frater; quamvis ipsi Reges per id tempus domi non essent, quòd ad Westerfeldam, quæ Danorum regio est inter Septentrionem & Occidentem, qua Britanniā respicit, cum exercitu processissent, ad subigendum Principem populumq; ejus loci rebellantem; quibus perdomitis, cùm victores redijssent, nova procella intestino bello concussit Daniam. Quippe Godefridi Regis filij multiq; ex Danorum primoribus, quos superior tempestas ejecerat exules in Sueciam, facta conspiratione, copias undiq; contrahunt, bellumque inferunt; quibus cùm per factionem se popularium Danorum turbæ conjungerent, commisso prælio Herioldum & Reginfridum, haud magno labore Regno exturbant. Illi altero abhinc anno reparatis viribus Godefridi filios bello adorti sunt, rursumque cruentâ acie decertatum est, qua Reginfridus alter Regum & natu major filiorum Godefridi occubuere. At Herioldus cùm rebus suis diffideret, postea ad Ludovicum Imperatorem confugit, quem Ludovicus in tutelam susceptum in Saxoniam ire, & opportunum tempus, quo in Regnum collocaret, exspectare jussit. Hic ille Herioldus, qui haud multò post Moguntiæ susceptо Baptismo Christianum se professus est, quod ad annum Christi DCCCXXVI. memorant Francorum annales. Adeo rursum Ludgeri vaticinium compertum ex vero, fore ut quibus armis Christianos divexârant Dani, ea per intestina dissidia in se converterent.

Dania opportune novis turbis dissidet.

Mense Majo hujus anni pons, quem apud Moguntiacum Carolus Rheno imposuerat ad traducendos exercitus in Saxoniam, deflagravit. Decem omnino annos Carolus in structura hujus pontis ex ligno contexti consumpserat, labore tam ingenti & opere tam admirabili, quemadmodum Eginardus tradidit, ut orbi coævum destinârit, quem nec casus humanus, nec hostium manus dissolutura credebatur. Verùm opus illud tam firmum solidumque, quod vel ipse Cajus Julius Cæsar admiratus fuisset, intra tres horas incendio absumptum est, ut præter ea, quæ aquis integebantur, ne hastula quidem tignusve superfuerit. Quo audito constituit Capideum pontem reparare, sed morte præreptus est; eò id inter præsagia, quæ Caroli mortem prænunciarent, relatum; qualia multa per id tempus observata; nam præter frequentes Lunæ Solisque defectiones, festo Ascensionis die Aquisgrani porticus, quam inter Basilicam & palatium operosâ mole construxerat, subita ruina ad fundamentum usque collapsa est. Accessit creber palatij Aquensis tremor, & in parte ædium, qua versabatur, laquearіorum crepitus: tacta etiam de cœlo, in qua postea sepultus est, Basilica, malumque aureum, quo tecti culmen exornatum erat, ictu fulminis disjectum projectumque supra domum, quam

Pons Moguntiæ igne absumptus.

Prodigia ac præsagia ante Caroli obitum.

Hildebaldus Pontifex incoleb it. Erat in margine coronæ intra eandem Basilicam scriptus *conditor Carolus Princeps*, quod postremum Principis nomen paucis ante mortem mensibus ita deletum est, ut ne vestigium quidem appareret; verùm ut superiora omnia dissimulavit tanquam ad se nihil pertinerent, ita è cœlo sœpe præmonstrantur magnæ calamitates magnorumque Principum casus; & Carolus tanquam cœlesti arcanoque præsagio admoneretur, postremum vitæ tempus totum pietatis studijs impensius quàm unquam antè insumebat, corpus cilicijs, & mentem pio dolore affligendo.

An. Christi 814. Imperij Carol. 14. Regni Franc. 47. In Italia 41.

Caroli mors.

Jam senium, jam morbi decoxerant illecebras omnium vitiorum, ultimumque vitæ spatium totum pœnitentia occupabat, dum febri admodum gravi tentari cœptus Aquisgrani in palatio; quâ decumbens abstinebat à cibis, solo potu eoque infrequenti corpus fovendo, ratus inedia hunc morbum posse depelli. Sed cùm pleuritis accederet, septimo postquam decubuit die, pastus corpore Christi, desijt vivere. Auctor est Theganus, Carolum pridie quàm moreretur jussisse ad se venire Hildebaldum Colonienſem Pontificem, à quo Sacramenta corporis & sanguinis Christi perceperit, Christiana mortis præsidia; inde (quod Engolismensis addit,) oleo sacro inunctum esse ab Episcopis, alteraque die extensa manu dextera consignasse crucis signo frontem, pectus & totum corpus; mox postquam suprema hæc verba: *In manus tuas commendo spiritum meum*, pronunciasset, decessisse 28. Jan. hora diei tertia anno ætatis 72, Regni Francici 47. Imperij 14. Corpus ejus lotum conditumque Aquisgrani, eodem, quo excesserat die, ea in Basilica, quæ ab ipso tanto sumptu tantaque magnificentia exstructa erat. Nec alio aspectu humatus quàm vixerat Imperator, indutus quippe Augustalibus ornamentis, collocatusque in sede altera manu sceptrum, altera aureum Evangeliorum codicem gestans (is ille liber, super quo Imperatores coronandi solenne juramentum dicere soliti) capiti diadema impositum, facies sudario obtecta; ac ne caput in alterutram partem inclinaret, aurea catena revinctum. E collo tres lipsanorum hierothecæ suspensæ, quarum una in formam crucis elaborata segmentum Dominicæ crucis, altera capillos quosdam sanctissimæ virginis, tertia effigiem virginis à D. Luca depictam continebat. Fama est, hasce thecas è collo gestasse Carolum, quoties militares expeditiones sumptæ, aut in hostem eundum fuit. Adjectum præterea aureum scutum, quo à Leone Pontifice donatus fuerat, aureaque pera, quam Romam peregrinantium ritu profecturus portare solitus. Pulcherrimum inter hæc decus cilicium fuit appositum, illud nimirum pietatis insigne, quo corpus nemine ferè conscio afflictare in more habuit. Marmorei sepulchri, quod auro obductus coronat arcus, hæc epigraphe:

Eucharistia & oleo sacro præmunitur.

Crucis signo se moritur consignat Carolus.

Sepultura Caroli.

Reliquiæ in tumulum cum corpore illatæ.

Crux & imago B. Virginis à D. Luca depicta.

Pera peregrinantis Caroli.

Cilicium Caroli.

Engolism. in Vita Caroli.

Sub hoc conditorio situm est corpus Caroli, Magni atque Orthodoxi

Impera-

Imperatoris, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit, et per annos XLVII. *fæliciter* tenuit. Decessit septuagenarius anno Domini* DCCCXIV. *Indictione* VII. V. *Calendas Februarij.* * *al. vexit.*

Inscriptio brevis, quæ magnitudinem Caroli non exæquat; nam verè Imperator pace, bello & religione incomparabilis, etiam tum cùm Magnus diceretur, omnium regum & Cæsarum Maximus haberi poterat, cui hactenus nec in Constantino & Theodosio M. similem, nec exinde ætas inter Christianos post Ottonem M. dedit parem. Satis hæc ex illis, quæ hactenus perscripsimus, & quæ Eginhardus de Carolo retulit æstimantur. Quippè ad res magnas, quæ per eum Deus geri voluit, fortitus ingenium perspicax exporrectumque ad omnia, ac bellicis cumprimis artibus natum. Mores quibus se omnibus commendaret suaves, ipsis etiam hostibus & barbaris grati, ideo nulla unquam crudelitatis nota adhæsit. Prudentiæ, justitiæ & fortitudinis laude nulli unquam regum secundus: constantiâ admirabilis, quem nulli unquam adversi casus, nulli labores fregêre. Ita prosperâ fortunâ usus, Deo moderante arma & consilia, tanquam fortunam in potestate haberet, nunquam ad bellum processit, nisi pace in omnem prius modum tentata, atque in ipso belli ardore pacis magis cupidus quàm hostilis sanguinis. Satis id testantur tot fœdera cum rebelli Saxonum gente toties repetita, dubium ut reliquerit, majorne Caroli clementia, quàm barbarorum perfidia fuerit, quod servare hostem semper suo bono, quàm suo malo perdere voluerit. Eò fortunatissimus inter omnes Francorum Reges Franciæ Regnum in duplum auxit: Ita enim Eginhardus: *Nam cùm priùs non ampliùs, quàm ea pars Galliæ, quæ inter Rhenum et Ligerim Oceanumque ac mare Balearicum jacet, et pars Germaniæ, quæ inter Saxoniam et Danubium Rhenumque ac Salam fluvium, qui Thuringos et Sorabos dividit posita ac à Francis Orientalibus incolitur, et præter hæc Alemanni atque Bajoarij ad regni Francici potestatem pertinerent: Ipse per bella memorata primò Aquitaniam et Vasconiam, totumq; Pyrenæi montis jugum, et usque ad Iberum amnem adjecit. Deinde Italiam totam, quæ ab Augusta Prætoria usq; in Calabriam inferiorem se per decies centena millia passuum porrigit, in qua Græcorum et Beneventanorum constat esse confinia. Tum Saxoniam, quæ non modica pars est Germaniæ, et ejus quæ à Francis incolitur duplum in lato habere putatur, cùm ei longitudine possit esse consimilis. Post quam utramque Pannoniam, et oppositam in altera Danubij ripa Daciam, Istriam quoque et Liburniam atque Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam et fœdus Constantinopolitano Imperatori permisit. Deinde omnes barbaras ac feras nationes, quæ inter Rhenum et Vistulam fluvios, Oceanumque et Danubium positæ Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias efficeret. Inter quas fere præcipuæ Welatabi, Sorabi, Abotriti, Boëmanni. Cum his namque bello conflixit, ceteras gentes, quarum major est numerus, in deditionem accepit.* Tam immenso terrarum spatio Carol⁹ Franciæ Regnum propa-

Carolus verè Magnus Imperator.

Carolus quantum auxerit Francicũ Regnum.

propagavit ut quod de Romano Imperio Pompejus quondam, id de suo Carolus affirmare possit, se ubi hactenus fines fuerint, meditullium fecisse. Et verò cùm omnes hasce provincias ac regna justis armis acquisierit, tum nullum illi bellum glorioſius quàm Saxonicum fuit. Italia subacta, ut Pontificem & Romanam Ecclesiam à Longobardorum injurijs & gravi servitutis jugo liberaret. Aquitania, Vasconia & Hispania magnam partem perdomita, quò Christianos à vexatione & tyrannide Saracenorum eximeret. Pannonia ceteræque regiones obtritæ armis haud alia bellandi causâ, quàm ut prædatrices hasce gentes à populationibus arceret. Saxoniam verò bello primùm aggressus est ad prohibendas vindicandasq; incursiones, quibus feroces illi populi jam tot annis fines Francorum transgressi circumquaque infestârant Christianos; tum vel maximè, ut Christianam religionem inter barbaras gentes, à quibus ipsi Franci primas origines duxerant, proferret, referretque in natale solum legem & doctrinam æternæ vitæ, ex quo ipsi Franci vitalem spiritum hauserant. Et cùm bellum hoc longè ceteris difficilius & periculoſius experiretur, perfugio ad Deum votoque concepto Saxoniam Christo & Christianæ religioni victam obtulit. Eò omnis hic Caroli labor, ceteris etiam bellis posthabitis, omnis Francorum vis & potentia, & tota vitæ ætas insumpta; ac postquam eam Christianæ religioni submiserat, etiam à Danorum, Sclavorum ac finitimorum barbarorum injurijs præmunitam securamque reliquit. Cetera quæ adjecit regna, Franciæ hæreditatem, Saxoniam Christi simul patrimonium esse voluit. Ob id quod in nulla debellata provincia fecit, Saxoniam inter Episcopos divisit, totamque regionem in octo amplissimas primùm diœceses partitus est, singulisque Episcopis præter decimas opulentum patrimonium adscripsit, uti hæc supra docuimus. Additi deinde duo Episcopatus Schidrensis & Hamburgensis, quem postremum Ludovicus Pius integrè dotavit, descripsitque suis limitibus.

Bellum Saxonicũ Carolo glorioſiſſimum.

Haud minor in ceteris religioſiſſimus Imperator, maximè erga Ecclesiam sedemque Romanam. Pontificem veneratus est, ut patrem & patrimonium Petri & Basilicã ejus, opulentissimis donis bonisq; auxit; qua liberalitate omnes Regni Francici Ecclesias, cœnobia & egenorum contubernia complexus, incredibile quot ubique liberalitatis monumenta reliquerit. Ferunt tot ab eo cœnobia condita, quot elementa sunt literarum apud latinos. Nec largitio intra Europam se continuit. Missi cum pecunia in Asiam & Africam: missi Hierosolymam, Alexandriam atque Carthaginem, qui Christianos vel captivos, vel inopes levarent. Vel inde tam sollicitè exterorum regum cumprimisque Saracenorum Principum amicitiam coluit, ut Christianos mitius atque benignius tractarent. Bellis licet continuis ocupatissim⁹, ædificia tamen multa ad Regni decorem alibi inchoavit,

Caroli liberalitas in Ecclesiam.

Palatiâ à Carolo cõstructa.

vit, alibi perfecit. Inter quæ Aquisgranense palatium dignum Imperatoriâ sede; alterum Ingelhemij haud procul Moguntia ad Rhenum, in natali, ut perhibent solo: tertium Neomagi ad Vahalim. Sed nihil illi impensius quàm basilicas & sacras ædes exstruere, aut vetustate collapsas restaurare. Id ne intermitteretur, imperatum Episcopis, largéque submini stratæ sunt impensæ. Eò nulla per Saxoniam Cathedralis Basilica, quæ ad Carolum conditorem se non referat, nulla quæ non fabricæ bona ex fundis & decimis à Carolo percenseat; quanquam eæ post ubique magnificentius exstructæ sint, crescente populi magnitudine & Episcoporum opulentia. Aquisgranensis Basilica ferè magnificentior, quam marmore ex Italia advecto dotatamque omni sacrorum thesauro reliquis augustiorem esse voluit, quemadmodum ad nostram ætatem illud regij & Imperatorij operis monumentum aspicitur. Pari munificentia exterorum regum legati ab eo excepti, majoribusq; semper exornati donis, quàm venerant, in quo nulli unquam orbis Monarchæ cedere visus est; eaque erat claritudo nominis in Carolo, ut ex omni orbis plaga ad eum à regibus ultro mitterentur, quibus aut amicitiam & fœdus prensarent, aut majestati ejus obsequium deferrent. Virtutes Imperatorias exornabat egregia in Deum pietas, quippe qui Ecclesiam manè & vesperi, nocturnis itidem horis, ac sacrificij cumprimis tempore, ni invaletudo impediret, frequentaret. Qua legendi psallendique disciplina scitè imbutus erat, hanc per omnes Franciæ & Saxoniæ Ecclesias abs se emendatam diligenter servari mandavit, ob id frequentissimè visus psallentium choros intrare, & cum clero voce licet submissiore canere. Omnium deinde scientiarum artes, quas à puero didicerat, apprimè callebat, Grammaticam videlicet, Dialecticam, Astronomiam, Musicam, Historias, sacras literas, Canonesq; exacte complexus Græcè præterea non minus quàm latinè doctus; quanquam Græcam linguã scitè magis intelligeret, quàm ut eâ expeditè loqueretur; nactus ad hanc rem eruditissimos magistros, Petrum Pisanum, à quo Grammaticam edoctus, Albinum sive Alcuinum, virum omnium scientiarum peritissimum, à quo Philosophiam, Astronomiam, & sacrarum literarum præcepta didicit. Hunc ob id ex Anglia evocavit, & quòd Saxonici generis esset, dilexit impensius. Usus præterea est eo viro ad excitandas communicandasq; scientias per Franciam, Germaniam & Saxoniam; quemadmodum & ceteros viros doctos undiq; conquisitos admirabili benevolentia est prosecutus. Ad hunc modum filios primùm liberalibus artibus imbui mandabat, quos deinde per ætatem militiæ idoneos more Francorum equitando, venando, tractandoque arma exerceri voluit, ut haud facilè dixeris, sagone an toga Imperator clarior. Mirum quibus legibus tam sacris quàm civilibus Remp. & Ecclesiam exornârit, æstate bella, hyeme

Pietas Caroli.

Scientiæ Caroli.

Legibus optimis Ecclesiã

& Remp. constituit. hyeme disciplinam publicam tractando. Eam in rem tot synodi Episcoporum auctoritate habitæ, quarum decreta ad formandos Cleri populique mores ad se deferri voluit, quo & suâ auctoritate atque ope ad effectum venirent. Inde Imperium religione florentissimum, pace quietissimum,& fori utriusque disciplina temperatissimum habuit,bellis ferè cum exteris & barbaris solùm extra Franciæ Regnum occupatus. Tam in legibus sanciendis accuratus, ut omnium nationum,quæ ejus imperio continebantur, jura, quæ scripta non erant, describi, & in tabulas referri mandarit. Ipse non modò per hebdomadam certa die ad audiendas causas pro tribunali sedit; Sed inter calceandum amiciendumque admittebat amicos & Comites, auditisque litigantibus,causas decidebat. Utque ad præclara heroum facta imitanda juvenum animos excitaret, jussit & barbara antiquissimaque gentis carmina, quibus Regum & Principum facinora canebantur,colligi describique patrio cumprimis sermone,qui Francicus erat,delectatus; in quo exornando Grammaticam inchoavit, indicemque conscripsit; ex illo ventis & mensibus nomina ex Francico seu Teutonico sermone indidit,expunctis veteribus latinis & barbaris appellationibus, quo Principem gente Francum Germanumq; agnoscceres. Hæc illa mensium & ventorũ nomina quibus etiamnum utimur. Habitum cultumque corporis haud alium ferè quàm Francicum sumpsit. Rara apud eum convivia, quæ solemnibus tantummodo festis præbita. Cœna quotidiana quaternis tantùm ferculis posita; vini & omnis potus modicus, nec ultra ferè quam tertiùm bibere in cœnâ visus. Noctibus ita dormiebat, ut somnum quater ac sæpius expergiscendo interrumperet. Corpore fuit amplo & robusto,statura procera, quæ tamen justam non admodum excederet septem sui corporis pedum: vertice rotundato, oculis prægrandibus radi antibusque, naso supra mediocritatem magno, cæsarie,quæ jam canis inspersa erat,veneranda,fronte serena & exporrecta: inerat ori regia dignitas,corpori majestas, seu stantem cerneres, seu sedentem, cervix tamen brevior & obesior, venterque projectior,quem artuum reliquorum granditas excusabat, incessu firmo & virili; sed his animi erat dotibus multò præstantior, quippe qui orbem terrarum, rerum gestarum magnitudine,ac nominis suis gloria implevit. In tanto tamen omnium virtutum ornamento unus Carolo adhæsit nævus,quòd in mulieres pronior; nam præter quatuor uxores ductas pluribus se miscuit,tanquam huic uni culpæ permissus succumbere, ut ex tantâ felicitate, qua humana prope supergressus, fragilitatem hominis in Augustali trabea disceret, agnosceretq; nihil esse tam absolutum sanumve in humanis, quod non medico suo indigeat. Attamen hoc delictum ita postremo vitæ tempore emendavit expiavitq; pœnitentia,ut in Divorum etiam numerum adscriptus sit. Nec incongruè

Capit. lib. 3. c. 16. lib. 5. c. 64.

Carolus ventis & mensibus nomina indidit Francica lingua.

congruè Francicum Davidem cum scriptore fastorum Laurisheimensium appellaveris, quem ille Hebræorum Regem cùm fortitudine bellicâ, clementia in hostes, religione in Deum, scientia rerum sacrarum, curaq; divini cultus, si quis aliu$ inter Christianos principes exæquavit, tum vel maximè pœnitenti a & sanctimonia secutus est. Et nos, qui post origines Francorum, quos ex Westfalia deduximus, resq; ab eâ gente bello paceq; præclarè gestas, ac deinde Francorum Regum bella cum Saxonibus hactenus persecuti sumus, etsi ad Caroli præclara facinora scribenda multa excitare potuerint, quòd ex eadem Francorum gente glorioſissimum hunc Regem primum Romani & Occidentis Imperij, ad Francos Germanosq; translati, conditorem veneremur; tum unicè nobis propositum fuit Saxoniam Christianam, quod ceteris scriptoribus haud perinde curæ fuit, in conspectum aliquem dare. Id desideratissimum tot ante ipsum sæculis opus Deus tandem per hunc admirandum Regem atque Imperatorem post tot Francorum Regum bella cum Saxonum gente, & post Apostolicorum virorum incassum prope tentatos labores confici voluit, ideo Carolo id post Deum Divosque cum primis grati ac memores hujus beneficii debemus. Ille nimirum, ut supra docuimus, gentem hanc præferocem triginta annorum bellis fregit subegitque: ille comminutis Idolis, subversis inanium Deorum fanis, proscripta detestabili populorum superstitione Christianos primum Sacerdotes & Episcopos liberè introduxit, Saxoniamque à se debellatam in diœceses Episcoporum divisit, quorum opera & contento labore Evangelij doctrina proseminata, ac majores nostri à servitute dæmonum ad veri Dei cultum perducti sunt. Hactenus Saxonia nullum Sacerdotem Christianum passa, quem non exilio aut morte mulctaret; at Carol⁹ demum adeo sibi Saxoniam vendicare visus, nullum ille ut in ea incolam ferret, quin ex sancita abs se lege aut ad Baptismi lavacrum veniret, aut exul migraret. Quapropter scriptores non pauci è nostris Carolum Saxoniæ Apostolum compellant, quo cognomento sive armatum sive togatum intuearis, haud immeritò condecoratus videri poterit. Sed fatalis ac deploranda rerum conversio; quam Christi religionem Saxonia primùm Carolo M. Imperatore & Hadriano II. Pontifice Maximo sucepit, hanc Carolo V. Imperatore, & Hadriano VI. Pontifice per Lutheri hæresin abjecit, quemadmodum id ipse Hadrianus Pontifex Joanni Friderico Saxoniæ Electori in præclarâ illa Apostolicæ vocis epistolâ exprobavit. Viderint nunc Saxones nostri, utrumne consultius sit eam religionem retinere ad salutem, quæ à Carolo M. & tot Apostolicis viris sanctissimisq; Episcopis ac Sacerdotibus introducta est, & inde ad nostrā usq; ætatem cultu tot Cæsarum, Regum ac Principum, tot consequentium Episcoporum & Sacerdotum tanta ubiq; populorum consensione intaminata

Chron. Laureih. ad an. DCCCV.

Poët Anonym lib. 5. sub. fin.

Auct. vitæ Meinvv. num. 2.

Roleving. l. 2. c. 10. de laud. Westf.

stetit; an verò post unius desertoris Monachi classicum, novam & inauditam hactenus per Germaniam sectari doctrinam, quæ in tot demum sectas divisa est, ut vel ex his omnibus utrite committas, tam in certum sit, quàm illæ pugnantibus adhuc inter se sententijs digladiantur.

Abdita hæc mortalibus Dei judicia, quæ haud aliter fere quàm ex impleta scelerum mensura speculari fas erit. Nimirùm cùm Orientis regna à prisca majorum religione desciscerent, abirentque in innumeras hæresum sectas, illuxit Occidenti Evangelij lumen; atque eo rursus per varias hæreses lacerato, religio ex his Borealibus plagis ad insulas longè, ut Vates sacer dixit, atq; ad ultimas Indiarum terras demigravit, tanquam quibus causis alibi pulsa ad nos intravit, eisdem denuo demigrarit, utrumne reditura aliquando (quod in Hispaniâ & Galliâ ejectis Gothis, Wandalis, &, Saracenis factum vidimus) an desertura hasce Saxoniæ & Boreales provincias, quemadmodum Africa & tot Orientis regna in Barbarorum manus & superstitionem rediere, non est humani ingenij consilijque pervestigare. Ceterum Caroli morte vulgatâ, Franciæ Regnum totumque Imperium ingenti Christianorum luctu completum est, passimque auditæ lamentantium voces, orbis patrem, Ecclesiæ defensorem, belli fulmen, Barbarorum domitorem, columen Imperij, & præsidium religionis subtractum esse. Pervasit hic quoque dolor paganorum animos, quòd justitiæ pacisque amantem Principem amisisse se dicerent.

Ludovicus filius, quem jam Regni Francici & Imperij successorem dixerat, audito patris excessu intra trigesimum ex Aquitania diem advolavit Aquisgranum, summoque omnium procerum consensu Imperator receptus est. Et ille nihil sollicitius habuit, quàm ut Patri justa persolveret, atque ea, quæ Pater testamento scripserat, ritè exequeretur. Inde Jmperium magno animo curaque complexus legationes Pontificis aliorumq; Regum ac Ducum audivit. Lotharium filium in Bavariam, Pipinum in Aquitaniam moderatores ire jussit. Tertium, Ludovicum nomine, filium integerrimum, quem postea Germania Regem habuit, à latere suo discedere renuit. Ipse conventu Episcoporum & procerum Aquisgrani habito, justitiæ primum consultum voluit. Eò mox in omnes provincias & Regni fines missi legati, qui populi onera levarent, Transalbinorum cumprimis, quos olim à Carolo captos distractosque per diversas provincias remisit in sedes suas, ratus vi & timore coërcitos hactenus, amore & beneficijs arctius in fide & obsequio retineri posse. Et jam Saxones, ne quid de ceteris dicam, ita religione Christiana imbuti mollitique erant, ultrò ut se darent Francis in arma contra Barbaros; eò confidentius bellum, quod pater cœperat, trans Albim adversus Sclavorum gentes, prosecutus

cutus est. Dania, quo minus in præsens formidaretur, intestinis adhuc dissidijs æstuabat, non tamen sine metu Saxoniæ, ne sibi per concordiam reddita conspiratione Abotritorum, Sclavorum, aliarumque gentium, ut infida Barbarorum sunt ingenia, Christianam religionem divexarent, transitoque Albi flumine, Saxoniam irrumperent. Quamobrem omnes circum limites sollicitè præmuniri jussit, alteroque mox imperij sui anno celebrem Paderbornæ Episcoporum ac procerum populiq; Saxonici conventum habuit. Nec minori quàm Carolus pater inter Saxones Jmperatoriâ majestate conspectus est; nam præter Bernardum Jtaliæ, & Haraldum Caniæ Reges, convenére Saxonum & Orientalium Sclavorum primores legatique: accessére & Danorum oratores pacem petitum; quod & conterminæ gentes ac nationes per legatos suos flagitaverunt. Adeo totus jam Septentrio Paderbornam confluxisse visus. Sed de his comitijs, & quæ in eis sunt acta, ac de ceteris Ludovici rebus per Saxoniam gestis suus nobis narrandi locus erit in Hathumaro & Badurado Episcopis nostris. Atque ita hactenus Westfaliæ historiam generatim pro tenuitate scriptionis, uti Monumenta Paderbornensia nobis designârant, complexi sumus; erunt amantes popularium suorum, qui & hæc ipsa aliquando multò exactius, & quæ consequuntur res gestæ, continente narrationis tela ad nostram usque ætatem pertexturi sint.



INDEX

RERUM MEMORABILIUM HAC HISTORIA CONTENTARUM.

A.

ABotriti *reducuntur in vacua Saxonum loca. pag. 610.*

Adrianus *Pontifex. Vide* Hadrianus.

Adjutoris *Sacellum, vulgo Sanct Hulffe. pag. 484.*

Aetius *Francorum impetum cursumq; fortunæ sistit. pag. 279. Revocatus ex Gallia adversus Hunnos Francis Galliam relinquit. pag. 281. Junctis sibi Francis in Attilam movet. p. 287. Atrox eum inter & Attilam prælium in campis Catalaunicis. pag. 287.*

Agrippa *Rhenum transit, ponte impositio p. 35. Iterum ad Rhenum accedit. pag. 37.*

Agrippina *fugientem Cæcinnæ militem ad pontem Ubiorum excipit p. 83. Ejus Natales. pag. 105.*

Albio *Dux Saxonum invitatur cum Widekindo ad pacem. pag. 498.*

Alboinus *Rex Longobardorum, Italiam ex alto monte conspicatus, militi fertiles agros promittit. pag. 314.*

Alemanni, *eorum nomen & bellum. p. 137. Mulierum fortitudo. ibid. Cæduntur à Constantio. pag. 184. Rebelles Constantio. p. 205. Vastant Belgium. pag. 209. Rebellant, Juliano in Illyricum discedente. p. 223. Cæduntur à Valentiniano. p. 229, & à Theodosio. p. 231. Irrumpentes in Gallias cæduntur à Gratiano. p. 235, & à Stilicone. pag. 248. Prosperè pugnant contra Vinidos. pag. 337. Alemannorum Reges Suomarus & Hortarius Juliano supplices. p. 218.*

Alisonis *Castellum à Druso positum ad Luppiæ & Alisonis confluentes. p. 42. Liberatum obsidione à Romanis. p. 85. Desertum à Romanis. p. 104.*

Ambra *fluvius in Diœcesi Paderbornensi. p. 491.*

Ambrones *quales? p. 14. Cæduntur à Romanis p. 22. Origo eorum incerta. pag. 26.*

Amisij *fontes in Diœcesi Paderbornensi. pag. 89.*

Angrivarij *quales? pag. 11.*

Ansibarij *quales? pag. 14. Agros à Romanis petunt. p. 107. Vicinos populos ad rebellionem concitant adversus Romanos. pag. 108.*

Antoninus *Pius Christianis benignus. p. 133.*

Aquisgranum, *auspiciis Caroli M. sedes Imperij inter Germanos. pag. 593.*

Aquilæ *Clade Varianâ amissæ recipiuntur à Germanis. pag. 100.*

Arbogastes *Francus Gothos ex Macedonia pellit. p. 236. Ejus fastus & rebellionis facinora. p. 243. Eugenium Cæsarem obtrudit. p. 244. Transito Rheno in Franciam irruit. p. 244. Rheni limitem firmat cum Eugenio, Francis ad fœdus compositis. pag. 245.*

Arioviſtus *Germanorum Rex fugatur à Cajo Julio Cæsare. pag. 29.*

Arminius *Dux cædit Quintilium Varum. p. 61. Appellatus liberator Germaniæ. p. 67. Concitat Germanos adversus Romanos. p. 77. Ejus pugna cum Germanico, p. 79. Colloquium cum Flavio fratre Romanis militante. p. 86. Pugna cum Romanis. ibid. Bellum intestinum cum Maroboduo. p. 93. Obitus & laus. pag 95.*

Attila *Hunnorum Rex in Germaniam irrumpit. pag. 285. Caditur ab Aetio. p. 287. Reparatis viribus in Italiam irruit. pag. 288.*

Augustus. *Vide. Cæsar.*

Aurelianus, *felices ejus in Oriente progressus bellici. pag. 166.*

Austrasiæ *regni sedes Meta. p. 299. Reges I. Theodoricus. pag. 298. II. Theodobertus p. 303. III. Theodebaldus p. 305. IV. Clotarius p. 308. V. Sigebertus p. 311. VI. Childebertus. p. 317. VII. Theodobertus II. p. 323. VIII. Theodoricus II. p. 329. IX. Clotarius II. p. 329. X. Dagobertus I. p. 330. XI. Sigebertus II. p. 337. XII. Childericus. p. 341.*

B.

BAgaudæ *innixi Francorum Societati rebellant in Gallijs. pag. 273.*

Bardewicum *ævo Caroli M. celebre. p. 604. Ibidem Conventum Ostfalorum habet Carolus M. pag. 498.*

Bathildis, *gente Saxonica, fama sanctitatis clara, conditrix Corbejæ Francicæ. pag. 341.*

Baudo *Francus Gothos ex Macedonia depellit. p. 236. Barbaros ejicit. pag. 240. Consul Romanus. ibid.*

Bellum *Alemannorum & Francorũ adversus Constantinum, Constantini M. filiũ. p. 201. Alexandri Imperatoris cum Germanis. p. 139. Aquitanicum Pipini p. 414. Aquitanicum Caroli M. p. 425. Aurelij Cæsaris contra Marcomannos, aliasq; Germaniæ gentes. p. 134. Batavicum cum Duce Civili. p. 110. Caroli Martelli contra Chilpericum, & Raganfredum. p. 368. Cimbricum. p. 18. Clodionis cum Aetio. p. 273. Clodovæi cum Thuringis. p. 293, & cum Gothis p. 295. Constantini M. cum Licinio. 195, & cum Francis. p. 196. Danicum, Caroli M. p. 628. Ejus initia. p. 610, Finis octavo anno. p. 842. Hispanicum Caroli M. p. 460. Hunnicum. p. 514, & 541, & 543. Juliani contra Francos Salios & Chamavos. p. 215. Maximini cum Germanis. 141. Saxonum & Boructuariorum. p. 362. Saxonicum I, Clotario Rege. p. 308. II, cum Sigeberto Rege. p. 315. III, à Theodoberto illatum. p. 326. IV, cũ Dagoberto. p. 331. Saxonicum*

Saxonicum Duce Pipino.p.395. Saxonicum Caroli M. ei glorioſiſſimum p.654. Ceteris Caroli bellis prolixus & atrocius.p.418. Juſtæ illius cauſæ.p.429.Slavicum.p.621. Theodebaldi cum Inferioris Germaniæ populis. pag.306. Theodorici cum Thuringis. pag.301. Theodoſij adverſus Eugenium & Arbogaſtum. pag.245

Benthem *Caſtrum D. Willebrordo & Eccleſiæ Trajectenſi donatum. pag. 371.*

Bernulphus *poſt S. Burchardum Vicario opere præſes Eccleſiæ Paderborn. pag. 345.*

Bertholdus *Saxo confugit cum Dagoberto. pag. 331. Obtruncatur à Clotario.p.332.*

Boca *ad Luppiam,ubi Carolus M.cum Angariis componit.p.443.*

S. Bonifacius *advenit in Friſiam. p.360. Sæviente Radbodo Friſiam deſerit,& Romam proficiſcitur. p.369. Redit in Germaniam cum poteſtate docendi à Gregorio II. accepta.p.370. Ex Friſiæ cultura redit in Haſſiam & Thuringiam.p.372. Weſtfaliam doctrina Chriſtiana illuſtrat p.377. Excultâ Haſſiâ tranſit in Thuringiam, & Chriſti religionem inſtaurat.p 379. Miro progreſſu Chriſti fidem per Haſſiam & Thuringiam propagat. pag 382. Ameneburgi,Friſlariæ, & in Haſſia baſilicas & cœnobia condit.p.383. Tertiò Romam proficiſcitur.p 384. In Bavariam tranſgreſſus Eccleſiam reformat.pag:385. Supra centum millia hominum Chriſto adjunxit.ibid. Tres Epiſcopatus ab eo inſtituti per Franciam, Thuringiam & Haſſiam p.387. Collapſam in Bavaria diſciplinam Eccleſiæ reſtaurat.p.388. Fuldenſe Cœnobium auſpicatur.p.391. Fit primus Archiepiſcopus Moguntinus. p.394. Miſſo Lullo ad Zachariam Pontificem legato confirmationem Fuldenſis Cœnobij petit.p.400. Martyrio afficitur.p.408.*

Boructuarij, *olim Bructeri, homines ſævi & Damonum ſuperſtitioni dediti.p.361. Indignè tractant S.Svvibertum.p.361.*

Bructeri *quales? pag. 11. Faſtantur à Stertinio p.78.*

Brunisberga *à Carolo M. obſeſſa. pag.441.*

Buccinobantes *populi è regione Moguntiæ. pag: 232.*

S. Burchardus, *Vicario munere præſes Eccleſiæ Paderbornenſis,à Pipino mittitur ad Pontificem p.400 Obit.545*

Burgundiones *Chriſtiani trans Rhenum populi evocantur à Valentiniano contra Alemannos.p.231. Rebellant in Gallia. pag. 274.*

C.

CÆcinna *cum exercitu ad Amiſiam progreditur. pag: 78.*

Cæſar *pontem Rheno inſternit. p.32. Rhenum tranſit, & alterum eidem pontem imponit.pag:33. Germanos in ſubſidium belli Gallici evocat. p.34. Triumphat Romæ & Monarchiam inchoat.pag:36. In Galliam contendit, exercitus clade Lolliana p.39, Moritur. pag:71.*

C. Caligula *ſuccedit Tiberio.p.96. Ludrica ejus bella cum Germanis. ibid.*

Capellæ *ac Virginum Cœnobij origo ad Luppiã p.489.*

Carauſius *Francis & Saxonibus mare infeſtantibus opponitur pag:178. Ejus rebellio. ibid.*

Carolomannus *filius & heres Caroli Martelli p.387. Bellum ſumit adverſus Odilonem Bavariæ Ducem.p.389. Item adverſus Saxones.p.390. Caſtrum Hoſcheburg expugnat. Ibid. Ad Viſurgim victor procedit.ibid. Bellum Saxonicum cum Pipino fratre reſumit.p.391. Amplectitur vitam Monaſticam. pag:395.*

Carolomannus, *Caroli M. frater moritur, & Monarchia ad unum Carolum devolvitur. p.427.*

Carolus Martellus *Auſtraſiæ Dux.p 366. Deditione Coloniam & Plectrudem cum gazis accipit p 368. Ejus liberalitas in Eccleſiam Trajectenſem pag:371. Civilibus Franciæ bellis impeditur cum Eudone. p.379. Saracenos prælio vincit.ibid. In Friſiam venit & Popponem rebellantem cædit.p.381. Saracenos profligat, & Galliam purgat.382. Saxones rebellantes domat 383. Ejus obitus & elogium,p 386. Poſt obitum illius Alemanni,Saxones & Bavari rebellant. pag:387.*

Carolus Magnus *regnum Francicum adit.p.425.Natalem Chriſti Duriæ,Paſcha Leodij celebrat.ibid. Agit de bello Saxonico in conventu Wormatienſi ob Saxonum injurias.pag: 426, & 428. Moguntiæ Natalem Chriſti, Paſcha Heriſtalli celebrat. pag: 426. Ducit filiam Regis Longobardorum,ibid. Eandem repudiat.ibid. Ducit Hildegardem gente Suevam.p 427. Saxoniam ingreſſus Sacerdotes & Abbates magno ſecum numero ducit. p. 430. Eresburgum expugnat.ibid. Eresburgo Caſtra ad Viſurgim promovet.p.435. Conventum Saxonum habet, & XII obſides accipit. ibid. Rogatu Pontificis conſultat de bello Italico p. 436. Movet cum exercitu in Italiam. ibid. Romam proficiſcitur.ibid. Partem Saxoniæ offert ad altare S. Petri. p. 437. Ticinum expugnat.ibid. Deſiderium Regem Longobardorum captivum in Franciam mittit. pag: 438. In Germaniam redux Saxones ulciſcitur. pag. 439. Coloniæ Rhenum cum exercitu tranſit in Weſtfaliam. p.440. Sigeburgum ad Ruram expugnat. ibid. Poſt cæſos Saxones in interiorem Oſtfaliam progreditur p 443. Cum Oſtfalis componit, & obſides accipit. ibid. Item cum Weſtfalis.p.445. Avocatur in Italiam ad comprimendum Rotgaudum rebellem. p.446. Weſtfaliam cum exercitu intrat, & terrore ad obſequium compellit.p. 448. Eresburgum movet, & caſtrum à Saxonibus ſubverſum inſtaurat p.449. Alia per Weſtfaliam caſtra aut capit,aut excitat p.449. Expeditio ejus in Hiſpaniam p 459. Redux ex Hiſpania mittit copias in Saxones,ipſe Heriſtalli hibernat.p 463. Ante expeditionem in Saxoniam Marcoduri,ſeu Duriæ,Synodum agit.p 464. In perduelles Saxones movet ibid. Ad Oſtia Luppiæ Rhenum tranſit.p 465. Weſtfalorum conventum habet, & ſupplices in gratiam recipit. p. 465 Ad Viſurgim progreſſus alterum Angariorum & Oſtfalorum conventum habet; perfidis ignoſcit, & obſides accipit p 467. Ab expeditione Saxonica Wormatiæ hibernat p.467. Cum exercitu in Saxoniam redit. ibid. Eresburgo ad fontes Luppiæ accedit, multique rurſum baptizantur. pag. 468. Voti cauſâ ſecundam profectionem Romam ſuſcipit. pag.474. Romam donis exornat.p 475. Tres belli Duces cum copijs mittit in Saxoniam p.477. Accelerat ipſe in Saxoniam, ulturus ſuorum cladem. pag. 478. Caſtra ponit ad confluentes Aleræ & Viſurgis. pag. 478. Quatuor millia & quingentos rebelles Saxones ad Aleram flumen capitali ſupplicio afficit. pag. 479. Reducit exercitum.& Theonis villæ hibernat. pag.480. Prælium init cum Widekindo,& victor evadit ad Dethmoldiam, p.484. Iterum congreditur cum Widekindo ad Haſam non procul Oſnabrugo,& vincit.p.485. A prælio victor aras & fana evertit,& Chriſti religionem libere introducit.p.486. Viſurgim victor tranſgreditur.p.487. Ad Albim progreſſus Saxones ſupplices habet. p.488. Faſtrada*

ducit conjugem, & cum ea Heristalli ad Mosam est in hibernis. ibid. In Saxoniam redit ad domandos Westfalos. ibid. Rhenum transit ad ostium Luppiæ. ibid. Ad Visurgim tendit. p. 489. Iterum ad Visurgim movet, castris circum Ludam positis. p. 490. Westfaliam evastat, & ad obsequium deducit. p. 494. Per Westfaliam sacra profanaq; ordinat. p. 495. Trans Visurgim in Ostfaliam transit. p. 498. Widekindum honoribus & bonis exornat. p. 502. Rursum in Italiam proficiscitur. p. 509. Romæ Pascha cum Adriano Pontifice celebrat ibid. Cantores & peritos Grammaticæ impetrat à Pontifice: Scholas per Germaniam & Saxoniam promovet. p. 509. Româ Wormatiam festinat ad Regni comitia. p. 513. Ingelheimij hibernat, & Natalitia Christi ac Pascha celebrat. p 513. Ejus largitas in D. Ludgerum & Ecclesiam Monasteriensem. pag. 535. Aquisgrani hibernat & Synodum convocat. p. 536. Domitâ Westfaliâ & Saxoniâ, bellum Sclavicum suscipit. pag. 537. Transito Albi in Wilsos movet. p. 537. Iterum Wormatiæ hibernat, ubi palatium conflagrat. p. 541. Frisones & Saxones in Ungariam ducit. p. 543. Castris ad Anisum positis preces & Missæ sacrificia ante bellum indicit. pag. 544. Ex Hungaria Victor Ratisbonæ hibernat. ibid. Pontem ductilem Danubio imponit. p. 547. Ductâ fossâ Rhenum & Danubium miscere aggressus. p 547. Frustra laborat. p. 548. In Saxoniam cum filio Carolo movet adversus rebelles. pag. 555. Captivos Saxones dispergit per alias provincias. ibid Reducto ex Westfalia exercitu Aquisgrani hibernat. p. 557. Paderbornensi Ecclesiæ prospicit de certo Episcopo. 557. Cum exercitu in Saxoniam movet adversus Ostfalos & Slavos. p. 558. Bellum Hunnicum Pipino filio committit, Saxoniam ipse sumit. p. 563. Per Rhenum in Saxoniam movet. p. 569. Heristalli ad Visurgim hibernat. p. 569. Aquisgranum redit ad audiendos legatos. p. 574. Ad Lippeheim publicum Conventum indicit. p. 575. Transmisso Rheno Paderbornam accedit. ibid. Castra Paderbornæ explicat. p. 576. Aquisgrani hibernat. p. 582. Reliquias SS. accipit à Patriarcha Hierosolymitano, & vicissim multa dona mittit Hierosolymam. p. 584. Turones proficiscitur ad sepulchrum D. Martini. p. 586. Conventum agit Moguntiæ. ibid. Quarto Romam proficiscitur. p. 587. A Leone Pont. Imperator coronatur. ibid. Ejus potentia & merita ad Imperatoriam dignitatem. p. 588. Claves sepulchri & urbis cum vexillo à Patriarcha Hierosolymitano Carolo offeruntur. p. 590. Romæ Pascha agit. p. 592. Ex Italia redux Aquisgrani versatur. ibid. Inter magnos Imperatores vere magnus. pag. 593. Ex quo Imperator animum ad leges adjicit, & omnium sub se nationum leges perficit. p. 594. Leges sacras per Episcopos ferri vult. ibid. Sedem Romanam veneratur ut matrem Ecclesiarum. p. 595. Profitetur se bona Ecclesiæ & honorem Sacerdotum auctturum. p. 598. Irenes nuptias ambire vrsus. p. 599. Scholas Græcas Osnabrugi instituit. 600. Ad Salam conventum habet Westfalorum, Angariorum, & Ostfalorum. p. 605. Pacem & religionem confirmat in his provincijs. p. ibid. Theonis villam evocat filios, Episcopos & proceres. p. 619. Regnum Francicum dividit inter filios. ibid. Filijs commendat defensionem Romanæ Sedis. p. 620. Secundo Rheno descendit Noviomagum ad res Frisiæ ordinandas. p. 621. Ibid. Quadragesimâ & Pascha celebrat. p. 621. Duo Castella ponit. alterum ad Albim, alterum ad Salam. p. 622. Illius filij eodē anno victorijs illustres. ibid. Captivos Monachos redimit. p. 623. Lectiones in Ecclesia ordinat per suos. ibid. Aquisgrani hibernat, Natalemq; Christi & Paschа ibidem celebrat. p. 629. Trans Albim civitatem molitur. perfugium Christianorum & Francorum. p. 630. Fidei controversias ad Romani Pontificis judicium remittit p. 632. Exercitum ex Francia contrahit adversus Godefridum Danorum Regem p. 638. Consistit in finibus Westfaliæ. ibid. Ob Danos & Nortmannos omnes Galliæ & Frisiæ portus instruit. p. 640. Prodigia illius mortem antecedentia p. 640, & 651. Per Westfaliam redit ad Rhenum. p. 640. Pacem init cum Hemmingo Danorum Rege. p. 641. Ex Belgio Aquisgranum reversus audit legatos. p. 643. Condit testamentum. ibid. Adversus Sclavos mittit exercitum, eosdemq; ad pacem compellit. pag. 645. Ejus imperium ad Vistulam usq; ibid. Quieto ubiq; regno Ecclesias ædificari aut instaurari mandat p. 645. Legatos mittit Constantinopolim ad pacem cum Imperatore Græcorum firmandam. p. 646. Celebrem Aquisgrani Conventum agit, in quo Ludovicum filium Imperatorem dicit & coronat. ibid. Præclara ejus monita ad filium. ibid. Electionem Episcoporum Clero & populo liberam facit. pag. 647. Moritur. pag. 652. Eucharistia & oleo sacro præmunitur. ibid. Crucis signo moriturus se signat. ibid. Ejus sepultura. ibid. Reliquiæ in tumulum cum corpore illatæ. ibid Carolus Imperator verè Magnus. p. 653. Quantum auxerit regnum Francicum. pag. 653. Palatia ab eo constructa. p. 654. Ejus liberalitas in Ecclesiam. p. 654. Pietas. p. 655. Scientia. ibid. Optimis legibus Ecclesiam & Rempublicam constituit. p. 656. Ventis & Mensibus linguâ Francicâ nomina indidit. p. 656.

Carolus, filius Caroli M. in Westfalia relictus Westfalos & Frisios prælio vincit. p. 489. Mittitur in Bohemiam. p. 616. Cædit Bohemos. ibid. Bellum Sclavicum feliciter conficit. p. 621. Mittitur adversus Godefridum Danorum Regem p. 928. Pontem Albi insternit, & militem traducit in Danos & Sclavos. ibid. Castella ad Albim eripit. p. 929. Moritur. p. 644.

Catti qui? p. 9. Congrediuntur cum Romanis. pag. 90. Rhenum transgressi cæduntur à Romanis. p. 105. Bellum gerunt cum Hermunduris. p. 108.

Cattuarij, quales populi? pag. 13.

Cerealis profligato Civili & Classico rem Romanam Treviri & ad Rhenum restituit. p. 120. Pacem init cum Civili. p. 124.

Chauci quales? pag. 13. Rebellant. pag. 104.

Childebertus Rex VI Austrasiæ. pag 317. Regnum Burgundiæ adit. pag. 321.

Childericus IV Francorum Rex. pag. 298.

Chilpericus Rex exauctoratur. pag. 401.

Cimbri populi Germaniæ. p. 20. Per alpes in Italiam penetrant. p. 24. Cæduntur à Romanis. p. 25.

Civilis bellum gerit cum Batavis & Germanis. p. 119. Callide Vespasiano jurat. p. 112. Castra vetera oppugnat. p. 113. Missum ad se Montanum ad bellum trahit. p. 115. Obsessos fraude tentat. p. 116. Geldubam capit, & Romanos cædit. p. 117. Fœdus init cum quibusdam Gallis. ibid. Expugnat Castra vetera. p. 118. Congreditur cum Labeone. pag. 120. Suos ad pugnam adversus Romanos excitat. pag. 122.

Claudius Cæsar succedit Caligulæ. p. 100. Præsidia è Germania trans Rhenum revocat. p. 103.

Clodio II. Rex Francorum. p. 269. Gallias late pervadit, urbesq; Romanis eripit. p. 275.

Clodovæus Francorum Rex. p. 293. Congreditur cum Alemannis

Alemannis ad Tolpiacum. p.294. Post victoriam divinitus concessam ex voto Christi religionem amplectitur, ibid. Tria millia Francorum cum eo baptizantur. p.295. Duo bella suscipit adversus Arianos hæreticos reges. ibid. Ejus studium erga Romanam sedem. p.296. Monarchiam firmat Regulis Franciæ occisis. p.296. Coloniam Agrippinam sui juris facit ibid. Moritur p.297. Regnũ Franciæ quadripartito in quatuor filios dividit. p.298.

Clotarius, *Rex IV Austrasiæ & Franciæ postea Monarcha. p.308. Saxones ad Visurgim usque profligat. p.308. Chramnum rebellem exurit in casa cum uxore & liberis. pag. 310.*

Clotarius *II. Rex IX Austrasiæ. p.329. Felix & pacatum sub eo regnum Franciæ. pag:330.*

Concilium *Francofurtense CCC Episcoporum. p.549. An cultus Imaginum in eo damnatus? p.550. An in libris Carolinis? & quid de his sentiendum? p.552. Catholicorum sensus de cultu imaginum. p.553.*

Concilium *Moguntinum, & ordinata de rebus Ecclesiasticis. p.649.*

Constans *Cæsar venationi & mulierum amoribus se dat. p. 103. Occiditur. ibid.*

Constantinus Magnus *Cæsar Francos rebelles devincit. .186. Pontem Rheno imponit Coloniæ Agrippinæ. p.189. Insignis ejus expeditio, & victoria de Maxentio relata. p 191. Quo loco? p.192. Varia templa erigit. p.194. Totum imperium, deleto Licinio ad eum devolvitur. p.197. Moritur. p.198.*

Constantinus, *filius Constantini M. caditur à Constante fratre. 202.*

Constantius Cæsar. *Felices ejus expeditiones. p. 181. Cadit Alletum Britanniæ Regem. p.183. Et Alemannos. pag. 184.*

Constantius, *filius Constantini M. magno Imperij exitio sævit in Catholicos. p.209. A variis Barbaris affligitur. p.213. Moritur. p.223.*

Crodo *Idolum Saxonum. p. 474.*

S. Cunibertus *Moderator Dagoberti. p.333. Christianam religionem in Westfaliam introducere nititur. p.333.*

D.

DAgobertus *I, Rex X Austrasiæ. p.330. Præceptorem habet D. Cunibertum. ibid. Munificus est in Ecclesiam. p.331. Vulneratur à Saxonibus. ibid. Ex Rege Austrasiæ fit Monarcha Franciæ. p.333. Ejus legatio ad Samonem Ducem Sclavorum p.336. Mors. 338.*

Delbrugia *ultima Bructerorum sedes. p. 82*

Desenbergum *Castrum celebre in Diœcesi Paderbornensi. pag. 450.*

Diploma *Caroli M. datum Ecclesiæ Verdensi. pag. 505. Ejus veritas asserta. 507. Ejusdem diploma de scholis per Saxoniam exigendis p. 509. Ejusdem diploma datum Ecclesiæ Bremensi. 514. Ejus veritas asserta. p. 516. Ejusdem Caroli diploma datum D. Ludgero pro Werthinensi Cœnobio condendo p. 601. Ejusdem Diploma I. datum Ecclesiæ Osnabrugensi. p. 607. Diploma. II. p. 612. Ejusdem Diploma, quo Adalrico Saxoni, ob fidem DEO & sibi præstitam agros confirmat. pag. 648.*

Dispargum *regia sedes, ubi? pag. 270.*

Dreni *regio committitur Carolo filio Caroli M. p. 489. Dreni pagus locus pugnæ. p. 489.*

Dromi *munitio expugnata. pag. 488.*

Drusi *expeditio prima in Germaniam. pag. 40. Fossa Drusiana. p. 40. Secunda ejus expeditio trans Rhenum. p. 41. Luppiam ponte jungit. p. 41. Ejusdem clades illata à Germanis. p. 42. A Visurgi redux extremum periculum subit. p. 42. Tertia ejus expeditio in Germaniam. p. 46. Quarta ejusdem expeditio in Germaniam, eaque fatalis. pag. 47.*

E.

S. EGbertus *Evangelij disseminandi causâ in Frisiam parat proficisci. p. 344.*

Egbertus *Dux Westfaliæ pag. 590.*

S. Egistus *Apostolorum discipulus Bardevvicum venit. p. 106.*

SS. Ewaldi *in Saxoniam mittuntur. p. 372. Quotidie celebrant. p. 353. Primi Westfaliæ Martyres. ibid. Miracula post mortem patrant. ibid. Cædes ubi facta ibid.*

Eidora *fluvius, limes inter Danos & Saxones Francosque. pag. 642.*

Eldach *homo Westfalus ope D. Suiberti mirabiliter sanatur. pag. 490.*

Elephas *miræ magnitudinis à Saracenorum Principe donatur Carolo M. pag. 603.*

Embslandia *& Frisiæ pars Episcopatui Monasterienſi asserta. p. 633.*

Episcopi *primi & Apostolici viri in Germaniam missi p. 106. Episcopi Saxoniæ impositi. p. 495. Ample ijs bonorum possessiones à Carolo M. datæ. p. 519. Et decimæ ab eodem Carolo per Saxoniam attributæ. p. 521. Utrum Episcopis à Carolo M. data sit cum possessionibus jurisdictio politica. p. 523. Episcopi non pergant ad bella. p. 596. Cum duobus presbyteris Capellanis sint in Castris ad benedictionem, prædicationem verbi DEI, ad Missarum solennia &c. p. 597. Episcoporum electionem Clero & populo liberam facit Carolus M. p. 647.*

Eresburgum *quo loco sit, & quibus nominibus appellatum. p. 431. Prima sedes belli & Christianæ religionis in Saxonia à Carolo M. posita. pag. 432. Fanum Eresburgi Saxonibus celebre. p 433. Eresburgum carmine celebratum à Ferdinando Episcopo. p. 434. A Saxonibus receptum, ejectis Francis. p. 438. A Carolo ereptum Saxonibus & præmunitum. p. 440. Eresburgi Carolus M. hibernat. Pascha celebrat. eóque Fastradam reginam evocat. p. 492. Iterum Pascha celebrat. pag. 494.*

F.

FErdinandus Fürstenbergius *Episcopus Paderborn. Suasor historiæ Paderbornensis pag. 2.*

Fons *sitienti militi Carolino divinitus apertus. p. 430.*

Francia *intestinis bellis turbida pag 370.*

Franci *unde dicti? p. 144. Variæ de eorum origine & nomine opiniones. p. 145. Vera Francorum origo. p. 151.*

Franci *Salij, Littorales & Mediterranei. p. 216. Attuarij. pag. 222. Criniti Reges. pag. 269.*

Franci *oppugnantur à Probo Cæsare pag. 167. In pontum penetrant, & classe Græciam, Siciliam, Hispaniam, vexant. p. 189. Bellum obmovent Romanis. 179. Rebelles à Constantino M. devincuntur. p. 186. 188. 190. Cæduntur & affliguntur à Constantino M. pag. 193. Sub Constante rebelles Gallias infestant. p. 202. Magnentio cum Saxonibus se jungunt. p. 204. Constantio Cæsare iterum Gallias infestant. p. 206. Frequentes sunt in aula Cæsarum. p. 206.*

p 206. Celebres in militia Cæsaris. p. 207. Quamplurimi eorum, Constantio Cæsare, Christiani p. 208. Vastant Belgium. p. 209. Inter Barbaras bellicosissimæ sunt gentes. p. 211. Irrumpentes in Gallias caduntur à Gratiano ad Argentoratum. p. 235. Rhenum transgressi Galliam depopulantur p. 241. Quintinum & Romanos cadunt. p. 241. Iterum Gallias invadunt. p. 242 Galliam invadentes profligantur à Stilicone. p. 248. Gondegisilum Wandalorum Regē cadunt. p. 254 Denuo in Gallias irrūpunt & Trevirim capiunt p. 255 Cum Armoricis Societatem ineunt. p. 256. Sollicitantur in auxilium à Constantino tyranno. p. 257. Intercipiuntur ex insidijs ac caduntur à Constantio Comite. p. 257. Jovino tyranno se jungunt. p. 258. In Gallias ab Rheno prorumpunt & cum alijs Barbaris sedes postulant p. 258. Romanis sunt aquiores p. 274 In nuptijs obruuntur p. 279. Germaniam primā et Belgicam secūdam occupant. p. 689.

Francorum multitudo in aula & militia Romana p. 236 Reges tempore Theodosij p. 242 Res gestæ bello Wandalico. p. 253. Regnum ob gentis justitiam & fortitudinem ceteris constantius. p. 268. Habitus & cultus. p. 280. Bellica à pueris indoles & fortitudo. p. 280.

Frisiorum rebellio adversus Romanos. pag. 96. 107.

Francus candidatus à Damone obsessus liberatur ope D. Hilarionis. pag. 208.

Fuldenses fugiunt cum corpore D. Bonifacij. p. 463.

G.

GAiso Francus consul Romanus pag. 204.

Gallia in Neustriam & Austrasiam divisa. pag 298. Ejus rebellio adversus Romanos. pag. 96.

Gallienus in Germanos movet nulle eventu. p. 161.

Gerfridus D. Ludgeri Successor in Episcopatu Monanast: pag. 636.

Germaniæ divisio p. 6. Germania Transrhenana nunquam in provinciam à Romanis redacta. p. 198.

Germani unde dicti? p. 5. Olim bello & venationibus dediti. p. 17. Oppugnantur à C. Julio Cæsare p. 28. 31. Adsistunt Cæsari contra Pompejū p. 35. Sub Domitiano Romanis sunt infesti. p. 127. Mutuis se dissidiis conterunt, intacti à Romanis. p. 132. Vincuntur miraculo à Romanis ad Christianorum preces. p. 135. Valentiniano Imperatore, transito Rheno, Gallias infestant p. 226. Cadunt Romanos. p. 227.

Germanorum legati Romæ honorifice excipiuntur. pag. 101. Eorundem laus. p. 102.

Germanicus. Prima ejus expeditio in Germaniam. p. 73. Componit seditionem militum ad Rhenum. pag 73. Compressa seditione Rhenum transit. p. 74. Bellum ejus cum Germanis trans Rhenum. p. 74. Ejusdem secunda expeditio in Germaniam. p 76. Ejusdem classis ad ostium Amisiæ p 78. Pugna cum Arminio. p. 79. Alter ejusdem exercitus duce Vitellio redux tempestate acciditur. p. 83. Excipit legiones ab ostio Amisiæ ad ostium Visurgis properantes. p 84. Tertia ejus expeditio in Germaniam. p. 84. Ejusdem classis tempestate afflicta & lacerata. p 90. Triumphus ob devictos Germanos. p. 91. Obitus. p. 95.

Geroldus Comes in pugna contra Hunnos occumbit. p. 582. Paderborna ædem sacram construit. pag. 583.

Godefridus Danorum Rex in Holsatiam venit specie congressus cum Carolo. p. 610 Illius superbia p. 610. 628. Vim Francorū veritus ad fraudes se convertit. p. 630. Irrumpit in Frisiam p. 638. A Satellite interimitur. p. 639.

Gratianus Cæsar, Francorum habitum, amore gentis sumit. p. 233. Funesta ejus cædes. 237.

Gregorij II. Pont. studium & labor in convertenda Germania. pag. 382.

B. Gregorius Successor D. Bonifacij in Ultrajectina sede. D. Ludgeri aliorumque sanctorum virorum magister. p. 414. Moritur. p 446.

Guntherus primus Hildesiensium Episcopus pag. 596.

H.

HAdrianus Pontifex Carolo M. conjunctissimus. p. 428. Unum Caroli M. filium baptizat, duos deinde alios inungit Reges. p. 475. Gratulatur Carolo M. de Saxonia victa. p. 500. Obitus illius Carolo tristis accidit. p. 560. A quo epitaphium illi positum. p 561.

Halberstadiensis Episcopatus initia p 469.

Hamburgensis Ecclesia & Episcopatus initia à Carolo M. p 611.

Haihumar 9. quo anno Paderborn. Eccles. primus Episc. impositus sit p 559 Leonem III Pont. Paderb. excipit. p. 577.

Henrici Ducis ex insidijs mors. p 583.

Herstallum Saxonum. p. 570. Eo filios evocat Carolus M. p 571. Exteri veniunt ad Carolum ibid.

Hermenefredus Rex Thuringiæ. p. 300. Tolpiaci ex muro præcipitatur pag. 301.

Hermunduri bellum gerunt cum Cattis. p. 108.

Heterodoxorum error confutatur, qui negant ullos à Carolo M institutos esse Episcopos. p. 470.

Hildegarius Archiepiscopus Colonensis quandonam à Barbaris occisus. p. 404. 412.

Hochburg Castellum, quod & Hamburg, receptum & instauratum p 642.

Hunni transito Rheno fædam Germaniæ vastitatem inferunt p 286. Ex Pannonia in Austrasiam effusi. p. 314. In Thuringiam irrumpunt p 324. Illorum Caganus supplex ad Carolum venit Aquisgranum p. 616.

I.

S. IDa Egberti Ducis Westfal. conjux Hertzfeldiæ ad Luppiam Eccles: erigit. p. 591. Sanctè moritur p. 641.

Irmensuel Idolum: varia ejus appellatio p. 433. Quis Deus in Idolo cultus? p 434. Forma idoli. p. 434.

Italus à Claudio Cheruscis datus Rex. p 104.

Judicium secretum institutum. p. 495.

Julianus Cæsar. p. 211. Prima ejus expeditio p. 211. Cadit Germanos ad argentoratum. p. 213. Victor Moguntiam descendit. p. 214. Ejusdem secunda expeditio ad Rhenum adversus Francos. p. 217. In Quados & Saxones movet. p. 217. Transito Rheno in Alemannos ducit exercitum p. 218. Eorum regiones vastat. p. 219. Tertia illius expeditio adversus Francos Attuarios. p 221

Julianus Politicorum Magister p. 224. Illius perfidia ibid. Mors. 225.

L.

S. LEbuini Transiselaniæ Apostoli mors. p. 404.

Leges vetustæ Saxonum. p. 497. Leges Caroli pro partibus Saxoniæ. p. 564. Ejusdem leges ad Salam datæ. p. 614. Ejusdem lex de Episcopis & sacerdotibus, qui castra sequuntur. p. 595.

Leisbornense Cœnobium in Westfalia. p. 603. Virgines Antistites ibidem. p. 603.

Leodes ac Leudi quinam? pag. 303.

Leo III Pontifex munera Carolo M. transmittit. p. 564. Illius funestus casus obturbat curas belli Saxonici. p. 575. Paderbornæ à Carolo M. excipitur. p. 576 Ibidem Altare consecrat. p. 578. Ejus vaticinium ibid. Quamdiu in Germania permanserit, & quæ gesserit? ibid. Eresburgi Sacellum consecrat. p. 578, Et Altare Dethmoldiæ, p. 580, Ac

 ædem

adem sacram in Sidinghusen. ibid. Et Hameliæ. ibid. Honorificè à Carolo dimissus Romam redit. p. 581. Carolum M. Imperatorem Romæ coronat. p. 587. Justè à Pontifice translatio Imperij facta. p. 589.

Liafburga D. Ludgeri Mater: beneficia illi cœlitus collata. p. 393.

M. Lollius cæditur à Germanis. p. 38.

Longobardorum origo ac sedes p. 312. In Italiam irrumpant, & novi regni auspicia capiunt ope Saxonum. ib.

Luda celebris Caroli M. castris. p. 491.

D. Ludgerus nobili prosapia natus inter Frisios. pag. 392. Mittitur Daventriam. p. 446. Consecratur sacerdos. p. 451. Frisiam excolit, & Fana ac idola subvertit. pag. 452. Pulsus à Widekindo Romam proficiscitur. p. 480. Redit ex Italia in Saxoniam. p. 494. Excolit pagos Frisios p. 504 Ecclesiæ Monasterienſi præficitur. p. 533. Ejus labor & successus in convertendis Occidentalium Saxonum populis. p. 534. Simul Frisiam excolendam retinet. ibid. Altera ejus profectio Romam. p. 571. Primum in Westfalia Cœnobium ad Ruram condit. p. 572. Consecratur Episcopus. p. 598. Refugit primò consecrationem. p. 599. Quinq; pagos à se excultos Ecclesiæ Monasterienſi relinquit. p. 599. Illius mors. p. 632. Scriptores vitæ. ib. Illius opera pro Clero & religione. p. 633. In comitatu suo semper Clericos & Sacerdotes habuit. p. 634. Victus illius & cultus. ibid. Obitus, & de sepultura corporeq; suo dispositio. p. 635. Signa in excessu è vita. ib. Cœnobia ab eo condita. p. 636. Scripta ibid. Illius vaticinium de Nortmannorum irruptione. pag. 639.

Ludinghusium à Carolo M. donatũ D. Ludgero. p. 602.

Luppiæ fontes. p. 55. Ad eos Carolus M. castra ponit, & innumerabilis hominum multitudo ad baptismum se offert. p. 448. Luppiæ Carolus Castellum imponit. p. 449.

M.

MAgnentius Constanti rebellis Cæsarem se dicit. p. 203. Francos & Saxones sollicitat ut in societatem belli. ibid. Imperium Occidentis arripit. p. 204. Desperabundus ex clade se ipsum interimit. p. 204.

S. Marcellini, obitus, res ab eo in munere Apostolico ad Isalam præclarè gestæ ac scriptæ. p. 413. D. Ludgeri de illo testimonium. ibid.

S. Marianus Apostolorum discipulus trans Rhenum missus Bardevvicum venit. p. 106.

Marobodui Regis bellum intestinum cũ Arminio. p. 93.

Marsi quales populi. pag. 12.

Martyrium Trevirense & Thebæorum militum. p. 178.

Mattiaci qui & quales? pag. 9.

Maximianus Imperij collega adsciscitur à Diocletiano. p. 177. Persequitur Christianos. p. 178. 185. Alemannos repellit & Francos domat. p. 180. Imperio se ultro abdicat. p. 185. Jussu Constantini strangulatur. pag. 190.

Maximus Tyrannus, Cæsar per rebellionẽ militũ. p. 237.

S. Meinolphus Carolo M. susceptore baptizatur. p. 468.

Merobaudes Francus Romanus consul. pag. 234.

Merovæus III Francorum Rex. p. 281. Regnum Francicum firmat. pag. 288.

Mindensis Episcopatûs initia. pag. 469.

Missi Dominici, illorumq; munus. pag. 605.

Monasterienſis Episcopatûs initia. pag. 470.

Monasteria ex suo instituto non sunt Scholæ. pag. 511. Duplices olim in Monasterijs Scholæ. pag. 512.

N.

NEro Cæsar: bella sub eo cum Germanis. pag. 107. Ejus mors. pag. 109.

Niger fluvius quis? pag. 168.

Nortmanni Piratica Gallias infestant. p. 565. Fatalis Christianæ religioni populus. ibid. In ijs avertendis Caroli vigilantia. pag. 586.

O.

OBotriti Francis confœderati. pag. 574.

Odoacer Germanus primus, qui se Italiæ Regem dixit. pag. 292.

Origo trium populorum, Saxonum, Anglorum, & Vitarum inquisita. pag. 284.

Osnabrugensis Episcopatûs initia. p. 456. Primus illius Episcopus S. Wiho. p. 457.

Ostfaliæ nominis origo. p. 421. Ostfaliam Carolus M. intrat, & ordinat statum Provinciæ. pag. 473.

Ostfali in gratiam & fidem recipiuntur à Carolo. p. 559. Multi ad baptismum se recipiunt. pag. 473.

P.

PAderæ fontes celebrati. pag. 458.

Paderborna maximè memorabilis locus ex bellis Caroli M. p. 424. Paderbornæ Carolus M. Conventum habet, ad quem omnes Saxoniæ proceres, excepto Widekindo convenerunt. p. 452. Ingens Saxonum turba baptizatur. p. 455. Tres Saracenorum Reges Carolum accedunt. p. 459. Item Legati Regis Daniæ & Hunnorũ. p. 476. Castra collocat Carolus M. p. 485. Synodum agit. p. 495.

Paderbornensis Episcopatûs initia. pag. 469.

Pax inita Julianum inter & Reges Alemannor. p. 220.

Pharamundus I. Francorum Rex. p. 263.

Pipinus Landensis præfectus Inferioris Austrasiæ. p. 330. Ejus obitus ac laus. p. 339.

Pipinus Heristallus supremus regni Austrasiæ præfectus p. 342. Residet Coloniæ. ibid. Ejus summa potentia in Regno Franciæ. p. 345. Audacia bellica. ib. XII Apostolicos viros ex Anglia Trajectum appulsos in tutelam suscipit. p. 346. Ejus mors & laus. p. 369.

Pipinus filius & heres Caroli Martelli. p. 387. Bellum sumit adversus Odilonem Bavariæ Ducem p. 389. Bellum Saxonicum resumit. p. 391. Coloniam descendit, & Cæsaris Insulam præmunit, ob sepulchrum D. Suiberti & securitatem Christianorum p. 396. Circumventus à Saxonibus, D. Suiberti ope, incolumis ad Rhenum penetrat. pag. 398. Voti solvendi causa nudis pedibus ad sepulchrum D. Suiberti procedit. ib. Inungitur & Rex salutatur. p. 400. Familia & stirps illius. p. 401. Rhenum transit: ad Visurgim castra promovet, & in Rema collocat p. 402. Westfaliam devastat. p. 403. Iterum transito Rheno in Westfal. digreditur p. 411. Victis tributum auget 300 equis. p. 412. Wormatiæ conventum agit. p. 415. Aquisgrani hibernat. ib. In Aquitaniam movet. ib. Æger Turones ad S. Martini sepulchrum deferri vult. ib. Regnum dividit inter duos filios Carolum & Carolomannũ. p. 416. Moritur. ibid.

S. Plechelmus ad Isalam gentium doctor & Oldensaliensium Patronus. pag. 398. (p. 80.

Pons Moguntiæ igne absuptus. p. 651. Pontes longi.

Providentia divina in conversione Saxoniæ. p. 419.

R.

RAdbodus Dux Frisiæ Francor. fines vastat, & sacra Christianorũ turbat. p. 345. Profligatur à Pipino. ib. Sacris à D. Wulfranno instructus pedem à fonte baptismatis retrahit. p. 356. Adversus Carolum Martellum rebellat, Frisiam turbat, & sævit in Christianos. p. 366. Coloniæ imminens auro Plectrudis avertitur. p. 367. Moritur. p. 370.

Rando

Rando *Dux Alemannorum, occupatâ Moguntiâ, savit in Christianos & incolas. p.228.*

Religio *Christiana, Constantio Cæsare, per Germaniã & Belgium florens. p.208. In Thuringiam deducta. p.302.*

Rhenus *à Druso quinquagintà Castellis munitus. p.15.*

Ricimer *gente Francus, Consul Romanus. p.239.*

Ripuaria *regio. p.296.*

Ripuaria *lex Theodorico adscripta. p.299.*

Romani *cæduntur à Cimbris & Teutonibus. p.20. 21. Et ab Alemannis. p.230.*

Romanum *Imperium ab excessu Theodosij sensim Barbaris in prædam cessit. p.248.*

Rulandus *perit in clade in Montibus Pyrenæis illata p.460. Illius statuis quæ fides habenda. ibid.*

S.

Salicæ *legis origo, auctores & locus. p.265. An Salicâ legè mulieres à Successione excludantur. p.268.*

Samo *gente Francq, Vinidorũ & Slavorũ Dux. p.336.*

Saxonia *inter Rhenum & Visurgim vastata. p.332. Francis vectigalis quingentos boves quotannis pendit. ib. Ejus divisio in tres populos, Westfalos, Angarios & Ostfalos. p.420. In provinciæ formam more Romanorum redacta. p.518. Tributaria à Carolo M. p.521. Præter decimas alijs tributis obnoxia facta. pag.522.*

Saxonũ *origo p.172. Cædes XXX milliũ. p.559. Clades à Thrasicone & Eberwino illata. p.574. Schola Romæ. 582.*

Saxones *Belgium vastant. p 209. Galliam incursant, cæduntur q, in reditu cum prædis. p.230. Profligantur à Valentiniano, eorumq, juventus adscribitur in militiam Romanam. p.230. Cæduntur ad Deusonem in terra Francorum. p.232. Implorantur à Britannis adversus Barbaros. p.281. In Angliam evocati, novi istic regni auspicia capiunt. p.282. Ab obitu Valentiniani occidentalis Galliæ latus occupant. p.289. Belli Thuringici socij imploràti à Theodorico Rege. p.302. Tributarij Regum Francorum. p.302.308. Clotario ac Saxones cædunt. p.309 Cæduntur rursũ à Francis, ac fiunt tributarij. ibid. Longobard. expeditioni se cum XX millibus associant. p.313. Ex Italia reduces in Galliã penetrant. p.317. Iterato redeunt in Galliam, & per eam in antiquas trans Rhenũ sedes. ib. Cæduntur à Suevis. p.318. Sollicitati à Brunechilde in auxilium veniunt p. 329. Perfidè promittunt arma contra Vinidos. p.337. Jungunt se Radbodo contra Pipinũ. p.345. Intrãt & vastant Bavariã. p.367. Rebelles à Carolo Martello cõpressi p.371. Rebellantes à Carolo Martello obterũtur. p.383. Captivi à Carolomanno & Pipino ad baptismũ perducuntur. p.391. Ad baptismũ se offerunt sub Pipino. p.395. Pipino rebellant. p.397. 411. Per absentiam Caroli rebellant, & Christianos ad Isalã turbant. p.438. Irrumpunt in Hassiam, & Fritzlar. basilicam cum Cœnobio vastant & incendunt. p.438. Divinitus puniuntur. p.439. Rebelles per absentiã Caroli M. Eresburgi dolo capiunt. p. 446. Sigeburgũ frustra tentant, miraculo ab oppugnatione aversi. p.447. Fidem denuo jurant Carolo M. 455. Absente Carolo in Hispaniã rursũ rebellant. p.460. Cæduntur p.463. Cum Saracenis rebellant, affligunt Christianos, & sacra turbant. p.548. Traducuntur in Daciam pag.563.*

Saxones Transmarini *ad fidem convertuntur. p.323.*

Schidroburgum, *sedes Episcopi designata à Carolo M. p.491. Eiq, impositus Albertus Sacerdos. pag.492.*

Severus *Magister Equitum Francos ejicit à Mosa in sedes suas. p.214.*

Sicambri *qui? pag.10. Cæduntur à Tiberio. p.50.*

Sigebertus *Rex V Austrasiæ. p.311. Thuringos, Saxones & Hunnos ad Albim prælio vincit. p.331. Capitur ab Hunnis. pag.315.*

Sigebertus *II Rex XI Austras. p.337. Expellit Vinidos è Provincijs Franciæ. p.338. Cæditur à Turingis. p.339. Dotat Ecclesias & condit Cœnobia. p.340. Moritur. ibid.*

Sindfeld *Campus in Diœcesi Paderbornensi ubi Carolus Saxones fugat. p.555.556. (p.411.*

Sithina *locus in Westfalia ubi Saxones se præmuniunt.*

Sclavi *Francici Regni Provincias infestant. pag.336.*

Stephanus *Pont. advenit in Galliam, honorificè exceptus à Pipino Rege. p.406. Opem sollicitat contra Longobardos pro patrimonio Petri. p.407. Laudat Francos. ibid. Elevationem D. Suiberti committit Episcopis p. ib.*

Stilico *Aleman. & Francos in Galliã irrumpentes profligat. p.248 Cadit Alaricum Gothorũ Regem Italiam affectantem p.251. Vincit & delet Radagisũ. p.251. Ab Honorio Capitali supplicio affectus perfidiæ pœnas luit. p.255.*

S. Sturmio *Abb. Comes Caroli M. p 430. Doctor Paderb. p.456. Æger Eresburgum mittitur. p.467. Moritur. ib.*

S. Suibertus *in Angliã proficiscitur, ut Episc. consecretur. p.349. Mira patrat. p.350. Embrica occurrit D. Willibrordo Româ reduci. p.350. Miro fructu Frisiã excolit. p.351. Westfaliã intrat, & Barbaros Evangel. docet. p.357. Mimigardam seu Monasterium, adit, ubi miraculo contractã mulierem sanat. p.357. Ædem D. Paulo sacram exstrui Monastrij curat. p.358. Bilfeldiã evocatus insigni miraculo sanat anginâ laborantem, & cum morte conflictantem. p.358. Caco visum reddit. p.359. Brunsvvicum adit, & miraculo doctrinam illustrat. p.359. Brunsvvico ejectus cetera Saxoniæ & Westfaliæ loca docendo. peragrat. p.360. Proficiscitur ad Boructuarios iisq, Evangelij doctrinam tradit. p.361. Indignè ab iis tractatur. ibid. Coloniam migrat, & miraculis inclarescit. p.363. Impetrat locum in Cæsaris Insula. ibid. Ecclesiam ibidem & Collegium Clericorum erigit. pag.364. Moritur. p.367.*

S. Suibertus *primo Verdensis Episcop. à Carolo M. impositus. p.508. Diversus hic à Suiberto Insulæ Werdæ. ib.*

Sufatum *S. Cuniberto datum à Dagoberto Rege, primum Ecclesiæ Colonien sis patrimonium. p.334. Ingenti miraculo collustratur per D. Suibertum. p.369.*

Sylvanus *Francus. Ejus fortitudo. p. 204. A Constantio Germaniæ inferiori præficitur. p.205. affectatis imperij falsò accusatur. p.206. Colonia Cæsarẽ se dicit. p.207. Ibidẽ ex Christianorum ade sacra extractus trucidatur. p.207.*

Synodus *Durien sis sub Pipino. p.414. Sub Carolo M. p.464. Liptinens. D. Bonifacij. p.389. Mogunt. ab eodem sanctò habita. p.394. Paderborn. prima sub Carolo M. p.453. In ea sedes Episcoporũ constituta. p.455. Paderb. seu Lippiensis secunda. p.468. Paderborn tertia. p.476. Ratisbon. Episcop. à D. Bonifacio habita. p.388. Trajectensis prima, in qua actum de Episcopis creandis p.348. Traject. secunda Apostol. virorum, postquam missi in diversas Fris. partes. p.352. Quinq, postrema Synodi per Galliã & German. ex Caroli M. voluntate & ordinatione. p.648.*

T.

Taciti *judicium de bellis Romanorum adversus Germanos. pag.104.*

Tanfanæ *templum in Marsis solo æquatur. pag.75.*

Tassilo *Bavariæ Dux Pipino rebellis. p 415. Jurat Wormatiæ Carolo M. fidem. p. 475. Bellum ei decernitur. p.513. Ingelheimij in conventu damnatur, & in monachum attondetur. ibid.*

Tencteri *quales populi. p.10. Ubios adeunt & horridè affantur. p.119. Eorum strages. p.31.*

Teuto-

Teutones *caduntur à Mario. pag.23.*
Teutoburgiensis *saltus Clade Variana celebris.p.67. Lustratur à Germanico. p.79.*
Theodebaldus *Rex III Austrasiæ.p.305.*
Theodobertus *Rex II Austrasiorum.p.303. Cum ingenti Germanorum & Francorum exercitu Italiam ingressus regnum illud affectat.p.304.*
Theodobertus II. *Rex VII Austrasiæ. p.323. Victus à Theodorico Coloniam fugit. p. 327.*
Theodoricus I. *Rex Austrasiæ.p.398. Danos ex Belgica secunda pellit. p. 310.*
Theodoricus II. *Rex VIII Austrasiæ, regnum hoc Burgundiæ regno suo adjungit. p.329.*
Theodosius *Francos et Saxones ab Oceani littore depellit.p.228. Orientis Imperator ductus à Gratiano.236. Pugnat cum Eugenio & Arbogaste.p.246. Moritur.p.247.*
Thuringia *subacta,& Regno Francia addita à Theodorico Rege. 301.*
Thuringi *ad Onstrudam caduntur à Francis. p.301.*
Tiberius *in locum Drusi subrogatur ab Augusto.p. 49. Prima ejus expeditio in Germaniam p.50. Triumphus Romæ.p.51. Secunda expeditio in Germaniam. p. 52. Tertia expeditio.p.54. Castra ponit ad fontes Luppiæ. p.54. Quarta ejus expeditio in Germaniam.p.56. Expeditio quinta adversus Marobodnum Marcomannorum Regem. p.57. Sexta expeditio in Germaniam. & septima p.68. Succedit Augusto Cæsari. p. 72. Moritur. p.96.*
Tilmo *unus ex Apostolicis viris in Saxoniam missis, monetur calitùs de Evvaldorum corporibus reperiendis. p. 354.*
Transalbiani *injuriosè tractant Caroli M. legatos. p. 573. Ad eos ulciscendos Carolus Visurgi descendit & Mindam venit.p.573. Vexant Bremensem Diœcesin. p.604. Decem illorum millia à Carolo dispergnntur per alias provincias.p 609.*
Tremoniæ *origo & antiquitas. p.539. Vestigia sacra antiquitatis ibidem.p.591.*
Treviris *excidium à Francis illatum.p.259.260.*
Trutmannus *præses tribunalis Westfalici & Advocatus Sacerdotum à Carolo M. constituitur. p.538.*
Tubantes *quales populi.p.13.*
Tuisto *primus Germanorum parens. p.3.*

V.

VAccæ *Inferendales.pag.309.*
Valens *Imp. sævit in Catholicos.p.234. Oppressus à Barbaris auxilia petit à Gratiano.ibid. Caditur à Gothis & vivus in casa exuritur.p.235.*
Valentinianus *Imperator.pag.226. Sub eo omnes penè Barbari in Romanum imperium commoti.p.226. Gratianum filium Cæsarem creat,hortaturq; ad bella contra Germanos & Francos p.227. Bellum Alemannis infert ob eadem & prædam Christianis illatam. p.229. Limitem Rheni castellis & oppidis præmunit.p.229. Dolo Arbogastis interficitur.p 244.*
Valerianus *Christianorum persecutor per varias gentium rebelliones punitur.p.159. A Persis captus ignominiosè habetur.p.162.*
Varni *populi inferioris Germaniæ.p.306.*
Q. Varus *caditur in Westfalia p 58.*
Ubij *quales? p 9. Caduntur à Germanis.p.114.*
Vindicta *in 3 Sacrilegos Satrapas Saxones.p.461.*
M. Vinicius *strato ponte Rhenum transit. p.37. Bellum adversus Germanos sustentat.p.53.*
Visurgis *Romanorum, Francorum et Saxonum bellis celebris p.310.* Urbium *in Westfilia amissa p.320.*
S. Ursula *& Socia occisæ perhibentur ab aliquibus. p. 140. Sub maximo Cæsare interemptæ referuntur & refelluntur.p.238. Ejus cædes adstruitur.p.288.*
Usipetes *qui & quales populi.p.10. Eorũ strages.p.31.*

W.

S. WAltgerus *Comes Hervordiæ templum erigit ac fundat. p.540.*
Warini *à Childeberto victi ac deleti. p.322.*
Werthina *Sepulchro D. Ludgeri, & aliorum consanguineorum Episcoporum nobilis.p.636.*
Westfalia *vallum interioris Germaniæ, & procreatrix bellicosorum populorum.p.15. Invictæ ante hac p.15. 16. Origo nominis ejus. p.421. Quo tempore cœperit ib. Ejus limites.p.422. Antiqua Saxoniæ regio.p.423. Forma Reipublicæ illius ibid. Ordines Reipublicæ.p.424.*
Westfali *dolo castra Francorum ad Lubbekem intrant ac turbant.p.444. Prope Bucholdiam se congregant in arma.p.465. Fugiunt.ibid.*
Widekindus *ad Rhenum progressus barbarum in modum grassatur in Christianos & Christianorũ Sacra. p.461. Saxoniam ad arma concitat p.476. Ad Visurgim cadit Francos.p.477. Post supplicia suorum à Carolo M. illata sævit in Christianos.p.480. Drentiam & Tuentiã vastat.ib. Ejus oratio ad Saxones p 482 Eo Duce Saxones extremum conspirant contra Carolum & Francos.p.483. Ad Hasam fluvium Saxones recolligit & prælio contendit cũ Carolo M. haud procul Osnabrugo.p 485. Ex prælio victus evadit. ib. Invitatur per legatos ad pacem.p.498. Sequitur Carolum Attiniacum, ubi baptizatus asseritur.ibid Liberalis est in Ecclesiam.p.502. Collegium Sacerdotum in Engeren instituit.pag.542. Illius obitus & encomium pag: 624. Progenies. p.226. Tria Collegia Westfaliæ à Widekindo & posteris. pag: 627.*
S. Wigbertus *cum Clericis aliquot in Frisiã venit Evangelij causâ.p.344. Frustra Radbodum Frisiæ Ducem convenit p.344. In Fostelandiæ insulam digreditur.p.348.*
D. Wigbertus *primus Abbas Frislariensis.pag.395.*
Wigtrudis *D. Meinolphi mater adit Carolum, questa de stuprosibi per vim illato. pag.468.*
S. Wiho *primus Osnabrugensium Episcopus ab Altfrido Leodiensium Episcopo consecratur. pag.457. Illius mors & encomium.p.617.* (p.343.
S. Wiltridus *Episcopus Frisiæ Evangelij lucem infert.*
S. Willebrordus *incipit Frisiam convertere. p.348. Proficiscitur Romam,ut Episcopus consecretur p.349. Quod factum à Sergio Pontifice. ibid. Roma redux Frisiam excolit.p. 351. Gesta ejus Embrica.pag.355.*
S. Willehadus *novus Apostolicus vir ex Anglia in Frisiam venit.p.409. Pulsus à Widekindo Romam proficiscitur.p.480. Carolum M. convenit Eresburgi.p.494. Consecratur Episcopus Wormatiæ coram Carolo. 505. Moritur.p.542. Ejus abstinentia à Carnibus,& via rigor.p.542. Quotidie Missam celebrat.p.543.*
S. Willeicus *Cæsaris Insulam & sacra administrat. pag.367. Ejus mors & elogium.p.381.*
Wilsi,*conspectis Francorum armis,Carolo se dedunt. p.537. Castellum Hobuchi ad Albim occupant, & solo æquant. p.640.*
S. Wulfrannus *Divino monitu proficiscitur in Frisiam.p.355. Sacrificat in navi. ibid. Agit cum Radbodo de baptismo.p.356.*

FINIS.

SCHATEUS
HISTORIA
WESTPHAL: